ALFONSI SALMERONIS TOLETANI,

E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

COMMENTARII IN EVANgelicam Historiam, & in Acta Apostolorum.

TOMVS SECVNDVS,

QVI INSCRIBITVR DE VERbi ante Incarnationem gestis.

Nunc denuò in lucem editus.

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud Antonium Hierat, & Ioannem Gymnicum Bibliopolas.

ANNO M.DCXII.

Cum gratia & Priuileg. Sacræ Cæsar. Maiest.

Licentia P. Prouincialis.

Ludouicus de Guzman, Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Toletana, speciali commissione Patris nostri Generalis Claudij Aquauiuæ, do facultatem, vt imprimatur secundus tomus, qui inscribitur, De Verbi ante Incarnationem gestis, *quem composuit P. Alfonsus Salmeron, vnus de primis Patribus Societatis Iesu: quia iam discussus est, & approbatus à viris doctis, & grauibus nostræ Societatis. In cuius rei fidem has literas dedi meo nomine subscriptas, & mei officij sigillo munitas. In domo nostra Villaregiensi, septimo Kalendas Octobris. 1597.*

Ludouicus de Guzman.

Approbatio Regij Consilij.

IVssu Supremi Senatus Regij secundum tomum operum Magistri Alfonsi Salmeron ex insigni religiosissima Societate Iesu vidi, & inspexi: cuius Patris lucubrationes adinstar eximij pictoris Polycleti tabulæ, nihil redundans diminutumue continent. Stylus etiam breuis ac grata facundia aperto nitidoque sermone validè Hæreses impugnat. Cumque omnia eleganter ac nimis eruditè tractet, spero Theologos, & Diuini eloquij concionatores ex huius eruditissimi Patris librorum lectione maximum emolumentum percepturos. Quamobrem æquum esse, vt hoc volumen typis mandetur ad omnium commodum, censeo. Ideoque meum nomen subscripsi. Madriti apud sanctum Thomam die 10. mensis Martij. Anno 1598.

Fray Diego Granero.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

INterpretaturi Euangelicam historiam, quæ sanè altissima, & recondita fidei mysteria, abstrusósque, & humanæ sapientiæ incomprehensibiles sensus, complectitur, Candide lector; diuinum in primis fauorem, & spiritum mihi sedulis precibus, intimisque votis inuocandum atque implorandum necessariò existimaui. Nam & Indorum, & Persarum sapientes, qui tum Brachmanæ, tùm Magi appellantur, nihil exorsos vnquã memoriæ proditum est, nisi prius orationem ad Deum emisissent: Platonicæ, Pythagoricæque disputationes à sacris precibus cœptæ in ijsdem terminabantur: quibus Porphyrius, Theodorus, & Academici, nihil necessarium, aut conducibile magis esse confirmant. Quòd si gentes, quæ in tenebris versabantur, quæque tam legis Mosaicæ vmbra, quàm Euangelij splendore destitutæ erant, in eam cogitationem, & propriæ ignorationis confessionem, natura duce, aut potiùs naturæ autore ducente venerunt, quid nobis faciendum est, qui & nostræ ingentis imbecillitatis conscientiam simul, & experientiam habemus; & Euangelicæ doctrinæ, quam enarrare & explanare intendimus, sublimitatem ac difficultatem non ignoramus? Nam de virium humanarum infirmitate quis esse potest locus ignorationi; cum ad Apostolos dixerit Christus: *Sine me nihil potestis facere*: & Apostolus, *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Cùm ergo ad diuinum spiritum promerendum, nulla compendiosior ratio & via iniri possit, quàm continuas preces & supplicationes ad æternum & immortale numen fundere, nostram hanc diuini numinis inuocationem reprehendet æquus arbiter nullus, Ideo, & Dominus dixit; *Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis Pater vester cœlestis de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* & rursus, *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inueniet, & pulsanti aperietur.* Certè patres illi antiquiores; quibus nulla aut exigua commentariorum suppellex suppetebat; & qui rationem fidei suæ, quam profitebantur, plerunque coram fidei hostibus reddere cogebantur, & Hæreticis sacras Scripturas ad sua sensa animorum comprobanda vrgentibus; nullis maioribus præsidijs aut adiumentis; ad veram & solidam Scripturarum intelligentiam assequendam vsi sunt, quàm precibus, votis, ac gemitibus, quibus ad Spiritum sanctum, diuini Verbi interpretem; promerendum, ad Christum ipsum confugiebant: quâ de re priori libro satis diximus. Cogor itaque in huius libri limine, cum Prophetà ad Dominum clamare: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo: declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei:* Compellor Dionysij illius antiquissimi atque sanctissimi, Pauli Apostoli discipuli, ex libro de cœlesti hierarchia verba vsurpare: *Itaque Iesum (ait) inuocantes, paternam lucem, quæ est, quæ vera est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum per quem ad Patrem principale lumen accessum habemus, ad sanctissimarum Scripturarum intelligentias (prout illas à Patribus accepimus) contuendas pro viribus pergamus.* Sic Pater ille. Denique cogor supplex in genua

Porphyrius. Theodorus.

1. Ioan. 15. 2. Cor. 3.

Quæ maximè ratione diuinum Spiritum nobis promereri valeamus.

Luc. 11.

Ibidem.

Psalm. 118.

Dion. areop. cap. 1. libri de cœle. hierar. in princip. Ioan. 1. Ephes. 2.

Scripturarum omnium autor, & interpres legitimus quis.

prouolutus, & venerabundus Christi Spiritum, Scripturarum omnium autorem,& legitimum interpretem,mihi conciliare; vt ille, pro insita sua ac incomparabili bonitate, per aliquem lucis Angelum ea mihi suggerere dignetur,quæ tanti operis magnitudini,vel ex parte respondeant;atque inprimis illa,quæ ad illustrandas fidei veritates,easque ab Hæreticorum impiis,detortis,ac deprauatis sensibus vendicandas plurimùm valeant. Deinde verò illud feliciter nobis ceder,si nostris laboribus infirmos, tepidos pigrosque Catholicos,vel in Fide confirmare,vel ad pietatem, Christique imitationem excitare, vel Concionatores,& verbi Dei ministros nostra opera iuuare,instructioresque ad Euangelizandi munus præstandum efficere possimus. Sed quoniam Euangelium, æterni Verbi Dei,postquam carnem nostram induere dignatum est, veneranda & admirabilia mysteria continet;ab his inprimis exordium sumendum esse diximus, quæ eius incorporationem seu incarnationem præcesserunt: vt superiore libro proposuimus. Nam cum Verbum ab æterno ex Patre genitum,Deus verus sit, *& antequam Abraham fieret*(vt ipse dixit)*iam esset*:profectò non erat conueniens, nec tantam eius maiestatem decebat,vt incognitum & inexpectatum, sed potiùs vt more Principum & Magnatum præmissis nuntijs & anteambulonibus,ad nos expectantes veniret: quare priùs mundum misericordia sua disponere voluit,vt illud non solum veniens expectaret,sed vt etiam ardētissimis votis desideraret,importunisque precibus à Deo efflagitaret, atque ea ratione eius ad nos aduentum, sibi quidem gloriosiorem & illustriorem,nobis verò fructuosiorem & vtiliorem efficeret. Hinc factum est,vt apud Iudæos quidem præiuerint Lex & Prophetæ, apud gentiles verò, vt docet Clemens Stromatæus, Philosophia,& Sibyllæ præcesserint vtrinque ad tanti Regis admirabilem aduentum, mundum suo modo præparantes. Ergo in hoc secundo volumine explicanda sunt illa, quæ Ioannes Euangelista de æterno Verbo ante incarnationis mysterium recenset: quæ principium primi capitis vsque ad illa verba:*Et Verbum caro factum est: & habitauit in nobis: (& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre) plenum gratiæ & veritatis*,& etiam vsque ad illud:*Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris,ipse enarrauit*,nobis suppeditat. Nam etsi in illis aliqua de Verbo iam carne induto,& de eius præcursore dici videantur: tamen quoniam valde in genere,& in communi illa mysteria ab Euangelista traduntur,& à nobis suo loco,& tempore latiùs sunt pertractāda: ne hoc pulcherrimum Euangelium in multas partes secare vel truncare cogeremur,operæpretium esse putauimus,eiusmodi omnia, quæ in illo prædicto cap. vsque ad signatum locum continentur,hoc secūdo libro edisserere: Deinde illa quæ Deus ad præparandas vnigeniti sui vias,tū per legē,& Prophetas inter Iudæos; tū per Philosophiā, & Sybillas inter gentes,operari dignatus est,cū prædictis coniungemus. Rursus quæ de Ioannis Baptistæ præcursoris annuntiatione,conceptione, & pœna incredulo patri Zachariæ inflicta per Angelum,in particulari traduntur: (Quæ omnia ex Lucæ Euangelistæ primo capite desumenda sunt)enarrabimus: Ioannis verò natiuitas, circuncisio,ingressus in desertū,testimonia de Christo pronuntiata, & quæ sequūtur,in Tertiū,& Quartū libros reijcientur,cū Incarnationis mysterium iam completū atq; perfectū consequātur. Ne verò alta,& sublimia mysteria,quę hoc libro tractanda sunt,ieiunè,& aridè à nobis explicentur, ita vt intellectum tantùm pascere videantur, dandam nobis esse operam duximus, vt interdum,atque ad quidem parcè,quædam adiungamus, quæ ad nostrum torpentem affectum Dei amore inflammandum,& ad mores nostros pietate,& virtute imbuendos,atque formandos nonnihil conferre valeant. Por-

Ioan. 8.

Clemens Alexand. lib. 6. strom. 7.

Hoc libro de quibus erit disserendum.

Pij, & catholici munus doctoris est, intellectum non tantùm erudire, sed etiam affectum inflammare.

rò in huius libri explicatione, multa occurrunt circa ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium nobis neceſſariò enucleanda. Nec id quidem aggredimur voluntate noſtra ad id incitati, vt vires ingenij in re tam abdita, & ſupra intelligentiæ humanæ facultatem poſita oſtentemus, ſed ab ipſis Euangelicis verbis neceſſitate compulſi, quò certa, & indubitata orthodoxæ fidei noſtræ dogmata propugnemus, ac tueamur, & à peruerſis tum antiquorum, tum recentiorum Hæreticorum ſenſibus, qui religionem noſtram omnibus machinis de integro conuellere, & labefactare conati ſunt, vindicemus. Nec enim noſtro ſeculo deſunt aut noui Arriani, aut recentes Sabelliani, aut Eutychiani, vt poſſis certò coniectare, omnes hæreſes, olim opera patrum noſtrorum extinctas, & ſepultas, denuò ſuſcitatas, & ad vitam eſſe reuocatas. Quamobrem omnis in illis explodendis, atque de Eccleſia Dei eliminandis induſtria, diligentia, & labor aut ſuo merito apud Deum, aut ſua laude, & fructu apud homines carere non debeat. Quare diligentior hæc tractatio videri poſſet inutilis & ſuperuacanea, niſi conſtaret noſtro ſeculo ſuſcitatum ab inferis Michaelem Seruetum Hiſpanum inſignem Hæreſiarcham, in quo iurare poſſis Arrij & Sabellij hæreſim reuixiſſe. Qui libros de Trinitate, aut potius contra Trinitatem edidit, in quibus nullam aliquando in Deo realem generationem, aut ſpirationem fuiſſe tradit, nec in eſſentia Dei vllã eſſe Patris, & Filij, & Spiritus ſancti realem diſtinctionem, vt rerum inuiſibilium, ſed eſſe perſonalem diſtinctionem inuiſibilis Patris, & viſibilis Filij: & omnes qui Trinitatem ſtatuunt in eſſentia Dei, hos Tritheitas, & veros Atheos, qui nec Deum, niſi tripartitum & aggregatiuum habeant. Atque hoc idem epiſtola Tigurina, Anno LIII. ad Senatum Gebennenſem ſcripta, ſpiritu blaſphemiæ plenus, ſacroſanctam Trinitatem vocat triceps monſtrum, ac Cerberum quendam tripartitum, ſed & diabolicum phantaſma, & illuſionem, & Deos imaginarios, & tres Dæmoniorum ſpiritus, & Geryonis monſtrum. Hic etſi tantæ temeritatis & inſolentiæ ſuæ condignas pœnas Gebennæ à Caluino combuſtus dederit: de eius tamen ſpiritu potantes Vngarici miniſtri orti ſunt, qui tria Eccleſiæ noſtræ ſymbola, id eſt, Apoſtolorum, & Nicæni Concilij, & S. Athanaſij non admittunt, niſi quatenus Dei verbo conſentiant. Negant tres eſſe Perſonas Diuinitatis: ac Filium, & Spiritum ſanctum non perſonas, ſed altiſſimi Patris fingunt eſſe virtutes, quibus ille olim in mundo condendo, & nunc in mundi noui creatione per Chriſtum vtatur. Patres credentes, & confitentes tres Perſonas, vocant Trinitarios ac Sophiſtas. In colloquio Albæ Iuliæ habito ſic ſtatuerunt. *Dicimus vnum & ſolum Deum, non Trinitatem, ſed tantum Patrem, &c.* Noui verò in Polonia miniſtri e contrario docent tres Deos, três Omnipotentes, tres Aeternos, tres eſſentias. Qui ſanè à Paganis nihilo differre videntur, niſi quod illi plures quam tres Deos eſſe confitentur: & Symbolum Athanaſij audent appellare, Sathanaſij, vt illis obiecit Stancarus. Hinc Beza in libro de omni præſentia carnis Chriſti, in Brentium: *Tritheitæ*, inquit, *Arrianorum ſoboles, tres ὅλας pro tribus in vna vſia hypoſtaſibus ſubſtituentes, Chriſtum apertè ſecundarium faciunt Deum: quorum etiam nonnulli Macedoniam ex Tritheitis iam Ditheitæ facti.* Sic ille. Vides ergò nouos Arrianos & Sabellianos. Bullingerus verò libr de ſacræ Scripturæ, & Eccleſiæ autoritate in Ioannem Cochleum, confitetur tres in Diuinitate Perſonas non ſtatu, ſed gradu: nec ſubſtantia, ſed forma: nec poteſtate, ſed ſpecie differentes. Quod certè non eſt aliud, quàm tollere ſummam trium Perſonarum æqualitatem. Vbi enim eſt æqualitas, ibi non eſt gradus aliquis: & vbi eſſentiæ indiuidua manet vnitas, ibi tres perſonæ forma vel ſpecie diſtinctę eſſe nequeũt. Alij negant proceſ-

Hæreſes quænam de Deo noſtra tempeſtate hominum malignitate reuixerint.

Michael Seruetus Hiſpanus, inſignis noſtri temporis hæreſiarcha.

Sanctiſſimæ Trinitatis cultores, Tritheitas & Atheos Michael Seruetus appellat.

Eiuſdem Michaelis hominum impudẽtiſſimi in ſacroſanctam Trinitatem horrenda blaſphemia.

Quas dederit ſuæ temeritatis pœnas hic nebulo.

Vngarici miniſtri vnde prodierint, deque hoc myſterio quid ſentiant.

Miniſtri Polonici quid doceant impij.

Gen. 1. & ſeq.

Stancarus noſtri ſeculi ſcriptor lib. cõtr. Melanchthonianos.

Beza hæreſes de Tritheitis quid ſenſerit.

Bullingeri hæreſis quæ ſit.

sionem Spiritus sancti à Patre,& Filio. Rursus alij in Scripturis Spiritum sanctum probari Deum, inficiantur, sed esse motum Dei in sanctis creaturum,vel energiam Dei,vel donum Patris effusum. Hæc in medium consultò attuli,vt ex paucis conijcere valeas quanta nostro seculo extiterit,& dicendi, & scribendi licentia, & quanta hæresum colluuies Septentrionem inuaserit:vt prò fidei auitæ possessione decertare, & pugnas antiquas renouare cogamur. Cæterum,prudens Lector,admonendũ te duximus, nos nostras has elucubrationes in sacratissima quatuor Domini nostri Iesu Christi Euangelia, ceu laborum nostrorum primitias, vni soli,ac æterno numini consecrare consultò voluisse;non ignorantes primitiua omnia in plantis, & in animalibus primogenita ad ipsum Deum magno Diuinæ sapientiæ consilio in Lege spectasse. Putamus enim nullum magis nostra,quæ benedicta extiterint,protegere, & ab inuidorum ac maleuolorũ qui nunquam desunt,calumnijs vindicare posse.Nullus etiam est qui ambigua & dubia in meliorem partem interpretari doceat,ac moneat,atque ille, qui charitatis & veritatis est amator & autor.Postremò nemo est, qui scriptis in eius gloriam,diuturniorem immortalitatem tribuere valeat, quàm ille, qui solus vt principium non nouit,ita nec vllo seculorum termino circumscribi potest,Deus ille benedictus,& sempiternis seculis laudandus.Amen. Sed quò magis tuo commodo atque vtilitati consulere valeamus, ne quisquam cogatur omnia volumine aliquo integro contenta cum tædio perlustrare, vnius alicuius loci expositionẽ quærens,decreuimus in cuiuslibet libri fronte Indicem,siue Catalogum omnium Tractatuum attexere, quos liber ille complectitur,& quid in vno eorum quolibet edisseramus, aperire,quo breuiùs ac commodiùs quisque,quod maximè quærit,inuenire valeat.Optime Lector bene vale,& nostros labores, pro communi bono susceptos,boni consulito.

De Spiritu sancto impia dogmata duo.

Huius operis dedicatio.

Exod.22. Leuit.23. Num.3. Deut.18.

TRACTATVVM QVI HOC volumine continentur.

INDEX.

VICE-

R. P. ALFONSI SALMERONIS TOLETANI, THEOLOGI E SOCIETATE IESV; COMMENTARIORVM IN EVANGELIA, & *Acta Apostolorum*;

LIBER SECVNDVS.

TRATATVS I.

De Scopo Ioannis Euangelistæ, & circumstantijs in scribendo ab eo seruatis.

Euangelium quid sit.

CVM Euangelium fausta ac bona annunciatio Mediatoris IESV Christi sit, vt prædiximus, radix autem, & basis reconciliationis, & vt ita dicam, mediationis, in Deitate Verbi consistat: meritò Ioanni Mediatoris familiari ac dilectd discipulo illam describere, atq; explicare donatum est: tùm vt occurrentibus sui temporis hæresibus Ebionis, Cherinthi, & Merinthi, qui Christum ante Mariam non extitisse dogmatizabant, armatus obuiam iret: quemadmodum Apostoli, & Apostolici viri, & pij omnes, & Catholici facere consueuerunt, qui omnibus sui seculi serpentibus erroribus reclamarunt, ac bellum illis indixerũt: tùm vt præterito Iudęorum errori, qui Christum, hominem tantùm esse putabant, repugnaret: illi enim dicebant; *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu, homo cùm sis, facis te ipsum Deum*: tum denique vt futuris Arrij & Sabellij peruersis & perniciosis dogmatibus contradiceret; & Alogianos, stultos & brutos homines, verbo carentes, & sine vlla caussa aut ratione Euangelium Ioannis scriptum non recipientes, prima sententia confutaret, atque iugularet. Est enim hoc exordium Ioannis nobis inprimis salutiferum, & omni veneratione acceptandum; Hæreticis autem formidabile atque terribile; Philosophis verò & Paganis, quibus illud videre licuit, admirãdum & stupendum. De quo Basilius, prænarratis primis verbis Euangelistæ, subdit: *Hæc ego noui multos etiam extra veritatis rationem, mundana sapientia præditos, iactantes & admirantes, ac suis decretis & scriptis miscere audentes. Fur enim diabolus, & nostra extra nuntians, ad suos hypophetas transfert. Si igitur carnis sapientia hanc virtutem verborum tantoperè admiratur: quid nos Spiritus sancti discipuli faciemus? frustra ne, & sine attentione audiemus, & paruam admodum eis inesse virtutem existimabimus?* Ita Basilius, hypophetas vocans vates, qui aliunde acceptum oraculum promunt.

Euangelij Ioannis conscribendi quę caussæ extiterint.

Ioan. 10.

Qualе sit B. Ioannis Euangelium.

Basil. hom. 16. initio, tom. 1. paulò à med

Hypophetæ sunt ij vates qui aliunde acceptum oraculũ promunt.

Eusebius verò Cæsariensis lib. de præparat. Euangelica multa furta Philosophorum ex libris Propheticis facta detegens, sic scribit: *Ita Platonici omnes, & ante Platonicos ipse Plato, ab Hebræis ea nomina videntur habuisse, quibus excelluerunt. Nam etsi non rectè intellexerunt, verbis tamen suis manifesti sunt, cuncta ab Hebræis accepisse. Vnde Aemilius quoq; illustris inter iuniores Platonicos, quamuis Ioannis Euangelistæ nomen celauerit, barbarum ipsum, quoniam Iudæus fuit, appellando, verbis tamen eisdem ferè vtitur dicens: Hoc profectò erat Verbum, quo ea quæ sunt, facta sunt: vt Heraclitus etiam diceret; Quod etiam ipse barbarus (id est, Ioannes Hebræus: nam Græcis omnes nõ Græci barbari sunt) putat in ordine principij, atque dignitate constitutum apud Deum esse, & Deum esse, per quod vniuersa simpliciter esse producta, in quo quæ viuunt, vitam habent, & in corpora ipsum cadere, & carnem indutum hominem ita videri, vt naturæ dignitas non lateat: quare rursus resolutum in Deum redire, & Deum talem esse, qualis fuit antequam in corpus, carnem & hominem deduceretur. Hæc enim non occultè, sed apertè, ac nudo capite, vt dicitur, à barbari Iudæi theologia transposita sunt.* Rursus Augustinus libro Confessionum refert, quosdam Platonicorũ libros ex Græca lingua in Latinũ versos, ad manus suas peruenisse, & ibi legi, non quidem eisdem verbis, sed similibus & multiplicibus rationibus, quòd *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum*, & reliqua quæ sequuntur: etiamsi in illis non legerit quòd *Verbum caro factum est*.

Euseb. lib. 11. de præparat. Euangelica, c. 10. tom. 1 init.

Græcis omnes non Græci sunt Barbari.

Æmilij & Heracliti qualis nam de Verbo sententia.

August. lib. 7. Confess. cap. 9. tom. 1. sub initium.

Ioan. 1.

Vides igitur, quanto in pretio fuerint verba Euangelistæ apud Platonicos, vt illa allegare, & suis scriptis inserere, illos minimè puduerit. Sed vt ad rem redeam*, videtur

Totius Euangelij Ioannis ad comprobandam Verbi diuinitatem breuis ratiocinatio.

tur Ioannes Euangelista, comprobandæ diuinitatis Christi argumenta vndiq; conquirere, & coaceruare, totusque est in hoc vno articulo, à quo summam totius nostrę fidei pendere intelligebat, muniendo, stabiliendo & confirmando. Atque in hanc propemodum formam ratiocinari videtur. Ille verè Deus est, qui æternitatis ratione, & mundi creatione, eiusque conseruatione consors, & par omninò Deo Patri inuenitur: Qui virtute edendi signa, dum aquas in vinum omnipotenti virtute conuertit, illo non est inferior: Qui seruandi, & ex aqua & Spiritu sancto regenerãdi perditum mundum potestatem habet: Qui secreta cordium potest scrutari & exprimere, vt fecit cũ Samaritana: Qui omnia quæcunque Deus operatur, simul & ipse cum eo operari nõ cessat: Qui inexplebilem hominis mentem solus satiare atque implere valet, vt panis viuus de cœlo descendens: Qui sapientiam & doctrinam cum Deo per omnia parem, & homines in instanti illustrantem & perficientem habet: Qui clementiam pietatemque condonandi hominibus peccata, pro volũtate sua (vt in adultera absoluta ostẽdit) exercet: Qui cultum latriæ soli Deo debitum, à cæco nato, sed à se sanato, & illuminato acceptat: Qui in essentia & maiestate vnum cum Deo se esse demonstrat; & idcircò ostium salutis ouium se esse confitetur: Qui mortuos fœtentes, & quatriduanos solo verbo ad vitam reuocat: Qui acclamationem soli Deo exhiberi solitam, à tota Hierusalem recepit, salutatusque est Rex Israel, & benedictus qui venit in nomine Domini: Qui cũcta, quæ tum sibi, tum Petro, & Apostolis, ac Ecclesiæ suę euentura erant, apertè prędixit: Qui mentibus se diligentium ita illabitur, quod mansionem in eis (quod Dei proprium est) faciat: Qui Spiritum sanctũ Apostolos confirmantem, & in cordibus credentium Verbi gloriam testificantem pollicetur: Qui sui visione & detectione fideles in se credentes in æternum beare, & coronare potest: Qui patientia & longanimitate Iudæorum mortem sibi inferentium, impetus frangere potuit: Qui seipsum à morte & sepultura rediuiuum, immortalem & gloriosum excitare valuit: Qui Spiritum sanctum peccata remittentem suo flatu Apostolis donare potuit: Qui Ecclesiæ suæ curam vni discipulo Petro commendare valuit. Atque hæc quidem est maior propositio; Minor verò sequitur: At hæc omnia Christum Iesum habuisse, egisse, & potuisse, Ioannes apertissimis ationibus conuincit: Iesus ergo Dei filius est, Deus est, ęqualis Deo est, Deus magnus est, Deus verus est.

Ioan. 1. Infrà 2. Infrà 3. Infrà 4. & seqq. Infrà 5. Infrà 6. & seqq. Infrà 7. Infrà 8. Infrà 9. Infrà 10. & seqq. Infrà 11. Infrà 12. Infrà 13. & seqq. Infrà 14. Infrà 15. & 16. Infrà 17. & seqq. Infrà 18. & 19. Infrà 20. Ibidem. Infrà 21.

Has autem diuinitatis dignitates & conditiones, si per singula capita Ioannis discurras; manifestè videbis Iesu Christo Domino attributas, & per eum factis illustribus declaratas. Sed ego, ne in re satis aperta verba profundere videar, abstineo à lõgiori sermone; existimans satis esse prudenti lectori illas insinuasse. Meritò ergo & acutè Ioannes in calce Euangelij concludit: *Hæc scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Filius Dei, & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.* Nam profectò si attentè legas hoc Euangelium, vbiq; inuenies diuinitatis Christi scintillas coruscare, quæ non nisi beatis & purgatis mentis oculis cerni possint. Etsi enim in Christo vtramque naturam, & diuinam & humanam confiteri debeamus: de humana tamen facilius, de diuina verò tardius homines persuadentur. Ideò opus fuit Ioannis Euangelio, quod ad inaccessam Verbi lucem apud Patrem existentis contemplãdam mentes hominum eueheret & exaltaret. Nam considera, quæso, quanti referat, Christum Deum esse, cognoscere. Si enim Christus Deus non esset, cuius solius est peccata dimittere, quomodo posset nobis peccatorum remissionem polliceri? Pontifex enim in Lege, laminam auream in fronte gestabat, cui scriptum erat nomẽ Dei, vt placatus sit ei Dominus, vt habes Exod. 28. In quo præsignatum est eum, qui nos reconciliaturus esset, Deum esse oportere.

Ioan. 20. 1. Timoth. 6. Quanti referat verbi diuinitatis articulus. *Matth. 9. & Luc. 7.* Proprium Dei solius est peccata dimittere. *Leuit. 8. 2. Cor. 5.* Quid aurea lamina in fronte summi Sacerdotis olim præsignauerit. *Rom. 5.*

Rursus, si Christus filius Dei naturalis non esset, quomodo posset nobis filiorum Dei adoptionem donare? vt toties in Scripturis ipse profitetur. Adhæc, si Christus filius Dei haud esset, quomodo ratum esset testamentum eius de cœlesti hæreditate nobis præstanda, si cœlum eius possessio non existeret? Ioannes verò ostendit, non solùm cœlum, sed omnia quæ sunt, eius esse, & per ipsum facta. Præterea si Christus filius Dei naturalis minimè esset, Angeli & homines, impij, & idololatræ inuenirentur, creaturæ seruientes, & latriæ cultũ impendentes, atq; eorum impietas in Filium, qui se adorari sineret, & in Patrem transiret, qui introducens Primogenitum in orbem terrę, dicit, Adorent eum omnes Angeli Dei: & Magos ab Oriẽte duxit, vt procidentes adorarent eum. Vnde Cyrillus libro Thesaurorum: *Si filius, inquit, natura Deus non esset, miserias modò esset genus humanum quàm antea: quia cùm credat se à seruitute falsorum liberari deorum, in eandem incidit impietatem, Deo seruiens, qui naturaliter Deus*

1. Ioan 3. Ioan. 1. Heb. 1. Deut. 32. Matth. 2. Cyril. lib. 6. Thesaur. ca. 2. initio, tom. 2. aute med.

non

S. Athanaſ. Arrianos Filiũ Dei creaturam dicẽtes, a Gentilibus nihil diſtare, potius creaturæ, quã Creatori ſeruientibus, Magnus dixit Athanaſius. Roman. 1.

non eſt. Hæc ille. Et vt egregiè Athanaſius de vita ſancti Antonij ſcripſit: *Arrianũ Filiũ Dei creaturam dicentes, nullo interuallo ſeparantur à Gentilibus, qui ſeruierunt potius creaturæ quàm creatori.*

Poſtremò, ſi non eſſet Deus, quo pacto viciſſet mortem? aut quomodo debellaſſet infernum? aut quibus armis mundum ſibi ſemper bellum indicentem, ſub iugum ſi dei ſuæ miſiſſet? quo denique modo nos à morte reuocaſſet, atq; æterna donare poſſet immortalitate? Ob hanc ergò potiſſimam cauſſam Ioannes dilectus diſcipulus, ſiue quem diligebat Ieſus, appellatur, quo ſibi atque Euangelio ſuo autoritatem conciliaret. Non enim qui diligunt Ieſum, aut ab eo diliguntur, decipi ſolent, ait enim Chriſtus: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* Dicitur etiam in Euangelio Boanarges, quod eſt filius tonitrui, quod altiſſimè intonuit, cùm dixit: *In principio erat Verbum,* & quæ ſequuntur: quibus verbis, velut tonitru quodam, & fulmine coruſcante, omne vanitatis concilium, & hæreticorum conuenticula perterrefecit, & diſſipauit.

Ioannes ſe dilectum Ieſu diſcipulum, ſiue, Quem diligebat Ieſus, tur nominet. Ioan. 14. Marc. 3. Ioannes cur dictus Boanarges.

Præterea à Patribus Græcæ Eccleſiæ veteribus per excellentiam vocatur Theologus; vt à Dionyſio Areopagita in epiſtola ad eum, & ab Hippolyto Martyre Epiſcopo Portuen. in cuius ſtatua nuper Romæ inuenta erat inſcriptum, Quòd ſcripſiſſet in Euangelium, & Apocalypſin Ioannis Theologi & Euangeliſtæ. Sic etiam denominatur à Cyrillo Hieroſolymitano Catecheſi 12. à Suida, & Gregorio Nazianzeno: vt mirum non ſit, Apocalypſin Ioanni Apoſtolo & Theologo fuiſſe inſcriptam. Dicitur autem Theologus, quod Verbi æternitatem, natiuitatẽ, diuinitatemq; perſcripſerit, de eaq; frequenter philoſophetur. Poſtremò Dionyſius Areopagita in epiſtola ad eum miſſa appellat eum Solem Euangelij: quod præ cæteris, vt quidam ſol meridianus, omnes animi noſtri tenebras ſua luce coruſcat, Solemque iuſtitiæ irreuerberatis oculis cõſpicere nos faciat; Hæreticorũ verò, qui Ieſum ſoluunt, tenebras ſua virtute eliminet atque diſpergat: & hactenus de ſcopo ſit dictum.

Ioannes Theologus per antonomaſiam à Græcis appellatus. Dionyſ. Areopag. epiſt. 10. Hippol. Martyr. Cyril. Hieroſolymit. Suidas Græcus autor. Greg. Nazian.

Dionyſ. Areopag. vbi ſuprà. Ioannes Sol Euangelij ab Areopagita Dionyſio cur dicatur. 1. Ioan. 4.

Quod ad circumſtantias ſpectat in ſcribendo ab eo obſeruatas, in primis conſidera, Ioãnem rogatum ab Epiſcopis Aſianis, vt Hieronymus, Euſebius, Epiphaniuſque teſtantur, ob Hæreticos in Eccleſiam Dei irrumpentes, & tunicam eius inconſutilem ſcindere molientes, compulſum fuiſſe Euangelium ſcribere; cùm iam reliqui Domini Apoſtoli defuncti eſſent, & ſolus ipſe ſuperſtes maneret. Fidenter ergò proſiluit in medium, & in vltima ſenecta, ſiue, vt Epiphanius ait, nonagenarius, tanquam nouus miles, ſtrenuam operam in ſcribendo impendit: & ante omnia, orationes & ieiunia, & ſibi, & Eccleſiæ, non ſine magnis rationibus (vt par eſt credere) indixit. Nam in primis eſſe Euangeliſtam, donum Dei occultum videtur, ſine vlla cerimonia à Deo collatum; & fortè nondum Ioannes perceperat in ſe iſtam ad ſcribendum propenſionem, vel impulſum Spiritus ſancti ad id perſuadentis: quare Deus vt ſignificaret illi voluntatem ſuam, meritò præmiſit preces & ieiunia, quibus Dominus in Euangelio ſe affuturum promittit, cùm dicit: *Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis.* Et iterũ apud Matthæum: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt.*

De circumſtantijs in ſcribendo à Ioanne obſeruatis. Hieron. lib. de ſcriptor. Eccl. propè initium tom. 1. à med. Euſeb. lib. 3. Eccleſ. hiſt. ca. 24. propè ini tium, tom. 1. Epiphan. in hæreſi 51. Alogianorum. Idem ibidem. Ioannes nonagenarius cõſcripſit Euangelium teſte Epiphanio. Ioannes antequam ſcriberet Euangeliũ, generale indixit ieiunium, vt gratiam digne ſcribendi à Deo obtineret. Matth. 7. Infrà 18.

Deinde cùm Deus poteſtatem aliquid faciendi præſtare ſoleat, præmitti vult orationem & ieiunium, vt poteſtate ſibi tradita rectè vtantur. Vnde Apoſtolis volentibus pellere dæmonem de corpore obſeſſi, nec valentibus, Dominus dixit: *Hoc genus* (ſcilicet dæmoniorum) *non eijcitur niſi per orationem & ieiunium.*

II. ratio illius indicti ieiunij. Suprà 17.

Ad hæc, fecit hoc Ioannes, ad fidem & autoritatem ſuo Euangelio conciliandam: homines enim eo magis charum & venerandum aliquid exiſtimant, quo maiori labore partũ eſt. Vnde & locus, in quo ſcripſit, in campo aperto ſub dio, alienus fuiſſe ſcribitur ab omni æſtu, vento, frigore, pluuia, vt elementa illum quaſi venerari viderentur: quã reuerentiã omnia elementa illi loco vſque hodie ſeruare dicuntur.

III. ratio. Notabilis, vbi Ioannes Euangelium ſcripſit loci circumſtantia.

Poſtremò, voluit Ioannes ſuo exemplo Epiſcopos Aſiæ inſtruere, vt in aggrediendis arduis pro Chriſto operibus, Deum in primis inuocent, & illum vnum reſpicientes, confidant ſe per illum præſtare poſſe, quod inchoant. Nam & Chriſtus Dominus, qui per ſe omnia ſine vlla præparatione præſtare poterat, ſæpè tamen, ad noſtram inſtructionem ieiunare, & orare voluit: vt fecit, cùm euangelizare cœpit, cùm diſcipulos in Apoſtolatum promouit, & cùm Lazarum à morte reuocauit. Scripſit ergò non niſi rogatus, & præmiſſis, vt diximus, ieiunijs, & precationibus.

IV. ratio. Luc. 4. Infrà 6. Ioan. 11.

Cùm ergò dicitur, Ioannem Euangelium de ſinu Domini, vel pectore, quando in eo in cœna recubuit, accepiſſe, vt Auguſtinus & Beda teſtantur, ſobriè intelligendum eſt. Nam tunc Euangelium non acce-

Infrà 13. Auguſt. præfa. in Ioan. circa med. tom. 9. in princ.

Beda in Ioan. ca.1. sub initiũ tom.5. circa med.

Quod quidã Ioannem de sinu Domini, vbi in cœna recubuit, accepisse Euangelium dicunt, id quatenus accipiendum sit.

accepit, cùm Ioannis 16. apertè Dominus dicat: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò:* & capite 20. articulum de resurrectione Christi eo vsque se non credidisse affirmat. Intellige ergò ex recubitu tam familiari in sinu Domini, habilitatem quandam & gratiam ad illud suo tempore describendum accepisse, vt hac ratione dicta Patrum tueamur.

Quo vsus amanuensi Ioannes scripserit Euangeliũ duplex opin.

Simeon Metaphr. apud Lippoman. tom.1. historiali, procul à med.

Act.6.

1. Reg.10.

Exod.17.

Infrà 19. & 20.

Tertiò & illud considerandum, Apostolum non manibus suis, cùm iam esset senex & grandæuus, sed opera amanuensis cuiusdam, quem secum adduxerat, Euangelium literis exarasse. Quis autem ille fuerit, Simeon Metaphrastes in vita Ioannis Euangelistæ indicat: affirmat enim fuisse Prochorum, vnum ex septem Diaconibus ab Apostolis ordinatis: hæc sunt eius verba: *Ioannes vnum quendam è septem Diaconis se sequi iubet (Prochorus hic erat) & montis verticem capessit: & more Samuelis rectus erigitur, & sicut Moyses manibus eleuatis effiguratur, & mentem à sensibus abstrahit. Tunc horrenda tonitrua, terrores, & fulgura his similia, quæ antea Moysi legem recipienti contigerant, facta sunt: ad extremum tonitrua in vocem exprimuntur, & dilucidè resonant: In principio erat Verbum, &c. Prochorus, qui priùs quidem veluti exanimis præ timore ceciderat, represso paululùm metu, subtremula manu, ex ore & voce Ioannis Theologi, quæ ipsum erat tonitru, verba eius cœpit scribere, sic prosequens, donec totum compleret Euangelium.* Hæc ille.

Athanas. tom. vlt.

Athanasius verò in sua Synopsi Scripturarum in fine, per Gaium dilectum Apostolorum hospitem Ephesi editum testatur, de quo & Paulus Romanis scribens, dicit: *Salutat vos Gaius hospes meus, & totius Ecclesiæ.* Ad hunc ipsum Gaium conscripta est Epistola tertia Catholica Ioannis Euangelistæ. Sed huius historiæ discrepantia facilè tollitur, si verba Dorothei Episcopi Tyri, in Synopsi sua, quam de vita & morte Prophetarum & Apostolorum conscripsit, attentè legamus: ait enim; *A Traiano verò* (legendum puto, à Domitiano verò) *in insulam Pathmon propter verbum Domini exilio damnatus est, vbi etiam sanctum Euangelium suum conscripsit, quod posteà Ephesi per Gaium hospitem suum, ac Diaconum edidit.* Hæc ille. Ex quibus habes, illum Euangelium scripsisse in Pathmo insula, iuxta huius Patris sententiam. Vt etiam præter Dorotheum Simeõ Metaphrastes & Nicephorus testantur: & tũc vti potuit Ioannes opera Prochori in scribendo primum Euangelio, deinde verò cùm post exilium Ephesum reuertisset, per Gaium suum hospitem, & Diaconum limatiùs & diligentiùs scriptum, in lucem editum & publicatum fuisse. Hinc codex Syriacus in principio Ioannis Euangelij habet: *Euangelium sanctum præconium Iouchanon quod locutus est ac prædicauit Iônice Ephesi.*

Rom. vlt.

Dorotheus Epis.

Niceph. lib.2. Eccl. hist. c. 42.

Matthæo, Marco, Lucaque prætermissa recensere, verisimile eorum ... Ioanni tantum curæ fuit.

Euseb. lib.3. hist. eccl. c.24 tom.1.

Hieron. li. de viris illustr. tom.1.

Niceph. vbi sup. c. 4.

Matth.14.

Quartò aduertendum est, illud singulare habere Ioannem, vt referunt Eusebius & Hieronymus, ac Nicephorus, quòd cùm trium Euangeliorum ad ipsum peruenisset notitia, probarit quidem fidem & veritatem dictorum; deesse tamen viderit aliqua, & ea maximè, quæ primo Dominus prædicationis suæ tempore gessit. Certum est enim, quod in tribus superioribus Euangelijs hæc videntur sola contineri, quæ in eo gesta sunt anno, quo Ioannes Baptista vel inclusus est in carcere, vel supplicio affectus. Denique si obserues in initijs narrationis, posteaquam Matthæus retulit de quadraginta dierum ieiunio, & de tentatione eius, subijcit dicens: *Cùm autem audisset Iesus quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam.* Sed & Marcus similiter: *Postea quam,* inquit, *traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam.* Lucas vero etiam, priusquam incipiat aliquid de actibus Iesu referre, inquit: *Adiecit Herodes super omnia mala quæ gesserat, & coniecit Ioannem in carcerem.* Quia itaque, ab his hæc videbantur omissa, rogatus dicitur Ioannes Apostolus ea quæ præterierant priores ante traditionem Ioannis Saluatoris gesta conscribere. Et ideò dicit in Euangelio suo: *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.* Et iterum: *Nondum missus fuerat Ioannes in carcerem.* Ex quibus constat, quod ea, quæ antequam Ioannes traderetur, à Iesu erãt gesta, scribit. Hactenus bona fide retuli, quæ illi Patres conscribunt.

Matth.4.

Mar.1.

Luc.4.

Ioan.2.

Infrà 3.

Quæ ferè Christi signa & miracula Ioannes Euangelista percensuerit.

Epiphan.

Illud etiam postremò est aduertendum, Ioannem in illa Christi mysteria & miracula, quæ ab alijs Euangelistis idonee scripta erant, non repetere, ne actum agere videatur: sed multa ab illis omissa supplere & adiungere. Quod Epiphanius in hæres.51. testatur his ferè verbis: *Ignorant errantes, & mente cæcutientes, quemadmodum Ioannes, qui quartus & vltimus scripsit post alios Euangelistas iam senex, & nonagenarius, quæ antè ipsum ab alijs probè exposita fuerant, edere non curauit, sed circa ea, quæ ab alijs relata non fuerant, maximè insistere voluit.* Hæc ille. Si quid ergo ex dictis ab alijs Euangelistis repetit, id facit, vt quasdam circumstantias ab eis prætermissas suppleat. Vt Ioannes sexto cap. repetit signum de quinque panibus, & duobus piscibus in hominum quinque millia dispensatis, vt addat disputationem factam de pane vitæ cum

Aliorum dicta Euangelistarũ Ioannes si quando commemorat, ex occasione id tantum facit.

Capharnaitis. Ingressum Christi in Hierusalem in die Palmarum repetit, vt subiungat de aduentu Gentilium ad eum, & disputatione cum Iudæis habita. Historiam cœnæ Paschalis, siue legalis, & institutionem cœnæ Dominicæ ab alijs diligenter enarratam prætermittit; addit tamen mysterium lotionis pedum, & singularem sermonem in cœna Domini ab alijs prætermissum. Postremò historiam Passionis & Resurrectionis Domini, quis nesciat à Ioanne Euangelista esse in multis adauctam & locupletatam? Quod verò tardius in Ecclesia conscripta sint mysteria tam abdita & sublimia, id mirum esse non debet. Id enim admirabili Dei prouidẽtia factum esse tradit his verbis Euthymius in Ioannem: *Alij siquidem* (scilicet Euangelistæ) *ob auditorum imbecillitatem illa prætermiserant, nondum cõfirmata prædicatione; hic autem crescente iam fide, ac fidelibus intellectu capacioribus, de hac definiuit.* Sic ille. Et hactenus de circunstantijs in scribendo seruatis.

Ioan. 12. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Ioan. 13. & seq. vsque ad 18. cap.

Infrà 19. 20. & 21.

Cur ad Euangelium suum scribendum Ioannes tam tardus accesserit.

Euthym. in Ioan. initio.

Nemo verò miretur, si in hoc Ioannis primo capite exponẽdo cogamur esse prolixiores: nam cùm Ioannes Theologus altissimè de mysterijs Christianæ fidei philosophetur, cogimur in eis pleniùs & dilucidiùs explicandis, breuitatis rationem non habere, quam in alijs seruandam esse nobis existimamus. Interim Ioannem admiremur, eius singulares virtutes imitemur, eius Euangelium nocturna, diurnaque manu versemus, quo tales ac tantas eius animi dotes atque virtutes, quas in illo expressit, degustemus, degustatasque opere implere valeamus, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto omnis honor, gloria, & imperium reddatur in secula seculorum, Amen.

Futuræ digressionis illius satis amplæ reddit rationem Autor.

Quo loco nobis Ioannei Euangelista eiusque Euangelium esse debeant.

TRACTATVS II.

De Mysterio sanctissimæ Trinitatis à B. Ioanne hoc loco non tantùm insinuato, sed etiam apertè tradito.

QVANDOQVIDEM beatus Ioannes sermonem facit de Verbo ab æterno apud Deum (nempe Patrem) existente, & Verbum relationem habet ad dicentem, ita vt sine eo nec esse, nec cõcipi possit; dicens porrò Pater, & Verbum sese amore immenso complectuntur, & sese inuicem amando, Spiritum sanctum producunt: ideò de tanto arcano, tamque alto mysterio aliquid præfari, ad firmandam eius fidem, & textus Apostolici literam magis explicandam, operæpretium esse arbitratus sum.

Sed vt ea quæ dicturi sumus, quadam tenus ratione magis degustentur, & percipiantur, prætermittenda sunt quædam, atque illud in primis; nihil eorum quæ fide accipimus, contra rationem esse, sed potiùs supra rationem, vt Concilium Lateranense definiuit. Nam quemadmodum lumen lumini contrarium non est, ita nec veritas supernaturali lumine cognita illi veritati contradicere potest, quæ naturali lumine apprehẽnditur; cùm vtriusque luminis, & vtriusque veritatis vnus atque idem sit autor, nimirum Deus benedictus. Si quid ergo sit, quod nobis contra rationem naturalem videatur, & tamen ad credendum proponatur, debemus dare operam, vt intellectum nostrum captiuemus in obsequium Christi. Vt enim sensus subijciendus est rationi, & quasi captiuus cogendus in eius assensum: ita intellectus noster superiori fidei lumini cedere debet, & obedire, vt maiori, & magis certo. Ex illa verò voluntaria nostri intellectus captiuitate ille fructus prodit, vt tandem quæ fide accepimus, intelligamus, iuxta illud: *Si non credideritis, non intelligetis.* Etsi autem nuda ratio, quę ex creaturis assurgens Deum agnoscit, diuinum Verbum persona à Patre distingui, & simul essentia cum illo coniungi, apprehendere non possit: fide tamen præcedente, & rationem illustrante, assurgere aliquo modo ad id cognoscendum valet. Vt enim Deus fidem infundere potest, qua generatio in Diuinis esse credatur, ita & credentem adiuuare potest, vt illam intelligat. Vnde Clemens Romanus in libro Recognitionum, in persona Petri, rationem Fidei subseruire docet his verbis: *Neque enim est tutum,* inquit, *nuda hac fidei, absque ratione committere, cùm vtique veritas ratione non careat. Et ideò qui hac ratione munita susceperit, perdere ea nunquam potest: qui verò absque assertionibus ea suscipit simplicis sermonis assensu, neque seruare ea tutò potest; neque si vera sint, certus est: quia qui facilè credit, facilè & recedit: qui autem rationem quæsiuit eorum quæ credidit, & accepit, quasi vinculis quibusdam rationis ipsius colligatus, nunquam ab his quæ credidit, diuelli, aut separari potest. Et ideò quantò quis propensior fuerit in expetenda ratione, tantò erit firmior in conseruanda fide.* Hactenus Clemens ex persona Petri.

De Fidei dogmatibus quid sentiẽdũ sit.

Concilium Lateranen. III. sess. 8. sub Leone.

Ratio sanctæ Fidei, cur debeat sese submittere.

2. Cor. 10.

Quid noster intellectus in obsequium Christi captiuatus, boni percipiat.

Isa. 7.

Clem. Roman. lib. 2. Recognitionum.

Rationem humanam fidei inseruire, docet apud Clemẽtẽ Petrus.

Deinde præmittendum, Deum esse vnum; quod præter Scripturas sacras, & communem omnium hominum concep-

Philosophi quatenus Deũ nouerint.

tum, ſapientes, & Philoſophi ex creaturis agnoſcere & demonſtrare potuerunt; trinitatem autem perſonarum in Diuinitatis natura eo modo, quo à fidelibus creditur, nequaquam intelligere potuerunt. Poſita tamen tanti myſterij Fide, ad illud inueſtigandum rationis lumen aſſurgere & progredi poteſt. Primò quidem ſtatuẽdo, maximum eſſe diſcrimen inter naturam & perſonam, ſeu, vt Græci dicunt, inter Vſiã & Hypoſtaſin, quam ſacri ſcholæ Theologi de more ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtentiã, ſeu perſonam vocant. Sunt enim quædam voces, quibus Scripturæ & Patres vtuntur, diligenter explicandæ, ne in tanto myſterio errare contingat: de quibus ait Boetius libro de duabus naturis: *Neque enim verborum inops Gracia, vt M. Tullius alludit, ſed eſſentiam, ſubſiſtentiam, ſubſtantiam & perſonam totidem nominibus reddit. Eſſentiam quidem, οὐσίαν, ſubſiſtentiam verò οὐσίωσιν, ſubſtantiam ὑπόστασιν, Perſonam, πρόσωπον, appellans.* Hæc ille, declarans, Gręcis Hypoſtaſin dici indiuiduam ſubſtantiam, quia cæteris ſubeſt: Vſiam hominis qua eſt: Vſioſin, qua in nullo ſubiecto eſt: Proſopon, quia rationale indiuidum. Ex quatuor ergo illis vocibus οὐσία, & ὑπόστασις ſunt apud Patres in hoc articulo communiores, & plus vſurpatæ, quia magis propriæ, conſiderandum quomodo differant inter ſe: nam ex horum ignoratione vocabulorum, ſeu prauo intellectu, vt teſtatur Gregor. Nyſſen. duplicis hæreſeos ſibi inuicem cõtrariæ argumenta nata ſunt. *Cùm Sabellij quidam* (inquit) *ſectatores, propter communionem eſſentiæ, ſanctam Trinitatem in vnam hypoſtaſin cogant, vice verò verſa, qui contrario morbo correpti ſunt* (*Arrianos dico*) *propter differentiam hypoſtaſeõ, præſcriptionem quoque eſſentiarũm introducant.* Sic ille. Quòd ergo illa inter ſe differant, liquidum redditur: tùm ex eo, quòd in Diuinis aſſerimus tres perſonas, & vnam naturam, nõ autem tres naturas & vnam perſonam: tùm ex eo etiam quòd fide apprehendimus, Chriſtum accepiſſe naturam humanam, non autem perſonam humanam: tùm deniq; ex modo concipiendi vtrunq; terminum: aſſerimus enim, Petrum habere naturam humanam, vel naturam humanam eſſe in Petro; non tamen dicimus, naturam habere naturam, vel naturam eſſe in natura. Neceſſariò ergo differunt inter ſe: ſed quo modo, dicam paucis. Natura enim in ſuo conceptu abſtrahit ab hypoſtaſi, ſeu ſubſiſtentia, quam in ſe includit ratio perſonæ, ſeu ſuppoſiti. Eſt enim ſubſiſtentia nihil aliud, quàm ratio per ſe, & non in altero exiſtendi: quam eſſentiæ aut naturæ conceptus non ſignificat. Itaque nomine ſubſiſtentiæ, ſeu hypoſtaſis intelligimus certam, ſignatam, & indiuiduam ſubſtantiam, & hoc aliquid, in quo ſit qualibet natura. Secundò differunt, quòd in conceptu perſonæ, ſeu hypoſtaſis, ſubintelligimus incommunicabilitatis (ſic Theologi vocant) rationem: quod valde eſt cõſiderandum. Quoniam licèt in creaturis omnibus, & in qualibet natura indiuidua, ſit vna hypoſtaſis, ſeu vna ſubſiſtentia, & conſequenter incommunicabilis, & ab ea re ipſa non differat: non tamen ſic eſt cogitandum in diuinis, vbi natura per ſe, pluribus perſonis, ſeu hypoſtaſibus communicabilis eſt, & ipſo facto communicatur. Sed in creaturis Vſia, quæ & eſſentia, & ſubſtãtia, & forma, & natura dici ſolet, ſignificat id quod pluribus ſuppoſitis, ſiue hypoſtaſibus eſt commune, quod vnum eſt genere, vel ſpecie, & quod diuiſum multiplicatur, & fit ſingulare, ratione tamen commune eſt. In Diuinis verò vnum tantùm numero eſt, quod ſine ſui diuiſione & multiplicatione communicatur, quia infinitũ eſt; & ideò poteſt tribus perſonis adeſſe, ſicut tota anima rationalis eſt in qualibet parte corporis, & in toto corpore, & ſicut diuinitas tota eſt in toto vniuerſo ipſum replẽs & tota in qualibet eius particula. Natura verò creata quia finita eſt, non poteſt alteri cõmunicari, poteſt tamẽ aliam à ſua natura diſtinctam naturã, vt principium producere.

Rurſus perſona, hypoſtaſis, ſubſiſtentia, ſuppoſitum, idem re ipſa ſunt, nempe id, quod eſt per ſe vnum, & incommunicabile in rationali natura. Et licèt re vera hypoſtaſis, ſuppoſitum, ſubſiſtentia, idem ſint cum perſona; in eo tamen differt ab illis perſona, quòd ſignificet hypoſtaſin, vel ſuppoſitum in natura rationali, qualis eſt homo, Angelus, Deus. Sic ergò perſona ſuprà naturam addit per ſe ſubſiſtentiam & incommunicabilitatem, & in natura intellectuali: ſuprà ſuppoſitum verò & hypoſtaſin addit indiuiduum in natura tantùm intellectuali & rationali, in qua ſola inuenitur perſonæ dignitas; hypoſtaſis verò & ſuppoſitum dicitur de inanimatis, & ſenſu carentibus. Quæ quidem omnia Patres veteres nobis tradiderunt. Ait enim Hilarius libro de Synodis in Arrianos: *Eſſentia, eſt res quæ eſt, vel ex quibus eſt, & quæ in eo quod maneat, ſubſiſtit. Dici autem eſſentia, & natura, & genus, & ſubſtantia vniuſcuiuſque rei poterit. Propriè autem eſſentia idcircò eſt dicta, quia ſemper eſt. Quæ idcircò etiam ſubſtantia eſt, quia res quæ eſt, neceſſe eſt ſubſiſtat in ſe: quicquid autem*

Trinitatis ſanctę myſterium humana ratio vt poſſit attingere.

Boetius in fine Operis.

Cic. li. de Fin.

Earum quænã receptiſſimæ ſint apud Theologos.

Greg. Nyſſen. lib. de Differ. eſſent. & hypoſtaſeos.

Sabellij & Arrij contraria ſibi inuicem dogmata, Nyſſeno teſte, vnde prouenerint.

Natura, & perſona, quod differant, oſtenditur.

Natura, & perſona in quibus differant. 1. diſcrimen.

Subſiſtentia ſeu hypoſtaſis quid.

Secundum.

Vſia quid ſit.

Hierem. 23. Pſalm. 138. 2. Par. 2. Heb. 4. & ſæpè aliàs.

Perſona ab hypoſtaſi, ſuppoſito, ac ſubſiſtentia, in quo diſtinguatur.

B. Hilarius.

Eſſentia, cur proprie ſic dicta, ſecundùm Hilarium.

tem ſubſiſtit, ſine dubio in genere, vel in natura, vel ſubſtantia maneat. Sic ille; qui etſi eſſentiam dictam putet ex eo quòd ſemper ſit, & ſubſtantiam, quòd in ſe ſubſiſtat: tamen quod ad rem ſpectat, per eſſentiam intelligit naturam, & genus cuiuſuis rei, hoc eſt, id quod eſt commune pluribus ſuppoſitis.

Boet. ſui operis in fine.
Natura quid ſecundum Boetium.

Boetius etiam libro de duabus naturis: *Natura eſt vnamquamque rem informans ſpecifica differentia. Et ſic accipiendo, duas in Chriſto aſſerit naturas:* & definitionem perſonæ colligens tradit: *Quocirca ſi perſona in ſolis ſubſtantijs eſt, atque in his rationalibus, ſubſtantiaq; omnis natura eſt, nec in vniuerſalibus, ſed in indiuiduis conſtat: reperta eſt perſonæ diffinitio. Naturæ rationabilis indiuidua ſubſtantia (id eſt, Deus, Angelus, homo.) Sed nos hac definitione eam quã Græci ὑπόστασιν dicunt, terminauimus. Nomen enim perſonæ videtur aliunde traductum, ex his ſcilicet perſonis, quæ in comœdijs, tragœdijſq; eos quorum intereſt, homines repræſentabant. Perſona verò dicta eſt à perſonando, circumflexa penultima. Quòd ſi acuatur antepenultima, apertiſſimè à ſono dicta videbitur. Idcircò autem à ſono, quia concauitate ipſa maior neceſſe eſt voluatur ſonus. Græci quoque has perſonas proſapa vocant ab eo quod perſonantur in facie, atque ante oculos obtegant vultũ Παρὰ τὸ πρὸς τοὺς ὦπας τίθεσθαι: ſed quoniam perſonis inductis hiſtriones indiuiduos homines, quorum intererat, in tragœdia vel comœdia (vt dictum eſt) repræſentabant: idcircò cæteros quoque homines, quorum certa pro ſui forma eſſet agnitio, & Latinè perſonas, & Græci proſapa nuncupauerunt.* Hactenus ille. Vbi præter etymologiam vocum nota in definitione perſonæ ſubſtantiam accipi pro ſubſiſtentia & hypoſtaſi, vt ipſe ait inferiùs. Et cùm dixit: *Perſona eſt rationabilis naturæ indiuidua ſubſtantia:* vt hæc definitio completa ſit, addendum eſt illi verbũm vnum, nempe *incommunicabilis*: niſi velis in verbo, Indiuidua, intelligere non ſolùm atomam, & ſingularem, ſed etiam rem per ſe ſubſiſtentem & incommunicabilem.

Quid Perſona ſecundùm eũdem: hoc nomen vnde deductum ſit.

Perſona item vnde dicta.

Πρόσωπα Græcus cur ita dicantur.

Boetij definitioni perſonæ quid ſupplendum.

Hoc diſcrimen inter Naturam & Perſonam agnouerunt Patres: in primis Athanaſius in Concilio quodam Alexãdriæ celebrato, cui præerat, vt refert Ruffin. lib. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, vbi habet: *Sed & de differentia ſubſtantiarum, & ſubſiſtentiarum ſermo eis* (ſcilicet hæreticis, in quos agebatur) *per Scripturam motus eſt, Græci οὐσίας & ὑποστάσεις vocant. Quidam etenim dicebant ſubſtantiam & ſubſiſtentiam vnum videri: & quia tres ſubſtantias non dicimus in Deo, nec tres ſubſiſtentias dicere debebamus. Alij verò, quibus longè aliud ſubſtantia, quàm ſubſiſtentia ſignificare videbatur: dicebant quia ſubſtantia ipſa rei alicuius naturam, rationemq; qua conſtat, deſignet: ſubſiſtentia autem vniuſcuiuſque perſonæ hoc ipſum quod extat, & ſubſiſtit, oſtendat. Ideoque propter Sabellij hæreſim tres eſſe ſubſiſtentias confitendas, quòd quaſi tres ſubſiſtentes perſonas ſignificare videretur, ne ſuſpicionem daremus tanquam illius fidei ſectatores, qua Trinitatem in nominibus tantùm, & non in rebus ac ſubſiſtentijs confitetur.* Sic Athanaſius definiuit. Idem referunt in ſua hiſtoria Socrates & Sozomenus. Rurſus idem Athanaſius in tractatu de Definitionibus, (ſi tamen eius fœtus exiſtat.) *Dicendum eſt igitur* (inquit) *generaliùs quid ſit eſſentia, & quid ſit hypoſtaſis. Atque eſſentia quidem, genus, natura & forma, ſicuti dictum eſt, idem ſunt. Perſona item, character, hypoſtaſis, indiuiduum & proprium, etiam ipſa vnum ſunt. Nam natura in ſe multas hypoſtaſes continere poteſt. Homines etenim vno corpore, & vno ſpiritu conſtantes, omnes eiuſdem ſumus naturæ & eſſentiæ: ſunt verò multæ hypoſtaſes. Nam ideò dicitur hypoſtaſis, quòd eſſentia ſubſiſtat. Atque natura quidem & eſſentia dicuntur vniuerſales, hypoſtaſis verò partialis.* Baſilius libro contra Eunomium: *Hæc enim proprietatum natura eſt, vt in identitate ſubſtantiæ diſtinctionem oſtendant: & ipſæ quidem inter ſe cùm ex oppoſito diſtinguantur, contrario modo opponuntur, vnitatem tamen ſubſtantiæ minimè diſtrahunt.* Infra: *Si enim nihil eſſet quòd ſubſtantiam deſignaret, nullo vtique modo ad intelligentiam noſtrã perueniret. Nam cùm vna deitas ſit, impoſſibile eſt propriam notionem Patris vel Filij capere, niſi proprietatum acceſſione cogitatio noſtra confirmata ſit.* Idem epiſtola eruditiſſima ad Gregorium fratrem Epiſcopum Nyſſenum: *Hoc igitur eſt ὑπόστασις, non indefinita illa τῆς οὐσίας animi conceptio, quæ nullam nanciſcitur fixæ cogitationis ſtationem per communicationem ſignificati, ſed quod in re aliquã cõmune & indeterminatum eſt per proprietatum declarationem agnoſcendũ offert & deſcribit.* (Et ponit exemplum: vſiam eſſe, vt homo, perſonam, vt Iob) *hypoſtaſin eſſe tradidimus concurſum proprietatum vniuſcuiuſq; rei.* Infrà: *Υπόστασις proprium cuiuſq; ſignum eſt.* Adde Sozomenum libro Hiſtoriæ Tripartitæ: *Sapienter decretum eſt, vt his nominibus (nempè vſia, hypoſtaſis, ſubſtantia & ſubſiſtentia) contra Sabellianos ſolos vtamur, ne vocabulorum inopia, eſſe idem putetur ſubſtantia, quod ſubſiſtentia.* Et Iuſtinianus Imperator in edicto Fidei, quo habetur ſecundo volumine Conciliorum: Omnes ſancti Patres conſonanter nos docent, aliud eſſe naturam, ſeu ſubſtantiam & formam, & aliud ſubſiſtentiam, ſiue perſonam: id eſt, hoc ſpecialius, illud generalius. Damaſcenus quoque: *Quæ cõmunia & vniuerſalia ſunt,*

Ruffin. lib. 1. hiſt. Eccleſ. c. 29. tom. 1 operum Euſebij.

Vnam tantùm in Deo perſonam exiſtere impius olim

Sabellius dogmatizabat.

Socrat. lib. 2. hiſt. Eccl. c. 7. Sozome. & Niceph. li. 10. cap. 15.

Idem Athanaſ. tom. vlt.

Hypoſtaſis cur ſic dicta.

Baſil. lib. 2. cõtra Eunom. inter med. & fin. tom. 1. circa fin.

Quænam ſit natura diuinatum proprietatum, teſte Baſilio.

Idem epiſt. 43 ſub initium, tomo vlt. circa finem.

Hypoſtaſis eidem quid.

Sozom. lib. 6. hiſtor. Tripar. cap. 20. in fin.

Imperat. Iuſtinian.

Damaſcen. li. 3 cap. 6. initio.

prædi-

prædicantur de subiectis sibi particularibus. Atqui substantia, communis est: particulare verò, hypostasis. Particulare autem, non quia partem naturæ habet, sed particulare numero, vt indiuiduum. Numero enim, & non natura differre dicuntur hypostases. Prædicatur igitur substantia de hypostasi. Hoc idem discrimen inter Naturam & Personam nobis tradiderũt Gregorius Nyssenus, & dictus Ioannes Damascenus: Ille quidem libro edito ad Petrum fratrem De differentia Essentiæ & Hypostaseos scribens: *Qui hominem dixit, dissipatum quendam & conturbatum intellectum per indefinitam significationem auribus intulit, vt natura quidem eo nomine significetur: quæ autem res subsistit, & propriè declaratur eo nomine, non significatur: at qui Paulum dixerit, ostendit in re, quæ eo nomine declaratur, subsistentem naturam.* Alter verò libro De duabus in Christo voluntatibus & operationibus ait: *Natura quidem igitur est, secundùm sanctos dicere Patres, commune & interminatum, id est, specialissima species, velut homo, equus, bos: hypostasis autem, particulare, & secundùm seipsum subsistens substantia quadam cum accidentibus, secundùm seipsum hypostasim propriè & diuisim à reliquis hypostasibus operatione, & re sortita, communicans quidem his, quæ vnius speciei indiuiduis ratione naturæ, accidentibus autem quibusdam, & characteristicis proprietatibus, eam quæ & ad vniforme, & vnius speciei indiuiduum habens differentiam. Et simpliciter dicere, natura est quoddam commune, velut humanitas: & Petrus enim homo est, & Paulus, & reliqui secundùm partem homines. Hypostasis autem quid particulare, hic aliquis, & ille aliquis. Petrus hypostasis est, & Paulus alia hypostasis, non adhuc autem Petrus natura, & Paulus alia natura: sed Petrus hypostasis, habens perfectam naturam humanitatis, propter quod & perfectus est homo: & Paulus alia hypostasis est, habens perfectam eandem naturam humanitatis. Et naturam quidem eandem perfectam habet vnaquaque hominum hypostasis, non eandem autem hypostasim. Non enim vnam hypostasim habent omnes homines. Alius enim est Petrus, & alius Paulus, & talia: non alia autem natura Paulus, & alia Petrus: omnes enim homines vnius naturæ sunt.* His adde Theophylactum in illud: *Et Deus erat verbum: Manifestè,* inquit, *hoc loco alium esse Verbum, & alium esse Patrem, declarat magnus Ioannes, etiamsi non sit aliud, & aliud. Alius enim & alius de persona dicitur: aliud autem & aliud, de naturis. Et vt exemplo manifestiùs faciamus, Petrus & Paulus sunt alius, & alius, sunt enim personæ duæ, sed non aliud, & aliud. Vna enim eorum natura est humanitas. Sic igitur de Patre ac Filio dicendum. Alius enim sunt & alius, duæ personæ, non autem aliud & aliud: vna enim natura eorum deitas.* Hæc ille.

Greg. Nyssen.

Ioan. Damasc. lib. de duabus in Christo voluntatibus & operationib. cap. 3. init.

Naturam, & hypostasim Damascenus quomodo definiat.

Theophyl. in Ioan. c. 1.

In his autem Patrum exemplis illud statuendum est, Patres asserere, vnam & eandem naturam esse in Petro & Paulo (intellige specificam, & non numericam) quoniam enim sanctissimæ Trinitatis mysterium exemplo caret, ac vt Logici tradunt, exemplorum non requiritur veritas; Patres exemplum quod inuenire potuerunt, protulerunt. Nam vt eadem natura specifica humanitatis inuenitur in Petro & Paulo, ita in Patre & Filio vnica est & singularis, & numerica natura deitatis. Non intendunt autem isti Patres asserere Pauli Veneti errorem in sua Metaphysica dicentis, quòd vna & eadem natura specifica humanitatis, per identitatem communicabatur omnibus hominibus, de quibus falsum est dicere, Petrum & Paulum esse alium & alium, & non aliud & aliud: non solùm enim sunt distinctæ personæ, sed etiam distinctæ naturæ humanæ creatæ: quod de diuina dici non potest, cùm vna & eadem numero indiuisim, & in tribus diuinis personis communicetur. Quamuis autem id quod dictum est, verum sit; quandoque tamen Patres hypostasin & subsistentiam pro vsia acceperunt, & substantiam pro persona: in quem sensum Athanasius libro de Trinitate: *Quisquis autem,* inquit, *tres hypostases dicit, id est, tres substantias, is sub nomine pietatis tres naturas conatur asserere.* Et Victorinus libro De recipiendo Homusiæ vocabulo: *Græci οὐσίαν, vel ὑπόστασιν dicunt, nos vno nomine Latinè substãtiam dicimus, & vsiam Græci pauci, & rarò, & hypostasin omnes: distas quidem, verùm nunc omittamus.* Hieronymus epistola ad Damasum: *Nunc igitur proh dolor, post Nicænam fidem, post Alexandrinum iuncto pariter Occidente decretum, trium hypostáseon ab Arrianorum præsule, & Campensibus nouellum à me homine Romano nomen exigitur: quia nescio quid veneni in syllabis latet. Clamamus: Si quis tres hypostases, aut tria ἐνυπόστατα, hoc est, tres subsistentes personas non confitetur: anathema sit. Et quia vocabula nõ edíscimus, hæretici iudicamur. Si quis autem hypostasin vsiam intelligens, nõ in tribus personis vnam hypostasin dicit, alienus à Christo est: & sub hac confessione vobiscum pariter cauterio vnionis inurimur. Discernite si placet, obsecro, non timebo tres hypostases dicere: Si iubetis, condatur noua post Nicænam fides: & similibus verbis cum Arrianis confiteamur Orthodoxi. Tota secularium literarum schola nihil aliud hypostasin, nisi vsiam nouit. Et quis, rogo, ore sacrilego tres substantias prædicabit? Vna est Dei, & sola natura, quæ verè est. Id enim quod subsistit, nõ habet aliunde, sed suũ est*

Mysterium sanctæ Trinitatis exemplo caret adæquato. Exemplorũ non requiritur veritas.

Pauli Veneti error, de οὐσία.

Hypostasin & subsistentiam pro vsia interdum accipiunt Patres.

Athanas. lib. 9. de Trinit. tomo vlt.

Marius Victorin.

Hieronym. ad Damasum epist. quæ incipit: Quoniam vetusto Oriẽs, &c. sub init. tom. 2. ante med.

Tria enypostata confiteri, quid Hieronymo.

In eos, qui tres in Deo asserũt esse substantias.

Rusti-

Rusticus, scriptor Ecclesiasticus.

Rusticus quoque libr. De incarnatione in Acephalos: *Clarissimè igitur subsistētia nomen nonnunquam personam, interdum verò naturam significat.* Et probat ex verbis Cyrilli. Ex quibus patet, subsistentiam, siue hypostasin pro vsia, seu essentia accipi.

Substantia pro persona interdum sumitur apud Patres.

B. Hilarius.

Aliquando verò e contrario substantia pro persona accipitur; vt Hilarius libro de Synodis ex Synodo Antiochena citat: vt sint quidem per substantiam tria, per consonantiam verò vnum. Vbi substantia capitur pro persona, vt infrà latiùs explicat.

Ioan. Papa.

Ioannes Papa lib. de duabus naturis in Eutychetem: *Vno lumine illustramur, simul & tribus: tribus quidem, secundum vniuscuiusque proprietatem, siue substantiam, sicut placet aliquibus dicere: siue personas: nihil enim pro vocabulorum diuersitate dissidendum est, cum ad eundem sensum nominū diuersitas prouocet & intellectuum.*

Boetius in fine Operis.

Et Boetius libro De duabus naturis, postquàm explicauit, hominis dici vsiam, quia ipse est; vsiosim verò, quia in nullo subiecto est; hypostasin, quia alijs subest; prosopon, quia est rationale indiuiduum: quæ omnia in Deo idem esse dixit, subiungit. *Et quidem secundùm hunc modum dixêre vnam Trinitatis essentiam, tres substantias, tresq; personas: nisi enim tres in Deo substantias Ecclesiasticus loquendi vsus excluderet, videretur idcircò de Deo dici substantia. Non quòd ipse cæteris rebus quasi subiectum supponeretur: sed quod idem omnibus vti præesset, ita etiam quasi principium subesset rebus, dum eis omnibus οὐσιῶσθαι, vel subsistere subministrat. Sed hæc omnia idcircò sunt dicta, vt differentiam naturæ, atque personæ, id est, οὐσίας atque ὑποστάσεως monstraremus. Quo verò nomine vnumquodq; oporteat appellari, Ecclesiasticæ sit locutionis arbitrium. Hoc interim constet, quod inter naturam, personamq; interesse prædiximus. Quoniam natura est cuiuslibet substantiæ specificata proprietas, persona verò, rationabilis naturæ indiuidua subsistētia.* Hæc Boet.

Quòd in Deo plures personę necessariò sint constituendæ.

His præmissis, secundo statuendum est, cogitabile non esse, vllam naturā actu posse existere, & nō in aliqua hypostasi seu supposito existere. Cùm ergò natura diuina maxime existat, necessum est, illam in aliquo supposito, seu hypostasi existere confiteri: atque hac ratione viam muniamus ad constituendam primam personam. Nam Deus quidem, & Hic Deus, etsi concreta voces sint, tamen per eas nulla adhuc constituta persona concipitur: quia si hoc esset verum, quartam personam in Diuinis constitueremus, distinctam à Patre, & Filio, & Spiritu sancto.

Per has voces, Deus, & Hic Deus, cur nulla in diuinis persona concipiatur.

Quòd si contendas, per vocē, Hic Deus, vnam trium personarum designari; facilis est responsio: quia cùm non sit magis Pater quàm Filius, vel Spiritus sanctus, cum de qualibet dici possit quod hic est Deus, meritò hæc vox Deus, vel hic Deus, non constituit hypostasin, vel personam, cùm incommunicabilitatis rationem non habeat, sed æque omnibus & singulis conueniat: quanquam quidam Theologi praue ratiocinantes aliter senserint & scripserint.

Tertiò constituendum & illud, naturam diuinam ex se, & per se, esse atomam, indiuiduam, & singularem: & talem existerem non constituere adhuc vllam personam, cùm sit ipsa pluribus communicabilis, vt cæteræ naturæ createę, sed hoc illa diuina & increata natura, vt proprium sibi vendicat quod indiuisim & impartibiliter communicetur, id est, eadem numero, & tota existens, non autem diuisa, & per partes, sicut communicatur natura humana & quęlibet alia natura creata. Si ergo nulli naturæ per se repugnat actu pluribus suppositis communicari, non repugnabit ipsi primæ & increatæ, à qua reliquæ naturæ creatæ habēt quo pluribus communicentur. Si ergo id est possibile, admittendum igitur est in diuina, & concedendū: nam in diuinis quodcunq; possibile est esse, etiam actu est, cum omne in potentia ad aliquid magna imperfectio sit; & idcirco perfectissimæ naturæ nequaquam tribuendum. Plures ergo esse in Diuina natura hypostases, seu personas, omnino concedendum est.

Natura diuina quid propriū & peculiare sibi vendicet.

Quartò, diuina essentia, est quædā summa res, incomprehensibilis cogitatu, & voce ineffabilis, de qua tres personæ diuinæ, & simul, & quælibet singulatim prædicantur. Est enim essentia diuina Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & eadem per se singulariter est Pater, & est singulariter Filius, & singulariter Spiritus sanctus: quod nō accidit in nobis. Non enim essentia Petri est Petrus; & tamen essentia Dei Patris est Pater: quia Petrus componitur ex ipulsis, non autem persona Patris, aut Filij, aut Spiritus sancti. Cum autem nihil sit quod cum alijs communicatur, nisi quod ab eis distinguitur: vnde cùm animal non distinguatur ab homine, equo, & boue, q̄a quodlibet illorum est animal: ideò dicere non possumus, quòd animal, equus, & homo, & bos, sunt quatuor res, quia quodlibet illorùm trium est animal: ita in proposito dici non potest, quòd tres personæ, & diuina illa essentia sunt quatuor, quia illa diuina essentia non est aliud ab illis personis distinctum: nec tres illæ personæ ab essentia diuina sunt creatæ, quia increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus. Imò illę tres personę, & quęlibet illarum

Essentia diuina quid.

Essentiam diuinam, & tres personas, vnā esse rem & eādem, quo fiat exemplo perspicuum.

Abbatis Ioachimi de Diuina essentia falsa opinio.

rum est principium efficiés vniuersorum. Ideò errauit Abbas Ioachim, existimans, essentiam Diuinam quid commune, & genericum conueniens illis tribus, & ab illis distinctum, & ponens in Deo quaternitatem.

Quòd ordo sit inter diuinas personas.

Quintò rursus statuendum (hoc posito quòd in Diuinis sint plures personæ) oportebit illas mutuum habere inter se ordinē: aliàs enim nihil prohiberet, illam vnicam naturam infinitis numero suppositis communicari, quod est inopinabile & absurdum, cùm in infinitate nullus possit esse ordo: & melius tunc esset, vnam solam in natura diuina personam constitui.

Vnde ordo ille resultet.

Si ergò est ordo inter personas diuinas, necesse est illum accipi ab eo, quòd vna procedat ab alia: quo posito, necessarium est etiā ponere vnam personam primam, & ipsam minimè procedentem, vel improductam, & alias producentem. Et hoc sanè magna ratione: nam producere & produci, generare & generari, haud est naturæ, sed suppositi, vt asseruit Philosophus, dicēs actiones esse suppositorum.

Aristot. lib. 1. de anima, tom. 2. — Actiones sunt suppositorum, teste Philos. — *Concil. Lateranens. sub Innoc. III.* — Essentia diuina si genita esset, & generās, vt olim quidā somniabat, quid inde. — Quemadmodum constituatur prima persona in diuinis.

Vnde Concilium Lateranense sub Innocentio III. ratiocinatione Theologica rectè definiuit contra Abbatem Ioachim, Diuinam essentiam nec genitā, nec generantem. Nam si essentia generaret essentiam, ipsa à se nō solum cogitatione, sed etiam re esset distincta, & esset antequam esset, & plures essent essentiæ. Sit ergò prima persona Pater, quæ intelligitur a nullo alio procedere: aliàs enim non esset prima, cui ingeniti, seu innascibilitatis notionem veteres omnes Patres tribuūt: quę quidem prima persona constituitur ex Deitate sola, vt est natura, & rursus ex eadem, vt perfectè æquiualet entitati incommunicabili, siue subsistentiæ ingenitæ, secundùm quosdam, siue secundùm alios, vt perfectè æquiualet relationi paternitatis. Sic ergò ex Deitatis natura (quæ omnes perfectiones eminentissimè, & infinito modo in se prius habet) vt perfectè æquiualet illis duobus, constituitur Pater, non minus quàm si essent duo distincta, Deitas, & illa relatio, seu illa subsistentia ingenita, vt diximus, atque ad hunc modum primam personam constitutam intelligimus.

Quomodo cōstituatur secunda persona.

Cùm ergò à prima persona aliæ oriantur & procedant, oportet considerare vias processionum in natura intellectuali, qualis est Diuina, duas tantummodò inueniri: alteram quidem per viam naturæ, siue intellectus (nam naturale est naturæ intellectuali intelligere) alteram verò per viam voluntatis. Harum autem prior est processio per viam naturæ, quæ & generatio dicitur, & venit ex principio, quod est intellectus, qui prior natura est ipsa voluntate in nobis.

Prouerb. 8. — Æterna sapientia vocat se initium viarū Domini duplici ratione.

Et de ista prima via Salomon in persona æternæ Sapientiæ loquitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, vel vt Septuaginta Interpretes dicunt, *initium viarum suarum*: vbi se initium viarum Dei vocat, non solum quia immensa æui duratione sapientia prior est via creationis, qua per artem omnes creaturæ prodierunt ex Deo, sed etiam quia illa Verbi processio prior origine est via processionis Spiritus sancti: quippe in Diuinis Personis prorsus nulla, nisi originis tantum prioritas inuenitur: sicut voluntatis actus illum intellectus priùs ponit, non è diuerso.

Verbi à Patre æterna processio etiam conceptio, & parturitio cur dicatur.

Hanc porrò Verbi à Patre processionem, quam initium viarum appellat, paulo post, ne creationem ex nihilo, vel effectionem ex aliquo per vim artis cogitares, etiam conceptionem & parturitionem vocat: vnde ait; *Nondum erant abyssi: & ego iam concepta eram*: & rursus: *Ante omnes colles ego parturiebar*: vt inde intelligas natura gigni, non creari ex aliquo, vel ex aliquo subiecto effici per artem.

Gradus generandi in natura triplex.

Quæ vt pressius & exactius discutiantur, perpende, in quauis natura, siue viuentium, siue non viuentium, generationem aliam atque aliam inueniri: sed illa inter omnes infima censetur, qua natura nō viuens generat, vt ignis ignem, aer vaporem, aqua grandinem, in quibus impropriè inuenitur generatio, sicut & natiuitas. Secus est in viuentibus, cùm quid scilicet viuum nascitur ex viuente, atque hic quidem generandi modus bipertitus est: vnus quidem, cùm quid producitur non simile in specie producenti, vt cum ex animali prodit vermis, pediculus, pilus: sed hic modus putidus est, & à nostro sermone alienissimus. Superest alter, cu id quod producitur, omnino simile in natura existit: tunc enim producens, dicitur pater; productum verò filius. Cùm ergò omnibus viuentibus naturalissimum sit simile sibi in specie producere, non est incredibile, quòd illa prima persona principium producendi plusquàm in specie sibi simile habeat.

Triplex viuendi modus.

Est autem triplex viuendi modus. Nam in vniuersum illa omnia viuere dicimus, quæ in se principium motus habent: & vitā vocamus ipsam operationem naturæ, siue naturam se ad aliquam operationem agentem. Ideò infima vita est plantarum, quarum est vegetare: maior, illa animalium, quorum operatio est sentire: suprema, illa hominum, quorum vita est ratiocinari, siue intelligere, non vt motus imperfecti

dici-

dicitur, sed vt motus perfecti. Cùm ergò Deus incorporeus natura sua existat, vita eius non erit vel vegetare, vel sentire, sed intelligere tantum, quod est vita nobilissima & præstantissima: generabit ergò ipse vt viuens, hoc est, quatenus intellectualis est. Vnde per Isaiam ipse ait: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?* hoc est; Nunquid ego qui inter animalia fœminis vim pariendi, & masculis generãdi tribuo, solus ipse carebo virtute generandi aut pariendi, aut vera paternitatis ratione, cùm ex Deo æterno Patre omnis paternitas in cœlis & in terra nominetur? Generat ergo Deus per viam naturæ, & secundùm hoc quod viuit, ac simile, & sibi æquale plusquã m in specie gignit. Et quia repugnat rectæ rationi, idem esse genitum & gignens, producens & productum; ideò re ipsa Pater & Filius distinctæ personæ sunt. Quia verò producens Deus est, & quatenus viuit, & ex natura sua æquale sibi, & simile plusquàm in specie producit, Deus etiam erit id quod producitur. Et quia diuinitas multiplicari non potest, ideò etiam Filius vnus & idem Deus erit cum Patre. Quoniam verò Pater infinitus conatu infinito ex sua infinita substantia Filium producit; fit vt Filius productus sit infinitus, in nullo minor Patre. Et quia plura infinita esse non possunt, hinc Pater & Filius sicut vnus Deus sunt, ita vnum & idem infinitum.

Quòd sit in Deo generatio

Isaiæ 66.

Quid illud Isaiæ: Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariã, & reliq.

Ephes. 3.

Quòd Deus sibi similem, ac per omnia æqualem Filiũ generet.

Adhæc, cùm rationi infinitatis repugnet plurium constitutio, sequitur non posse esse plures filios, quia vnus filius implet, & terminat totam virtutem generandi, quæ est in Patre. Vnde in Scripturis frequenter Verbum vocatur Filius vnigenitus, & verus, & proprius Filius. Quia verò, vt Cyrillus habet, Operamur quæ extra sunt, generamus autem ex nobis, hinc rectè ratiocinamur: Aut Filius natus est ex Patre, aut non est ex eo genitus. Si Filius ex Patre genitus non est: ergo nec Filius est: si non est Filius: ergo Pater erit, vtpote ingenitus: ergo duo Patres erunt. Quòd si ex Deo Patre genitus est Filius, non ergo ex nihilo, nec ex aliena substantia, neque ex parte aliqua diuinę substantiæ: ergo superest, vt ex tota diuina substantia sit genitus. Et probantur singula membra. In primis non ex nihilo, vel ex nõ extantibus, vt Arriani volebant: quod si sic esset, Filius creatura esset, & Vnicreatus, non Vnigenitus dicendus esset: & ex tempore esse, quia omnis creatura ex tempore est: & sic Filius non esset ab æterno Filius, nec Pater ab æterno esset Pater, sed ex tempore. Deinde si ex aliena materia vel substantia esset, iam factus esset, non genitus, & factura esset, non filius, quia planta generosa, vt ait Cyrillus, non producit fructum alterius substantiæ. Et si omnis filius est ex substantia patris sui: ergo Filius Dei erit ex substantia Dei Patris, qui dicitur ex vtero ante Luciferum genitus, & ex ore Altissimi prodijsse. Adhæc, vt ait Hilarius lib. de Trinitate, tractans id, *Omnia per ipsum facta sunt:* &, *O pera manuum tuarum sunt cœli: Nunquid*, inquit, *pictori pictura filius, aut gladius fabro filius, aut architecto domus filius?* Sic ille, negans, quicquam arte effectum, & non de substantia facientis, habere posse filij rationem.

Cur vnus tantùm Filius Dei non plures.

Cyril. lib. 1. Thesau. c. 6. propè fin. to. 2. init.

Operamur quæ extra sunt, generamus autem ex nobis, inquit Cyrillus.

Quòd Filius ex tota diuina substantia, nõ autem ex nihilo, vel ex non extantibus, vt volebãt Arriani, sit genitus.

II. argum.

Idem Cyril. lib. 3. Dial. de Trin. to. 3.

Psal. 109.

Eccl. 24.

III. argum.

Hilar. lib. 12. de Trini. non procul ab init.

Ioan 1.

Psal. 101. & Heb. 1.

Tertiò probandum, quòd non ex parte aliqua substantiæ paternę sit genitus Filius. Primò, quia impartibilis, & simplicissima diuina natura. Deinde plures esse possent filij in diuinis, sicut apud homines, eo quod vnicuique largiretur partem substantiæ, non integram substantiam. Adhæc, diuisa diuina substantia, vt vnam partem habeat Filius, aliam Pater: nec Filius esset perfectus, quia decederet pars detenta à Patre: nec Pater perfectus, quia careret parte communicata Filio: nec Filius esset æqualis Patri per omnia, vt Apostolus habet. Quare rectè Hilarius libr. de Trinitate asserit: *Hic ergo ingenitus ante omne tempus ex se Filium genuit, non ex aliqua subiacente materia, quia per Filium omnia: non ex nihilo, quia ex se Filium: non vt partum, quia nihil in Deo demutabile aut vacuum est: non partem sui vel diuisam, vel discissam, vel extensam, quia & impassibilis, & incorporeus Deus est. Ergò quartò dicendum est, Filium gigni ex tota Patris substantia, quæ tota retinetur à Patre dante, & tota communicatur Filio, & totam in indiuiso possident infinitam, æternam, & maiestate plenam: à qua omnia, quæ imperfecta sunt in generatione corporis, remouenda sunt: vt motus, tempus, sectio defluxus, communicatio partis substantiæ, quæ longè absunt à generatione illa Domini spirituali & incomprehensa.*

Quòd non ex parte aliqua Paternæ substantiæ Filius genitus sit, ostenditur.

Heb. 1.

Hilar. lib. 3. de Trini. init.

Quinam defectus tollendi à Diuina generatione.

Ex his habes, nomen Patris in diuinis magis Patri competere respectu Filij sui, quàm in humanis conueniat eiusmodi nomen Zachariæ respectu Ioannis Baptistæ. Et ratio est, quia pater in humanis non satis est ad filij productionem sine matre, & satis est in diuinis. Deinde, quia homo filio suo tãtùm largitur substantiæ suæ partem: in diuinitate verò, quia infinita, integram substantiam Pater Filio suo donat: vt & in Humanitate beata Virgo sola magis mater est Christi, quàm reliquę mu-

Luc. 1. & seq.

Ne viro naturam humanã integrã Christo communicauit.

lieres filiorum suorum, quia totam naturam humanam sola sine patre protulit. Habemus iam secundam personam constitutam.

Quemadmodum tertia persona in diuinis, nempe Spiritus sanctus, constituatur.

Rursus in natura intellectuali inuenitur alia via producendi, nempe per voluntatem. Nam amor per voluntatem spiratur, & producitur. Cùm ergò Pater generans, ac Filius genitus, infinito amore se inuicem diligant, efficitur vt Pater & Filius infinitum amorem sibi inuicem reddentes, amorem increatum, quem Spiritum sanctum vocamus, producant. Quia verò & ille infinit᷒ est, multiplicari minimè potest: nam omninò adæquat, & implet virtutem totam Patris & Filij in producendo per viam voluntatis, siue in spirando.

Cur vnus tantùm Spiritus sanctus.

Quòd si fortè obijcias, quid est quòd intelligere in solo Patre generat Filium, non autem in Filio, vel in Spiritusancto? Rursus, quid est quòd amare in Patre, & in Filio producãt in Spiritum sanctum, amare autem, in Spiritu sancto nullam personam producat, ac ob id aliquam perfectionem esse in Patre solo aliquis possit cogitare, quæ non sit in Filio & Spiritu sancto, & aliquam rursus in Patre & Filio, quæ non sit in Spiritu sancto.

Quare Intelligere in solo Patre generat Filium, non autem in Filio, vel in Spiritu sancto.

Respondemus: etsi vnum & idem intelligere sit in Patre, quod in Verbo, atque Spiritu sancto: & vnum & idem diligere in Patre & Filio, quod in Spiritu sancto: propterea tamen in Fillo, & Spiritu sancto intelligere non generat, quia in Patre vis generandi infinita, completa, & perfecta est, ideo multiplicari nequit, quia esset actum agere. Similiter diligere in Patre, & Filio, producit Spiritum sanctum, & vis tota spirandi perfectissimè in illis completa, & terminata est; & idcircò in Spiritu sancto non producit aliquid: neque propterea vllam aliquam perfectionem habet Pater, quam aliæ personæ non habeant: nec aliam Pater & Filius, quam Spiritus sanctus non habet.

Cur amare in Patre & in Filio producant Spiritum sanctum, amare autem in Spiritu sancto nullam personam producat.

Nam per hoc quod Pater communicat Diuinam naturam Filio, & rursus illam eandem communicant Pater & Filius Spiritui sancto, & in essentia Diuina eminentissimo & supremo modo omnes perfectiones contineantur, fit, vt in nihilo sit perfectior Pater, quàm Filius, aut Pater & Filius, quàm Spiritus sanctus. Etenim perfectiones quas formaliter habet Pater solus, seu quas formaliter habent Pater & Filius, eminenter inueniuntur in Filio, & in Spiritu sancto, per hoc quòd eandem numero naturam possident. Vnde Augustinus libro contra Maximinum Arrianum: *Absit, inquit, vt quomodo putas, ideò sit potentior Pater Filio, quia Creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit Creatorem: neque enim non potuit, sed non oportuit. Immoderata enim esset Diuina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri: quia & ipse nepos, nisi auo suo pronepotem gigneret, secundùm vestram mirabilem sapientiam, impotens diceretur. Similiter etiam ille si nepotem non gigneret auo suo, & pronepotem proauo suo non à vobis appellaretur omnipotens: nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero nasceretur, nec eam perficeret vllus si non sufficeret vnus omnipotens.* Hæc ille.

Aug. lib. 3. contra Maximin. c. 12. in fin. to. 6. circa fin.

Si Filius Dei Filium Filium non generaret, secundùm Augustinum quid inde.

Vbi nota, illa verba: *Neque enim non potuit, sed non oportuit.* non in eum sensum Augustinum dixisse, vt innuere vellet Filium potuisse alium Filium generare, & tamen non generasse, quia nó oportuit: siquidem impossibile est, vt quæ non oportebat, Filius posset: impossibile etiam quòd Filius generaret, quia omne generabile à Deo Pater genuit ipsum infinitum generando. Ideò ergò dicit: *Non quia non potuit*: quia non ex impotentia Filij id fuit: ideò etiam ait non oportuisse, vt ostenderet non conuenire quòd Filius generaret, & ex consequenti impossibile id esse.

Quis sensus eorum verborum Augustini, Filius non genera uit, nó quia non potuit, sed quia non oportuit.

Vt enim quæ in diuinis sunt, necessariò sunt; ita quæ ibi non sunt, nec esse possunt, quia Deus immutabilis est. Ambrosius etiam libro de Fide, huic quæstioni egregie respondet: his verbis: *Non est ergò naturæ, non est potentiæ in Christo aliqua quòd non generauit infirmitas, quia generatio (sicut sæpè iam diximus) non ad sublimitatem potentiæ, sed ad proprietatem refertur naturæ.* Et paulò infra: *Nec ideò minus habet Filius, quia Pater non est: nec Pater minus habet, quia Filius non est. Dixit enim Filius. Omnia quæ Pater habet, mea sunt, &c. Si enim ideò æqualis Patri Filius non est, quia non generauit Filium, & isti vtique fateantur, si non habent filios, qui serunt huiusmodi quæstiones, suos sibi etiam seruulos præferendos, eo quòd habentibus filios æquales esse non possunt. Si autem habent filios, nõ putent sibi meritò sed filiorum iure deferri. Non consistit igitur hæc quæstio, quòd æqualis Filius Patri ideò esse non possit, quòd Pater generauit Filium, Filius nullum ex se ipso generauerit. Nam & fons fluuium generat, & fluuius fontem ex seipso non generat. Et lux splendorem generat, non splendor lucem, & vna natura est splendoris, & lucis.* Hactenus ille, & acutè, & eleganter.

Num. 23. & Malach. 3.

Ambr. libr. 4. de fide. cap. 4. sub init. tom. 2. ante med.

Filius cur & ipse filium nõ generet secundum Ambrosium.

Ioan. 16. & Matth. 11.

Duplici rem exemplo illustrat Ambrosius.

Diuinæ Personæ inter se quomodo distinguantur.

Quia ergò tota natura indiuisa communicatur Filio à Patre, & eadem tota ab vtroque, Spiritui sancto, propterea non multiplicatur diuinitas, nec est (vt diximus) alius Deus à Filio, vel à Spiritu sancto, sed vnus & idem Deus. Nec alia ratione inter se distinguuntur, nisi per hoc quòd Prima Persona naturam diuinam à se, Filius à solo Patre, Spiritus sanctus ab vtroque per volun-

tatem

tatem habet. Nec habere ſubſtantiam hoc vel illo modo, naturam rei variat, neque ſpeciem diſtinguit: nam Adam, Eua, Abel & Chriſtus, homines ſunt, & eiuſdem ſpeciei, licèt humanam naturam alio modo participauerint: Adam quidem à nullo homine accepit. Eua verò, à ſolo Adam, ſicut Chriſtus à ſola matre virgine, Abel verò ab vtroque parente naturam participauit humanam. Hinc Damaſcenus libro de fide Orthodox. Quapropter quæcumque habet Pater, filij ſunt præter innaſcendi proprietatem: quæ non ſignificat ſubſtantiæ differentiam, neque dignitatis, ſed ſubſiſtentiæ modum. Sicut Adam ingenitus eſt, plaſma enim Dei eſt: & Seth genitus, nam filius Adam: & Eua ex coſta Adam procedens, non enim ipſa genita eſt: neque ipſa natura differunt inuicem, homines enim ſunt, ſed ſubſiſtentiæ modo. Hæc ille ferè. Atque hactenùs quidem fide præeunte, & ratione vt pediſſequa ſubſequente, Trinitatis ſanctiſſimæ rationem ruditer, vt potuimus, explicuimus. Et quia non eſt animus, Scripturarum ſacrarum ſententijs, vel Apoſtolorum traditionibus, vel Oecumenicorum Conciliorum decretis, vel ſanctorum Patrum teſtimonijs ad comprobandam Trinitatem hoc loco certare, quod in commodiorem locum explicandum reſeruamus, addam adhuc pauculas rationes.

Gen. 1.
Infra 2.
Luc. 1. &
Matth. 1.
Geneſ. 4.
Damaſc. lib. 1. de Ortho. fide c. 9. ſub init.
Ioan. 16. &
Matth. 11.
Gen. 5.
Lib. 9. Enar. Euangel.

II. Ratio probans productionem tertię Perſonæ in diuinis.

Rurſus ergo ſecundò ratio fide illuſtrata ſic procedit. Cùm enim Deus infinitè bonus ſit, imò adeò perfectè, & plenè bonus, vt Chriſtus dixerit; *Quid me dicis bonum? Nemo bonus niſi ſolus Deus*: boni autem natura, & ratio eſt, ſeipſum communicare, & diffundere quàntum poteſt: Deus ergo tam ſibi ſufficiens eſt, vt bonam operationem communicandi ſeipſum exercere poſſit in ſeipſo ſine indigentia alicuius entis exterioris ab ipſo diuerſi. Si enim dixeris, Deum indigere exteriori aliqua re, vt circa illam, bonam operationem ſuam exercere poſſit, ſeipſum illi communicando, & proprium eſſe impertiendo, iam ipſum Deum in ſeipſo inſufficientem redderes & imperfectum, vtpote qui extra ſeipſum naturalis, ac bonæ ſuæ operationis, aut ſubiectum, aut obiectum mendicare cogatur. Fuit igitur in Deo ſemper & ab æterno propria, ac bona operatio, mundi creatione immenſo antiquior, per quam colligimus Deum fuiſſe ab æterno ſibi ſufficientem, & perfectè bonum: ſed hæc operatio non potuit autem eſſe Deo ſine interiori diuina ſubſtantiæ numero, cùm omnis actio fiat ab extremo ad extremum per medium,

Luc. 18.

Bonum ſui ipſius diffuſiuum natura.

hoc eſt a potentia in obiectum per medium amborum actuum: neceſſum eſt ergo, diuinam ſubſtantiam, ſine vlla ſui diuiſione, quinimò integra ſui communicatione, trinitate duorum extremorum, & medij fuiſſe, & eſſe ab æterno in ſeipſa diſcretã. Qui enim æterno Deo æternam attribuit operationem, vtique & diuinæ indiuiduæ ſubſtantiæ perſonarum trinitatem aſſignare illum oportet.

Quòd ſi fortaſſe dixeris, Deum quidem ſubſtantia æternum fuiſſe, non tamen ęternum actione, hoc eſt, non ſemper antea aliquid egiſſe, aut non ſemper ipſi propriam boni operationem adfuiſſe: Reſpondebo in primis, illum fuiſſe ab ęterno otioſum, torpentem, imperfectum, hoc eſt, non bonum, quia non ſe communicabat, vt poterat: omnis quippe ſubſtantia actione ſua decoratur, & eſt vt ſit ſua ipſius actio. Deinde fatebere, Deum nũc eſſe perfectiorem poſt creationem mundi, quàm ante illam, quandoquidem per eam aliquid facere inchoauerit, cùm actu otioſus, & vacans nihil efficeret: cùm tamen Deus in condendo mundo ludere dicatur: *Delectabar*, inquit, *per ſingulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum*: quaſi mundi conſtructio nihil illi aliud quàm ludus quidam eſſet, & iocus. Adhæc cogeris fateri, Deum non eſſe omnifariam bonum in ſeipſo, qui creaturu indiguit ad communicandam ſuam bonitatem. Rurſus concedere compelleris, non aliam eſſe Dei operationem, quàm extrinſecam & temporalem, qualis eſt mundi creatio: & præſtare operationem per artem operationi naturæ. Poſtremò, non videtur Deus in mundi creatione longè ſe inferiori, poſſe quieſcere: nam & creaturæ non quieſcunt, niſi & conſubſtantialia, & per omnia ſibi ęqualia producant: ideo ignis ignem, oliua oliuam, equus equum, homo hominem producit: & longè perfectius eſt de ſua ſubſtãtia, quam de aliena materia producere: ſicut maius eſt hominem viuum, quàm ligneum procreare.

Deum quidẽ ſubſtantia æternum aſſerentes, non tamen æternum actione, quatuor incurrũt incommoda.

Quid propriũ viuũ cuiuſque ſubſtantiæ. Secundum.

Prouerb. 8.

Tertium.

Quartum.

Naturalia agẽtia omnia quãto conquieſcant.

Quòd ſi dixeris, Deum ſuam infinitam potentiam, bonitatem, & fœcũditatem ſatis declaraſſe, cùm mundum ex nihilo produxerit: productio autem ex nihilo infinitam virtutem in conditore ponat: ſicut cũ infundit gratiam, vel miracula operatur, perficit quidem finitum, ſed infinita virtute: Reſpondebo, non ſatis eſſe. Quia cùm omnis perfectio cogitabilis Deo adſcribẽda ſit, & longè maius ſit infinitum infinito modo producere, quam finitum modo infinito: ſupereſt, vt productiones in Deo

Quoniam Deus opera finita ſæpe facit infinita virtute.

Aliter Dei actiones immanentes, aliter tranſeuntes, eius infinitatem declarare.

ad rem infinitam producendam terminentur, ideoque ad consubstantiales, & coæquales sibi hypostases, seu personas aliàs posset notari Deus, vel impotentiæ, vel inuidiæ, vel non posset, vel nollet æqualem sibi Filium, & æqualem sibi Spiritum sanctum producere.

III. Ratio ostendens plures esse personas in diuinis.

Tertia ratio ad explicandam Trinitatem. Videmus in vniuerso plures esse personas in pluribus naturis: nam Michael, & Gabriel in Angelica natura, Petrus & Paulus in humana consistunt. Item videmus. vnum suppositum in vna esse natura, vt, vnum elementum, vnum cœlum, vnum planetam, & vnam Phœnicem in natura sua singulari: rursus contrà videmus, plures esse naturas in vna persona, vt in homine vno natura corporis & animæ rationalis inuenitur, & in vno supposito materia & forma, & in vno Christo habemus & diuinam & corpoream, & rationalem naturas. Vt ergo omnes cogitabiles gradus in vniuerso reperiantur, erit vna natura in pluribus personis, quare in Diuina natura inueniuntur plures personæ.

Quarta.

Quarta ratio. Inuenimus quoddam ens à seipso, non aliunde esse, & æternum, & non ex tempore esse: & hoc est Pater, quem, personam improcedentem, seu improductam superiùs vocauimus. Rursus est aliud ens omninò oppositum, quod nec æternum est, neque à se esse habet: quale est omnis creatura, quæ temporalis est, & à Deo processit. Reperietur ergo medium quoddam inter hæc extrema, vt sit aliquod æternum ens, ab vno alio, vel à pluribus alijs esse habens, vt Filius, qui est à solo Patre, & Spiritus sanctus, qui est ab vtroq;: nam ens quod neq; æternum est, nec ab alio processit, inueniri non potest, quia esset antequam esset.

Quinta.

Quinta ratio sumitur ex vna quidẽ parte, ab æqualitate, similitudine, & cõcordia; ex alia verò parte ab vnitate, & multitudine rerum, in hunc modum. Nã in creaturis in primis inæqualitatem inuenimus, dissimilitudinẽ, & contrarietatem. & rursus jn illis inuenire est æqualitatem, similitudinem, & concordiam: hæc autem tãtò sunt perfectiora, & præstantiora, quanto priuationibus habitus antecellunt. Fit ergo, vt quæ perfecta sunt, Deo tribuẽtes, in illo sit æqualitas, similitudo, & concordia: hæc autem sine distinctione personarum in Deo esse nõ possunt. Vnde & Scripturæ nomen æqualitatis & imaginis, seu similitudinis Filio Dei assignãt. Et Hilarius lib. de Trinitate, *Omnis æqualitas, inquit, nec diuersa, nec sola est. Deinde in vniuerso vnitas, & multitudo rerum inuenitur: qualibet enim res seorsum sumpta, vna est, & omnes simul sunt plures. Quemadmodum ergo vnitas creata, in Deo, à quo emanat, exẽplar habet, nempè vnitatem essentiæ: ita & multitudo siue, vt sic dicam, pluralitas creata exemplar habebit in illo, nempè pluralitatem personarum.*

Nomen æqualitatis, & imaginis, seu similitudinis cui personæ diuinæ detur in sacris literis. *Coloss. 1. & Hebr. 1. Hilar. lib. 7. de Trin. medium inter, & vnit.*

Sexta.

Sexta ratio docet, in vniuerso naturam quandam vniuersalem inueniri, quæ ex perfecto, & imperfecto componitur: nam perfectio est, quòd huiusmodi natura vniuersalis pluribus communicatur, imperfectio verò, quod dum communicatur, patitur diuisionem. Nec enim natura humana sine sui diuisione, in Petro, & Paulo, atque alijs indiuiduis inueniri potest. Et rursus per oppositum natura quædam particularis in indiuiduis suis posita, quæ quidem perfectionem hanc habet, quòd in quouis illorum diuisionem non patitur: & defectum continet quendam, quòd pluribus non communicatur. Erit igitur quod perfectissimum est, Deo tribuendum, omni imperfectioni seclusa, & ob id natura diuina communis erit in pluribus suppositis, nullam sui passa diuisionem.

VII. Ratio.

Septima ratio. Quantò aliqua natura altior est & sublimior, eo habet coniunctiorem, & interiorem operationem. Ignis enim, qui ab alio igne producitur, & in alia materia existit, & à producente separatur: fructus verò plantæ etsi externus, coniunctior tamen est illi quàm ignis igni: fructus autem, seu effectus animalis, magis adhuc internus illi est. Rursus in animali exterior sensus operatio minus est ei intrinseca, quã illa sensus interioris. Postremò, opus rationis in homine, vel Angelo, coniunctius est multo ipsi operanti, quàm opus sensus etiam interni: & ideò ratio supra seipsam, & supra suam operationẽ reflectitur, quod sensus non potest. Deus igitur, quem infinitæ potentiæ esse confitemur, summè sibi coniunctam operationem, qua seipsum vel cognoscit, vel amat, habere debet: & idcircò eius operatio naturam non diuidit; quod nec homo, nec Angelus assequi potest. Etsi enim supra seipsos, vel opera sua reflectantur, illa tamen eorum operatio, qua se, & sua, vel cognoscunt, vel amant, ab essentia, & natura eorum etiam genere differt, cùm ipsi sint substantia, operatio verò eorum species qualitatis sit. Vnde Marius Victorinus lib. 3. de Trinitate hoc docens ait: *Potentia Deus est, id est, quod primum existentia vniuersale est esse, quod secum. id est, in se vitam & intelligentiam habet: magis autem ipsum quod est esse, hoc est, quod vita atque intelligentia motu interiori, & in se conuerso. Est ergo motus in Deo, & ex hoc & actio.* Hactenus ille, sed obscurè more suo, docẽs, operatio

Operatio Dei ab illa Angeli, hominisque quid differat.

Marius Victorin.

rationem Dei, hoc est, vitam, & intelligentiam in se esse conuersam, & esse id quod esse Dei, id est, eiusdem cum Deo Patre naturæ.

VIII. Atque postrema ratio.

Octaua, & vltima ratio; Si Deus consubstantiali Filio, & consubstantiali Spiritu sancto careret, non ita posset ab Angelo, vel ab homine cognosci, vel amari, sicut cognosci potest, si illos habeat. Etsi enim per notas quasdam velut extrinsecas, Deus quasi creator, & prima causa, primusque motor, & mundi rector, atque saluator cognoscatur, quia tamen hæc omnia liberè exercet, & ex voluntate, & consilio, non ex virtute naturæ operatur, & se per illa vniuerso finitè communicat: magis profectò & perfectiùs per hoc cognoscitur, & amatur, quod infinitũ & substantiale Verbum, & infinitum, ac substantialem Spiritum sanctum producat, totam illis infinitã suam naturam & bonitatem communicando, quàm per iam dicta creata. Nam & naturale est, quamuis naturam ex proprietate naturali, & operatione magis cognoscere, quàm ex aduentitia & accidenti. Oliuam enim potius ex hoc cognoscimus quòd oliuam generare potest, quàm ex hoc quòd oliua sit viridis, vel calida, vel ad vngendũ idonea. Vnde Cyrillus lib. de Trinitate, loquens de Arrianis, ita scribit: *Simulant enim se timere, ne diuina natura quid tale patiatur (scilicet sectionem vel desluxum) & ipsam interim clarissimis honoribus priuant. Nam genitorem potiùs, quàm factorem Vnigeniti confiteri nos debere Patrem ac Deum, omnis sanè ratio sapiens suadet. Sic enim nobilior apparet & tribuitur ei iusto calculo eminentissima gloria. Quandoquidē incomparabiliter etiam sublimius apud nos, quod à nobis genitum est, quàm quod à nobis factum. At si factor quidē erit Deus, & gloriam obtinebit quòd possit condere. Non sit autem genitor, horruerim equidem blasphemiam illam absurdam dicere nihilominùs dicam, quamuis non valdè voluntarius: Quod gignere, quod est manifestè, clarius quàm aliquid arte fieri, licèt & artifex sit optimus, sequatur & minus sit.* Hæc ille meritò, horrens vt blasphemiam dicere, quòd gignere Patrem, sit minus quàm facere: sicut insanum esset, imaginē aliquam arte confectam, quendam hominē repræsentantem, filio eius naturali, & viuo anteferri: & hactenùs quidem satis sit, his rationibus egisse, non quidem ad demonstrandam Trinitatem incredulo Iudæo, vel Pagano, absit; sed ad explicandum hoc arcanum aliquo modo, & ad manuducendum fideles, vt id quod auctoritate diuina traditum est de illo mysterio, & à Catholica Ecclesia receptum, & confessum aliquo modo intelligant, rationique naturali non repugnare, vel cõtradicere cognoscant. Multa tamen, & illa quidem grauia, argumenta sunt, quib[us] Arriani perfidiam suam, & impietatem souebant, & Catholicam veritatem impugnabant: sed illa suo tempore & loco commodiùs refellentur à nobis. Ideò hoc loco finem huic tractatui imponimus; humilibus precibus Deo supplicantes, vt lumen suum diuinũ largiter in omnes homines effundat, quo illos tãti mysterij reddat non tantùm admiratores & amatores, sed etiam & in æternũ cum Angelis in cœlo glorificatores, tribuente hoc nobis Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto compar est gloria, honor, & imperium in seculis sempiternis, Amen.

Cyrill. lib. 4. de Trinitat. prope initium tom 2.

Simile.

Aduersus Arrianos Verbũ à Deo nõ genitum, sed factũ impiè dogmatizantes.

Quale sit dicere, gignere Patrē, minus esse quã facere, secundùm Arrianos.

TRACTATVS III.

In quo explicatur prima sententia Ioannis.

In principio erat Verbum.

Mentem hominis ad cognitionem Diuinæ substantiæ. Fidei lumine multũ adiuuari.

HACTENVS De sanctissimæ Trinitatis mysterio pro tenuitate nostra aliquid in medium attulimus, vt ea quæ Ioannes tam altè philosophatur, aliquo modo capiamus. Nam etsi natura diuina humanæ menti incomprehensibilis, atque inenarrabilis existat; tamen Fidei dono imbuta, multa de illa nobis reuelata non solùm cognoscere, sed & verbo, & scripto religiosè confiteri, & prædicare potest: aliàs enim Christus non dixisset; *Pater manifestaui nomen tuum hominibus*; & rursus: *Nemo nouit Filium, nisi Pater: neq; Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Hæreticorum etiam impudentia, & pertinacia in causa fuit, vt Patres veteres, tum ratione, tum diligentia multa huius mysterij arcana à Deo impetrauerint, vt illis obuiam irent, & Catholicos loquendi ac dicendi de tanto mysterio modum, & rationem docerent: quippe valdè procliue est, nisi certam dicendi regulam seruemus, in falsum Iudaismum, vel errorem paganorum degenerare. Vnde Hilarius lib. de Trinitate: *Compellimur hæreticorum, & blasphemantium vitijs, illicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui, inconcessa præsumere.* Augustinus verò lib. de Ciuitate Dei, postquàm adduxit Porphyrium tres Personas tria Principia vocantem, subdit; *Liberis enim verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad cer*

Ioan. 17.

Matth. 11.

Hæreses de Deo quid Ecclesiæ profuerint.

Hilar. lib. 2. de Trinit. initio.

August. lib. 10 de Ciuit. Dei c. 23. tom. 5.

Mores Philosophorũ.

tam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de reb' quæ his significantur, impiam gignat opinionem. Hactenus ille. Ad huius igitur primæ clausulæ intelligentiam, primo loco voces diligenter sunt examinādæ: deinde verò illarum sensus: & inter eos primò excludendi improprij, & falsi. Secundò fundandus est verus sensus, & in eo ædificandus intellectus, deinde affectus. Tertiò vita Christiana, boniq; mores stabiliendi: atque hic ordo, si litera illud pati posset, semper esset seruandus. Sunt ergo in hac prima clausula, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, siue, *In principio erat Verbum*, tres voces, quarum prima est, Λόγος, siue Verbum, de quo Damascenus lib. 1. de fide Orthodoxa, quatenus creaturæ cōuenit, tria complecti significata affirmat. Hæc enim sunt eius verba: *Verbum rursus est naturalis mentis motio, secundùm quam mouetur, intelligit, & cogitat, veluti lux ipsius existens atque splendor. Verbum rursus est, quod internum & in corde promitur.* Et iterum: *Verbum est nuntius intelligentiæ.* Varinus Fauorinus in Lexico; Τριχῶς δὲ λέγεται λόγος: οὐσιώδης ὁ Θεὸς λόγος ὁ ἐνδιάθετος καὶ ὁ προφορικὸς τῆς γλώττης. id est; *Tripliciter dicitur Verbum. substantiale Deus, verbum internum, & verbum enunciatiuum linguæ.* August. lib. de Trinit. asserit, Verbum esse notitiam ex specie intelligibili productam: inquit enim: *Necesse est cùm verbum loquimur, id est, cùm scimus loquimur, ex ipsa scientia, quā memoria tenemus, nascatur verbum, quòd eiusmodi sit omninò, cuiusmodi est illa scientia, de qua nascitur. Formata quippe cogitatio ab ea re quā scimus, Verbum est quod in corde dicimus, quod nec Græcum est, nec Latinum, nec linguæ alicuius alterius.* Hæc ille: quod etiam paulò pòst iterū confirmat. Cùm ergo Verbum sit vox ipsa, & operatio cogitatiuæ disponens loquenda, & ipsum lumen intellectus agentis, & ipsa notitia ex specie intelligibili rei cognitæ orta; inprimis liquidū euadit, verbum vocale nō esse simile Verbo diuino: quare Hilarius lib. de Synodis, citat Synodum quandam sic definientem: *Si quis insitum, & prolatiuum Verbum Dei Filium dicat, anathema sit.* Vocat autē insitum verbum, quod per insitā loquendi naturā profertur. Idē Hilar. lib. de Trinit. *Cessat*, inquit, *sonus vocis, & cogitationis eloquium. Verbum hoc, res est, nō sonus: natura, non sermo: Deus, non inanitas est.* Et B. Ignatius epist. ad Magnesianos: *Vnus est Deus omnipotens, qui manifestauit seipsum per Iesum Christū Filium suum, qui est Verbum ipsius, nō prolatiuum scilicet, sed substantiale: non locutio articulatæ vocis, sed operatio deitatis, substantia scilicet genita, in omnibus benè placens suo genitori.* Hæc ille, cuius dictum, quòd substantia sit genita, benignè est interpretandum pro persona quæ sit homusia, siue eiusdem substantiæ: nam Antiqui tanto verborum delectu atque rigore minimè vtebantur. Et ideò secundùm Theophylactum, cadit Porphyrij Gentilis sophisma: *Si est*, inquit, *Filius Dei Verbum, vel est pronunciatiuum, vel mentale. Verùm neq; hoc est, neq; illud: ergo neq; Verbum est. Cui respondetur: mentale, & prolatiuum verbum de his quæ apud nos sunt, & naturalibus dici cōsueuisse: de eo autem quod supra naturam est, nihil tale, quia impropriè & metaphoricè Filio Dei tribuitur nomen Verbi: nullum enim nomen proprium quis inuenerit dignum Deo.* Hæc ille, per Verbum mentale intelligens vim aut facultatem loquendi. Secundò liquidum est, Verbum diuinum non esse opus cogitatiuæ, nec lumen intellectus agentis, sed propriùs esse notitiam rei cognitæ, siue notitiæ terminum, vt alij sentiunt. Vnde Augustinus lib. de Trinitat. *Verbum neque prolatiuum est in sono, neq; cogitatiuum in similitudine soni, quod alicuius linguæ esse necesse sit, sed quod omnia quibus significatur signa præcedit, & gignitur de scientia quæ manet in animo, quando eadem scientia intus dicitur sicuti est: simillima est enim visio cogitationis, visioni scientiæ: nam quando per sonum dicitur, vel per aliquod corporale signum, non dicitur sicuti est, sed sicut potest videri, audiriúe per corpus. Quando ergo quod in notitia est, hoc est in verbo, tunc est verum Verbum. & veritas: qualis expectatur ab homine, vt quod est in ista, hoc sit & in illo: quod non est in ista, non sit & in illo: hic agnoscitur est, est, non non. Sic accedit quantum potest ista similitudo imaginis facta ad illam similitudinem imaginis natæ, qua Deus Filius Patri per omnia substantialiter similis prædicatur.* Hæc ille. Ex quibus habemus iam quid sit quantum ad rem Verbum, siue Λόγος.

Iam verò, teste Hieronymo in Epistola ad Paulinum, Λόγος vox est plus grauida sensibus, quàm vox Latina, Verbum. Ait enim: Λόγος Græcè multa significat: nam & verbum est, & ratio, & supputatio, & causa vniuscuiusque rei; per quam sunt singula, quæ subsistunt. Quæ vniuersa rectè intelligimus in Christo: alij verò addunt sermonem, mensuram, diffinitionem, librum, orationem, oraculum. Quæritur ergo quænam vox Latina significātius, & magis propriè exprimat vocē: Λόγος. Interpres enim noster vertit, Verbum: Erasmus, Sermo: Tertulliano & Caietano magis placet Ratio: quidam verò per Hebraismum putat dictum: In principio erat res, vel factū, vel deitas; nam Hebræo more Verbum pro re, siue pro facto sumi putant. Nos verò primùm dicimus, hæc omnia nomina aliquo

modo

[Margin notes, left:] De quibus hoc loco disputādum. — *Damascen. lib. 1. de fide Orthodox. cap 13.* — Λόγος quatenus creaturæ conuenit, tria significat. — *Varin. Fauorin.* — Quid Verbum. — *August. lib. 15. de Trinit. cap. 10. prope fin. tom 3.* — *Cap. 11.* — Verbū vocale non esse simile Verbo diuino. — *Hilarius.* — *Idem lib. 2. de Trinit. paulò ante med.* — *B. Ignat epist 6. circa med.* — Verbum Dei substantiam genitam quo sensu dicat B. Ignatius.

[Margin notes, right:] *Theophyl. in Ioan.* — Porphyrij Filium Dei verbum esse negantis, vanū Sophisma diluitur. — Verbum Dei propriè quid sit secundùm August. & alios. — *August. lib. 15 de Trinit. c. 11. circa dimid. tom. 3.* — *Genes. 1. Coloss. 1. Ioan 14.* — Λόγος nomine tenus quid. — *Hieron. epist. 103. circa princ. tom. 3. initio.* — Eius varia significata ex Hieron. & alijs. — *Erasmus. Tertullian. Caietanus.*

Vocis Λόγος omnia significata quàm apte Filio Dei conueniant. *Heb. 1.*

Idea quid.

modo conuenire secundæ Personæ, & Filio Dei. Ipse enim in primis est Verbum, quo Pater se, & omnia creata, & creabilia dicit. Est etiam sermo, quatenus carnem indutus, nobis locutus est. Rursus ratio est, quatenùs ipse est omnium rerum idea, & forma: eatenùs enim quidditatem habent & speciem, quatenùs à verbo dicuntur. Est autem idea, essentia cognita à se, vt exemplariter imitabilis à creatura, Angelo, scilicet vel homine. Exēplar verò, vt est principium operandi. Ratio verò, vt est principium cognoscendi obiectiuum.

Sap. 11. *Ioan. 1.* *Supra 17.*

Rursus dici potest caussa, mēsura, & supputatio: quia ipse disposuit omnia in mensura, & numero, & pondere. Verbo enim mensuratè creauit omnia. Rursus Christus dici potest definitio, per quam definitum apertius, & clarius exprimitur: ita ipse nobis Patrem expressit, & manifestauit; quasi definitum. Rursus oraculum dici potest, quod dicitur, quasi Deorū oratio, vel Dei responsum: quia Christus nobis est responsum, & oraculum diuinum de omnibus ad salutem spectantibus: cuius aduentu omnia dæmonum oracula euanuerunt: atque ita omnia illa vocabula quæ Λόγος significat, conuenire possunt Filio Dei.

Quid sit oraculum.

Eadem significata vox Verbi, non tantùm quomodo includit, sed etiam excedit.

Spiritus maximè quibus assistat.

Secundò dicimus, omnia hæc significata aliquo modo includi in voce Verbi, quam Latinus interpres ad significandam secundam personam præ alijs eligit; & vltra illa omnia, quoduis illorum vocabulorum excedit. Spiritus enim adest quærentibus bonum commune; ac per hoc interpreti alioqui minus docto, plusquàm doctiori priuato assistit. Et quanquàm diuinæ prouidentiæ sit, illum hominem fuisse, in quibusdam ostendere: tamen in necessarijs ad Fidei potissima dogmata explicanda non est derelictus; vt meritò Ecclesia eius interpretationem cæteris omnibus prætulerit. Primò ergò voces illæ, Caussa, Mensura, Supputatio, nec per se diuini Verbi naturam, nec processum eius à Patre, neque distinctionem, aut æqualitatem Personarum indicant, nec etiam ab æterno erant creata, quibus responderent mensura, supputatio, & caussa. Oraculum verò, quod complexum ex pluribus significat, & propriè Dei responsum ad interrogata: significaretur ergo, Deum ad respondendum ad interrogata, Verbum produxisse. Definitio verò etsi refertur ad definitum, non dicit tamen processionem definitionis à definito; neque relationem habet ad creaturas, quæ verbo, & non definitione dicuntur. Violentus verò est ille Hebraismus, vt Verbum capiatur pro re, vel pro facto: & ita à nullo Patrum asseritur. Res porrò cùm æquè dicatur de Patre, & Spiritu Sancto, & de Verbo; non minus intelligeremus illam clausulam; In principio erat res, vel Deitas, de Patre & Spiritu sancto, quàm de Filio; cùm tamen Vnigenitum à Patre intendat Euangelista exprimere. Res etiam relationem non habet, vel ad Patrem, quemadmodum Verbum ad dicentem: nec etiā ad creata producenda, quam tamen includit vox Verbi. Non etiam ita quadrat vox Rationis, vt voluit Caietanus; & accipere potuit ex Tertulliano, qui libro in Praxean hæreticum sub initium, ita scribit: *Ante omnia enim Deus erat solus, ipsi sibi, & mundus, & locus, & omnia. Solus autem, quia nihil extrinsecus præter illum. Cæterùm ne tùm quidem solus: habebat enim secum, quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet: Rationalis enim Deus, & ratio in ipso prius: & ita ab ipso omnia. Quæ ratio, sensus ipsius est, hanc Græci Λόγον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus. Ideoq; iam in vsu est nostrorum per simplicitatem interpretationis, Sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cùm magis rationem competat antiquiorem habere: quia non sermonalis à principio, sed rationalis Deus etiam ante principium, & quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eam vt substantiam suam ostendat. Tamen & sic nihil interest.* Hactenùs ille.

Hæc interpretatio: In principio erat Caussa, vel supputatio, vel oraculum, quomodo deficiat.

Non etiam definitionis vocabulo nomen Λόγος perfectè exprimi.

Minus etiam idoneum nomen rei esse, dupliciter.

Non item rationis vocabulum cohærere.

Tertullianus.

Sed hæc sententia dicens: In principio erat Ratio, non placuit B. Augustino, qui lib. octoginta trium quæstionum sic ait: *In principio erat Verbum. Quod Græcè Λόγος dicitur. Latinè & Rationem, & Verbum significat. Sed hoc loco melius Verbum interpretamur, vt significetur non solùm ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quæ per verbum facta sunt, operatiua potentia. Ratio autem, etsi nihil per illam fiat, rectè ratio dicitur:* Sic ille, doctè respuens vocem Rationis, quòd careat relatione ad creaturas, quæ verbo conditæ sunt. Ambrosius etiam tacitè notat Tertullianum, lib. de Fide: *Verbum, ait, hoc nostrum vtiq; prolatum est, syllabæ sunt, sonus est: & tamen à sensu nostro, & mente non discrepat: & quæ interiori tenemus affectu, ea tanquàm operantis verbi testificatione signamus, sed non sermo noster operatur, solum est Verbum Dei, quod nec prolatiuum est, nec ἐνδιάθετον dicunt, sed quod operatur, & viuit, & sanat.* Hæc ille: vbi vides, Tertullianum accepisse rationē, quod dicitur ἐνδιάθετον, id est, reconditam cogitationem.

Eandem versionem: In principio erat ratio, improbat Augustinus. *B. August. lib. Quæst. 83 q. 63. to. 4. paulò ante dimidiū.* Hanc ille cur probet magis: In principio erat Verbum. Λόγος.

B. Ambros. lib. 4. de Fide c. 3. prope fin. tom. 2. Quale sit Verbum Dei secundum Ambros. *Ioan. 5. Ibid. 6. Sap. 16.* ἐνδιάθετον Græcè quid.

Postremò, non placet expositio Erasmi (quem sequitur Beza, & alij) In principio erat sermo: quia etsi in sacris literis, & sanctis Patribus interdum voce sermonis ex-

Erasm. *Beza homo hæretic.* 1. Ratio contra hanc lectionem Erasm. In principio erat Sermo.

Quibus Scripturæ locis sermo Dei Verbū significet.

primatur secunda Persona; non tamen nec tam frequēter, nec tam propriè, quàm vocabulo Verbi. Indicabo vnum, aut alterum locum.

I. Locus.

Amoros vbi sup. productum fuit.

Ad Heb. 4. dicitur : *Viuus est Sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, &c. Vbi aperte de Christo esse sermonem, indicat Ambrosius lib. de Fide, interpretans hoc de Filio Dei. Deinde quod sequitur in textu, manifestè probat, dicitur enim: *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.*

II. Locus.

Alter locus est Ioan. 12. in fine : *Sermo*, inquit, *quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die*: quem locum

Aug. tract. 54 in Ioan. to. 9.

Augustinus de ipso Filio Dei venturo in nouissimo die ad iudicandum exponit. *Satis*, inquit, *manifestauit seipsum indicaturum in nouissimo die: seipsum quippe locutus est, & ipsum annuntiauit, seipsum ianuam posuit, qua ipse ad oues Pastor intraret.*

Ioan 10.

III. Locus.

Idem tract. 108. in Ioan.

Rursus Ioan. 17. *Sanctifica eos*, inquit, *in veritate. Sermo tuus, veritas est*, &c. de Christo crucifixo, qui Græcè Λόγος dicitur, quo omnes sanctificamur, Augustinus exponit.

Psal. 147.

V. Locus.

Quod rursus Dauid ait: *Velociter currit Sermo eius* : aptè de Filio Dei intelligi potest.

Sap. 18.

Eius loci: Omnipotens sermo tuus Domine exiliens de cœlo a regalibus sedibus venit, duplex intelligentia.

Quod verò dicitur in libro Sapientiæ : *Omnipotens sermo tuus, Domine, exiliens de cœlo à regalibus sedibus*, &c. de præcepto, vel imperio, vel diffinitiua sententia ad interficiendum primogenitos Aegyptiorum, si antecedentia verba expendas, necessariò intelligitur.

Exod. 11. & infrà 12. & seq.

Colos. 2.

Quanquàm nō eam inficias, mysticè ad aduentum Christi significādum extendi posse: quòd Christus omnes aereas potestates, & peccata nostra debellauit, & interfecit: quemadmodum Ecclesia hæc verba ad hunc sensum in Missæ sacrificio accommodauit.

Tertull. in Prax. sub initium, to. 1. sub fine.

Cypria. lib. 2. in Iudæos c. 5.

Ambros. lib. de Fide c. 2 circa med. to. 2 in fine.

Hilar. lib. 2. de Trinit.

Hieron. in c. 1. ad Ephe. to. 9.

Lact. in lib. 4. c. 8 prope prin.

Prudent. Roma in Hym ante somnum, suo oper. initium

Ioan 1. & 1. Tim. 6.

Deinde aduerte, Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, Hilarium, Hieronymum, & Lactantium, & plerosque alios ex veteribus Patribus interdum vertisse : *In principio erat sermo* : aut certè Verbum sermonem appellasse: & Prudentius in Hymno ait:

Ales, Pater supreme,
Quem nemo vidit vnquàm,
Patrisq; Sermo Christe,
Et Spiritus benigne.

Sed id nec tam frequenter, vt diximus, nec tam propriè. Primò quidem, quia sermo compositionem à pluribus simul contextis dictionibus significat, vt docent Grammatici; assignantes differentiam inter dictionem, quæ vnicum verbum est; & inter sermonem, qui plura verba complectitur.

Sermo quid prope significet.

Verbum verò etsi interdum sit compositum, vt; *Factum est Verbum Domini ad Hieremiam.* & de prouerbio aliquo dicere consueuimus. Verus verbum est: interdum tamen per verbum, vnicum & simplicem conceptum, & vno verbo expressum intelligimus, quod magis quadrat Deo infinito.

Hier. 1. & sæpè alibi.

Verbum interdum quid sonet.

Iob 33.

Illud Iob: Semel loquitur Deus, &c. quid secundū Augustinum.

Etsi enim nos, quia infirmi, & imbecilles, vnico verbo mētis conceptum exprimere, & auribus aliorum declarare non possumus, & ob id necessum est pluribus verbis vti: secùs tamen est in Deo, qui vnico, & infinito Verbo suo omnia dicit : vnde apud Iob dicitur: *Semel loquitur Deus, & secundò idipsum non repetit*: hoc est, teste Augustino, vnicum Verbum genuit. Etsi enim sint verba Heliu, per Spiritum sanctum tamen dicta sunt, & B. Gregorius libr. Moralium illa verba sic exponit : *Pater vnigenitum consubstātialem sibi Filium genuit. Loqui enim Dei, est verbum genuisse : semel autem loqui Dei, est, Verbum aliud præter vnigenitum nō habere. Vnde & aptè subditur : Et secundò idipsum non repetit : quia videlicet hoc ipsum verbum, id est, Filium non nisi Vnicum genuit.* Sic ille.

B. Greg. lib. 23 Moral. c. 19. tom. 1.

II. Ratio. Sermonis etymon.

Deinde non ita quadrat vox Sermonis, quia Sermo aliquid foris seminatum, & iactatum significat, vt patet ex sua etymologia; nam dicitur à serēdo. Est enim propriè sermo, quidam vocum, vel syllabarum, aut literarum contextus, & ordo, qui solùm in voce reperitur; Verbum autem, intimū est, & ipsi dicēti coniunctissimū. Quare sermo nō ita quadrat. Nam, vt Seruius ait, Sermo, est consertio orationis, & confabulationis duorum, vel plurium : quam Græci dialogum dicunt, quia inter vtrumque seritur.

Seruius.

Dialogus vnde dicatur.

III. Ratio

Tertiò, non placet Sermo, quoniam Arrianis hæc vox magis applaudebat, quàm Verbum, vt vel sic Verbum minus Patre facerent, vel diuersum à sua substantia: vt ex Hilario colligi potest. Constat autem, vitandas esse prophanas vocum nouitates, ne in verbis, nedum in sensibus, cum hæreticis consentire videamur.

Hilar. loco citato.

1. Tim. 6.

IV. Ratio.

Quartò, quia præcipuè nominatur Verbum diuinum à similitudine conceptus mētis interni. Nam vel antiqui Philosophi in diuinitate cognouerunt vnam personam, quam νοῦν id est mentem vocauerunt, & alteram, quam Λόγον, id est, filium ipsius mentis. De quo Trismegistus ait : *Verbū eius procedens vndequaque perfectum, & fœcundum, & opifex lapsum in naturam fœcundam, & fœcundas aquas, fecit eas prolificas.* Et infrà : *Natura mentalis ipsius Verbi natura est generatrix, & opifex.*

Mercu. Trismegisti de Verbo æterno sententia.

Verbum Dei filius dicitur quatuor de causis potissimum.

Dicitur ergo Verbū Dei filius: quia cogitatio mentis, qua sibi ipsi mens loquitur, sine sensu, passioneq; & corruptione à mēte procedit, estque illius perfectissima similitudo, & imago. Deinde, quòd vt mens sibi ipsi loquitur per Verbum & cogitatio-

nem

nem suam, atque intra se ipsam, & omnia quæ scit, & videt, ita in Filio sibi ipsi Pater loquitur, & in eo vt in speculo se ipsum, & omnes creaturas contemplatur. Ad hæc, teste Theophylacto, sicut mens non potest esse sine Verbo & cogitatione, & Verbum non potest esse nisi à mente, ita & Pater sine Verbo, & Verbum Patri est coæternum. Deinde cùm nostrum Verbum sit inefficax, & inualidum, istud diuinum natura est operatrix & opifex, & omnia per ipsum facta sunt. Quartò, vt verbum nostrum assumens vocem, & illa indutum, nobis secreta mentis detegit: ita Verbum hoc carnem assumens, sensibile est factum, & Patrem suum, & quæ Patris sunt, mundo manifesta, & aperta reddidit. Melius ergo voce verbi, quàm sermonis, exprimitur Dei filius. Cur verò Ioannes potiùs verbum, quam Filium vocauerit, explicant Chrysostomus, & Theophylactus, ne audito ab initio nomine filij, natiuitatem eius corpoream, & cum tempore, & corruptione procedentem illam cogitarent lectores; sed spiritualem, immaterialem, & intelligibilem. Adiungit B. Thomas, id factum alia ratione: quòd de Dei Filio erat tractaturus, quatenus docturus erat Patrem, illumque mundo toti manifestum redditurus: cui rei magis seruiebat vox Verbi, quã Filij. Præstat ergo vox Verbi voci sermonis, & Filij.

Theophylact. in Ioan.
Verbum mentis nostræ si quod est, à Verbo diuino quantũ distet.
Ioan. 1.
Cur Ioan. potius Verbum quàm filium Dei nominauerit.
Chrys. hom. 2. in Ioan tom. 3
Theophilact. Ibidem.
B. Thom. in Ioan cap. 1. tom. 17.

Neque obstant Erasmi rationes, quarum prima est: quia vox Verbi, totam & integram orationem nõ sonat, sed vnam aliquam eius partem; Christus autem, completissima est & perfecta oratio omnium, quę Pater per Filium dixit. Sed iam dictum est, Deum infinitum, & vnicum Verbum producere, quo se totum, & omnia dicit; ac propterea melius exprimitur voce Verbi, ad explicandam eius singularem vnitatem, quàm voce sermonis, quæ pluralitaté verborum designat.

Erasmi quibus probat Dei filium nõ Verbum. sed sermonem appellandum, rationes diluuntur.

Secunda ratio Erasmi in Apologia sua, sumpta est ex etymologia dictionis, Logos, quæ rationem sonat: vnde λογισμὸς, cogitatio, & λογίζομαι, cogito: Sermo autem à ferendo dicitur, vnde & dissero: ideò vox sermonis propius accedit ad etymon Græcæ vocis Logos, quàm verbum, quod à verberatu aëris dicitur, vt Augustinus ait libro de principijs Dialecticis, cap. 6. Sic enim scribit: *Qui Verbum dici à verberando aërem, vel aurem, inter alias opiniones, probabilius existimat. Respondeo, iam esse dictum, sermonem quid externum, & foris seminatum, significare, quicquid sit de propinquitate Latinæ etymologiæ ad etymologiam Græcam.* Verbum verò, secundum nonnullos, à vero, vel à veritate dicitur, quemadmodũ Augustinus innuere videtur in verbis illis lib. 15. de Trinitate, cap. 2. superiùs allegatis: hoc enim maximè quadrat Verbo, vt verum sit, veritatemque, sicuti in mente est, repræsentet. Deinde, etsi maximè concedamus, Verbum dici à verberando aëre, vel aure; non impedit, quin accipiatur pro eo, quod in mente respondet verbo prolatitio. Augustinus 15. de Trinitate, cap. 2. initio *Verbum quod foris sonat, signum est verbi quod intus lucet, cui magis verbi competit nomen. Nam illud, quod profertur carnis ore, vox verbi est, &c.* Et rursus lib. 7. cap. 3. initio. *Pater sapientiam dicit, vt Verbum eius sit, non quomodo profertur ex ore verbum sonans, aut ante pronunciationem cogitatur: Spatijs enim temporum hoc completur, illud autem æternum est, & illuminando dicit nobis, & de se, & Patre, quod dicendum est hominibus.* Et infrà: *Si enim hoc Verbum, quod nos proferimus temporale, & transitorium, & seipsum ostendit, & illud, de quo loquimur: quanto magis Verbum Dei, per quod facta sunt omnia? quod ita ostendit Patrem sicuti est Pater: quia & ipsum ita est, & hoc est, quod Pater secundùm quod sapientia est, & essentia. Nam secundùm quod Verbum, non hoc est, quod Pater. quia Verbum nõ est Pater, & Verbum relatiuè dicitur, sicut Filius, quod vtiq; non Pater.* Hæc ille, attendens vocem Verbi magis cõuenire conceptui mentis, quàm externo sermoni. Nam, vt Aristoteles dixit in lib. 1. Perihermenias: *Ea, quæ sunt in voce, signa sunt earum, quæ sunt in anima, passionum.* Et rursus: *Si propter quod vnumquodq; tale, & illud magis;* vox ipsa articulata, & prolata propterea dicitur Verbum, quia internum Verbum repræsentat, & illud ad auditorem defert, propriùs, & pleniùs ipse conceptus internus dicetur Verbum. Qui loquendi modus à Scripturis non est alienus, in quibus sæpè Verbum, pro interno conceptu accipitur. Iob enim cap. 4. dicitur: *Sed cõceptum sermonem tenere quis poterit?* Et rursus: *Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei, loquar, & respirabo pauluIùm, &c.* Ad hæc, Anna, mater Samuelis, loquebatur in corde suo, tãtumque labia eius mouebantur. Et Maria virgo conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et Paulus audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui: & de stulto dicitur: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* In quibus omnibus locis videmus, præter verba externa, etiam esse verba interna, & secreta cordis, & de eo, qui allocuturus est Principem, dicimus, habere illum verba quædam magni momenti, quæ Principem scire expediat.

II. Argum. Λόγος Græce quid sit.
Verbum vnde dictũ sit, secundùm August.
August. tom. 1 ante dimid.
Altera verbi etymologia secundùm eundem.
Idem tom. 3.
II. Ratio, pro solutione eius argum.
Idem.
Idem.
Idem.
Idem tom. 1. Infra 14.
Arist. tom. 1.
Idem.
Regula topica.
Verbo pro interno mentis conceptu in Scriptur. frequenter accipitur.
Iob 32.
III. Ratio.
1. Reg. 1.
Luc. 2.
2. Cor. 12.
Psalm. 13.

Quàm aptè secundà personam in diuinis nomine Verbi expresserit noster interpres.

Exclusis igitur omnibus alijs interpretationibus vocis Græcæ Logos, & omnibus alijs vocabulis, asserimus, aptissimè, & significanter interpretem nostrum vertisse: *In principio erat Verbum,* atque eiusmodi voce secundam personam in diuinis, quantum humana fert balbuies, & lingua nostra rusticana, expressam esse. Nam

Ratio prima.

primò, aliæ voces non tam conuenienter explicant: & illud, quod explicant, eminenter in hac voce continetur. Deinde,

Secunda.

quia Verbum vnicum est, intimum est, & relationem habet ad Patrem dicentem, à quo procedit. Et per ipsum, vt Patris Verbum, innotescit Pater, vt docet Augustinus libro de Fide & Symbolo, capite tertio.

August. tom. 3 circa princ.

Tertia.

Tertiò, quia hoc Verbum relationem habet ad creaturas producendas: nam Verbo dicta sunt omnia. Vnde & Ecclesiast. 37. dicitur: *Initium omnis operis Verbum:* quod Augustinus libro 15. de Trinitate, cap. 2. de Verbo æterno exponit. Et Clemens lib. 1. Stromatum, ait: *Quid verò, an non factum quoq; est dicere? & facere ex Verbo fit? seu ratione? Si non enim Verbo, seu ratione agamus, citra rationem fecerimus. Opus autem rationale ex Deo efficitur, & nihil sine ipso factum est.* Et Victorinus lib. 1. de Trinitate: *Non ergo Logos locutio quædam est, sed potentia ad creandum est, consabulans ijs, quibus futurum est esse.* Hæc ille.

Idem ibidem. Clem. Alex. tom. II. initio. Marc. Victor.

Quarta.

Quartò, significatur voce Verbi purus & immaterialis modus productionis. Ne enim quid carnale cogitaremus, vel corruptionem, vel fluxum, vel tempus, vel minorem Filium, ex zelo honoris Patris; propterea abstinuit à voce Filij, & vsurpauit vocem Verbi; quod sine corruptione & alijs à mente nostra procedit. Vnde Synodus Ephesina ait: *Coexistere semper, & coæternum esse Patri Filium, splendor tibi denunciat: impassibilitatem natiuitatis illius ostendat Verbum, consubstantialitatem nomen Filij pandat.*

Synod. Ephes.

Quinta.

Quintò, dicitur Verbum, quòd imago perfecta sit genitoris, quem totum dicit, & exprimit: Vnde Basilius homilia 16. super hæc verba Ioannis: *Cur Verbum? quo ostendat, quod ex mente processit. Cur Verbum? quia citra passionem natus est. Cur Verbum? quia imago est genitoris, totum in se ipso genitorem ostendens.* Hæc ille ferè. Rursus, rectè Filius, Verbum dicitur; quia genitoris voluntatem, & ipsum genitorem nobis indicabit. Vnde Cyrillus lib. 7. Thesaurorum, cap. 3. *Loquitur enim Pater ineffabiliter ad Filium. Habet enim Filius naturaliter perfectam voluntatis paternæ cognitionem; nec verbum ex pectat, cùm ipse sit Verbum Dei.* Theophylactus verò ait: Αὐτὸν λόγον ἐκάλεσεν ἐπειδὴ τὰ τοῦ Πατρὸς ἡμῖν ἀπήγγειλεν ὥσπερ καὶ πᾶς λόγος τὰ τοῦ νοὸς ἀπαγγέλλει ἐκλάμψας: id est, Ipsum Verbum vocauit, quoniam ea quæ Patris sunt, nobis annunciauit, quemadmodum omne Verbum cōsilia mentis denunciat; quasi dicat, Verbum esse locutorem, interpretem Dei, & diuinum internuntium.

B. Basil. tom. 1. Cyrill. tom. 2. Theophyl. in Ioan. cap. 1.

Sexta. Idem Cyrill.

Sextò, Verbum dicitur, quòd sit Patri consubstantiale. Vnde Cyrillus lib. 7. Thesaur. cap. 1. scribit: *Multis enim nominibus Scriptura Filium appellat. Sed Euangelista, cùm Verbum dixerit, quasi proprium, idq; mirabile, atq; inauditum pronunciasset, nihil aliud apposuit, nec dixit, vt de Paulo, verbi gratia: scribitur Paulus Apostolus: suffecit enim sibi, ad significandum, ipsum esse Filij, Verbum dixisse.* Idem cap. 4. latiùs probat.

Rom. 1. Idem.

Septima ratio. Ioan. 1. & seq.

Septimò; Verbum dicitur ipse Filius, quatenus intimus est Patri, & ea ratione Verbum à vero deriuatur: quatenus verò à verberatu aëris, vel auris dicitur, egregiè significatur Verbum sensibile, & carnem indutum, quod aures nostras sonitu prædicationis; tùm per se, tùm per Ioannem præcursorem, tùm per Apostolos subsequentes verberauit, & verberat. Rectèque, vt superiùs dictum est, voce sermonis exprimitur; & tunc sermo, siue Verbum, tantundem est, quantum Græcè ῥῆμα, quod prędicatum dicitur ab Aristotele lib. 1. Perihermen. de quo Luc. 2. habetur: *Videamus hoc ῥῆμα, siue Verbum, quod factum est, quod fecit Dominus.* Et pondera illa verba: *Quod fecit Dominus:* Non quod Dominus ad Isaiam, vel Hieremiam, vel ad aliquem ex Prophetis fecit; sed simpliciter, & absolutè, quod fecit Dominus. Nam Incarnatio diuini Verbi, ad omnium hominum, & omnium temporum salutem facta est: de quo Verbo alibi ait per Hieremiam: *Vigilabo ego super Verbo meo, vt faciam illud.* Et cùm Gręcè λόγος tam sermonem, quàm rationem significet: vnde homo animal Logicon, id est, loquutorium, vel sermocinatorium cum ratione, vel rationale, seu rationis plenum (vnde nec homo animal sociale esse potest, nisi linguæ beneficio conuersando testetur se à ratione non discedere: adeò vt qui lingua eius gentis, apud quam versatur, careat, licèt animal esse rationis expers dici non possit, tamen vsus rationis expers meritò dicitur) ideò voce Verbi eleganter est explicatum, quatenus intimus erat Patri, & rursus, quatenus est incarnatum, & sensibile, & quasi prolatum à Patre, ad nos descendit.

ῥῆμα Græcè quid. Arist. cap. 1. Luc. 2.

Incarnatio Verbi cur facta.

Homo cur Logicon animal.

Octauò, notandum est, absolutè dic-

Octaua.

Verbum, & cum articulo Græco, ὁ λόγος, quod eminentiam quandam, & excellentiã significat, & non Verbum Dei; ne reuelationem aliquam, aut sermonem à Deo factum intelligas, ne putes hic esse sermonem, vel de verbo Angelico, vel de verbo humano, sed de verbo illo diuino, quod vnicũ est, eminentissimum & altissimum, totamque virtutem Patris productiuam terminans. Vnde Beatus Basilius homilia 16. in hæc verba scribit: *Sed & verbi duplex est sensus. Vno modo per vocem prolatus, & aerẽ verberans, statimque periens. Alio modo intra nos positum, & nostris cognitum cordibus. Logos insuper, artificiosa est oratio. Vide itaque, ne vocis huius æquiuocatio te fortè decipiat. Quomodò enim erat in principio humanum Verbum, cùm homo initium generationis post bestias feras, volucres, & serpentes acceperit? Sed neque Angelorum esse potest. Omnis namque creatio inferior suo est principiũ à Creatore accipiens: Verbum autem intrinsecus cordibus nascens, & ipsum est illis, quæ intelliguntur, posterius. Sed audi Verbum hoc, ita vt Deo condignum est. Nam de Vnigenito disserens, Verbum ipsum appellauit. Quemadmodum igitur illum paullò pòst & lucem, & vitam, & resurrectionem vocat. Cùm verò lucem audis, non hanc sensibilem, oculisq; visibilem existimabis, neque cùm vitam audiueris, hanc communem putaueris, qua & bruta viuũt. Similiter & Verbum audiens, caue, ne mentis imbecillitate ad humiles, terrenasq; sententias deprimaris, sed Verbi potestatem ac sensus diligentiùs inuestiga.* Hactenus ille, eloquentissime simul, ac doctissimè.

B. Basilius tom. 1.

Ioan. 8. & 9. Infra 11.

Diuini verbi ab humano multiplex differentia.

Est autem diuinum Verbum differens à nostro verbo in multis. Nostrum enim Verbum accidens est, & transiens, & multiplicabile, siue (vt ita dicam) plurabile; & sæpè in potentia, non in actu; & intelligibile, nõ intelligens, & audibile, & non visibile. Diuinum autem Verbum substãtiale, & totam Patris substantiam possidens: permanens est, non temporale: vnicum est, nõ multiplex: in actu semper est, nunquam in potentia: non solùm intelligibile est, sed etiam maximè intelligens: nõn solùm audibile est, verumetiam visibile. Vnde Hippolytus Martyr contra hæreticos quosdam sui temporis, dictos Noœtianos; *Verbum*, inquit, *Dei solùm est visibile, hominis verò Verbum, audibile. Hoc Verbum Dei loquebatur in Prophetis, & dictũm ab illis filius, quia futurus erat homo*: Hęc ille. Cætera verba ex silentio formantur: hoc autem Verbum, ex Patris substantia. Vnde Ignatius ad Magnesianos scribens, ait: Ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών: id est, qui est ipsius Verbum sempiternum, nequaquam ex silentio progrediens.

Hyppol. Martyr.

B. Ignat. Mart. epist. 6. paulò à medio.

Nonò, Filius rectè nomine Verbi exprimitur, quia ita consuetum est in scripturis veteris Testamenti. Dicitur enim à Dauide: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorũ*. Et rursus: *Eructauit cor meũ verbum bonũ*. Et iterum: *Misit Verbum suum, & sanauit eos*. Rursus: *In æternum, Domine, Verbum tuũ permanet in cælo*. Et alibi: *Emittet Verbum suum, & liquefaciet ea*. Salomon verò, etiam Christum Verbum non ignorauit: *Fons*, inquit, *sapientiæ, Verbum Dei in excelsis*. Et rursus: *Qui fecisti omnia Verbo tuo*. Et iterum: *Gloria Dei est celare Verbum*. Etsi autem nemo alius ex Euangelistis pręter Ioãnem (quod sciam) Christum Verbum appellet: Principes tamẽ Apostolorũ Petrus & Paulus hac voce Filiũ Dei designant. Petrus quidem in posteriori epist. dum ait: *Latet enim eos hoc volentes, quod cæli erant prius, & terra, de aqua, & per aquam consistens Dei Verbo*. Et rursus: *Cæli autem qui nunc sunt, & terra sunt, eodem Verbo repositi sunt, igni reseruati*. Paulús verò in 1. c. ad Titum. *Manifestauit autem temporibus suis, Verbum suum in prædicatione*.

Nona ratio. Cur Dei filius Verbum appelletur. Psalm. 32. Psalm 44. Psal. 106. Psal. 118. & Isa. 40. Psal. 147. Eccles 1. Sap. 9 Prouer. 32. 2. Petr. 3. Ibidem. Titum. 1.

Decimò, & illud mirificè veritati consonat, quòd Filius Dei sub hac voce λόγος, vel Verbum, vt Lactantius lib. 4. cap. 8. rectè considerauit, cognitus est à Theologis, & sapientibus, siue poëtis gentilium, ita vt prædicatio Euangelica, qua traditur, Verbum esse in principio apud Deum, nõ potuerit illis esse tam insolita, & noua, vt illos à credendo deterreret. Vnde Mercurius Trismegistus scribens ad filium Tat. dicit: *Est, ô fili, arcanum quoddam sapientiæ sanctum, de solo Domino, quod dicere, supra hominem est*. Et alibi: *Intelligẽtia illa Deus, cùm maris, & fœmina vim haberet, & vita & lumen esset, genuit Verbum, alteram scilicet mentem opificem*. Plato verò in Epinomide, Verbi meminit, & accepit, vt puto, à Mercurio Trismegisto: *Qualibet stella*, inquit, *proprium cursum cõficit, absoluens & peragens eum ordinem, & decorem, quem, vt videri posit, fecit diuinissimũ Verbum*. Idem in Phædone prædicat mentem omnium creatricem: in Timæo, Creatorem mundi opificem. Zeno quoq; Stoicus, Naturæ rerum dispositorem, vniuersitatisq; opificem Logon prædicat. Heraclitus quoque (vt illum allegat Amelius Platonicus.) *Hoc certè*, inquit, *erat Verbum, per quod semper existens ea, quæ sunt, facta fuerũt*. Orpheus vero antiquissimus poeta, Verbum nõ ignorauit, quemadmodum Iustinus martyr in Apologetico ad Gentes testatur, Ait enim: Εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψας τούτῳ προσέδρευε, &c. Id est: *Inq; Dei Verbum aspiciens, huic semper adsto.*

Decima. Lactan. Firm. Mercurij Trismegisti, & eorũ qui sequuntur philosophorum de verbo sententia. Plato. Zeno. Heraclitus. Amelius Platonicus. Iustinus tomo 1.

Designens

Defigens animi altas luces, perge, viamq́;
Rectam, factoremq́; vnum nate aspice mundi.

Et iterum:

Οὐρανὸν ὁρκίζω σε θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον,
Αὐδὴν ὁρκίζω σε Πατρὸς ἣν φθέγξατο πρῶτον.

Id est,

Genes. 1.

Te cœlum obtestor, sapiens opus Omnipotentis.
Vocem te Patris adiuro, quam protulit ipse
Primùm, consilijs eius cum constitit orbis.

Philo. Genes. 1.

Philo verò disertissimus libr. Quæstionum & solutionũ in illud Genes. 1. *Ad imaginem Dei fecit illum.* Verbum diuinum non ignorauit: Ait enim: *Quamobrem tanquam de altero dicit, Ad imaginem Dei fecit hominem, non potiùs ad imaginẽ sui? Præclarè & sapienter id dixit oraculũ: nec enim fieri potuit, vt vlla res creata ad similitudinẽ Altissimi, omniumq́; Patris effigiaretur: ergo & secundùm Deum, qui est Verbum eius. Debuit enim forma rationalis in anima hominis à Verbo diuino formari; quandoquidẽ Deus, qui est ante Verbum, melior ac certior est omni creatura rationali. Nam cum in optima, ac separata sit idea cõstitutus, non erat fas quicquam ei creatum assimilari.* Hæc ille: qui rursus in libr. de agricultura ait: *Hæc omnia ducit, ac gubernat aptissimè Pastor, & Rex Deus, præfecto tanquã lege recta Verbo suo, & primogenito filio, qui hanc ordinis sacri administrationem, tanquam summi Regis magistratus administrat.* Denique, ne longior sim in recitandis Philosophorum sententiis, vnus ex nostris August. lib. Cõfessionum testatur, se in libros Platonicorũ incidisse, in quibus hoc exordium Euangel. Ioan. penè ad verbum se legisse affirmat: vbi frequenter fit mentio diuini verbi.

Quare tanquam de altero dictũ sit: ad imaginẽ Dei fecit hominem, non potius ad imaginẽ sui, teste Philone.

Idem.

August. li. 7. Confess. ca. 21. tom. 1.

XI. Ratio huius versionis: In princ. erat Verbũ, non Sermo.

Vndecimò, aptè, & sapienter Euangelista vocat Verbũ, quia Pater ab æterno per Filium suũ, quasi per os suum, ad Spiritum sanctum, eum comproducendo, loquitur: Spiritus sancti verò proprium est audire, vt Dominus ait: *Quæcunq́; audiet, loquetur:* Quemadmodum Patri tribuitur dicere, & Filio, Verbum esse. Vt enim auditus à corde, & ore promanat, ita Spiritus sanctus à Patre, & Filio: & vt Verbũ internum à corde tantum prodit, ita Filius à Patre. Loquitur deinde Pater æternus per Verbum suũ ad spiritus creatos, id est, ad Angelos, & ad homines, vt esse filiorum accipientes, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctũ cordibus suis, & vocibus laudent & glorificent: Vnde Ecclesia de Christo cantat: *Per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates.*

Ioan. 6.

Ioan. Euang. in his verbis: In principio erat Sermo, ad vocem

Theodorus Beza, homo hæreticus, quo aliquid nouũ & plausibile mundo inueheret, scribit, hoc loco magis habendam esse rationẽ sermonis Hebræi, quàm Græci. Etsi enim Ioannes Græcè scripserit, tamen in tradẽdis Theologiæ arcanis, ad voces, quę erãt in Synagoga vsitatæ, & familiares, videtur allusisse. Et quia in editione Chaldaica, q̃ erat populari sermoni accõmodata, pro eo quod in cõtextu Hebraico habetur יהוה in Chaldæo reperitur מימר mimar, vel memor, id est, sermo promissus, seu ille, de quo sunt voces, & sermones scilicet Prophetarum; propterea Christum vocatum ait Memor: quia erat Deus ille quidem magnus, & promissus. Sed profectò, si diligentiùs rem excutiamus, vana est hęc meditatio. Nam in primis, si Ioannes eò voluit alludere, quid est quod Syriaca versio Noui Testamenti, quæ eadem ferè lingua scripta est cum Chaldæa, quæ nuper prodiit ex typographia Viennensi, & paulò pòst ex Antuerpiensi, non dixit Brischchith mimar, sed Brischithmeltho, non agnoscens allusionem vllam ad verbum Chaldæum Mimar? Deinde consultius erat alludere ad scripta Prophetarum omnibus nota, in quibus Verbum vocatur secũda persona, cùm dicitur: *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Et, *Emittet Verbum suum, & liquefaciet ea*; Et, *Fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis.* Hæc etiam nomenclatura τοῦ λόγου, non fuit ignota Gentilibus, vt superiùs ostendimus. Tertiò, Patres antiquissimi, vt, Ignatius, Iustinus, ignorarunt istam allusionem, quæ incredulis Iudæis parum erat profutura; de Verbi autem voce quamplurima, & illa quidem vtilia, nostri Patres philosophati sunt, vt Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, & Augustinus. Quæ denominatio Gentibus, & Philosophis ad finem vocandis & traducendis accommodata erat, quia non omninò ignota. Ad hæc, inde Verbum esse substantiam materiæ expertem colligunt; inde etiam eius intimam productionem, & virtutem explicandi dicentem Patrem, & in creando mundo, diuinæ voluntatis completionem, & patefactionem in Euangelizando deducunt: quæ omnes rationes Verbi nobis perirent per illam ignotam allusionem ad mimar. Denique Epiphanius Alogianos hæreticos recenset eos, qui λόγον, siue Verbum negabant: à quibus non procul videtur abhorrere Beza, dùm ad illam vocem Chaldæam censet esse Verbum referendum, & vertit; *Sermo ille.* Centuriatores quoque indoctè negant λόγον, à Ioanne dictum respectu Patris, quòd sit cogitatione ab eo genitus: quod ad humanas cogitationes pertinere contendunt: & veteres Basilium, & Augustinum, qui sic inter-

Hebræã, seu Chaldæam mimar, id est Sermo promissus, minimè allusisse contra Bezam.

I. Argumen.

II. Argum.

Psalm. 32. Psalm. 147. Eccles. 1.

III. Argum.

IV. Argum.

V. Argum. Epiphan. in hæresin 51. sub initium.

Centur. 1. lib. 1. cap. 4. Contra Cẽturiatores.

1. Tim. 3. interpretantur λόγον, docent erraſſe. Errantes ipſi, & in errorem mittentes alios, hæretici vocantur Samoſateni. Audi Cyrillum lib. 1. Theſaur. cap. 7. *Quare oportet, ſi quis generationem illam (in quantum homini licet) inueſtigare velit, quæ ex mente & intellectu prodeunt, conſiderare, & ex huiuſmodi ſimilitudine ad generationem Verbi, quantum in hac vita poſſumus intelligere, accipiendam manuduci: parit enim mens hominis cogitationes bonas, &c.*

Cyrill. Alex. tom. 2.

XII. Ratio, & poſtrema.

Duodecimò & vltimò, pulchrè Spiritus ſanctus ſub nomine Verbi expreſsit ſecundam perſonam; vt intelligamus, chariſſimum, & pretioſiſsimum eſſe hoc Verbum apud Patrem. Quiuis enim ſummo, & ardenti amore fertur ad ſuas cogitationes, conſilia, & verba interna, quæ concipit, & meditatur, quemadmodũ Poëtæ ſua poemata, & parentes ſuos diligunt filios, &, vt ait Salomon, *Lætatur homo in ſententia oris ſui.* Si ergo quiſque ad ſuos cõceptus internos, ſiue verbo expreſſos, ſiue literis ſcriptos, mirificè afficitur; quid cogitandum eſt de ſumma illa, & infinita Patris maieſtate, quæ vnicum tantùm Verbum per omnia ſibi æquale, & conſubſtantiale ab æterno progenuit, tanquam imaginem viuam, & perfectiſsimè ſe repræſentãtem: atque ideò infinitum Patris amorem promerentem? Vnde Pater (huius Verbi, quod & Sapientia dicitur) poſſeſsione plenus eſt, diues eſt, contentus eſt: ita enim teſtatur ipſa Sapientia: *Dominus poſſedit me in initio viarũ ſuarum.* Per creationem enim vniuerſi orbis, & Angelorum, & hominum, nullum diuitiarum augmentum accepit, cùm infinito Verbo ſuo ab æterno eſſet diues, & beatus. Debemus ergo & nos tanti Verbi donatione, & poſſeſsione eſſe contenti, cùm reliqua omnia præ Chriſto viliſsima ſint ſtercora reputãda. Nam etſi quotidiè dicendo verba, ſonando verba, & tranſeundo, nobis viluerint, & nihil aliud videantur quàm verba: hoc tamen Verbum in ipſo Deo permanet: nõ eſt ſonus, ſed quod intelligitur de ſono. Quemadmodum Deus, quod ad ſonum attinet, vile quid videtur, quia quatuor literis, & duabus ſyllabis conſtat; tamen quod ex illis literis reſpondet in corde noſtro, magna, & ſumma quædã ſubſtantia cogitatur, quæ omnem tranſcendit creaturã corpoream, & intelligibilem: ita ſanè Verbum quod ad prolationem attinet, ex duab' ſyllabis, & ſex literis conficitur, rem tamen ſi ſpectes, in mente reſpondet incomprehenſa quædam, & viua Patris imago, quam ex opere ſuo externo, & ex mundi fabrica facilè potes apprehendere. Vt enim cõſilium, & verbum artificis ex opere illuſtri & in-

Prouerb. 15.

Supra 8.

Quo loco apud nos eſſe debeat diuinũ verbum.

Philip. 3.

Simile.

ſigni cognoſcitur; ita Verbum æternum ex mundi fabrica: quia *Omnia per ipſum facta ſunt.* Conemur ergo viua fide Verbum apprehendere, & tanquam rem omnium pretioſiſsimam poſsidere: quia vt Chriſtus ipſe ſub nomine Sapientiæ teſtatur, *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino;* præſtante eodem Domino noſtro Ieſu, cui cum Patre, & Spiritu ſancto ab omni creatura reddatur omnis cultus, honor, & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Ioan. 1.

Prouerb. 8.

TRACTATVS IV.

Quo eadem prima ſententia, ſiue propoſitio amplius declaratur.

PRÆCEDENTI Tractatu latè quidem, &, vt puto, non ſine fructu de voce Verbi philoſophati ſumus: in præſenti verò duæ aliæ voces explicandæ veniunt, nempè: *In principio erat.* Nec eſt, quòd mireris, candide Lector, de tam exacta, & diligenti vocum diſcuſsione: nam cùm in Sanctiſsimæ Trinitatis myſterio enarrando verſemur, ad quod obſcurandum & demoliendum, tot hæreticos Sathanas ſuſcitauit; par eſt, vt nos omnes occaſiones de ſignificatione, & proprietate verborum ortas, ad tam altam veritatẽ deſtruendam adinuentas, radicitùs euellamus, & extirpemus.

Quod ergo primo loco dicit, *In principio,* diligenter expendendum eſt: notauit enim Baſilius Homilia præallegata, multa eſſe principia diuerſarum rerum in hac vita, verùm vnũ eſt principium, quod omnia præcedit. *Initium viæ bonæ dixit prouerbium: ſed viæ quidem principium primus motus, vnde iter incipimus, cui quod eſt, retro inueniri poteſt. Et, principium ſapientiæ timor Domini, ſed de hoc principio eſt aliquid antiquius, videlicet animæ cõſtitutio nondũ factæ ſapientis, nec Domini timorem adeptæ. Principia dicuntur, ciuiles quoq; potentatus dignitate præcellentes. Sed iſta principia aliquorum ſunt principia, & quodlibet illorũ aliquò refertur: principium enim lineæ, punctum: principium ſuperficiei, linea: & principium corporis, ſuperficies: & orationis principia, elementa: illud autem, de quo dicimus principium, non tale eſt, nulli alligatur, nulli ſeruit, cum nullo conſideratur, ſed liberum eſt ſine Domino: ſolutum omni ad alterum cõiunctione, cogitatione indeprehenſibile, vltra quod aliud inuenire non eſt. Si enim phantaſia mentis contenderis principium præterire, inueniet te præteriens, & tuas omninò decipiet cogitationes. Dimitte tuam mentem, quantum ipſa cupit percurrere, & ad ſuperiora cõſcendere: deinde ipſam reperies in infinitũ errantem, ac per multa vacua ſpatiantem. Rurſus verò ad ſui ipſius*

Principium multiplex rerum Baſilio.

B. Baſil. Hom. 6. tom. 1.

Prouerb. 16.

Pſalm. 110. & Eccleſ. 1.

Eiuſdem de principio æternitatis pulcherrima doctrina.

vnitatem redeuntem, quoniam antiquius seipsa principium reperire nequeat; idcircò semper principium omni cognito exterius, ac superius inuenitur. Hactenus ille, pulcherrimè de æternitatis principio philosophatus. Sed vt hæc luculentiùs pertractentur, considerandum est, duplex esse principium: alterum quidem rei ipsius: alterum verò, non rei, sed durationis ipsius rei: cùm enim sit ex genere relatiuorum, profectò intelligi nequit sine eo, cuius est principium.

ciplum ... lex est.

Primò ergo exponitur hic locus ab Origine, *In principio erat verbum*, in hunc sensum: id est, Verbum erat creaturarum omnium principium, sicut dicitur, *In ipso vita erat*: id est, ipse erat vita: quod & ipse alibi declarat, cùm interrogatus à Iudæis, *Tu quis es?* respondit, *Principium, qui & loquor vobis*: & Paulus ad Coloss. cap. 1. loquens de Christo, ait: *Qui est principium primogenitus mortuis, &c.* Ergo significatur, Verbum esse principium rerum omnium, & per consequens, Deus.

... tom 2. in ... part. 2. ... tentiæ fu... iùs propo... : In prin... o erat Ver... a, primus ... lius Orige... ... n. 8. ... oss. 1.

Sed, si verum amamus, non admodùm quadrat hic sensus: violentum enim est exponere, Ego sum in principio, id est, Ego sum principium: & facilè fuisset Euangelistæ, dicere, Principium erat Verbum, si hoc intendisset asserere, sicut alibi interrogatus dixit, *Ego principium, qui & loquor vobis*. Deinde significatur aliqua distinctio per illam præpositionem, *In*: & ita non videtur esse sensus, Principium erat Verbum: nam etsi alibi dicatur: *In ipso vita erat*, hoc est, quia vita prædicatur per modum formæ, quia ex simplicitate naturæ & æquiualentia identificatur vita cum Verbo: non tamen ex ratione formali vitæ: quare si hic verborum seruari proprietas potest, non est nobis permittendum, vt illa tollatur. Adhæc, etsi admittamus, principium esse Verbum, non tamen per hoc æternitas Verbi directè ostenderetur, quia postea oriri posset quæstio de illo principio, an fuisset æternum; etsi confiteri debeamus, illud æternum fuisse, quia pater non fuit prius in potentia generandi, quàm in actu: & generatio non fuit successiua: nec pater voluit differre generationem, quia naturaliter toto conatu generat, atque producit.

... probatur ... sensus ... ... ratione.

Sunt rursus alij, qui per principium, intelligunt Patrem: nã principium mundi & temporis aliud ante se habent principium, id est, Deum: & tritum est dogma illud, & apud Doctores Scholasticos vsurpatum, Patrem esse principium sine principio: Filium verò, principium de principio: Hoc est, in Patre erat Verbum: erat autem per consubstantialitatem, & per circumincessionem, vt loquuntur sacri Theologi. Vbi enim est essentia Filij, ibi est & Filius. Et vbi est essentia Patris, ibi est & Pater. Et quia eadem numero est essentia Patris & Filij, ideò Christus dixit: *Ego in Patre, & Pater in me est*. Hunc sensum Origenes & Cyrillus super Ioannem attingunt: & August. lib. 6. de Trinitate, & Rupertus Tuitiensis.

... ter sensus.

Ioan. 14.
Orig. tom. 2.
Cyrill. lib. 1. in Ioan. c. 1. to. 1.
August. cap. 2. tom. 3.

Quamquàm autem hic intellectus verus sit, & Catholicum dogma contineat: nõ ita tamen huic loco quadrare videtur. Primò quidem, quia de Patre statim subdit: *Et Verbum erat apud Deum*, quod idem est, ac per hoc bis idẽ dixisset. Deinde non ita clarè exprimeretur Verbi æternitas, nec ad illam intelligendam essemus prompti, cùm etiam creaturæ dicantur esse in Deo, nec proptereà tamen sunt æternæ: tamen scriptum est: *Quod factum est, in ipso vita erat*. Tertiò, repugnat huic intelligentiæ, quod subditur: *Hoc erat in principio apud Deum*. Vbi videtur principium pro Patre nõ posse accipi, nam bis idem superuacaneè repeteretur: esset enim sensus: Hoc verbum erat in Patre apud Patrem. Quartò, quia ex modo loquendi Euangelistæ insinuatur, quòd Verbum præcesserit principium, quia in principio iam erat, nõ autem Verbum præcesserit seipsum, vel Patrem.

Nõ probatus quadrupliciter.

Exclusis ergo his duobus sensibus, superest tertius magis proprius & germanus, vt principium capiatur pro mensura durationis: & non expressit cuius durationis, videlicet, an temporis omnes corporeas motui subiectas metientis, an æui substantias intellectuales, illarumque actiones mensurantis, an verò æternitatis, quę Deum æternum, & personas æternas, earumque actiones mensurat, vt in omnium illarum principio, siue anteà, Verbum iam existere intelligamus. Affirmamus autẽ principium in æternitate, nõ quòd re vera illud habeat, cùm de ratione æternitatis sit, principio & fine carere, sed quia doctrinæ gratia illud cogitatione, & imaginatione (ac si haberet) concipimus. Atque huic sensui illustri & Apostolico omnia fauent. Nam in primis hac prima sentẽtia occurrit hęreticis Ebionitis, & Cherinto Christum negantibus ante Mariam Virginem extitisse. Occurrit Iudæis dicentibus: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Occurrit Gentibus dicentibus Paulo: *Quid vult seminiuerbius hic dicere? Nouorum dæmoniorum videtur annunciator esse*: cùm tamen Christus æternus Deus sit. Occurrit Mahometo, diuinitatem Christo, & æternitatem auferenti. Occurrit denique Alogianis, & Arrianis, qui dicebant (vt legimus in libro historia

III. Sensus cæteris probabilior, atque acceptione dignus.

Principium in æternitate diuinarum personarum quale tantummodo sit.

I. Ratio pro sensu dicto.

Ioan. 8.

Act. 17.

Hiſt. tripart. lib. 1. cap. 14. ſub initium Alogianorum Arrianorúque de Chriſto blaſphemiæ, à Ioanne confutatæ.

tripartitæ.) Non ſemper Deus, Pater fuit, creatura eſt enim, & factura Filius, neque ſimilis eſt Patri ſecundùm ſubſtantiam: neque verus eſt, neque vera ſapientia Dei eſt, neque verum naturaliter Patris Verbum eſt, ſed vnus creaturarum quidem, & facturarum eſt. Sic illi impudentiſsimi Hæretici, ac Satanæ diſcipuli. Sed eorum virulenta doctrina hoc primo verbo Ioannis iugulatur.

II. Ratio à Scripturis.

Confirmatur ſecundò hic ſenſus. Nam idem Ioannes in prima ſua Canonica ait: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus*, & reliqua. Quibus verbis quaſi declarauit: *In principio erat Verbum.* In alijs etiam locis Scripturæ idem dicitur. Legitur enim apud Michæam de Filio: *Egreſſus eius à principio* (& explicans quid ſit eſſe à principio, ſubdit:) *A diebus æternitatis.* Quemadmodũ etiam Salomon ſcripſit: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Et declarans illud initium, ſubiungit: *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequã terra fieret.* Rurſus alio in loco: *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum, & vſq; ad futurum ſæculum non deſinam.* Vbi explicatè Spiritus ſanctus ſemel per Michæam, & bis per Salomonem exponit principium, ſiue initium, æternitatem ipſam eſſe intelligendam.

1 Ioan. 1. Vbi ſcripturarum Chriſti cum æternitate principium tribuatur. *Mich. 5. Prouerb. 8. Eccl. 24.*

III. Ratio à teſtimonio Doctorum. *Chryſ. hom. 1.* [illegible]

Tertiò hunc ſenſum ſequuntur Patres. In primis Baſilius allegatus: deinde Chryſoſtomus explicans: *In principio erat Verbum*, ſignificare putat, ſine principio eſſe, & æternum eſſe: ſicut per hoc quod dicitur: *Hoc erat in principio apud Deum*, coæternitatẽ cum Patre ſignificare. Cyrillus ait, principio nihil eſſe antiquius, neque poſſe principium principij excogitari. Theophylactus: *In principio erat*, hoc eſt, à principio erat. Auguſtinus lib. de Trinit. ſic intelligit: *In principio, inquit, ſic dictum eſt, ac ſi diceretur, Ante omnia: quòd ſi ante omnia, quæ facta & creata ſunt, erat Verbum: ergo illud nec factum eſt, nec creatum, ſed æternum.* Hilarius lib. de Trin. *Quid eſt iſtud: In principio erat? Tranſeuntur tempora, tranſeuntur ſæcula, tolluntur ætates. Pone aliquid quod voles tua principium opinione: non tenes tempore: erat enim vnde tractatur. Reſpice ergo ad mundum, & intellige quid de eo ſcriptum ſit: In principio fecit Deus cælum & terram. Fit ergo in principio quod creatur, & ætatem continet quod in principio continetur, vt fieret. Meus autem Piſcator illiteratus, indoctus, liber à tempore eſt ſolutus, à ſæculis, vicit omne principium.* Hactenus ille doctè, & acutè.

Theophyl. & August. lib. 6. de Trin. c. 2. tom. 3. Hilar. lib. 2 de Trin. paulò ante med.

Gen. 1. Quid factum ſit in principio, & ætatem contineat.

IV. Ratio.

Quartò conſiderandum, pulchrum eſſe, & plenum hunc ſenſum, quia per illum oſtenditur Verbum initium temporis, imò etiam æui præcedere: adde etiam in æternitate res ipſas vniuerſas creatas, vt in mente Dei exiſtunt, longè dignitate præcedere. Nam proceſſus Filij, & Spiritus ſancti ab vtroque, prioritate (vt Theologi loquuntur) dignitatis, & rationis omnes creaturas, etiam in eſſe Dei cognito ſcientia viſionis antecedit, quas deinde quadã complacentia vult, & efficaciter eas pro temporibus ſuis eſſe, & exiſtere voluit. Si autem ſit ſermo de ſcientia ideali rerum, ex qua creaturæ ad eſſe profluunt, & quæ ſcientia ſimplicis intelligentiæ dicitur, nõ eſt negandum, Patrem prius illas cognouiſſe, quàm genuerit Verbum. Et rationes ſunt in promptu. Quia creaturæ in Deo, vt creabiles, ab ipſo Deo non diſtinguuntur, ſed ſunt ipſe Deus: nam omnia eſſentialia in Deo, quæ communia ſunt tribus perſonis, præintelliguntur, & ſunt prius quàm notionalia, quæ vni, aut alteri tantùm perſonæ congruunt. Deinde ſi Pater neſcius, aut ignorans creaturas, Verbum ſuum produxiſſet, profectò Filium ſuum inſcium & ignorantem creaturas generaret: nemo enim alteri poteſt dare, quod non habet. Et ita Verbum non ſolùm à Patre cognoſcente ſeipſum, ſed etiam cognoſcente vniuerſas creaturas, quę ſunt, & quæ poſsibiles erant vt conderentur, procedit.

I. Ratio ad probandum, ſcientia ideali in Deo Verbũ eſſe poſterius.

II. Ratio.

Expenditur illa particula Erat.

Tertia vox ſequitur, de qua mihi pauca dicenda ſunt: atque illud in primis, verba noſtra non propriè accommodari, aut conuenire ſupremæ illi & incomprehenſæ Diuinitatis naturæ: quemadmodum in his verbis Plato docet in Timæo: *Erat, & erit, temporis ſunt ſpecies, quas etiam ſempiternæ eſſentiæ non rectè tribuimus. Eſt ſolum verè conuenit.* Similia tradit B. Gregorius Nazianzenus in oratione in ſanctam Chriſti Natiuitatem, non longè à principio: *Deus equidem*, inquit, *ſemper erat, eſtq́ue, ac erit, quia potius ſemper eſt: nam erat, & erit, noſtri temporis, & fluxæ naturæ ſunt particulæ, at ille exiſtens eſt ſemper. Ita enim ipſe Moyſi in monte oracula pandens, ſemetipſum nominauit. Totum enim in ſeipſo comprehendens eſſe continet, quod nec incipit, neq; definet.* Sic ille, de æterna illa, ac diuina natura. Nam apud illam neque præteritum quicquam eſt, neque futurum, cùm omnia ſint illi præſentia: præſens verò noſtrum quod non permanet, ſed in fluxu quodam, & tranſitu conſiſtit, non propriè repræſentat præſens illud æternitatis ſtabile, & ſemper permanens, & generatio illa Diuina ſine tempore, imò ante omnia tempora fuit: nam de æterno natus eſt coæternus.

Plato tom. 3. Quę ſola temporis differentia ſecundum Platonem, & Nazianzenum, Deo ſempiterno conueniat. *B. Gregor. Nazianz. tom. 1. Exod. 3.*

Præteritum, & futurũ cur in Deo eſſe nequeant?

Cùm ergo nulla temporis differentia illi æternæ generationi conueniat, ideò per meta-

I. Ratio, cur Euangeliſta per præteritũ

Imperfectum dixerit: in principio erat Verbum, non autem, fuit.

B. Greg. lib. 3. Moral. cap. 19. tom. 1.

metaphoram aptè dixit, *Erat*, per præteritum imperfectum: quod aliquid præteriti perfecti, & præsentis & futuri inuoluit, vt simul significet rei perseuerantiam, & existentiam. Quia vnigenitus Filius idem Verbum Patris & perfectione natus dicitur, & pro æternitate nasci perhibetur, vt docet Gregorius in lib. Moralium.

II. Ratio B. Chrysostomi. *Gen. 1.*

Secundò notat Chrysostomus, nõ dixisse: In principio fuit Verbum, sicut dicitur: *In principio fecit Deus cœlum & terram:* quia Verbum Deus est genitus, non factus: factor, non creatus.

III. Ratio. *Ioan. 1.* *1. Reg. 1.* *Apocal. 17.*

Tertiò, non dixit Ioannes: In principio fuit: nam hoc ad creaturas pertinet: vt, *Fuit homo missus à Deo. Fuit vir vnus de Ramathaim, Sophim*, quod enim dicitur fuisse, innuitur iam non esse, vt bestia illa, de qua ait Ioannes in Apocalypsi, *Quod fuit, & non est.*

IV. Ratio.

Quartò, vox, *Erat*, significat substantiam Verbi: non enim inhærebat, vt accidens, sed, *Erat*, vt substantiale, & subsistens Verbum, propriam & distinctam à Patre possidens personam.

Ratio V.

Quintò, aptè, & rectè, ad exprimendam Verbi æternitatem, vsus est verbo præteriti imperfecti: nam cum futurum significet rem adhuc non esse, sed fore: præteritum autem, rem fuisse & desijsse, tamen præteritum imperfectum significat rem fuisse, nec tamen adhuc esse desijsse.

Ioan. 5. *Infra 11.*

Respondetur obijcientibus præteritũ imperfectũ, Erat, in Scripturis interdum accipi pro fuit.

Quòd si obijcias, de Ioanne Baptista Christum dixisse: *Ille erat lucerna ardens, & lucens:* & de Lazaro Ioannem dicere: *Erat quidã languens Lazarus à Bethania:* per quod significatur illos iam non esse: Respondemus, hîc dici non simpliciter quòd erat, sed quòd in principio; vt significetur æternum à parte anteriori: nã quod tale est, æternum etiam est à parte posteriori. Quod enim erat in principio temporis, vel aliarum rerum, certè ante principium erat: quod autẽ ante principium erat, æternum est; id enim æternum est, quod principio caret.

Eadem intelligentia Patrũ testimonio confirmatur. *Basil. hom. 16. circa med. tom. 1.* *Aduersus Arrianos Verbi æternitatem negantes.*

Hunc sensum confirmant Patres, & in primis Basilius inquit: *O rem mirabilem, quomodo cuncta inter se voces cõgruè sunt cõiuncta! Nam Erat, idem valet, ac vox hæc: In principio. Vbi blasphemus? Vbi lingua Christo aduersaria dicens: Erat aliquando: quando non erat? Audi Euangelium: In principio erat.* Et paulò superius: *Si hanc vocem rectè tenueris, nihil à viris contentiosis, ac captiosis graue petieris. Si enim ille dixerit: Si genitus est, nõ erat: tu dic, In principio erat. Sed inquit: Priusquam genitus esset, quomodo erat? Tu ne dimittas illud, Erat: non item relinquas, In principio. Principij namque summitas nequaquam deprehenditur.* Cyrillus quoque in hæc verba, qui per principium

Cyrill. lib. 1. in Ioan. c. 1. tom. 1. in princ.

accipit Patrem, ex verbo, Erat, æternitatem Verbi colligit, dicens: *Principij vocabulo commodissimo verbum, Erat, connectit, ne solùm decorus, verùm etiam æternus, & ante sæcula filius intelligatur. In profundissimam enim, atque incomprehensibilem generationem, quæ cuncta superat tempora, erat istud, cogitantis sententiam adducit. Erat enim per se indeterminatè prolatum, nullis vnquã terminis circumscribetur, cùm natum sit scrutantem semper intellectum præcedere: adeò, vt quocunque arbitreris, quasi ad vltimum exitum, & quietem, ipsum erat, iam peruenisse, iam superioris cursus initium statim factũ esse videatur.* Sic Cyrillus: & Hilar. libro de Trinitate: *Subrepat Ebion omne initium de Filio Dei ex Maria concedens:, & Verbum à diebus carnis intelligens relegat: Pater, clarifica me apud temetipsum ea claritate, qua fui apud te, priusquã mundus esset: &, in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & omnia per ipsum facta sunt.* Et ante pauca: *Dices enim*, inquit, *Verbum sonus est, & enunciatio negotiorum, & elocutio cogitationum: hoc apud Deum erat, & in principio erat. In principio erat, quia sermo cogitationis æternus est, cùm qui cogitat, sit æternus.* (Hæc ex persona aduersarij opponentis: sed respondet) *Respondebo tibi interim pro Piscatore meo paucis, dum videmus quomodo rusticitatem suam ipse defendat. Sermo in natura habet, vt esse possit, sequens autem ei est vt fuerit: est verò tantùm, cùm auditur. Et quomodo in principio erat, quod neque ante tempus, neque post tempus est? Et nescio an vel esse possit in tempore. Loquentium enim sermo neque est antequam loquantur, & cùm locuti erunt, non erit: in eo autem ipso quod loquuntur dum finiunt, iam non erit id vnde cœperunt.* Ambrosius libro de Fide sic ponderat hoc verbum. *Indefinitè tenditur, Erat. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio præuenitur. Ergo Arrius conticescat.* Rursus in tractatu de laude Trinitatis: *Ergo quia erat, non cœpit, & quia apud Deum erat, non cœpit: & quia Deus erat, non cœpit: & quia hoc erat in principio apud Deum non cœpit: quia ita Deus ex Deo natus est, vt nesciat cœpisse.* Faustinus libro contra Arrianos ad Augustam Flaccillam: *Probatur*, inquit, *de hoc capitulo, scilicet, In principio erat Verbum, & hoc ipsum Verbum in principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum, Christum filium Dei & semper fuisse, & semper inseparabilem à Patre, & semper Deum.* Et paulò pòst: *Hoc enim, quod promisit, dicens: In principio, ad omnia referendum est, id est: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, sine dubio, In principio, subaudiendum est, &c.* Hæc ille: & hactenus de prima sententia.

Hilar. lib. 2. de Trinit. à med. Ioan. 17. *Suprà c.* *Idem.*

Contra Ebionem hæreticum, Verbum Dei non esse æternum dogmatizantẽ ex sono verbi, seu sermonis.

Amb. lib. 1. de Fide, c. 5. mala fuit. tom. 2. *Idem.*

Faustin. sub init. tract.

Superest

Verbum Dei in principio, id est, æternum, quid in nobis operetur.

Aug. tract. 1. in Ioan. à med. tom. 1. in princ.

Iacob. 1.

Ioan. 10. & Psalm. 81.

Psalm. 106.

Superest vt demus operam in hoc Verbo cognoscendo, & adorando. *Quòd si*, vt Augustinus ait in hæc verba, *nō potes cogitare quid sit, Verbum, differ, vt crescas. Ille cibus est, accipe lac vt nutriaris, vt sis validus ad captandum cibum.* Hæc ille. Interim tamen cogita hoc Verbo te regenerari, vt frater Domini ait: *Voluntariè enim genuit nos Verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Hoc verbo deificaris: *illos enim dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est.* Illo ab infirmitatibus tuis sanaris, *Misit enim Verbū suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Illo saluaris, scriptū est enim: *In mansuetudine suscipite insitum Verbum, quod potest saluare animas vestras.* Illo denique si munitus fueris, & armatus, prosperè tibi cuncta procedent: nam, vt dixit Isaias in persona Domini, *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunq; volunt, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.* His veluti primis elementis assurgere, & sublenari poterit mens tua ad meditandum Verbum illud intimum, & per se subsistens, & æternum, & dices cum Propheta: *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui:* atque ita æterno Verbo per fidem & Sacramentum hærens, tu mortalis, & corruptibilis, immortalis, & æternus efficieris. Scriptum est enim: *Qui videt Filium, & credit in eum, habet vitā æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Et rursus: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum:* præstante eodem Verbo Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto omnis cultus, honor, imperium, & gloria ab omnibus creaturis reddatur, in sæcula sæculorum, Amen.

Iacob. 1.

Isai. 55.

Psalm. 76.

Verbo hærens per fidem, quid assequatur.

Ioan. 6.

Ibidem.

TRACTATVS V.

In quo explicatur secunda sententia.

Et Verbum erat apud Deum.

Ioannis Euangelij procemium hoc: In principio erat Verbum, quale Basilio.

hom. 16. init. tom. 1.

NEMO sanè est, qui non miretur tam altum & sublime Ioannis exordium. Sed vt facilè est alta, & pulchra admirari, ita profectò difficilè perfectam, & diligentem eorum assequi cognitionem. Nam, vt Basilius ait, *Solem hunc sensibilem nemo est qui non laudet, & ipsius magnitudinem, simulq; pulchritudinem, & radiorum symmetriam, & lucis splendorem non admiretur. Si verò in eum diligentius, ac pertinacius intuebitur, & indies aspectum eius considerabit, non solum ea quæ sensit, in eo deprehendet, sed etiam oculorum acie debilitatus abscedet. Tale quidem mihi videor mente pati, si ardua, sublimiáq; verborum prædictorum vestigatio requiratur: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Sic ille.

De proposita sententia quo ordine disserendum.

Ad cuius secundæ clausulæ expositionem, primò quidem cōsiderabimus voces. Deinde causam huius secundæ sententiæ. Tertiò, eliciemus mysteria in his verbis significata. Quartò, Deum sine suo Verbo esse non posse, & re ipsa ab ipso nō ratione, vel nomine tantùm distingui demonstrabimus. Postremò, ea, quæ possunt ad mores nostros facere, ex his verbis eliciemus.

Voci Deum (Et Verbum erat apud Deum) articulus cur fuerit appositus, falsa ratio Caietani.

Græca igitur litera sic habet: καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν. Vbi primùm notandum est, verbo Deum, additum esse articulum: non quidem, vt Caietanus deceptus putauit, vt notetur, Verbum esse apud Deum verum: quasi articulus præpositus indicet verum Deum, sublatus verò indicet non verum Deum. Nam cùm immediatè sequitur: *Et Deus erat Verbum*, sine articulo Græcè dicitur, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, & tamen ibi capitur pro vero Deo sicut sæpè aliàs Apostolus in Epistolis suis sine articulo simpliciter significat verum Deum. Quòd ergo hic proponatur articulus, ad significandum certam, & specialem personam, id est, Patrem, factum est: ideò non refert simpliciter Deitatem, quæ communis est Patri, & Filio, sed in concreto Deum, id est, Patrem habentem Deitatem.

Vera ratio assignatur.

Eiusdem sententiæ Caietani sensus.

Secundò nota, præpositionem Græcam πρὸς, duo significare, nempè Apud, & Ad: vt sit sensus: *Et Verbum erat apud Deum*, vel: *Verbum erat ad Deum.* Hunc secundum sensum magis probauit Caietanus, quasi magis proprium, & non minus altum altero, secutus Marium Victorinum libro secundo de Trinitate, qui ita legit: Vt sit sensus, quod Verbum erat ad Deum, id est, Esse Verbi habet relationem realem ad Deum. Esse Verbi est, esse ad: id est, est relatio realis ad Patrem. Et non tantùm dicitur ad, id est, non est relatio rationis, & nominis, sed rei ad rem: sicut Pater ad Filium, & Filius est ad Patrem, æquale ad æquale, simile ad simile. Sed profectò hic sensus nouus est, & leuis, ac sine Doctoribus assertus, deinde falsus. Nam esse Verbi, propriè non est esse ad Deum, sed tantùm ad dicentem, sicut esse Patris ad Filium, & esse serui ad Dominum, non autem ad Socratem, vel Platonem. Peccatum ergo est in Logica manifestum. Deinde illud mysterium Caietani de relatione reali vnius personæ ad alteram, satis exprimitur in litera nostra, vbi dicitur: *Et Verbum erat apud Deum*, sumpto Deo pro certo

Idem.

Marius Victorin.

Prædicti sensus incommoda.

Deo, id est, Patre: nam relatiua simul sunt natura, & simul etiam vt talia sunt, conspiciuntur.

Quorsum illud, Et Verbū erat apud Deum.

His expositis circa literam, considerandа est causa huius sententiæ. Cùm enim priori sententia Verbum pronuntiasset ab æterno fuisse: & ante omnia, obuium erat cognitioni nostræ, quæ à sensibus oriri solet, percontari de statu, siue circumstantia, id est, vbi erat Verbum, si ante omnia erat. Christiani etiam assueti erant audire, Christum Dominum hospitari in domo Marthæ: Et Hæretici negantes eius Deitatem, captiosè percontari soliti erant de loco, vbi erat Verbum ante mundum, iuxta illud: *Sapientia verò vbi inuenitur? & quis est locus intelligentiæ?* Propterea ad hæc omnia respondens Ioannes, ait: *Et Verbum erat apud Deum*, iuxta illud: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Erat ergo ab æterno intimum & pretiosissimum Verbum apud Patrem suum, siue in Patre suo.

Luc. 10. *Iob 28.* *Prouerb. 8.*

Cur Ioannes à Verbo, non à Patre Euangelium inchoauerit. *Chrysost. in Ioan hom. 3. tom. 6.* *Psalm. 75.* Qua ratione Iudæi nouerint Deum.

Ad tertium, interrogat Chrysostomus, quam ob causam Ioannes non exorditus est à Deo Patre, sed potius à Verbo? Et dicendum est, Deum (quamquam non sub hac ratione paternitatis) notum fuisse Iudæis, iuxta illud: *Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius.* Ioannis igitur mens & scopus erat, primò Verbum Deum explicare, & per illud Patrem mundo declarare, & per vtrumque Spiritum sanctum: ac proinde rectè exorditus est à Verbo, & per illud deducit ad cognitionem Patris, apud quem erat.

II. Ratio.

Secundò, per hæc verba significatur substantia, & subsistentia diuini Verbi. Non enim dicitur accidens esse apud subiectum, sed in subiecto: benè tamen substantia dicitur esse apud substantiam, vt Paulus apud Petrum, & Angelus apud Deum. Hoc notauit Basilius. Vnde Chrysostomus interpretatur: *Licèt Verbum sit in Patre, non tamen vt Verbum quod profertur, aut quod intra hominem est (quod est accidens) sed vt subsistens per se.* Etsi enim Verbum quod ore profertur, instabile sit, & transiens, & aëri ipsi inhærens, verbum etiam ipsum quod mente concipimus, qualitas est, nequaquā per se subsistens, sed in mente hominis inhærens, vt in subiecto: secùs tamen est diuinū Verbum, quia substantiale, & per subsistens, & persona distincta à Patre dicente est, vt infrà latè comprobabimus.

Basil. vbi sup. citatum fuit. *Chrys. hom. 2. in Ioan. tom. 3 init.* Quale verbū nostrum sit, quale diuinū.

III. Ratio. *Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 2. tom. 1. init.* *Chrys. hom 3. in Ioan tom. 3*

Tertiò, testibus Cyrillo, & Chrysostomo, significatur distinctio personarum: nihil enim, propriè loquendo, est apud seipsum. Licèt ergo æternum esset Verbum, non tamen in se, sed apud Patrem, & persona distincta ab eo. Proinde Sabellij error refellitur, vnam ponentis in Diuinitate personam, quæ modò diceretur Pater, modò Filius, modò Spiritus sanctus.

Contra Sabellium, vnam duntaxat ponentē in Deitate personā.

IV. Ratio. *Basil. vbi suprà, id est, homil. 16. tom. 1* Verbum Patri esse consubstantiale, & coæternum.

Quartò, hac sententia significatur Verbi consubstantialitas cum Patre, nec tempore, nec loco distans secundùm Basilium, quia ita ait: *Propter impios qui blasphemans, dicentes, quoniam non erat. Vbi non erat Verbum? Non in loco: non enim in loco quæ sunt incircunscripta, continentur? Sed vbi? Apud Deum. Neq; enim Pater in loco, nec Filius in circumscepto aliquo, aut circumscriptione certa deprehenditur: sed infinitus Pater, infinitus Filius. Totum quodcunq; noueris, & quod spiritu tuo penetraueris, Deo plenum. simul & hypostasin Filij coniunctam inuenies.* Hæc ille.

V. Ratio. Verbum nō à seipso esse, sed à Patre. *Hilar. lib. 1. & 2. de Trin. ante med.*

Quintò, hac sententia genitura Verbi à Patre exprimitur, secundùm Hilarium. Etsi enim Verbum sit, & initio durationis careat, habet tamen causam originis sui esse, quod est è Patre, siue in Patre.

VI. Ratio. Patri vt fonti diuinarum personarum, auctoritas & principalitas meritò à Theologis tribui solet.

Sextò, rursus designatur auctoritas, & principalitas quædam in Patre. Non enim dicitur, Regem esse apud militem, sed potiùs militem apud Regem esse. Nam etsi personæ diuinæ æquales inter se sint, & pares per omnia, & consubstantiales: tamen, quia Spiritus sanctus à Patre & Filio est, Filius verò à Patre, Pater verò à nullo est, sed tantum à seipso, propterea meritò Patri tribuitur auctoritas, & principalitas inter personas diuinas: vt notauit Hilarius libro de Trinitate.

Hil. eod. lib. 2 de Trinit.

VII. Ratio.

Septimò, per hæc verba innuitur concordia Verbi cum Patre ab æterno: & si ab æterno erant concordes, ergo in Spiritu sancto (qui est nexus, & vinculum vtriusque) consonabant & concordabant. Ne quis putet Verbum Patri Deo aliquando fuisse cōtrarium, vt de dijs fabulantur Poëtæ, & quomodo Marcion posuit duo principia rerum inter se contraria.

De Verbo impie quid Marcion senserit.

VIII. Ratio.

Octauò, insinuatur consultatio quædam per hæc verba: nam re vera ab æterno consultatio, & deliberatio facta est inter personas Diuinas de creatione mundi, de incarnatione secundæ personæ in Diuinis, de modo instaurandi, & glorificandi genus humanum, peccato Adæ perditum, & labefactatum. Dum autem consultationem constituo inter has personas, im propriè, & abusiuè loquor; quoniam consilium, siue consultatio, propriè eorum est, qui, quod magis expediat, ignorant. Cæterùm Scripturæ, & Patres non verentur metaphoricè consultationem, &

Gen. 3. & Rom. 5. Quorum propriè sit consultatio.

consi-

consilium in DEO ponere.

IX. Ratio. Qualis cognitio sit, & amor diuinarũ personarum inter se inuicem, eiusque rationes quantæ suppetant.

Nonò colligitur ex his verbis, quòd personæ Diuinæ inuicem infinitè se cognoscunt, & comprehendunt, & infinito se amore prosequuntur: cuius infiniti amoris rationes, & fomenta vrgentissima habent. Nam ibi est infinita cognitio, siue comprehensio, personarum inter se inuicem infinita similitudo, infinita propinquitas, infinita bonitas, infinitas pulchritudo, infinita beneficentia, denique infinita & continua conuersatio. Quòd si vnum horum quodlibet satis est inter homines ad exprimendum etiam magnum amorem; quid cogitandum est de tot, & tantis amoris stimulis, & rationibus, quas inter se inuicem habent prædictæ personæ.

Deum sine Verbo esse nõ posse vllo modo, probatur. Ratio I.

Ad quartum, dicendum est, Deum sine Verbo, & Patrem sine Filio ab æterno existere non potuisse. Nam in primis sine Filio solitarius esset Deus: solitudo autem rationi perfectæ felicitatis, & beatitudinis repugnare videtur, cùm societas, & consortium tantùm voluptatis, & iucunditatis secum adferat. Vnde de Adam condito & solitario Dominus dixit: *Non est bonum, hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Deinde, si Deus solus esset ab æterno, etsi dilectionem, & amorem, qui dicitur concupiscentiæ, ad se ipsum haberet; amorem tamen amicitiæ, & dilectionem charitatis ad se ipsum habere non posset. Nam charitas, vt amicitia, propriè est ad alterum: vt rectè docuit Gregorius his verbis: *Ecce binos in prædicationem discipulos mittit: quia duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor, & proximi: & minus quàm inter duos haberi charitas non potest. Nemo enim ad semetipsum habere charitatem dicitur, sed dilectione se in alterum tendit, vt charitas esse possit.* Ita Gregorius. Et Seneca Epist. 6. *Nullius boni sine socio iucunda possessio est.* Careret igitur Deus solitarius, tametsi omnia alia haberet, præstantissima, & excellentissima charitatis virtute, quam Apostolus excellentiorem viam, & vinculum perfectionis appellat. Infinita etiam illa bonitas Diuinæ naturæ non haberet aliquem amatorem, qui eam dilectione charitatis, & amicitiæ diligeret, si ab æterno Deus constitueretur solitarius. Quòd si ad hæc respondeas, non defuturos Angelos, & homines sanctos, quos vt amicos coleret, & charitatis dilectione amplecteretur: quia, vt habet Sapientia: *Per nationes in animas sanctas se transfert, & amicos Dei, & Prophetas constituit.* Et Dominus ad Apostolos; *Vos dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Et pastor, inuenta oue perdita, conuocat vicinos & amicos; id est iuxta multorum Patrum intelligentiam, Angelos, & cœlestes illas, & à corpore separatas intelligentias: tamen cùm Angeli, & homines ex tempore conditi sint, perfectio illa charitatis, & dignitas amicitiæ ex tempore tantùm illi aduenissent, & ab æterno diuinitas illa dignitate, & perfectione vacasset, cùm non haberet, in quos earum virtutum actus exerceret. Est enim amicus, & ex charitate dilectus, relatiuum diligentis, & relatiua simul sunt natura, & vel simul ponuntur, vel simul adimuntur.

Gen. 1.

Secunda.

Gregor. hom. 17. in Euangelia, in princ. tom. 1.

Seneca lib. 1. Epist. 6.

Erga quos propriè sit charitas & amicitia secundùm Gregorium.

1. Cor. 12.

Coloss. 3.

Ad illud respondetur: sanè videri poterat Deo sine Verbo, ac Spiritu sancto, Angelorum, hominumque consortium.

Sap. 7.

Ioan. 15.

Luc. 15.

Tertia ratio.

Tertiò, si Deus esset sine Filio, vel Deus esset vacans, & otiosus (quod eo maius malum esset, quo maior, & nobilior potentia otiaretur) vel saltem egeret creatura, vt otium fugeret: careretque Deus fœcunditate, & operatione naturali, sola artificiali contentus; quam in conditione creaturarum exercet. Vnde Cyrillus libro Thesaurorum ita habet: *Si perfectus inquiunt* (scilicet Hæretici.) *Pater in sua magnitudine est, nec aliquid ad perfectionem suæ naturæ deest, superfluè quasi plenitudo Deitatis suæ Filius sibi adiungitur.* (Respondet Cyrillus.) *Perfectus certè Pater in sua magnitudine inuenitur, nec sanæ mentis id quisquam negabit. Perfectus autem est, non solùm quia Deus, sed etiam quia Pater. Quare qui Deum negat Patrem esse, is fœcunditatem aufert à diuina natura, vt iam perfecta non sit, cùm generandi virtute careat. Notio ergo perfectionis fœcunditas est, & sigillum, quod Patris ostendit perfectionem, Filius est, qui ex Deo procedit.* Hæc ille.

Cyrill. lib. 1. 6 Thesaur. c. 6. paulò ante med. tom. 2. initio.

Deum negans esse Patrem, quid illi adimat, teste Cyrillo.

Quarta.

Quartò, quemadmodum opus artis sine opere naturæ esse non potest, quam ars ipsa ponit, & imitatur; & vt ignis nisi in se calidus esset, alia à se non calefaceret, quibus accidentalis, & aduentitius esset calor: ita sanè Deus ex nihilo mundum non condidisset, quasi ex habitu artis operans, nisi haberet in se Verbum sibi consubstantiale, operatione naturali productum, quo mundum, & creaturas omnes producit.

Ratio V.

Quintò, in his quæ perfectionem includunt, necessitas contingentiam excedit: cùm productio ergo perfectio aliqua sit, diuina productio necessariò in eo erit ponenda. Quæ cum extra se esse non possit, quia hæc est contingens in Deo: sit, vt Deus intra Filium, & Spiritum sanctum producat.

Sexta.

Sextò, si Deus sine Filio suo esset, creaturæ omnes steriles essent, nec sibi simile in specie generarent; Angeli quoque, & animi rationales infœcundi essent, nec cognitionem aliquam, aut verbum internum ex

Agentia naturalia vnde vim suam generandi habeant.

Idem Cyrill. lib. 12. Thesaur. cap. 5. circa med.

Ephes. 3.

se producerent. Omnis enim naturalis in creaturis productio, ex Deo, tanquam ex fonte perenni naturalis omnis fœcunditatis promanat. Vnde Cyrillus: *Si ergo*, inquit, *paternitatis nomen à Deo in nos transit, vt Paulus asserit; quomodò non erit impium putare nos quidem natura patres esse filiorum nostrorum, qui per imitationem, qua suum Creatorem natura imitatur, patres dicimur? Ipsum verò Deum, & Patrem, primò non verè Patrem nominari, nec ex ipso essentialiter prodire Filium confiteri, sed alienum paterna substantia arbitrari?* Hactenus ille doctè, & acutè.

Septima ac postrema ratio.

Adoptio quid sit; Ad quid instituta.

Postremò: Omnis adoptio, siue arrogatio, fictitia quædam est, & artificialis filiationis species, ad homines filijs destitutos consolandos excogitata: hæc autem naturalem, & propriam filiationem ponit, cùm ad eius imitationem, & illius instar fiat. Si ergo Deus Filium naturalem, cuius filiatione participaremus, nō haberet; proculdubio illa filiorum adoptio, quæ à Paulo dicitur υἱοθεσία, toties in Scripturis decantata, & celebrata, nobis non contingeret. Vnde Cyrillus rectè inquit: *Quomodo igitur ipse alijs misericordia sua dicebat; Dy estis, & filij excelsi omnes? Non enim possunt ad imitationem veri Filij per gratiam Filij fieri, nisi verus antea Filius fuerit. Nam si participatione filij per ipsum adoptamur: quomodo participans ante participatum erit? & quomodo quod factum est, prius illo erit, per quod factum est?* Idem rursus ait; *Dei Filius, primogenitus aliorum potest dici, quia ipse primus causa est, vt filij appellatio cæteris omnibus accommodetur.* Et hactenus quidem demonstratum sit, Deum sine Verbo suo esse non posse.

Rom. 8. Gal. 4. & Ephes. 1. Psalm. 81. & Ioan. 10. Cyrill. lib. 3. Thesaur. c. 2. propè finem.

Idem lib. 10. Thesaur. c. 4. sub finem.

Verbum Dei non esse accidens (vt dicitur) inhærens, sed substantiale, & per se subsistens, variè comprobatur.

Primus locus à scripturis.

Ioan. 1. Hebr. 1. Psalm. 101. Gen. 1.

Quòd verò Verbum non sit accidens inhærens, sed per se subsistens, & indiuiduum in natura intellectuali, & persona distincta à dicente, siue à Deo Patre, apud quem erat, multis modis comprobare possumus: & per Scripturas, & per Patres, & rationes Fidei, & Patribus nixas cōfirmare. Primò enim in Sacris libris tribuitur illi esse, siue subsistere, iuxta illud: *In principio erat Verbum*: & Paulus ad Hebræos testatur, dictum illi esse: *Tu in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, &c. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Vbi tribuit non tantùm esse, sed æternum esse, quod annis infinitis est duraturum. Et Ioannes in Apocalypsi impertitur salutem ab eo *Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est.* Hic etiam esse æternum à parte anteriori tribuitur. Etsi ergo accidentia esse habeant; non tamen in se, & per se, sed in substantia.

Apocal. 1.

Esse accidentiū est inesse.

II. Locus.

Secundò dicitur, *Verbum erat apud Deum*, id est, Patrem, quod innuit distinctam personam ab eo, apud quē est. Sicut alibi Ioannes: *Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.* Et paulò antè: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ (& vita manifestata est) & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Qui bus verbis videtur explicare verba Euangelij: nam in Euangelio habes: *In principio erat Verbum*; hîc verò, *Quod fuit ab initio de Verbo vitæ.* Et quod dixit: *Et Verbum erat apud Deum*, videtur explicare per vitā æternam, quę erat apud Patrem. Et quod dixit: *Et Verbum caro factum est*, declarat per illud, *& apparuit nobis.* Ita etiam quod dicitur in Psalmo: *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*, declaratio est huius sententiæ. Filius enim hic, qui est fons vitæ, & de quo; *In ipso vita erat*: & alibi *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Ipse est lumen illud, de quo; *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Hoc enim Verbi incarnati lumine videtur Pater luminum, quia *Qui videt me*, inquit, *videt & Patrem meum*: Et, *Nemo nouit Filium, nisi Pater: neq; Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Ita dicitur de Spiritu sancto: *Apud vos manebit, & in vobis erit, quasi persona distincta ab eo, apud quem manet.* Et in illo textu: *Apud eum manserunt die illo, distincti sunt Petrus, & Andreas à Christo.*

1. Ioan. 2. Supra 1.

Illud, in principio erat Verbum, & reliq. quibus verbis diuinus Ioannes explicare videatur.

Psalm. 35.

Ioan. 1.

Ibidem.

Infrà 14. Matth. 11.

Ioan. 14.

Suprà 1.

III. Locus.

Cap. 9. Prouerb. 8.

Tertiò, ait Salomon: *Da mihi, sedium tuarum assistricem Sapientiam.* Et infrà: *Et tecum Sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc, cùm orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.* Rursus infrà, *Mitte illam* (scilicet Sapientiam) *de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia, & intelligit.* Porrò Sapientia idem est quod Verbum. Cæterùm assistere non dicitur accidens vllum, sed substantiæ rationale, vt Angeli, qui dicuntur assistentes; Danielis 7. vel homines, Romanorum 16. *Assistatis ei in quocunq; negotio vestri indiguerit: etenim ipsa quoque astitit multis, & mihi ipsi.* Et 3. Regum 12. dicitur: *Init consilium Rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone Patre eius.* Dicitur mitti nobiscum, adesse & nobiscum laborare, & scire omnia, & intelligere: quemadmodum dicitur Hebr. 4. *Viuus est sermo Dei, & efficax.* Et infrà: *Omnia autē nuda, & aperta sunt oculis eius.*

Assistere, vel adesse, cuius rei proprium.

Dan. 7.

Rom. vlt.

3. Reg. 12.

Hebr. 4.

Dicitur affuisse in condendo orbe terrarum, sicut Prouerbiorum 8. habetur; *Non* (Prou. 8.) *dum erant abyssi, & ego iam concepta eram: nec dum fontes aquarum eruperant: necdum montes graui mole constiterant, ante omnes colles ego parturiebar.* Et infrà: *Quando præparabat cœlos, aderam:* Septuaginta habent, συμπαρήμην αὐτῷ id est; simul ipsi aderam. Et paullò pòst; *Cum eo eram cuncta componens.* Quomodo possunt hæc sine diuina persona, & distincta à Deo Patre intelligi? Et alio loco; *Omnia in Sapientia* (vel, cum sapientia) *fecisti* (Psal. 103.) in vtrumq; enim significat illa præpositio apud Hebræos Beth seruilis.

IV. Locus. Ioan. 1. Quartò, hanc realem distinctionem indicat, quoties Deus dicitur Pater, & Verbum Filius: vt infrà; *Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit:* vel quoties fatetur à se Filium prodire, vel produci Sapientiam, vel ipsum Verbum mittere, vel in eo esse, vel ab eo aliquid accipere: vt sunt illa; *Non misit Deus Filium suum in mundum,* (Ioan 3.) *vt iudicet mundum: Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam:* (Eccle. 24.) *Ego ex Deo processi, & veni:* (Ioan 8.) *Dominus possedit me* (Prouerb. 8.) *in initio* (vel initium) *viarum suarum. Non creditis* (vel Non credis) *quia ego in Patre, &* (Ioan. 14.) *Pater in me est?* Et rursus, *Sicut Pater habet vi-* (Suprà. 5.) *tam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Propriè enim loquendo, nec quisquam mittit seipsum, nec quisquam seipsum dicitur possidere, vel propriè in se ipso esse, vel se ipsum generare, aut producere: nec propriè quisque dat aliquid sibi ipsi.

V. Locus. Quintò, propriè distingui Verbum à Patre, docet Ioannes, dicens; *Tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, &* (1. Ioan. 5.) *Spiritus sanctus.* Nota tres, & tres testes, siue testificantes in cœlo; ergo distinctæ personæ. Et, *Si quis diligit me, sermonem meum* (Ioan. 14.) *seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et rursus; *Et si iudico ego, iudicium meum verum* (Sup. 8.) *est: quia solus non sum, sed ego, & qui misit me, Pater.* Et, *In lege vestra scriptum est, quia duo-* (Deut. 17. & 19. & Matt. 18. & alibi.) *rum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso: & testimonium perhibet de me qui misit me, Pater.*

VI. Locus. Sextò, Si non esset realis distinctio personarum in diuinis, videretur non modicam occasionem Deus præbuisse populo Israel idololatriæ, & in scandalum, & ruinam illis dedisse Scripturas, vocando se nomine plurali Elohim, cùm habeat singulare Eloha, satis tritum in veteri Instru- (Adonai quid.) mento; & nomine Adonai, hoc est Domini mei. Et ad quid in numero multitudinis dixisset, *Faciamus hominem ad imaginem,* (Exod. 6. Gen. 1.) *& similitudinem nostram?* In quæ verba Hilarius libro De Synodis profert Synodum quandam definientem; *Si quis, faciamus, non* (S. Hilar. ex Synodo Syrmien. can. 23) *Patrem ad Filium dixisse, sed ipsum ad semet ipsum dicat Deum locutum anathema sit.* Et libro de Trinitate: *Vterque sermo, & facia-* (Idem lib. 4. De Trinit. paullo ante mediam.) *mus, & nostram, vt solitarium, eumdemque non patitur, ita neque diuersum à se, alienumq; significat.*

Athanasius libro De vnita deitate Trinitatis: *Quæ tandem est caussa, vnum dixisse, Faciamus, & vnum fecisse, & vnum dicenti, & facienti interfuisse, & bona facta videntem benedixisse? dum faciamus, vnius tātum solitarij persona non sit, sed & facientis ad imaginem Dei ipsius tantum persona non sit, sed & videntis, & benedicentis vna cum eo sit?* (Athanas. lib. 1. de vnita deitate, circa mediū to. vlt. non procul à fine.)

Basilius in Hexameron: *Vt ferarum ea, quæ summo persequuntur hominem odio, cùm vi-* (Basil. hom. 9. in Hexamer. propè finem, tom 1. sub initium.) *uarijs includuntur, circum sua illius cauea sepimenta frendent dentibus, & circumfremunt, amarulentiam, feritatemq; naturæ ostentantes, cùm non queant conceptum explere furorem: sic & inimica gens veritatis, Iudæi in angustum intrusi. Multæ sunt (inquiunt) personæ, non vna, ad quas oratio Dei dirigitur: Angelis enim adstantibus, Faciamus hominem, dicit. Iudaicum hoc est profectò figmentum, & ex illorum odio in Christum deliratio istius, & futilis fabula excogitatio deriuata est. Isti enim, ne vnum, nempè Christum, admittant, innumeras introducunt personas: & per hoc quòd Filium habent despicatui, seruis ipsam consultationis tribuunt dignitatem, conseruosq; nostros authores nostræ creationis efficiunt. Homo enim vt primum statum assequitur suæ perfectionis, ad Angelorum rectà reducitur dignitatem. At quænam tandem creatura suo adæquari vnquam Creatori possit? Considera autem id quod continenter sequitur: Ad imaginem nostram. Quid adhac dicere parat? Num vna & Dei, & Angelorum imago est?*

(Iudæi negantes plures personas in diuinis, quibus similes, teste Basilio.) (Gen. 1. Deum non Angelis dixisse: Faciamus hominem, &c. vt Iudæi fabulantur, sed Filio, ac Spiritui sancto.) (I. Argum. Basilij.) (Apoc. 19.) (II. Argum. eiusdem.)

Ambrosius libro De Spiritu sancto: *Vnus est enim* (ait) *Deus Pater qui dicit, & vnus* (Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto in prooemio, initio tom. 2.) *Dominus Iesus qui facit. Sed ne rursus aut arrogans putes dicentis imperium, aut vile facientis obsequium æqualem sibi Pater Filium confitetur operis vnitate dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et imago enim & operatio, & similitudo communis, quid aliud, nisi maiestatis eiusdem significat vnitatem?* (Gen. 1.)

Augustinus etiam libro De ciuitate Dei negat dictum Angelis, Faciamus hominem (August. lib. 16. de ciuit. Dei, c. 6 initio, tom. 5.) ad imaginem & similitudinem nostram: *Quia nefas est* (inquit) *credere ad imaginem Angelorum hominem factum, aut eandem esse imaginem Angelorum, & Dei. Et ideò rectè illic intelligitur pluralitas Trinitatis.*

id etiam: Venite descendamus, & confundamus linguam eorum ad idem diuinarum personarum mysterium pertinere.

Cyrillus lib. 3. Dialog de Trinit. aliquanto à princip. tom. 2. circa med.

Augustinus.

Illud etiam Genesis vndecimo: *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum:* ostendit Patris à Filio distinctionem realem: nec subita hæc linguarum mutatio, Angelorum, sed Dei Patris opus fuit, dicente Cyrillo in Dialogis de Trinitate. *Quoniam opus erat ad solum conditorem spectans, transformare expeditam linguam pro suo arbitrio.* Et si de hoc loco dicat Augustinus loco prædicto; *Poterat & hic eadem intelligi Trinitas, tanquam Pater dixerit ad Filiũ, & Spiritum sanctum: Venite, & descendentes confundamus, &c. si aliquid esset, quod Angelos prohiberet intelligi: quibus potiùs venire conuenit ad Deum motibus sanctis, hoc est, cogitationibus pijs, quibus ab eis consulitur incommutabilis veritas, tanquàm lex æterna in illa eorum curia superna.* Sic ille. Sed sicut per tropum dicuntur Angeli venire, ita etiam diuinæ personæ, quarum est opus transformare linguã potiùs, quàm Angelorum. Certè Theodoretus in libro de Diuinis decretis inde probat Trinitatem.

Quod opus diuinarum personarum potius, quam sit Angelorũ.

Theod. par. 2.

Gen. 19.

Item illud; *Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham, sulphur & ignem à Domino de cœlo.* Vbi distinctio Patris ponitur à Filio, vt dicitur in quadam Synodo apud Syrmiam, vt allegat Hilarius libro De Synodis; *Si quis,* inquit, *Pluit Dominus à Domino, non de Filio & Patre intelligat, sed ipsum à se dicat pluisse: anathema sit.* In Psalmis item ponitur sæpe hæc distinctio: *Dixit Dominus Domino meo.* Et, *Ego hodie genui te. Sed & omnes penè Psalmi* (ait Tertullianus in Praxean) *Christi personam sustinent: Filium ad Patrem, id est, Christum ad Deum verba facientem repræsentant.* Et paullò antè, *Et ideò veracem Deũ credens, scio illum non aliter quàm disposuit pronũtiasse: nec aliter disposuisse quàm pronuntiauit. Tu porrò eum mendacem efficias, & fallacem, & deceptorem fidei huius, si cùm ipse esset sibi filius, alij dabat filij personam, quando Scripturæ omnes & demonstrationem, & distinctionem Trinitatis ostendant. A quibus & præscriptio nostra deducitur, non posse vnum atque eundem videri qui loquitur, & de quo loquitur, & ad quem loquitur: quia neque peruersitas, neque fallacia Deo cõgruat, vt cùm ipse esset, ad quem loquebatur, ad alium potiùs, & non ad semetipsum loquebatur.* Hæc ille.

Synod. Syrmien. can. 16.

B. Hilar.

Psal. 109. & Matt. 22.

Psal. 2. & Act. 13 & alibi:

Omnes penè psalmi Christi personam sustinent, inquit Tertullianus.

Tertul. p. 2.

Septimò, idem solidæ, & vrgentes docent rationes. Prima, quia cùm perfectionẽ quandam importet esse personam, id est, indiuiduam, & per se subsistentem in natura rationali hypostasin, danda est Filio Dei, ne illum homine, vel Angelo, in quibus personæ dignitas inuenitur, imperfectiorem reddamus; aut in Angelis, & hominibus esset imperfectio.

VII. locus à rationibus, quod nimirũ Verbum æternum sit per se subsistens.

Ratio prima.

Secunda: Si non per se subsistit Verbum, vel igitur pars erit dicentis Patris, vel ei inhærens, vt nostræ mentis verbum: quo datò, non solum ipsum Verbum erit imperfectum, sed & ipsius Pater, qui ex Verbo, & mente sua compositus esset; & Verbi quasi accidentis subiectum existeret.

Secunda.

Tertia ratio: Quia idem seipsum generare non valet, esset enim antequàm esset, si ipse sibi esse tribueret. Quod etiamsi daretur posse fieri, mutationem in ipso Deo esse conuinceret, & generans in genitum esset conuersum; ac per hoc esse desineret. Ideò Hilarius inquit; *Alius ab alio, quia Pater & Filius. Non natura Diuinitatis alia, & alia, quia ambo vnum.* Et Bernardus libro De Consideratione: *A se enim cœpit nihil. Nisi fortè quis putauerit, quod non erat, dare sibi potuisse, vt esse inciperet, aut fuisse aliquid antequàm esset. Quod vtrumque quia ratio non consentit, constat nihil sibimet extitisse principium.* Et Clemens Stromateus: *Eadem,* inquit, *est ratio opificis, effectoris, & patris. Non est aliquid ipsum sui ipsius caussa, neque est aliquis pater sum. Nam sic primum futurum esset secundum. Caussa quidem certè agit, & efficit. Quod à caussa factum est, patitur, & efficitur. Non potest autem idem à se ipso sumptum operari simul, & affici, neque esse Filius, & Pater.*

Tertia.

Hilar. lib. 2. de Trinit. aliquanto à princip.

Bern. lib. 5. De Consid. ad Eugen. aliquanto ante med.

Clem. Alexand. lib. 8. Strom. nõ procul à fin. to. 2.

Quarta ratio: Oppositio eorum quæ de Patre, & Filio dicuntur, ostendit omninò distingui persona: de quibus Marius Victorinus libro de Trinitate docet; Patrem esse velut essentiam, silentium, quietem, & cessationem; Filium, vt potentiam, & vitam; Spiritum, vt motum, & operationem. Oppositio etiam relatiua idem cõfirmat: quia nec idem Filius, & Pater eiusdem esse possunt, vel à seipso procedere.

Quarta ratio.

Marci Victor. lib. 3. de Trin.

Quinta ratio est: Quia Verbo tribuuntur operationes, quæ non sunt naturę, sed suppositorum, vt docet Aristoteles. *Omnia,* inquit, *per ipsum facta sunt. Cum eo eram cuncta componens. Omnia in Sapientia, vel, cum Sapientia fecisti. Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult, viuificat. Misit Verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. Neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* Et anteà capite nono in postremis verbis ait; *Nam per Sapientiam sanati sunt quicunque placuerunt tibi, Domine, à principio.* Et à quo morbo liberet Sapientia, explicat verbis immediatè sequentibus, capite decimo. *Hæc, illum, qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum*

Quinta.

Operationes non naturæ, sed sunt suppositorum.

Arist. lib. 1. de Anima.

Ioan. 1.

Prou. 8.

Psal. 103.

Ioan. 5.

Psal. 106.

Sap. 16. & Gen. 1.

à deli-

à delicto suo. Et explicat etiam Dauid, cum Psalmo quadragesimo ait: *Ego dixi, Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccaui tibi.* Vbi obiter perpende, vnum, & idē esse, Verbum quod sanat ab interitu; & sermonem, qui sanat omnia; & sapientiam, per quam sanati sunt quicunque placuerūt Deo. Et hic est Christus, de quo testatur Euangelium: *Et virtus de illo exibat, & sanabat omnes*: non tantùm corpora, sed & spiritus. Liberare autem à peccato, sicut condere mundum, & mortuos suscitare; opera Dei omninò sunt, & in genere de omnibus Patris Dei operibus dixit Dominus Ioannis quinto: *Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Constat igitur, Verbum re ipsa distinctam personam esse à Patre, & non tantùm cogitatione, aut nomine, quod erat probandum contra hæresim Sabellij.

Psal. 40.

Luc. 6.

Opera Dei quænam solius sint propria.

Ioan. 5.

Confirmantur hæc omnia authoritate Damasceni, qui libro De Fide orthodoxa in hunc modum scribit: *Ipse ergo vnus, & solus Deus, non sine Verbo est. Verbum enim habens non insubsistens habebit, sed neque esse incipiens, neque esse desinens. Non enim fuit vnquàm vt fuerit Deus absque Verbo. Semper autem habet sui ipsius Verbum ex se genitum, non instar nostri subsistentiam non seruans, & in aera fluens, sed intimè subsistens, viuens, absolutum, non extra ipsum vt separabile euagans, sed in ipso semper immanens. Vbi enim erit, si extra ipsum gignitur? Atqui quoniam natura nostra temporalis est conditio, & facilè dissolubilis, hanc ob caussam & Verbum nostrum subsistentiam non retinet. At verò Deus semper existens, & perfectus cùm sit, perfectum, & intimè subsistens habet suum ipsius Verbum, & semper existens & viuens, & omnia habens quæcunque genitor habet.* Hactenùs beatus Ioannes Damascenus, naturam Verbi, & subsistentiam rectè describens.

Damascen. lib. 1. de Fide Orthodox. cap. 6. initio.

Humani præ Diuino Verbi defectus, secundum Damascenum.

Vltimum vt præstemus, ex his verbis ad mores nostros componendos, elicimus. Primò, Verbum propter suam æternitatem habere ius, & authoritatem adoptandi, quia eius est tota hæreditas. Vnde Paulus de eo ait: *Quem constituit heredem vniuersorum.*

Verbi apud Patrem mansio æterna sex nobis documenta subministrat.

1. Documentum.

Heb. 1.

Deinde propter eandem æternitatem, promeretur honorem, & reuerentiam à Creaturis, non solùm in se ipso, sed in omnibus etiam suis, etiam verbis, & scriptis: antiquis enim honorem impendimus, & reuerentia seniores prosequimur.

Secundum.

Quibus propter honorem impendimus, quibus vero reuerentiam.

Tertiò, Verbum ex eo quòd infinita Sapientia est, & ignorantes docet, promereri à nobis debet imitationem, cùm tanta nouerit: meretur etiam fidem, etiamsi fortè nunc non capiamus quod dicit, aut docet.

Tertium.

Quarto ex eo quod est apud Patrem, habemus fiduciam, & accessum ad Deum, & quòd facilè per Verbum exaudiemur.

Quartum. Ephes. 2. & 3.

Quintò, ex eo quod erat in principio, & primus, & nouissimus, & in diebus nouissimis, nouissimus virorum, Alpha, & Omega, debemus eius exēplo humiliari, & prosterni, nulla magnitudinis nostræ, siue dignitatis habita ratione.

Quintum.

Apoc. 1.

Isa. 53.

Apocal. 1.

Sextò, ex eo quòd ipse Sapientissimus est apud Patrem, tutissimumque, & honorabilissimum locum quæsiuit, demus operam, vt nos quidem simus apud Patrem, intellectu, per Fidem; voluntate, per amorem; Operibus diuinis, per hoc vt diuinæ Maiestatis oculis placeamus. Simus apud Patrem, subsistentes per donum Fortitudinis; vt apud maiorem, cum humilitate; vt concordantes cum Patre per idem velle, & nolle; vt cōsultantes cum eo in omnibus periculis, ac scrupulis nostris; vt denique cum eo conuersantes, dignos filiorum Dei mores induamus. Si enim ipse de rusticis, & inimicis suis dixit: *Deliciæ meæ, esse cum filijs hominum*: quantæ debent esse nostræ deliciæ, versari cum Patre, & Verbo, & Spiritu sancto? quibus omnis laus, honor, & gloria ab omnibus creaturis reddatur in secula seculorum. Amen.

Sextum.

Prouer. 8.

TRACTATVS VI.

IN Quo exponitur illa sententia.

Et DEVS erat Verbum.

BEATVS Chrysostomus homilia 1. in Ioannem, admiratus tantum, & tale Euangelistæ exordium, primùm quærit, quis fuerit iste Ioannes, qui tantæ Sapientiæ arcana eructauit? *Erat*, inquit, *prouincia Galilæus, de qua dicitur: Scrutare, & vide, quia Propheta à Galilæa non surgit. Ciuitate Betsaidæ, nec celebri, nec illustri natus. Ex patre Zebedæo piscatore, adeò paupere, vt sciissa nimis filijs resarciret retia, & filios eâdem arte erudiret. Nemo autem ignorat, nullum opificem cupere sibi filium suæ artis heredem relinquere, ni summa paupertate cogatur: maximè si ars eius vilis sit, & abiecta: Piscatoribus verò nihil pauperius, nil abiectius: addo etiam, nihil indoctius, cùm potius ars illa ex fortuna, quàm e scientia aliqua pendeat. Erat etiam Ioannes vt testatur Lucas, idiota, & literarum omnium ignarus.*

D. Chrysost. tom. 3 initio.

Ioannis Euangelistæ laus.

Ioan. 7.

Matth. 4.

Ibidem.

Quàm vile, & abiectum, quamque miserabile genus hominum piscatores.

Act. 4.

ignaris, vt qui nec ante Apostolatum, nec post illum scholas frequentauerit. Hic ergo talis, ac tam modicus, & existens piscator, à quo aliqua de arte piscatoria, de fluuijs, hamis, retibus, piscibus, & similibus tantùm expectanda erant, ascendens super omnem terram, super omnia stagna, mare, aëra, æthera, cælos ipsos supergressus, Platonem, Pythagoram, Philosophos omnes: imò ipsos Angelos, Virtutes, Cherubinos, Seraphinos, & perueniens ad Deum, in illo mari Diuinitatis istum piscem grandem piscatus est, quo plenus, & saturatus, eructauit, dicens, In principio erat verbum. Nec tantùm hæc dixit, & scripsit, sed persuasit vniuerso orbi: nec in loco aliquo obscuro, & ignobili, sed in nobilissimo, & potentissimo totius orbis theatro, hoc est, in Asia Minori. Philosophorum excellentium altrice. Et vide Euangelistæ fiduciam, & verborum vim: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Nihil dubitat, nihil coniectatur, sed certa omni assertione proloquitur: magistri siquidem est, in his quæ dicit, nihil ambigere. Nullum hic timorem verborum atque fucum, nullam superfluam compositionem, aut vllum stylum ineptum videbis, sed diuinum, & inexpugnabile robur, & sacrorum dogmatum tantam vim, vt nullo possit pacto superari. Verè hauserat Spiritum illum, quem Christus promiserat, cùm dixit: Cùm venerit ille Paraclitus, docebit vos omnem veritatem. Et quemadmodum veritas de terra Maria virginis orta est: & propterea iustitia de cælo prospexit, per quam dæmonem confregit, & nos ab eo liberauit: ita eadem veritas de virginalis Ioannis anima egrediens, scripto tradita est, vt pro nobis contra hæreticam omnem prauitatem dimicet, atque hæreticos, dæmonis organa, expugnet.

Euangelij Ioannis altitudo, & sublimitas.

Quid sit proprium magistri.

Ioan. 16.

Psalm. 84.

Hæretici dæmonis organa.

Sed iam tertiam sententiam explicemus, nempè *Et Deus erat Verbum*. Et in primis quædam ad voces spectantia explicanda sunt: Deinde causa connexionis huius sententiæ cum præcedenti reddenda: Tertiò probandum est, Verbum Deum esse, & ipsi Patri consubstantiale: Postremò quædam ad ædificationem ex his verbis eliciendis sunt.

Præsentis tractationis ordo.

In primis igitur quia Verbum Deus, Græcè caret articulo, quem in secunda sententia habebat, & quem dictio verbum habet; hinc Arriani dixerunt, Verbum summum Deum esse participatione; ac per hoc minorem Deo vero. Vnde Origenes in principio tomi secundi in Ioannem, omissum articulum tradit, ad ostendendam Patris & Filij differentiam. Pater enim suapte natura Deus est, & addito articulo appellatur ὁ Θεὸς: Filius verò quia Deus sit diuinitatis eius communicatione, sine articulo dicitur Θεὸς & Augustinus libro 1. Quæstionum in Genesim, quæstione 105. *Si articulus additus nomini Dei sit, euidentissimè Deus verus significatur.* Sed Chrysostomus in Ioannem, hanc interpretationem, suppresso authoris nomine, redarguit, demonstrando eam nullius esse momenti. Respondemus enim, nō valere argumentum à nō apposito articulo: quoniam in hoc eodem capite beatus Euangelista summum Deum sine articulo nominat; vt cùm ait. *Fuit homo missus à Deo*: & iterum; *Deo nemo vidit vnquam*. Et rursus: *Sed ex Deo nati sunt*. Constat enim, in his omnibus sermonem esse de Deo vero per essentiam, & non per participationem. Quod ex innumeris alijs locis probare facilè esset; è quibus interim illi sufficiant: vt, *Ascendo ad Deum meum, & Deum vestrum*. Et rursus: *Gratia, & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Saluatore nostro*. Alibi etiam Christus, Deus dicitur cùm articulo.

Verbum Patris verum Deum non esse, vnde Arriani negauerint.

August. to. 4.

Chrysost. homil. 3. in Ioan. tom. 3 initio.

1. Tim. 6.

Ioan. 20.

Tit. 1. & sæpè alibi.

Caussa autem, cur in hac sententia articulum suppresserit, in promptu est. Coactus enim fuit Ioannes vitare confusionem Diuinarum personarum. Nam cùm superiùs dixisset, Verbum esse apud Deum dicentem, demonstrando Deum cum articulo; si subiunxisset, Verbum esse Deum cum articulo, significatum fuisset, quòd Verbum esset illamet persona dicens, id est, Pater; quód esset confundere personas Dicentis, & Verbi. Si autem & rursus posuisset articulum in dictione Deus, & non in dictione Verbum, vt posuit; sensus esset, quod Pater ipse esset etiam Verbum; & ita essent duo Verba; quod absurdum magnum fuisset, & impugnatur à Cyrillo, & Chrysostomo. Magna igitur ratione articulus suppressus est in Verbo Deus, & positus in dictione, Verbum; vt sit sensus, Verbum habere veram deitatem. Ratio igitur articulorum vera, hæc est, vt articulus plerumq; apponatur Deo, cùm verus, & solus Deus significatur: nisi si qua ratio peculiaris impediat, vt hæc apertè impediebat. Quando verò articulus Deo non apponitur, plerumque significatur non vera, sed participata, aut falsò existimata deitas. Vnde Paulus ad Corinthios: *Etsi sunt qui dicuntur dij, siue in cælo, siue in terra (siquidem sunt dij multi, & domini multi.)* vbi in vtroque loco non ponitur articulus. Et Augustinus in Quæstionibus in Genesim producit alterum exemplum ex Genesi capite 33. vbi Iacob ait se vidisse faciem fratris sui Esau, sicut faciem Dei. Didymus etiam libro De Spiritu sancto, & Athanasius quoque libro

Cur in hac sententia: Deus erat Verbū, articulum suppresserit Euāgelista.

Cyrillus lib. 1. cap. 1. in Ioan. tom. 1.

Chrysost. suprà dicto loco.

Deus cum articulo, verum & solum, seu per essentiam Deum, sine articulo verò, Deum participatione, falsumue significat.

1. Cor. 8

August. lib. 1. qq. in Genesim tom. 4. initio ferè.

Didymus libro 1. de Spiritu sancto

De

propè initium, & circa finè, to. 9. operum D. Hieronym. Athan. to. 4.

De Spiritu sancto, ad Serapionem, annotarunt, in Diuinis literis, vbi mentio fit Spiritus diuini, articulum apponi τὸ πνεῦμα. & sine illo absolutè Spiritus significat creaturas.

Spiritus in Scriptura cum articulo Spiritum sanctum designat: at sine illo Spiritu creatum denotat.

Contra Arrianos impia & hæretica huius loci distinctiuncula Christo subtrahentes diuinitatem.

Aug lib. 3 de Doctr. Christia. c. 2. to. 3.

II. Argum.

Rom 9.

Secundò circa literam aduertendum est, Arrianos, hostes diuinitatis Christi capitales, prauè, & hæreticè hanc literam distinxisse. Ita enim legebant: *Et Deus erat.* puncto illi apposito; & sequebatur; *Verbum hoc erat in principio apud Deum*, ita vt Deitas tolleretur à verbo: quemadmodum beatus Augustinus annotauit libro de Doctrina Christiana. Sed hoc quid aliud est, quàm viciare omnes textus Græcos, & Latinos ad victoriam?

Deinde contra rationem videtur: quid enim significaret, Deus erat? quasi dubium esset inter Catholicos, aut inter Hæreticos, an Deus existeret. Eâdem enim fraude, & techna, malè scilicet interpungendi, & distinguendi, eludi possent multi loci Scripturarum, in quibus Christo attribuitur diuinitas. Nam ad Romanos 9. legimus; *Quorum Patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Erasmus (quem secutus est Michaêl Seruetus, nouus Arrianus, in libro tertio De Trinitate) ita legendum putabat: *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia.* Et ibi punctum constitui volebat: Et quod sequitur, *Deus benedictus in secula*, volebat esse doxologiam quandam, siue glorificationem Dei pro enumeratis beneficijs. Simili artificio locum illum Epistolæ Ioannis deprauabat, cùm ait: *Scimus quoniam Filius Dei venit: & dedit nobis sensum vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Contendebat enim Erasmus, post illa verba: *Et simus in vero*, ponendum esse punctum, & supplendum esse, *Deo Patre*, vt sit sensus: & simus in Deo vero Patre: & quod sequitur, *Filio eius*, exponebat, id est, propter Filium eius. Et rursus quod subditur, Hic est verus Deus, referebat ad Patrem; atque ita iuxta hanc mirificam Erasmi sapientiam ter dicitur in hoc loco Pater verus Deus, & violentissimè, & contra omnem rationem Grammatices Christo adimitur vera filiatio Dei, & vera diuinitas.

Erasmus.

Michael Seruetus, nouus Arrianus.

Erasmus consimili pacto male [illegible] distinctiuncula Christo diuinitatem [illegible] [illegible]

1. [illegible] 5.

Ioan. 7

Altera huius [illegible] [illegible] loci Ioannis de Christi Diuinitate.

Ad tertium, post declaratam æternitatem Verbi, & contiguitatem ad Deum dicentem: ne putetur ita distinctum à Patre, quòd non sit Deus; subdit, eius quidditatem, & essentiam explicando, *Et Deus erat Verbum.* Quia etiam Verbum vocale est, & prolatitium. Et Verbum internum siue nominis siue Angeli, accidentarium est, & aduentitium: ne tale existimaremus esse Verbum diuinum, subdit: *Et Deus erat Verbum.* Postremò, cùm in præcedenti sententia Deum pro persona Patris posuisset: *Verbum enim*, inquit, *erat apud Deum*: hoc est, Filius erat apud Patrem, vt diximus: scrupulus inde forsitan minus rectè intelligenti ingeri poterat, ne fortè Dei appellatio ipsi neutiquam verbo, sed soli Patri esset tribuenda, neve solus Pater esset Deus; subiungit: *Et Deus erat Verbum*, vt non minorem ipsi Verbo diuinitatis naturam, & honorem adscribat; docens, illud Patri per omnia esse æquale. Beatus Leontius rectè annotauit, prius dictum esse, *Verbum erat apud Deum*, quàm diceret, *Deus erat Verbum*: quasi hoc diceret, quòd nihil aliud esset Verbum (scilicet quoad substantiam) quàm illud ipsum quod erat, apud quem erat. Prima clausula, æternitatem Verbi expressit; secunda personalem eius à Patre distinctionem significauit; hac verò tertia, identitatem naturæ eius cum Patre, ne videlicet ex secunda clausula ita à Patre intelligeretur Verbum oriri, quasi natura illi inesset diuersa, & Deus non esset. Vnde Epiphanius in hæresin Pauli Samosatensis acutè ait: *Si enim in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: id quod erat, non solum iuxta prolationem est, sed secundùm substantiam. Et si Verbum erat apud Deum: non Verbum est hoc quod apud ipsum erat: neque enim Verbum est is, apud quem erat. Si enim in corde habet Deus Verbum, & non genitum, quomodo impletur, erat? Et Deus erat Verbum? Non enim hominis verbum homo est apud hominem: neque enim viuit, neque subsistit, verùm corde viuente, ac subsistente, motus est solum & non substantia. Dicitur enim, & simul è vestigio non amplius est, sed prolatum manet. At verbum Dei, velut dicit Spiritus sanctus ex ore Prophetæ: Verbum tuum in æternum permanet.* Infrà paullò post: *Et vt ne aliqui malignè opinentur, lucida, & viuifica verba in suam ipsorum malitiam, ac detrimentum transmutantes (aliter enim, atque aliter incumbit cor hominis diligenter ad mala à iuuentute) & incipiant dicere, Non dixit, In Deo erat Verbum, velut etiam tu dicis: sed, Apud Deum erat Verbum. Ergo non est substantia Patris Verbum, sed extra Deum Verbum. Rursus commonefacit, corrigens filios suos veritas, redarguens mentes contra ipsam scortantes, & dicit ipse Vnigenitus. Ego ex Patre exiui, & venio. Et rursus: Ego in Patre, & Pater in me. (Et Euangelium, & Deus erat Verbum.) Et infrà: Non potest igitur, velut anteà dixi, verbum in homine homo vocari, sed verbum hominis. Si vero* Ver-

B. Leontius episcop.

Cur prius dictum sit ab Euangelista: Verbum erat apud Deum, quam, Deus erat Verbum.

Epiphan. in hæresi 65. ante med.

Quid verbum hominis Epiphanio.

Psalm. 118.

Gen. 8.

Ioan. 8.

Ioan. 14.

Cur dixerit Euangelista: Et Deus erat Verbum.

Quale sit Verbum diuinum.

Verbum Dei Deus est, non est sine substantia Verbum, sed in substantia Deus Verbum ex Deo genitum sine tempore, sine principio. Hactenùs ille insignis Pater. Et Athanasius in Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ celebratis, aliquanto à medio: *Abominamur prætereà, & anathemate execramur, qui illum tantummodò nudum verbum Dei sine substantia, & rem fictitiam nominant, quique in alio habeat quod sit, quemq́; nunc vti vocem quæ ore profertur, nunc vti dictionem, quæ in cogitatione versatur, intelligunt.* Hæc magnus Athanasius.

Magnus Athanas. tom. 2. sub finem.

Hæc autem propositio, *Deus erat Verbum*, conuertenda est in terminis, hoc modo: *Verbum erat Deus*: ita vt Verbum sit subiectum, non autem prædicatum. Ad quod asserendum, cogunt nos duæ priores sententiæ, & quarta, quæ istam tertiam subsequitur, nempè: *Hoc erat in principio apud Deum*, in quibus omnibus semper Verbum est subiectum. Nec hoc nouum est in Scripturis: nam plerumque quod ponitur loco subiecti, habere videtur locum prædicati, & è conuerso. Quemadmodum in libris Regum dicitur, *Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset*: cùm propositio hæc vertenda sit in hunc modum; Saul cùm regnare cœpisset, erat filius vnius anni. Sic ergo dicendum: Verbum erat Deus, hoc est, Verbum est, siue erat Deus, sicut Pater erat, siue est Deus. Hæ enim enuntiationes crebriores sunt, & communi locutioni propriores, in quibus diuinum nomen, quod tribus personis commune est, conuenientius de ipsarum personarum nominibus enuntiatur, quàm ipsarum nomina personarum de Dei nomine prædicentur: quemadmodum in Dialecticis enuntiationibus genus, quod cunctis est commune speciebus, propriùs de speciebus, quàm species de genere dicuntur. Habent enim communia diuinitatis nomina rationem, & similitudinem quandam generum, propria verò eiusdem nomina, specierum rationem æmulantur. Sunt autem communia Dei nomina, quæcunque Deo coniunctim sumpto tribuuntur, vt, vnum, ens, verum, bonum, perfectum, increatum, æternum, infinitum, stabile, magnum, potens, indiuisibile, iustum, sanctum, creans, conseruans, saluans, & similia. Propria autem Dei nomina sunt, quæ cùm de vna persona enuntientur, de alia prædicari non possunt; Vt, gignens, genitum, procedens; primum, secundum, tertium; Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Conuenientius ergo de proprijs huiusmodi nominibus ea, quæ communia sunt, quàm propria de communibus dicuntur.

Hæc propositio: Deus erat Verbum quomodo conuertenda.

Qualis sit eiusmodi locutio. 1. Reg. 15.

Communia Dei nomina quæ sint.

Quæ sint propria nomina Dei.

Ex quo habemus, Verbum esse Deum, apertis verbis expressum: *Verbum*, inquit, *erat Deus*: quod & circumstantiæ comprobant. Nam si in principio erat, per hoc æternum erat: nam apud æternum, non nisi æternum à principio esse poterat. Rursus, si omnia per ipsum facta sunt, ante omnia erat, conditor omnium erat; ac per hoc infinitam virtutem habebat, quam ponit creatio, quæ est productio ex nihilo. Vbi autem potentia diuina erat, & essentia diuina ibi erat; ac per hoc Verbum continens Diuinam essentiam, Deus erat. Nec tantùm Deus est sine articulo, sed etiam cum articulo; ne putes in aliquo filium Patre minorem. Thomas enim illi dixit cum articulo, *Dominus meus, & Deus meus*: ὁ Κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου. Cum articulo dicitur à Paulo, *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*: Ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς. Cum articulo ait Ioannes de Christo: *Hic est verus Deus, & vita æterna*: Οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεός, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Rursus cum articulo dicitur: *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi*: vbi Græca litera habet, τοῦ μεγάλου Θεοῦ. Prætereà ab Apostolo Paulo proprius Dei Filius vocatur; à seipso verò, Filius vnigenitus; à Ioanne verò in sua Canonica, verus Filius. Rursus à Paulo; *Quia est super omnia Deus benedictus*, & rursus dicitur, magnus Deus. Dicitur & æqualis Deo, & in forma Dei esse, sine hoc quod vllam rapinam se facere arbitraretur. Quibus testimonijs apertì simè euincitur Verbi ad Patrem consubstantialitas, ac vera diuinitas.

Quid sit creatio.

Quibus Scripturæ nouæ testimonijs comprobatur Christum Patri consubstantialem, ac verum Deum, Deiq́; Filium. Ioan. 20. Rom 9. 1. Ioan 5. Tit. 2. Rom. 8. Ioan. 3. 1. Ioan. 5. Rom 9. Philip. 2.

Ad quod etiam demonstrandum rationes non paucæ suppetunt. In primis enim, si DEVS operatus est per artem, creaturas ex nihilo producendo; ergo operatio naturalis ex natura sua producens præcessit in Deo, cùm ars naturam imitetur; ac per hoc Deus Deum de sua substantia produxit. Cùm autem non sit nisi vna Deitas, & vnica diuinitatis natura, siue substantia, erit vnus, & idem, & consubstantialis Deus.

Varijs rationibus euincitur Verbi ad Patrem consubstantialitas, ac vera diuinitas. Ratio I.

Adhæc, si filij Dei participatione, & adoptione inueniuntur: cùm adoptio ponat naturalem filiationem, & participatio essentialem, & substantialem; erit ergo in Deo Filius per essentiam, & non per participationem: & Filius per naturam, & non per adoptionem; ac proinde verus, & essentialis Deus.

Secunda. Ioan. 1. & Rom. 8. & Gal. 4. 1. Ioan. 3.

Accedit, quòd omnes creaturæ non quiescunt nisi in productione similis & æqualis sibi in specie: vnde equus equum generat, planta plantam, homo hominē: quid ni

Tertia.

ergo

Isai. vlt.

ergo producat Deus Deum? vt rectè per Prophetam dixerit Deus Pater: *Nunquid ego parere facio, ipse non pariam? Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?*

Prçtereà, aut Deus producit, aut non. Si non producit, tollimus Deo singularem perfectiouem, quæ in simili producendo sita est. Si autem producit, cùm de sua substantia producat; quæ sanè indiuisibilis est & impartibilis, tota erit in Patre, & tota in Filio, & Deum consubstantialem, ac sibi æqualem producet.

Eadem Verbi diuinitas aduersus Iudæos alia ratione satis idonea demonstratur.

Hieron. epist. 136. tom. 3.

Iehouah nomen Dei præcipuum, atque hoc cur esset Iudæis ineffabile.

Sacerdotes in Sanctuario tribus digitis erectis populo benedicebant, atque hæc benedictio quando desinuerit.

Præter Scripturas & rationes, tertiò ostenditur Verbi diuinitas aduersus Iudçorum perfidiam & pertinaciam. Prçmittendum tamen primò, apud Hebræos plura nomina esse, quibus Deus significetur, sed præsertim decem: de quibus Hieronymus ad Marcellam. Inter alia autẽ omnia nullum maius vel præstantius nomine Iehouah, quod dicitur quadriliterum, siue tetragrāmaton, eo quòd quatuor literis Iod, He, Vau, He, constet. Erat etiam hoc nomen ἀφώνητον, siue ineffabile, quod ob reuerentiam & venerationem nō audebant Iudæi pronunciare, nisi tantùm Sacerdotes in Sanctuario, dum populo benedicerent; quam benedictionem tribus digitis erectis faciebāt: quæ benedictio cessauit in Simeone Iusto, vt testis est Rabbinus Moyses Ægyptius, filius Maymonis, 1. par. lib. More. cap. 61. Et ineffabile dicitur, vel quia patribus hoc nomen non manifestauit, vt habetur Exod. 6. Vel quia significat illud, quod intelligi, & lingua exprimi non potest. Vnde Mercurius Trismegistus: Ἐτὶ γὰρ ὁ ἀνώνυμος, ὃν ὄνομα, οὐδ' ἐσχάτως αὐτῷ ... Et Apollo Delphicus quærenti quid Deus? inter cætera fertur respondisse: οὗτινι ὄνομα οὐδὲ λόγῳ χωρούμενον, id est, *Cuius nomen neque verbo capiendum*. Erat etiam in more positum, vt Iudæi abstinētes à nominis illius prolatione, pro eo dicerent, Adonai, id est Domini mei. Alterum nomen similiter quadriliterum, id est, Aleph, Daleth, Nun, & Iod; Chaldaica verò paraphrasis loco eius vocis scribit tria Iod cum Camez, in hunc modum יי, vel ײ, nō sine mysterio: Septuaginta verò vertunt, Κύριον, & Hieronymus ferè semper interpretatur, Dominum. Estque communis sententia Rabbinorum, eiusmodi nomen incommunicabile esse creaturæ, nec alteri tribuendum; *Quia gloriam meā alteri non dabo, ait Dominus:* de quo Exod. 3. *Hoc nomen mihi est in æternum.* Significat enim pelagus essentiæ, siue substantiæ diuinæ; quæ quia non multiplicatur, sed vna tantùm est, nec nomen quoque hoc inuenitur nisi in singulari. Et quia

Rab. Moyses Aegyptius.

Exod. 6.

Mercur. Trismeg.

Apollinis responsum de Deo.

Adonai Hebrais quid.

Exod. 6.

Messiæ tanquā Deo scripturæ Iehouah nomen accommodant.

Hieronym.

Isai. 42.

Exod. 3.

Origo nominis Iehouah.

quatuor literis cōstat, videtur quadratum nomē signare æternitatem Dei, *Qui erit, est, & fuit*, iuxta nominis Hebræi etymologiā. Descendit enim eiusmodi nomen à verbo substātiuo הוה iuxta id: *Ego sum qui sum*: Et *Qui est, misit me ad vos.* Et Aristot. li. 1. de cælo, αἰῶνα dictum putat, quasi ἀεὶ ὄντα, id est, semper entem & principiū omnis essentiæ.

Exod. 3.

Ibidem.

Arist. tom. 2.

Quando primùm condita fuerit, & per quos, Chaldça translatio.

Secundò prçmittendum, prçter versionem 72. Interpretum per trecentos annos ferè ante Christi mortem conditam, accessisse aliam Scripturarū editionem per quadragintaquinque annos ante natum Christum, quam Chaldaicam vocant: quæ facta est per duos insignes autores, quorū alter fuit OnKelos, qui interpretatus est tantùm Pentateuchum, vt quidam volūt, alij verò etiam tota Biblia vertisse contendunt: alter verò, Ionathas, filius Vzielis, discipulus magni Hillelis, & patris Simeonis Iusti; ita vt Ionathas & Simeon fuerint condiscipuli: atque hanc editionem vocarunt תרגום à verbo Chaldæo תרגם, quod est exponere, siue interpretari, siue ex vna in alteram linguam transfundere. Vnde & qui interpretem agit apud Turcas pro Christianis peregrinantibus, inuisentibus loca sancta Hierosolymorū ... vocatur, & תרגמן, & inde quisquis peregrinam & ignotam linguam apud alium interpretatur, & interpretē inter eos agit, Italicè dicitur *Turcimano*, Hispanicè *Trujaman*.

Versio Chaldæa vnde descendat.

Chaldææ versionis faciendæ quæ caussæ extiterint.

Caussa autem faciendi hanc nouam versionem, fertur fuisse; vt Iudçi, qui ex Assyria & Chaldæa reuertebantur in Hierusalem, & propriam linguam Hebrçam ignorabant, tanto tempore à patria extorres, haberent solatium huius versionis, vt caperent Legis præcepta & cæremonias.

Secunda.

Voluit etiam Deus per illos Patres aperire nobis, quem sensum haberet vetus illa Ecclesia, quæ paulò Christo antiquior extitit, de Scriptura: quam fidē de mysterijs Messiæ populo proponerent, exceptis tamen nonnullis locis, in quibus meritò creditur esse deprauata, vt nemo proinde facilè illi fidere debeat. Præterea voluit, vt in difficilibus & perobscuris locis Chaldça nobis deseruiret interpretatio, quæ Hebræam illustraret atque elucidaret. Demū quia nouerat Spiritus sanctus, Iudæos Scripturas suas deprauaturos, & illis vitiatis cōtra nos decertaturos, consilij Dei fuit, vt per illam interpretationem nobis tela suppeditarentur in cōgressibus cum eis ad victoriam: & ob hanc caussam tātam authoritatem huic editioni cōtulit, vt nullus Iudæorum illi audeat se opponere, aut eius dictis refragari.

Tertia.

Quarta ac postrema ratio.

Chaldæa paraphrasi editionive, quantū Iudæi deferāt.

Vnde factum sit, Hieronymus aliique Veteres Patres vt Chaldæam versionem ignorauerint.

Quod verò hæc interpretatio ignota extiterit Hieronymo, & alijs veteribus Patribus, hoc vel inuidiæ Hebræorum est tribuendum, qui tanto tempore thesaurum hunc nobis celatum esse voluerũt, vel Spiritus sancti consilio, & prouidentiæ, quæ Patribus antiquis dedit interpretationem LXX. Interpretum, vt pugnarent contra Iudæos, nobis verò posterioribus seculis ꝓspexit de Chaldæa versione, vt solidius Hebræam perfidiam confutare possemus, & obstinatissimos Iudæos reuincere.

I. Locus ad probandum Messiam, vt Deus agnoscatur, frequenter Iehouah in Scripturis nominatur.

Hiere. 23.

His positis, asserimus, hoc tantum ac tale nomen Iehouah frequenter Messiæ tribui in sacris literis ad eius diuinitatem indicandã. Producamus nonnulla exépla. Apud Hiere. c. 23. de aduẽtu Messiæ prædicitur: *Ecce, dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum.* Chaldæus habet: *Et suscitabo Dauid Meßiam iustum. Et regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter: & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Hebraicè habetur יהוה צדקנו Iehouach çidquenu; id est, Dominus iustitia nostra. In Paraphrasi Chaldæa habentur sic hæc postrema verba: *Et hoc est nomen quo vocabũt eũ: Fient nomen iustitiæ à facie eius in diebus eius*, quod idem est atq; dicere, *Dominus iustitia nostra.* Sicut & illud quod habent Septuaginta: Καὶ τοῦτο τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὃ καλέσει αὐτὸν, Κύριος Ἰωσεδέκ,

Iosedec quid sonet.

Hiere. 33.

nam Iosedec interpretatur, Domini iustitia, vel, Dominus iustus. Eadem Hieremiæ sententia integrè repetitur. Hierem. 33. Sicut ergò Messias dicitur Dauid propter Humanitatem, quæ accepta est de Dauidis familia, idem etiam, Iehouah dicitur vocandus propter Diuinitatẽ; & propterea quòd nos efficere iustos ex impijs potuit.

Messiam Scripturæ Dauidẽ cur nominent.

Duplex Iudæorum obiectio proponitur, ac soluitur. Prima.

Duo hic opponunt recentiores Iudæi. Primò, non legendum, *Vocabunt*, sed vocabit: non יקראו, sed יקרא vt habetur Hiere. 23. vt sensus sit, non vocandum Messiam Iehouah, sed ipsẽ Iehouah iustus noster vocaturus est, scilicet germen iustum, vel Ecclesiam eius spõsam. Sed hoc manifestè est falsum, & deprauatum hunc locum per Iudæos, ostendit Paraphrastes Chaldæus Hiere. 23. & c. 33. & similiter ibidem LXX. Interpretes, & codices veriores & antiquiores, & Glossa Hebræa super Thren. 1. fatetur, Messiam ex hoc loco appellãdum Iehouah, & Rabbi Iocanam in Talmud in lib. dicto Bababatra, idem asserit, & Hieron legit: *Et hoc est nomen quod vocabũt eam.* Et Paulus ait, Christo datum est nomen super omne nomen: at tale nomen solum est Iehoua. Et Iesu etiam nomen apertè diuinitatem continet, quia eius est saluare, cuius est condere: & eius est condere, qui est esse summum, & alijs omnibus esse tribuit. Et licèt legamus: *Et vocabit eam:* non euadit Iudæus, quia dicitur Hierem. 33. iuxta Hebræam literam: *Hic est qui vocabit eam*, scilicet Ecclesiam, prædicando, ad fidem & iustitiam, ipse scilicet Messias iustus noster, qui est Iehoua.

Hierem. 23. Infrà 33.

Rabbi Iocanã.

Philip. 2. Quodnam sit Christo nom. datum super omne nomen.

Altera obiectio.

Secundò obijciunt, nomen Iehoua alijs creaturis communicatum: nec propterea sequi, illas esse verum Deum, vt Ezech. vlt. in fin. *Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus* (siue Iehoua) *ibidem.* Gen. 22. *Appellauitq; nomen loci illius, Dominus* (Iehoua) *videt.* Et Exo. 17. *Aedificauit Moyses altare, & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea.* Heb. *Dominus Iehoua, signum meũ.* Et Iud. 6. *vocauit illud* (scilicet altare) *Domini pax*, seu Adonai pax. Sed aliud est dicere, aliquem simpliciter appellandũ Iehoua, siue Deus iustitia, aliud cum adiuncto, quo modificatur nomẽ Iehoua. In illis etiam locis signa nomine signati vocãtur, vt cùm figuram Christi appellamus Christũ. Hoc ergò est ratione signati Messiæ, quia aliàs stultissimum esset, rei manimatæ tribuere ineffabile Dei nomẽ. Et Ionathas illos locos aliter explicauit, & rectè. Nam vltimum sic expressit: *Et coluit ibi Dominum, qui dederat ei pacem.* Et illud Exodi: *Et coluit ibi Dominum, qui fecerat signum.* Et primum locum Ezechielis: *Et nomen ciuitatis declarabitur à die qua habitare fecerit Dominus maiestatem suam ibi.*

Gen. 22.

Exod. 17.

I[illegible] 6

Qui loci nomẽ Iehoua rebus etiam inanimatis tribuunt, quomodo accipiendi sint.

II. Locus. Zachar. 2.

Secundus locus est Zachar. 2. *Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies quia Dominus exercituum misit me ad te.* Pro quibus habet Chaldæus interpres: *Gaude & lætare Ecclesia Sion: quia ego reuelabor, & ponam diuinitatem* (siue maiestatem) *meam in medio tui, ait Iehoua. Et applicabunt se populi multi ad Iehoua, & erunt coram me in populum, & ponam diuinitatem in medio tui: & scies quia Iehoua exercituum miserit me ad te.* Ecce apertus Messias missus dicitur Iehoua, & posuisse diuinitatem suam bis in medio nostri, per Incarnationem scilicet & Eucharistiam.

III. Locus. Luc. 2. & Rom. 9. & 1. Petr. 2.

Tertius locus est Isai. 8. *Dominum exercituum* (Iehoua) *ipsum sanctificate: ipse pauor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel.* Ecce Christus dicitur Iehoua. Et sensus huius sententiæ est vnus & idem, atq; ille Simeonis iusti fuit, qui vaticinat' est de Christo:

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.

IV. Locus. Isai. 28. Quartus Isai. 28. *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui.* Pro quibus Thargum (Thargum.) habet: *In tempore illo erit Christus Dominus* (Iehouah) *in coronam gaudij.*

Quintus. Mich. 5. Matth. 2. & Ioan. 7. Quintus est Mich. c. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel: & egressus eius ab initio* (siue ab antiquo) *à diebus æternitatis.* Quia dicitur egressus ex Bethleem, significatur eius humanitas: quia à diebus seculi eius æternitas & diuinitas.

Sextus. Isa. 9. Sextus locus est Isai. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, &c. & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* In quibus vtraque Diuinitatis & Humanitatis natura satis exprimitur.

Septimus. Psalm. 44. & Heb. 1. Septimus locus Psal. 44. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Prior vox Deus, est vocandi casus, vt verterunt Septuaginta, & apostrophat ad Messiam. Et ibidem: *Sedes tua, Deus, in seculum seculi.* Alloquitur Messiam. Et infra: *Et concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus,* quia ab initio Propheta ad Messiam dirigit sermonem. Vnde illud: (Ibidem.) *Speciosus forma præ filijs hominum.* Chaldæus habet interpres. *Pulchritudo tua, Rex Messia, maior quàm filiorum hominum.*

Octauus. Malach. 3. Matth. 11. Octauus Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum* (id est, Ioannem Baptistam) *& præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis.* Hebræa habent: Elohe adon, quod David Kimhi (David Kimhi.) de Rege Messia vult esse intelligendum. Liquidum etiam ex eodem loco est, Messiam Deum esse, quia habet templum, de quo, *Veniet ad templum suum.* His similes locos facile inuenies sexcentos in Veteris Instrumenti libris.

Verbum Patris Deum esse, quibus verbis & quam perspicue asserat David. Psal. 32. Quod autem expresse Verbum sit Deus testatur David in Psalm. 32. *Rectum est Verbum Domini, & opera eius in fide.* (siue in veritate) *Diligit misericordiam, & iudicium* (scilicet Verbum) *misericordia Domini plena est terra. Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quoniam ergo hoc Verbum est rectum, & operatur omnia in veritate, procul dubio Verbum est substantia intellectualis, postquàm diligit misericordiam & iudicium, seu iustitiam, & omnia eius opera sunt in veritate, & distinctum est à Domino, & ab Spiritu, & quia opera eius sunt Dei, quia condit cœlos, & ornatum eorum Deus est verus.

Cur in lege veteri dicatur Verbum Domini, in Euangelio vero Verbum absolute. Quod vero in veteris legis libris dicatur Verbum Domini, in Euangelio Verbum absolute, & ibi minus absolutè appareat distinctio inter Verbum Domini, & Dominum, & quod in noua lege aperte ponatur inter Verbum, & Deum dicetur distinctio, inde est, quia ibi erant primæ lineæ mysterij Trinitatis, apud nos aperta veritas, & viui colores: Illi debebant credere vnum Deum; Nos etiam vnum essentia, & trinum in personis. (Deut. 6. & alibi passim.) Ideò mirari non debemus, si ibi obscurius dicerentur, quæ apud nos clarius & apertius: maximè cum Veteris Testamenti verba ad lumen Noui Testamenti sint, & intelligenda, & interpretanda. Non enim aperta per obscura, sed potius obscura per aperta & clara sunt explicanda. Idem etiam habetur ex Psalmo 106. (Quæ ratio interpretandi sit vtilis. Psal. 106.) *Misit Verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum:* Heb. *De interitis vel corruptionibus eorum.* Nota hoc loco Patrem mittentem: vide Verbum missum: ergo substantiale & intellectuale, & diuinum, & persona distinctum à Patre. Perspice fructum aduentus eius, sanare ab interitu genus humanum, vel à miserijs, id est, peccatis: verè enim facit miseros peccatum. (Quinam sit fructus Dominicæ incarnationis.) Quod planè arguit Verbi Diuinitatem: nam remittere peccata, & liberare à morte, Dei est, non vllius creatæ facultatis. (Matth. 9.) De virtute sanandi in verbo Dei posita loquitur Salomon in libro Sapientiæ, capite 16. (Sap. 16.) *Etenim neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus, Domine, Sermo, qui sanat omnia.* Et paulò ante declarans, non serpentem æneum, sed Deum filios Israel in deserto ab ignitis serpentibus percussos sanasse, ait: (Num. 21. Ioan. 3. Iudæos olim murmurantes, a serpentibus percussos quis sanauerit.) *Qui enim conuersus est, non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te omnium Saluatorem.* Ergo sermo est Deus Saluator omnium, de quo in Euangelio: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et quotquot tangebant eum, saluificabant.* Et iterum quis esset ille sermo sanans omnia, cap. 9. declarans, (Luc. 6. Mar. 6. Sap. 9.) ait: *Nam per Sapientiam sanati sunt, quicunque placuerunt tibi, Domine à principio. Hæc illum qui primus formatus à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo.* (Infrà c. Gen. 1.) Vides idem esse Sermonem, & Sapientiam, & Verbum. Perpende etiam quid præcedat, desiderium scilicet Prophetarum & iustorum pro aduentu Messiæ: *Clamauerunt,* inquit, *ad Dominum, cum tribularentur* (Psal 106. Ibid.) (qui videlicet sub portis æreis, & vectibus ferreis peccatorum continebantur) *& de necessitatibus eorum liberauit eos.*

(Quibus præterea in locis secundum) Præterea idem nobis ostendunt plurimi loci Scripturarum, in quibus Hebraica

Hebræam veritatem, Messia dominetur Iehouah. veritas habet nomen Iehoua: pro quo paraphrasis vtraque Chaldæa, nimirum Onkeli in Pentateuchum, & Ionathæ filij Vzielis in reliquos sacros libros, interpretantur Verbum, vel Verbum Domini; ita vt peculiari ratione nomen Iehouah accommodetur secundæ personæ Filij Dei, hoc Verbo significando. Porrò Chaldaicam expositionem, vtpote sanctam, & inuictæ authoritatis, audet Iudæorum nullus contemnere, aut reijcere. Propono ex multis

Primus Locus. Gen.15. Rom.4. locis nonnullos. Primus sit Genes.15. *Credidit Abraham in Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Ita Hebræa expositio Chaldæa habet: *Credidit Abraham in Verbo Domini.* Se-

II. Locus. Gen. 28. cundus Genesis 28. *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo &c. reuersusq; fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Hebræa habent, Erit mihi Iehoua in Elohim. Chaldæa habent: *Si fuerit Verbum Iehoua in adiutorium meum: & custodierit me in via hac, in qua ego ambulo, &c. & reuersus fuero in pace in domum patris mei, erit mihi Verbum Domini in Deum.* Non potest autem Verbum Domini in hoc loco accipi pro mandato Dei, quia aliqui tot essent dij, quot mandata. In Isaia Propheta frequentissimum est Ionathæ interpreti Chaldæo, ponere loco Iehouah, Verbum Iehouah. Ecce Isai.7. *Adiecit*

Loco Iehouah ponere Verbum Iehouah apud Hieremiam Ionathas consueuit. Isai.7. Infra 41. *Dominus loqui ad me adhuc.* Vbi Chaldæa habent: *Et adiecit Verbum Domini loqui mecum.* Et cap.41. *Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus, confortaui te, &c.* Thargum: *Ne timeas: quia in auxilium tuum Verbum meum ne angaris, quia ego Deus tuus:* & infra, *Noli timere vermis* (vel tinea) *Iacob, qui mortui estis ex Israel: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus.* Thargum Chaldæa habet: *Non timeas, tribus domus Iacob semen domus Israel: Verbum meum in auxilio vestro dicit Dominus.*

Infra 44. Dei Patris, Verbique eius omnipotentia. Et cap. 44. *Hæc dicit Dominus Redemptor tuus, & formator tuus ex vtero, Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram.* Thargum vertit: *Sic ait Dominus qui saluauit, qui formauit te ex visceribus. Ego Dominus actor omnium extendi cœlos in Verbo, vel cum Verbo meo, fundaui terram in virtute mea*, hoc est quod dicitur Ioan.1.

Ioan.1. Isai.45. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et cap.45. *Israel saluatus est in Domino* (Iehouah) *salute æterna.* Thargum: *Israel saluatus est in Verbo Dei saluatione seculorum.* Ergò Verbum est Deus.

Infrà 49. Et cap.49. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Ita habet Hebræa veritas. Ionathas verò interpretatur: *Nunquid possibile est vt obliuiscantur fœminæ filium suum, vt non misereantur filij viscerum suorum? Etiam si ista obliuiscantur, & Verbum meum non obliuiscetur tui.*

Isai.66. Et cap.66. *Quomodo si cui mater blanditur, ita ego consolabor vos, & in Hierusalem consolabimini.* Thargum: *Sicut vir quem mater sua consolabatur, sic Verbum meum consolabitur vos, & in Hierusalem consolabimini.* Sic ille. Nimirum quia bidocuit, signa fecit, instituit Eucharistiam, mortuus est, & resurrexit, & inde ascendit in cœlum, & inde misit in Apostolos sedentes in Hierusalem Spiritum consolatorem. Idem colligimus in alijs Prophetis factum. Nam Hieremiæ cap.1. vbi habemus: *Ne timeas a facie eorum: quia tecum ego sum, vt eruam te.* Chaldæus paraphrastes habet. *Ne timeas a facie eorum: quia in adiutorium tuum erit Verbum meum, vt eruat te.* Et in fine cap. eiusdem *quia in auxilium tuum erit Verbum meum.* Hæc ille. Si verbum esset accidens, & cognitio Dei, non diceret, vt eruat, sed, eruam te. Et maius est adesse nobis Dominum ipsum, quàm eius Verbum, si Verbum est accidens. Et Canon est Clementis Alexandrini: *Interpretandum Vetus Testamentum, vt Nouo sit consonum.* At in Nouo, Verbum Deus est, iuxta id: *In principio erat Verbum.* Et, Ego ero tecum: vel, *Verbum meum erit in adiutorium tuum*, perinde est, ac dicere: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Exod 3. vbi habetur: *Ego ero tecum.* Chaldæus habet: *Verbum meum erit in auxilium tuum.* Et Iosue 1. *Tantum sit Dominus Deus tecum, sicut fuit cum Moyse.* quod ita vertit Chaldæus interpres: *Sicut fuit Verbum meum in auxilium Moysis, sic erit Verbum meum in auxilium tuum.* Denique vbicunque in Veteri Testamento dicitur: *Ego sum, fui, vel ero tecum*, semper Chaldæa paraphrasis explicat esse Verbum, per quod nobis Deus adest, vel adfuit, vel aderit: quia per Messiam suum nobis Deus fauit, & per eum, & propter eum nobis donat peccata, & ab omni malo liberat: per eum confert nobis gratiam, gloriam, & certam corporum nostrorum resurrectionem. Quare quod dicitur: *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis*, Chaldæus vertit: *Nisi fuisset Verbum Domini, quod fuit in auxilium nostrum, dicat nunc Israel: nisi fuisset Verbum Domini, quod fuit in adiutorium nostrum.* Et illud: *Nisi Dominus ædificauerit domum, &c.* ita vertit: *Si Verbum Domini non ædificauerit domum, frustrà laborat in ea architectus. Si Verbum Domini non custodierit ciuitatem Hierusalem, frustrà vigilat custos.* Rursus Hierem.2. *Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt*

Margin notes (right column): Christum ... quando ... Infra 28. Act.1. Infra 2. Hierem.1. Clem. lib. ... Interpretandum Vetus Testamentum vt Nouo ... Alexandrinus Clemens. Ioan.1. Matth. vlt. Exod.3. Iosu.1. Quando in ... per Messiam ... Deus. Psal.123. Psal.126. Hierem.2.

à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt? Chaldæus vertit: *Quid inuenerunt patres in Verbo meo mendacij, quia elongauerunt se à timore meo, & errauerunt post errorem, & fuerunt ad vituperium?* Et cap. 27. *Ego feci terram, & homines, & iumenta quæ sunt super faciem terræ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento.* Thargum habet: *Ego in Verbo meo feci terram, & hominem, & bestiam, quæ est super faciem terræ, & in virtute mea magna.* Ecce Verbum non solùm fecit cœlum & terram, sed & hominem, & bestias, & omnia. Oseæ verò cap. 1. habetur: *Domus Iuda miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo.* Thargum: *Saluabo in Verbo Domini Dei sui.* Et cap. 9. *Abyciet eos Dominus Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus.* Ionathas reddit: *Abijciet eos Deus meus, quia non receperunt Verbum eius, & erunt vagabundi in Gentibus.* Ecce illud Ioannis 1. *In propria venit, & sui eum non receperunt.*

Infrà 27. & Gen. 1. & seq.

Oseæ 1.

Infrà 9.

Ioan. 1.

Varia nomina Messiæ, & explicationes eorum.

Nec tantùm Messias dicitur Iehouah, & Iehouah explicatur à Chaldæo interprete per vocem Verbi, verùm etiam per alias voces (quibus in Hebræo ponitur sub metaphoris Messias: vt os, oculus, brachium, manus, faces, sapientia, sedes ad dexteram) explicans nobis illas metaphoras, reddit Ionathas per ipsum Domini Verbum. In primis Messias dicitur os Dei, quia per illud locutus est nobis Pater, & osculatus est nos. iuxta illud, *Osculetur me osculo oris sui,* id est, Messiæ, siue verbi. Tamē Isai. 1. dicitur: *Quia os Domini locutum est.* Thargum: *In Verbo Domini decretum est ita.* Et cap. 48. *Priora ex tunc annuntiaui, & ex ore meo exierunt.* Thargum antiqua: *Ex tunc annuntiaui, & ex Verbo meo exierunt.* Ergò Verbum est os Dei. De quo Hierem. 15. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Chaldæus Ionathas vertit: *Et si conuertis iustos, vt fiant iusti, beneplacitum Verbi mei complebis.*

Messias os Dei cur nominetur.
Hebr. 1.
Cant. 1.
Isa. 1.
Infrà 48.
Hierem. 15.

Dicitur Messias oculus; quia per illum quasi oculum Deus pater omnia nostra videt: vt Ezech. 20. *Et pepercit oculus meus super eos, vt non interficerem.* Thargum: *Et pietatem habuit* (siue pepercit) *Verbum meum super eis propter dissipationem.* Et Ezech. 7. *Non parcet oculus meus, nec miserebor.* Ionathas: *Non parcet Verbum meum tibi.* Et Hierem. 24. *Ponam oculos meos super eos ad bonum,* siue, vt nostra habet litera, ad placandum. Thargum: *Ponam Verbum super eos ad bonum.* Contra verò dicitur ponere ad malum, vt Amos 9. *Et ponam oculos meos super eos in malū, & non in bonum.* Vbi pro oculis ponit Verbum Ionathas. Estque sensus: Ponam Verbum meum ad puniendū, non ad benefaciendū.

Messias oculus Dei.
Ezech. 20.
Ezech. 7.
Hierem. 24.
Ponere super aliquem oculos suos in malum, & non in bonū, in Scripturis quid.
Amos 9.

Tertiò dicitur brachium Messias, quia illo nos sustentat & amplexatur, iuxta illud: *Consurge, cōsurge, induere fortitudine, brachium Domini.* Et de quo: *Saluauit sibi dextera eius: & brachium sanctum eius:* & *Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est?* Et habetur Isai. 5. iuxta Hebręum: *Et vidit Deus quia nō est vir* (Sisch. Heb.) *Et obstupuit quia non erat succurrens: & saluabit sibi brachium, & iustitia eius confirmauit eum.* Thargum: *Et manifestum fuit coram eo, & non erat homo qui surgeret & intercederet pro eis: & saluauit eos brachio fortitudinis suæ, & in Verbo beneplaciti sui* (vel voluntatis suæ) *auxiliatus est eis.* Et eodem c. paulò antè habent Hebræa: *Quia scelera nostra nobiscū & iniquitates nostras cognouimus, peccare & mentiri contra Dominum, & auersi sumus, ne iremus post tergum Dei nostri.* Thargum egregiè explicat: *Transgressi sumus & auersi sumus in Verbum Domini, & conuersi sumus retrorsum, ne iremus post timorem Domini Dei nostri,* id est post Messiam, quem negauerunt, & mendacio eius resurrectionem celarunt, ne illum sequerentur.

Messias brachium Dei.
Isai. 51.
Psalm. 97.
Isai. 53. & Ioan. 12. & Rom. 10.

Dan. 9.
Act. 3.
Matt. vlt.

Dicitur item Messias manus Dei, quia per illum, quasi per manum, mundum condidit, & per illum nos apprehendit. Et à Chaldæo vertitur Verbum. Isai. 48. *Manus quoq; mea fundauit terram.* Thargum: *In Verbo meo, vel cum Verbo meo fundaui terram.*

Messias manus Dei.

Dicitur etiam Messias, facies Dei, iuxta illud Psalm. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Et Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & preparabit viam faciei meæ, vel ante faciem meam.* Angelus est Ioannes Baptista præparator viarum Domini: Facies Dei, est Christus, quo viso, videtur & Pater, secundùm id, *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Et tamen Hierem. 5. dicatur: *Me ergò non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non delebitis? Qui posui arenam terminum mari.* Thargum: *An à facie mea non timebitis? an à facie Verbi mei non contremiscitis? Qui posui arenam, &c.*

Messias facies Dei.
Psal. 79.
Malach. 3.
Matth. 11.
Ioan. 14.

Vocatur etiam Messias Sapientia, de qua in Chaldaica secunda interpretatione pro illis verbis, *In principio creauit Deus cœlum & terram,* habetur: *In sapientia sua creauit Deus cœlum & terram.* Et tamen Psal. 103. ait Dauid: *Quanquam magnificata sunt opera tua Domine? Omnia in sapientia* (vel, cum sapientia) *fecisti.* Et Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem:* id est, Fabricauit mundum cum septem planetis, vt explicant Iudæi.

Messias Dei sapientia.
Gen. 1.
Psal. 103.
Prouer. 9.
Quid illud: Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, iuxta Iudæorum intelligentiam.

Quòd verò hæc Sapientia per se subsistat, vt hypostasis diuina, docet Salomon Prouerb. 8. *Quando præparabat cælos, aderam,*

Suprà 8.
Vbi Salomon

Verbum Dei, doceat esse per se subsistens. Suprà 9.

scilicet apud Patrem. Et infrà: *Cum eo eram cuncta componens.* Et Sap. 9. *Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam.* Et infrà: *Et tecum Sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc, cùm orbem terrarum faceres, & & sciebat quid esset placitum oculis tuis, quid directum in præceptis tuis.* Rursus infrà: *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia, & intelligit.* Si ergò hæc Sapientia assistit Deo, vt Angeli dicuntur assistere Deo, vt personæ intellectuales, si scit omnia, si erat cum illo cuncta componens, si mittitur de cœlo, vt nobiscum sit & nobiscum laboret, non est quid creatum, vel accidentarium Deo, sed diuina hypostasis, quæ erat ante omnem creaturam. Nec mirum si tãta Dei mysteria explicet hic Sapientiæ liber, qui cap. 2. tradit passionis Christi Sacramentũ. Datur etiam Messiæ sedere ad dexteram Dei iuxta illud Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo.* Primum est nomen Iehouah, secundum Adonai. Chaldæus vertit: *Dixit Dominus in Verbo suo,* vel Verbò suo Messiæ. *Sede ad dexteram meam.* Et teste glossa Hebræa in Psalm. 17. & Paulo ad Hebræos, sedere ad dexteram Dei, tanti honoris est, vt soli cõueniat Messiæ, seu Verbo, vt personæ distinctæ à Patre: non enim nostro conceptui damus locum, vt sedeat ad dexteram.

Dan. 7. & Luc. 1. & alibi aliàs.

Eccl. 24.

Messiæ datum sedere ad dexteram Dei. Psal. 109. Matth. 22.

Heb. 1.

Epilogus dictorum.

Habes ergò ex tanta diuinorum testimoniorum silua Verbum fuisse à principio, siue in principio, quo condita sunt vniuersa, & fuisse Verbum apud Deum Patrem suum, & fuisse Deum, & magnum, & verum Deum, & distinctam personam à dicẽte, quia vocatur Iehouah: & in paraphrasi Chaldæa Iehouah reddi per Verbum. Atque hactenus quidem de Deitate Verbi dictum sit.

I. Documentũ huius sententiæ: Et Deus erat Verbum.

Vltimò, his verbis excitati demus operam, vt fidem tanti mysterij in cordibus nostris nutriamus, vt per illam similiter & nos apud Deum nutriamur. Habemus enim, Verbum distinctum esse à patre proprietate & persona contra Sabellium: est tamen vnum in natura & essentia contra Arrium. Nam etsi plures sint personæ distinctæ, vnus est tamen Deus in essentia.

II. Documentum.

Secundò nutriamus fidem Mediatoris: per hoc enim quod Deus est, & consubstantialis Patri Filius, non potest ei non esse gratissimus, atque maximè acceptus, dum pro nobis intercedit apud Patrem. Tertiò, ingens nostra dignitas, & humanæ naturæ gloria ex his verbis colligitur: quia natura nostra ad Deitatem eleuata, & euecta est.

Heb. 7. III. Docum.

Quamobrem Arriani pessimè de Christo, & de natura humana meriti sunt: quia & sibi ipsis, & nobis hanc tantam gloriam inuidebant, & Christo adimebãt illud quod ei Pater dederat, & quod maius omnibus est, vt ipse Christus dixit. Quartò elicimus omnes Christi operationes & passiones in humanitate infiniti fuisse pretij & valoris ad hominem iustè redimẽdum, ac per hoc conuenientissimè exorditus est ab Ouo (vt dicunt) texere historiam. Postremò, absolutè dicitur, Deus erat Verbum, non dicto aliquo, quemadmodum nos dij sumus. Nam illud: *Ego dixi, Dij estis,* significat: Meo dicto dij estis per participationem & gratiam. Neq; etiam dixit: Verbum erat Deus vallium, aut montium, aut populi Israel, quemadmodum Moysi dixit: *Ecce constitui te Deum Pharaonis:* sed simpliciter & absolutè dixit, quòd Verbum erat Deus; ad confusionem inuidi dæmonis, Arrij, Mahometi, & omnium Iudæorum & Paganorum malè de mysterio Trinitatis sentientium, & ad consolationem & ædificationem fidelium, qui tanto Dei mysterio credito gloriantur & exultant: præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto ab omni creatura impendatur omnis honor, gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Contra Arrianos.

Ioan. 10.

IV. Docum.

V. Documentum & vltimũ.

Psalm. 81. & Ioan. 10. Quid illud Ego dixi, Dij estis.

Exod. 7.

Quorũ Christo diuinitatẽ eripientium errorem confutet Ioannes.

TRACTATVS VII.

In quo exponitur illa quarta sententia:

Hoc erat in principio apud Deum.

EPIPHANIVS In Alogianos disserens, tradit, quosdam sui temporis hæreticos extitisse (inter quos fuit Theodorus Byzantius Coriarius) qui affirmabant Euangelium Ioannis, quod nunc habemus, à Cherintho editum fuisse sub nomine Ioannis, ac per hoc illud non recipiebant. Idẽ docet Philastrius inter anonymas hæreses in Catalogo suo. Sed quomodo (vt Epiphanius ait) erit hoc Euangelium Cherinthi, quod contra Cherinthum dicit? Cherinthus enim recẽtem & nudum hominem Christum habet. Ioãnes autem semper existens Verbum prædicauit, & ex supernis venisse, ac incarnatũ esse. Deinde, quæ causa mouere potuit aut debuit, Cherinthum, vt Euangelium à se conscriptum, alterius nomine inscriberet, quo se proprij laboris honore fraudaret, atque alium de suis operibus honoraret? præsertim verò Ioannem

Epiphan. in hæresim 51. prope initium.

Ioannis Euangelium Cherintho tribuunt hæretici.

Philastr. in Catalo. hæres. cap. 60.

Ioan. 8.

Ioannes Euangelium Cherinthum hæretici quem odio ferretur.

nem Apostolum hostem suum, quo cum implacabiles inimicitias, ac sempiternas habebat, & cui se propter hæresin adeò infensum esse dicebat, vt ne vel quidem conspectum eius, vel præsentiam ferre posset Ioannes Qui, vt scribit Irenæus, cum apud Ephesum lotionis ergò balneas fuisset ingressus, ibique Cherinthum vidisset; continuò illotus exiuit, dicēs: *Fugiamus hinc, ne & balneæ ipsa corruant, in quibus Cherinthus lauatur veritatis inimicus.* Ad hæc, cur Euangelium suum de nomine Ioannis inscriberet, qui omninò Ioannis Euangelium negat, & solum Euangelium quod secundum Hebræos appellatur, recipiebat, reliqua omnia reijciebat?

Iren. lib. 3. c. 3. in fine.

Cherinthus veritatis inimicus.

Nullum Cherinthus præter Hebræorum Euangeliū omnino agnouit, ac recepit.

Quod verò obijciebant Alogiani, non esse recipiendū Euangeliū Ioannis, quod Christi generationem non scripserit: vanū ac futile est. Nam Ioannes hoc habet peculiare, vt omittat ea, quæ ab alijs diligenter enarrata sunt; addat vero, & suppleat ea, quæ illi prætermiserunt. Vnde cum generationem Christi secundum carnem à Mathæo & Luca integrè descriptam legisset, illam prætermisit, & generationem Verbi secundum diuinitatem, nondum ab illis explicatam suppleuit, & addidit.

Matth. 1. & seq. Luc. 2. & infra 3.

Circa hanc quartam Ioannis sententiam non pauca dicenda supersunt, cum præcedentium sit quædam repetitio, & epilogus. Primò ergo dicemus, quorsum facta sit hæc repetitio. Deinde ostendenda erit, Verbi ad Patrem coæternitas, & consubstantialitas.

Propositio tractandorum.

Tertiò quædam in genere de his quatuor Euangelistæ sententijs erunt explicanda. Ad primum igitur, tres illæ sententiæ præcedentes repetuntur; vt intelligas (teste Origine) non solum illas singulatim esse veras, sed etiam simul & coniunctim. Est ergo sensus: Hoc Verbū quod erat in principio, & quod erat apud Patrem, & quod erat Deus, in principio Deus erat, & apud Patrem Deum erat. Secundò per hanc sententiam habes, Verbum natura, & voluntate non esse a Deo distinctum, sicut dij Gentium inter se distincti sunt, vt Iuppiter, Saturnus, Mercurius, Apollo: & sicut sunt distincta duo illa principia, alterum boni, & mali alterum: quæ stultissimè constituebāt Manichæi. Licet ergo Verbum sit in principio, & apud Deum, & Deus: non tamen alius natura, alius voluntate Deus. Nam hoc Verbum erat in principio apud Deum, accipiens naturam & voluntatem à Deo. Atque in hūc modum exponit Hilarius. Tertiò, addit Cyrillus in Ioannem Eunomianos sensisse, aliud esse Verbum interius atque insitum naturaliter in Deo, & aliud quod in scripturis Filius Dei dicitur, per quod cuncta condidit, interiori Verbo, atque insito simillimum. Propter quos refellendos subintulit: *Hoc dico Verbum, quod in principio erat, hoc quod apud Patrem erat, hoc quod erat Deus ex Deo: hoc inquam, & non aliud est, de quo librum istum conscribimus.* Sic enim primò argumentabatur Eunomius: *Si Verbum,* inquit, *naturale interius, atq; insitum Deo Patri, ipse Filius est, & est consubstantiale Genitori: quid prohibebit ne Pater Verbum sit, & vocetur? & ita erunt duo Verba in diuinis?* Deinde: *si Verbum Filius Dei est, nec præter ipsum aliud est, quo Verbo, inquit, Pater ad Filium dixit: Filius meus es tu: ego hodie genui te? Cum enim omne quod dicitur, verbo non aliter dicatur, patet non absq; Verbo ita Patrem ad Filium fuisse locutum. Ipse quoq; Saluator: Scio Patrem ait, & Verbum eius seruo.* Et rursus: *Verbum quod auditu, non est meum. sed eius qui misit me. Quoniam igitur Verbo Pater Filium alloquitur. & ipse quoque Filius fatetur modo, quia Patris Verbum seruat: modo quia non suum, sed Patris Verbum Iudæi audiebant: quomodo proculdubiò non erit concedendum alium esse Filium, quam interius atque insitum, id est, in motu intelligendi Verbum: quo suscepto & eo plenum prolatum Verbū, & substantiæ Patris expressiuum, Verbum vocatur, & Dei Filius?*

Cur Ioannes hanc sententiam replicauerit. Hoc erat (Verbum scil.) in principio.

Orige. hom. in Ioan. 1. sub initium, tom. 2.

II. Ratio.

Duo principia boni, & mali, simpij olim Manichæi constituebant.

Hilarius li. 2. de Trin. operis initio.

III. Ratio.

Cyril. lib. 1. in Ioan. ca. 4. in princ. tom. 1. in

Aduersus Eunomianos aliud esse interius atq; insitū naturaliter in Deo Verbum, & aliud quod in scripturis Filius Dei dicitur, impie dogmatizantes.

Eunomianæ argumenta impietatis proponuntur.

1. Argum.

Secundum.

Psalm. 2. & Hebr. 1. & 5.

Ioan. 8.

Tertium.

Infrà 14.

Sed hæc leuia sunt, & infirma: nulla enim ratio cogit, propterea, quod Pater verbo suo consubstantialis sit, idcircò Verbum quoque appellari. Nam & Pater noster Adam filio suo consubstantialis fuit, nec ob id in filium decidit, nec filius in locum Patris ascendit. Nam si consubstantialitas nullum discrimen inter consubstantialia constitueret, quare omniū iudex non punit filium pro Patre, vel Patrē pro filio, sed *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.*

Proposita Eunomij contra Christi consubstantialitatem cum Patre, argumenta soluuntur.

Ezech: 18.

Ad illud: *Quo Verbo dixit Filio Pater: Ego hodie genui te?* Sed intellige, Prophetam hæc reuelatione accepisse à Deo, & personam Filij induisse, ac ita se audiuisse à Patre asserit, *Filius meus es tu:* qui sermo nostræ imbecillitati est accommodatus, vt aliquo modo capiamus diuina mysteria. Superant enim sermonem, & ingenium nostrum res diuinæ: vnde fit, vt multa, non vt dicuntur, sed vt rebus conueniunt, intelligantur.

Psalm. 2: Psalm. 109.

Quo verbo dixerit Filio Pater Ego hodie genui te, & ex vtero ante luciferum genui te.

Ad tertium, putabant Iudæi Christum mendacem, & Dei legem, & Sabbatum contemnere: idcircò ipse respondit, se Patris mandata, & verba optimè seruare, etiam in eo, quòd legem videretur abrogare, quia dicebat: *Ego sum veritas.* Quasi diceret; excutite legis iugum, ô Iudæi: suscipite spiritalem cultum, vmbras atque figura-

Cur Christus dixerit se Patris verba, & mandata seruare teste Cyrillo.

Ioan. 14.

Ibidem.

Quarta ratio repetitionis huius sententiæ. Hoc (scil. Verbum) erat in principio apud Deum.

V. Ratio.

procul abijcite, & veritatẽ iam præsentem sequimini. Idcircò rectè dicebat: *Et Verbum quod audistis, non est meum, sed eius qui misit me, Patris.* Hæc in illum errorem Eunomij ex Cyrillo deprompsimus. Quartò, hac sententia significatur, Verbum fuisse intimũ Patri ab æterno, & non expansum foras per Incarnationem. Quintò, explicatur in hac sententia Verbi ad Patrẽ coæternitas, quia hoc in principio apud Deum æternum erat: id est, ex quo Deus est Deus, ab eo cogitato tempore Verbum est apud illum. Et hæc est expositio Chrysostomi. Concedebant enim Arriani, Verbum esse in principio creaturarum, & ante illas: sed coæternitatem illius cum Patre, negabant: quod dogma directè hæc verba Ioannis, & manifestè iugulant. Semper enim & fuit, & est, & erit Filius apud patrem, siue cum Patre. Ab æterno illum genuit Pater, nunc & illum gignit, gignetque eundem in æternum. Semper item Pater & Filius Spiritum sanctum ex sese protulerunt, proferunt assiduè, intermissuri nunquam. Sicut enim si est calefaciens, est & proculdubio id quod calefit, & ipsa insuper calefactio: ita si est Pater, & Filium esse oportet; & si est Pater & Filius, necesse est amborum spiramen esse. Et de primo hactenus dictum sit.

Chryso. hom. 3. in Ioan. tom. 3. initio.

Psalm. 2

Simile.

Verbum Patri esse coæternũ, scripturis euincitur.

Ad secundum: Verbum esse Patri coæternum, Scripturis sacris euincitur. Propterea enim dicitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum: Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis.* Rursus: *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Et Michæas: *Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Et psaltes: *Sedes tua in seculum seculi; Virga directionis, &c.* Et Ioannes: *Quod fuit ab initio, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Et iterum: *Hic est verus Deus, & vita æterna, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est*: qui de se ipso dixit: *Antequam Abraham fieret, ego sum*: & Pater ad eum: *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Et rursus: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quæ omnia, si quis rectè expendat, non obscurè æternitatem Filij cum Patre demonstrant.

Prou. 8

Eccl. 24

Micha. 5

Psalm. 44

1. Ioan. 1

Infra 5.

Apoc. 1.

Ioan. 8

Psalm. 109.

Psalm. 2

Eadem veritas rationibus confirmatur. Ratio I.

Secundò, idem rationibus ostenditur. Primò enim, si Filius eadem subsistit substantia qua Pater, si Pater æternus est, erit & Filius æternus, cum relatiua sint simul natura. Vnde Marius Victorinus: *Homousion ergo, non ex nihilo, vel ex non extantibus, nec erat quando non erat. Et ita vno Verbo perijt omne Arrij venenum, quia omnem substantiam & æternitatem significat.* Hæc ille. Et Cyrillus: *Sicuti si præfuisset* (scilicet Pater) *non esset consubstantialis: sic quoniam non præfuit, consubstantialis omninò est. Non potest enim coæternus esse Patri, qui ex ipso naturaliter non est: creatura enim coæterna est.* Deinde eadem mensura, substantia & actio Dei mensuratur, sicut corpora, & eorum operationes tempore; Angeli verò cum suis actionibus naturalibus, quales sunt cognitio sui ipsius, & amor, æuo mensurantur. Cum ergo æternitas diuinam naturam metiatur, profectò eius operatio naturalis, quam productionem Filij, siue generationem vocamus, eadem æternitate metienda erit. Ad hæc, si in multis creaturis inuenimus effectus, & operationes suis causis coæuas: nam calor igni, splendor Soli, vmbra corpori, vestigium pedi, verbum menti, saltem Angelicæ, coæua sunt, & simul tempore: quid ni ergo Patri æterno coæternus sit Filius? maximè cum causa ob id præcedat effectum, quia vel per motum agit, vel ab alio pendet, vel liberè, & contingenter operatur: quæ omnia vtpotè imperfecta, in diuina generatione locum non habent. Vnde Ambrosius libro de Fide: *Sempiternitas,* inquit, *Filij paternæ maiestatis insigne est. Si iste non semper fuit, ergo ille mutatus est. Sed si semper fuit Filius, ergo nec pater aliquando mutatus est, qui immutabilis semper est.* Prætereà, quemadmodum ex ferro non fit ligneus clauus, sed ferreus, & ex substantia temporali & corruptibili non fit productio æterni, vel incorruptibilis: ita nec ex æterna Patris substantia prodire potest aliquid temporale, & corruptibile: impossibile est ergo non æternum filium, & incorruptibilem oriri ex æterna Patris substantia. Vnde rectè Cyrillus libro Thesaurorum scribit: *Si ex mortali mortale nascitur, & corruptibile ex corruptibili: contra quoque necesse est, vt quod ex æterno, & immortali nascitur, id æternum, immortaleque sit.* Prætereà, si Deus semper est Deus, semperque potens creare, semperque Pater: necessariò ei erit coæternus Filius: nam oppositum in Patris dedecus cederet, & eum mutatum argueret, & aliquando non fuisset Trinitas, scilicet quando Verbum non esset: quę omnia absurda, & inconuenientia maxima, veteres Patres esse nouerunt. Nam Athanasius libro de vnita, ac sempiterna substantia Trinitatis: *Vtique,* inquit *reuera, si filium natiuitas impediuit ne sempiternus esset, quem tardè, aut serò natum,* hæreticum alloquitur) *esse asseris: necesse est vt & genitori natiuitas Filij sui impedimentum attulerit, ne sempiternus sit, si supra genuit.* Et infrà: *Si omnipotentis, tanquam bonum egentis per ordinem dignitas creuit, prius iam omnipotens non fuisse cognoscitur*

Marius Victorin.

Cyril. lib. 2. Thesaur. ca. 1 initio tom. 2

Secunda.

Tertia.

Ambros. li. de Fide, ca. 5. su. initium, to. 2.

Quarta.

Cyril. libro 1 Thesaur. ca. sub initium, tom. 2

Quinta.

Athanas. lib. 5. de Trin. prope initium tom. vlt.

gnoscitur [illegible] qui a [illegible] accedit, dum vsque ad summum gradum peruenerit, adhuc inferior al- eo esse videbitur. Item Basilius aduersus Eunomium [illegible] bonum, [illegible] est diuinae beatitudinis Patrem esse, quomodo ergo a principio quod decebat, [illegible] non aderat? Aut enim melioris [illegible] generatione, aut impotentia [illegible] hunc defectum ratiocinabimur. Ignoratione quidem, si postea quod est [illegible] aduenerit: impotentia vero, si sciens atque intelligens, [illegible] est, assequi non poterat. Sed si [illegible] dicere, non est et bonum Patrem esse, cuius gratia commutatus peius elegit? [illegible] lib. Thesaur. Accedit quod Filius cum a Patre generetur, Verbum, & sapientia, & splendor Patris est. Quare qui asserunt, aliquando ipsum non fuisse, [illegible], & sine Verbo atque splendore suo Patrem fuisse asserunt, quod impium omnino est. Et infra lib [illegible]: Solem ergo respiciant si volunt, si lux quae est ex eo, semper cum eo est, [illegible], an et semper talis [illegible] & si [illegible] semper [illegible] fuisse quae ex ipsis, quanto magis cum aeterno Deo Filius semper erit? Cyrillus idem: Alius enim diuinae generationis modus est, quam humanae, simul enim [illegible] Deum & generare ipsum credimus, quamuis mente generatio post intelligatur. Erat [illegible] in [illegible] genitus Filius: nec praecedit generatio eius esse ipsius, sed semper simul, & est [illegible] generator. Quare qui ausus est dicere, cessasse [illegible] a generando, crimine impietatis non caret. Tres enim mutationes in diuinam induxit naturam: quia tria spacia in huiusmodi generatione [illegible] dantur: vnum ante generationem, [illegible] in ipsa, tertium post ipsam. Si ergo [illegible] Deus genuit, vt inceperit, & genuerit, & cessauerit, quomodo immutatus non est? aut quomodo [illegible] creator? & quomodo Paulus [illegible] de Christo dicet, per eum facta esse omnia, [illegible] aliquod spatium, antequam natus [illegible], secundum furorem istorum [illegible]? Ad haec, quomodo in tempore genuit Deus, aut in [illegible] & duratione qui huiusmodi [illegible] vt caetera omnia excedit? Nec tamen omne quod generat, hoc est, producit ex se naturaliter, a non generando ad generandum procedit, [illegible] quod generat, generare quoque necessario [illegible]. [illegible] ille. Ex cuius verbis habes, Filium [illegible], nec ratione esse aliqua duratione Patre posteriorem: illa enim duratio & creatura esset, & non per Verbum facta. Idcirco [illegible] fuit Tertullianus, scribens in Hermogenem, Deum non semper [illegible] fuisse, & fuisse tempus, quando non [illegible] Filius etiam Eusebius Caesarien- [illegible], libro de Demonstratione Euangelica, docens: Neque vero Filius absque principio cum Patre simul existit: quoniam ille [illegible] ingenitus, hic vero genitus est. Sed [illegible] non possunt consistere. Nec enim Pater producens aliquando fuit in potentia ad producere, nec Filius productus, fuit in potentia ad produci. Cum enim productio est aeterna, producens non est prior producto. Errabant etiam Arriani, ex creaturis metientes virtutem Creatoris, & illo eodem modo eum generare, & producere, quo creaturae: cum tamen Filius dicatur ex vtero genitus, ex ore prodiens, vel in Patre existes; quare nec opus est vt Pater Filium procedat, vt homo filium suum. Vnde Basilius in Eunomium pulchre ait: *Nec enim principio possibile est antiquius quid excogitare: non esset enim principium, si quid ante se haberet superius: neque quod erat cogitatione transgressos ad id quod non erat, ascendere: contemnere enim est, quod erat, si quod non erat, excogites.* Et infra: *Illud vero, cui mentis compoti non videbitur, quemadmodum oculus cum luminata loca exierit, ac in obscura inciderit, propter priuationem luminis videre desinit: sic intellectus, si extra id quod est, imaginationibus compellatur, cum veritas quasi lux eum derelinquat, confusus, & insipiens ab intelligendo desinit. Nec igitur oculus, si lux non est, visu vti poterit: nec intellectus ab Vnigeniti sensu deductus, officio intelligendi vtetur.* Et infra: *Simile est si quis interroget quid futurum sit post obitum immortalis: & si quis quaerat quid erat ante generationem aeterni.* Hilarius etiam libro de Trinitate: *Vnigenito Deo, cui non praeest tempus anterius, non relinquitur vt aliquando non fuerit, quia ipsum illud aliquando iam temporis est, & incipiet non post eum tempus esse, sed & ipse est post tempus, cui in eo quod antequam nasceretur non fuit, id ipsum in quo non fuit praefertur.* Hactenus illi.

Quando ergo Doctores asserunt, Patrem priorem Filio, non intelligas tempore, nec natura, sed origine. & quia nos prius concipimus hominem esse, quam Patrem; eadem ratione prius concipimus Deum, quam Patrem. Reuera tamen sicut ex tempore coepit Deus dici intuitu creaturarum, quas sua prouidentia curat, & gubernat: ita ab aeterno & semper fuit Pater. Quae tanto maior est dignitas, quanto generatio de propria substantia excellit illam, quae est ex nihilo; & quanto praestantior est Deus genitus creatura a Deo condita, & ex nihilo producta; & denique quanto infinita causa nobilior est effectu finito, & aeternum agens temporali praestat artificio.

Illud etiam diligenter aduerte, ita esse aeternam diuinam generationem, vt & Filius semper generetur, ac si nondum esset perfecte genitus: & semper genitus, ac si finita & completa esset generatio. Vnde Dominus dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*

Basil. lib. 2. in Eunom. inter med. & init. tom. 1.

Cyril lib. 1 Thesaur. ca. 5 ante med. to. 4

Dicere, Verbum aliquando non fuisse, quid sit

Idem eodem c. 6. ante med. aliquanto.

Quisnam modus [illegible] teste Cyrillo.

Patrem Deum aliquando [illegible] in [illegible] teste Cyrillo [illegible] induxit.

Hebr. 1

Tertulliani, Eusebique [illegible] Deum [illegible] fuisse dicentium improbatur [illegible].

Basil. lib. 2. [illegible] cap. [illegible] tom. [illegible]

Diuinam inter & humanam generationes Arriani non impij discernebant.

Isa. in. 109.

Eccl. 24

Ioan. 14

Basil. lib. 2. in Euno. tom. 1.

Simile Basilij de intellectu ab intelligendo extrinsecus impedito.

Hilar. lib. 12. de Trin.

Patrem priorem Filio tantum origine sentiunt Patres.

Filij Dei aeterna generatio humana quasi [illegible] [illegible] super intervallo.

Filius Dei ita genitus est, vt tamen etiam semper generetur a Patre.

Psalm. 2. & Hebraeor. 1.

Verbum Dei Deus est, non est sine substantia Verbum, sed in substantia Deus Verbum ex Deo genitum sine tempore, sine principio. Hactenùs ille insignis Pater. Et Athanasius in Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ celebratis, aliquanto à medio: *Abominamur prætereà, & anathemate execramur, qui illum tantummodò nudum verbum Dei sine substantia, & rem fictitiam nominant, quique in alio habeat quod sit, quemq; nunc vti vocem quæ ore profertur, nunc vti dictionem, quæ in cogitatione versatur, intelligunt.* Hæc magnus Athanasius.

Magnus Athanas. tom. 2. sub finem.

Hæc propositio: Deus erat Verbum quomodo conuertenda.

Hæc autem propositio, *Deus erat Verbum,* conuertenda est interminis, hoc modo: *Verbum erat Deus:* ita vt Verbum sit subiectum, non autem prædicatum. Ad quod asserendum, cogunt nos duæ priores sententiæ, & quarta, quæ istam tertiam subsequitur, nempè: *Hoc erat in principio apud Deum,* in quibus omnibus semper Verbum est subiectum. Nec hoc nouum est in Scripturis: nam plerumque quod ponitur loco subiecti, habere videtur locum prædicati, & è conuerso. Quemadmodum in libris Regum dicitur, *Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset:* cùm propositio hæc vertenda sit in hunc modum; Saul cùm regnare cœpisset, erat filius vnius anni. Sic ergo dicendum: Verbum erat Deus, hoc est, Verbum est, siue erat Deus, sicut Pater erat, siue est Deus. Hæ enim enuntiationes crebriores sunt, & communi locutioni propriores, in quibus diuinum nomen, quod tribus personis commune est, conuenientius de ipsarum personarum nominibus enuntiatur, quam ipsarum nomina personarum de Dei nomine prædicentur: quemadmodum in Dialecticis enuntiationibus genus, quod cunctis est commune speciebus, propriùs de speciebus, quàm species de genere dicuntur. Habent enim communia diuinitatis nomina rationem, & similitudinem quandam generum, propria verò eiusdem nomina, specierum rationem æmulantur. Sunt autem communia Dei nomina, quæcunque Deo coniunctim sumpto tribuuntur, vt, vnum, ens, verum, bonum, perfectum, increatum, æternum, infinitum, stabile, magnum, potens, indiuisibile, iustum, sanctum, creans, conseruans, saluans, & similia. Propria autem Dei nomina sunt, quæ cùm de vna persona enuntientur, de alia prædicari non possunt; Vt, gignens, genitum, procedens; primum, secundum, tertium; Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Conuenientius ergo de proprijs huiusmodi nominibus ea, quæ communia sunt, quàm propria de communibus dicuntur.

Qualis sit eiusmodi locutio. *1. Reg. 15.*

Communia Dei nomina quæ sint.

Quæ sint propria nomina Dei.

Ex quo habemus, Verbum esse Deum, apertis verbis expressum: *Verbum*, inquit, *erat Deus:* quod & circumstantiæ comprobant. Nam si in principio erat, per hoc æternum erat: nam apud æternum, non nisi æternum à principio esse poterat. Rursus, si omnia per ipsum facta sunt, ante omnia erat, conditor omnium erat; ac per hoc infinitam virtutem habebat, quam ponit creatio, quæ est productio ex nihilo. Vbi autem potentia diuina erat, & essentia diuina ibi erat; ac per hoc Verbum continens Diuinam essentiam, Deus erat. Nec tantùm Deus est sine articulo, sed etiam cum articulo; ne putes in aliquo filium Patre minorem. Thomas enim illi dixit cum articulo, *Dominus meus, & Deus meus:* ὁ Κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου. Cum articulo dicitur à Paulo, *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula:* Ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητός. Cum articulo ait Ioannes de Christo; *Hic est verus Deus, & vita æterna:* Οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεός, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Rursus cum articulo dicitur: *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi:* vbi Græca litera habet, τοῦ μεγάλου Θεοῦ. Prætereà ab Apostolo Paulo proprius Dei Filius vocatur; à seipso verò, Filius vnigenitus; à Ioanne verò in sua Canonica, verus Filius. Rursus à Paulo; *Quia est super omnia Deus benedictus,* & rursus dicitur, magnus Deus. Dicitur & æqualis Deo, & in forma Dei esse, sine hoc quod vllam rapinam se facere arbitraretur. Quibus testimonijs apertissimè euincitur Verbi ad Patrem consubstantialitas, ac vera diuinitas.

Quid sit creatio.

Quibus Scripturæ nouæ testimonijs comprobatur Christum Patri consubstantialem, ac verum Deum, Deiq; Filium. *Ioan. 20. Rom. 9. 1. Ioan. 5. Tit. 2.*

Rom. 8. Ioan. 3. 1. Ioan. 5. Rom. 9. Philip. 2.

Ad quod etiam demonstrandum rationes non paucæ suppetunt. In primis enim, si DEVS operatus est per artem, creaturas ex nihilo producendo; ergo operatio naturalis ex natura sua producens præcesfit in Deo, cùm ars naturam imitetur; ac per hoc Deus Deum de sua substantia produxit. Cùm autem non sit nisi vna Deitas, & vnica diuinitatis natura, siue substantia, erit vnus, & idem, & consubstantialis Deus.

Variis rationibus euincitur Verbi ad Patrem consubstantialitas, ac vera diuinitas. Ratio I.

Adhæc, si filij Dei participatione, & adoptione inueniuntur: cùm adoptio ponat naturalem filiationem, & participatio essentialem, & substãtialem; erit ergo in Deo Filius per essentiam, & non per participationem: & Filius per naturam, & non per adoptionem; ac proinde verus, & essentialis Deus.

Secunda. *Ioan. 11. & Rom. 8. & Gal. 4. 1. Ioan. 3.*

Accedit, quòd omnes creaturæ non quiescunt nisi in productione similis & æqualis sibi in specie: vnde equus equum generat, planta plantam, homo hominẽ: quid ni ergo

Tertia.

ergo producat Deus Deum? vt rectè per Prophetam dixerit Deus Pater: *Nunquid ego parere facio, ipse non pariam? Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?*

Prętereà, aut Deus producit, aut non. Si non producit, tollimus Deo singularem perfectionem, quæ in simili producendo sita est. Si autem producit, cùm de sua substantia producat; quæ sanè indiuisibilis est & impartibilis, tota erit in Patre, & tota in Filio, & Deum consubstantialem, ac sibi æqualem producet.

Eadem Verbi diuinitas aduersus Iudæos alia ratione satis idonea demonstratur.

Hieron. epist. 136. tom. 3.

Præter Scripturas & rationes, tertiò ostenditur Verbi diuinitas aduersus Iudęorum perfidiam & pertinaciam. Pręmittendum tamen primò, apud Hebræos plura nomina esse, quibus Deus significetur, sed præsertim decem: de quibus Hieronymus ad Marcellam. Inter alia autẽ omnia nullum maius vel præstantius nomine Iehouah, quod dicitur quadriliterum, siue tetragrãmaton, eo quòd quatuor literis Iod, He, Vau, He, constet. Erat etiam hoc nomen ἀφώνητον, siue ineffabile, quod ob reuerentiam & venerationem nõ audebant Iudæi pronunciare, nisi tantùm Sacerdotes in Sanctuario, dum populo benedicerent; quam benedictionem tribus digitis erectis faciebãt: quæ benedictio cessauit in Simeone Iusto, vt testis est Rabbinus Moyses Ægyptius, filius Maymonis, 1. par. lib. More. cap. 61. Et ineffabile dicitur, vel quia patribus hoc nomen non manifestauit, vt habetur Exod. 6. Vel quia significat illud, quod intelligi, & lingua exprimi non potest. Vnde Mercurius Trismegistus: Ἐστὶ γὰρ ὁ ἀνώνυμος, οὗ ὄνομα, οὐ δύναται ἀνθρωπίνῳ στόματι λαληθῆναι. Et Apollo Delphicus quærenti quid Deus? inter cætera fertur respondisse: οὗ τὸ ὄνομα οὐδὲ λόγῳ χωρούμενον, id est, *Cuius nomen neque verbo capiendum.* Erat etiam in more positum, vt Iudæi abstinẽtes à nominis illius prolatione, pro eo dicerent, Adonai, id est Domini mei. Alterum nomen similiter quadriliterum, id est, Aleph, Daleth, Nun, & Iod; Chaldaica verò paraphrasis loco eius vocis scribit tria Iod cum Camez, in hunc modum יי, vel ייי, nõ sine mysterio: Septuaginta verò vertunt, κύριον, & Hieronymus ferè semper interpretatur, Dominum. Estque communis sententia Rabbinorum, eiusmodi nomen incommunicabile esse creaturæ, nec alteri tribuendum; *Quia gloriam meã alteri non dabo, ait Dominus:* de quo Exod. 3. *Hoc nomen mihi est in æternum.* Significat enim pelagus essentiæ, siue substantiæ diuinæ; quæ quia non multiplicatur, sed vna tantùm est, nec nomen quoque hoc inuenitur nisi in singulari. Et quia quatuor literis cõstat, videtur quadratum nomẽ signare æternitatem Dei, *Qui erit, est, & fuit,* iuxta nominis Hebræi etymologiã. Descendit enim eiusmodi nomen à verbo substãtiuo הוה iuxta id: *Ego sum qui sum:* Et *Qui est, misit me ad vos.* Et Aristot. li. 1. de cęlo, αἰῶνα dictum putat, quasi ἀεὶ ὄντα, id est, semper entem & principiũ omnis essentiæ.

Iehouah nomen Dei præcipuum, atque hoc cur esset Iudæis ineffabile.

Sacerdotes in Sanctuario tribus digitis erectis populo benedicebant, atque hæc benedictio quando desierit.

Rab. Moyses Aegyptius.

Exod. 6.

Mercur. Trismeg.

Apollinis responsum de Deo.

Adonai Hebræis quid.

Exod. 6.

Messiæ tanquã Deo scripturæ Iehouah nomen accommodant.

Hieronym.

Isai. 42.

Exod. 3.

Origo nominis Iehouah.

Exo. 3.

Ibidem.

Arist. tom. 2.

Secundò pręmittendum, pręter versionem 72. Interpretum per trecentos annos ferè ante Christi mortem conditam, accessisse aliam Scripturarũ editionem per quadragintaquinque annos ante natum Christum, quam Chaldaicam vocant: quæ facta est per duos insignes autores, quorũ alter fuit OnKelos, qui interpretatus est tantùm Pentateuchum, vt quidam volũt, alij verò etiam tota Biblia vertisse contendunt: alter verò, Ionathas, filius Vzielis, discipulus magni Hillelis, & patris Simeonis Iusti; ita vt Ionathas & Simeon fuerint condiscipuli: atque hanc editionem vocarunt תרגמים à verbo Chaldæo תרגם, quod est exponere, siue interpretari, siue ex vna in alteram linguam transfundere. Vnde & qui interpretem agit apud Turcas pro Christianis peregrinantibus, inuisentibus loca sancta Hierosolymorũ תורגמנא vocatur, & תרגמן, & inde quisquis peregrinam & ignotam linguam apud alium interpretatur, & interpretẽ inter eos agit, Italicè dicitur *Turcimano,* Hispanicè *Trujaman.*

Quando primùm condita fuerit, & per quos, Chaldęa translatio.

Versio Chaldæa vnde descendat.

Caussa autem faciendi hanc nouam versionem, fertur fuisse; vt Iudęi, qui ex Assyria & Chaldæa reuertebantur in Hierusalem, & propriam linguam Hebręam ignorabant, tanto tempore à patria extorres, haberent solatium huius versionis, vt caperent Legis præcepta & cæremonias.

Chaldææ versionis faciendæ quæ caussæ extiterint.

Voluit etiam Deus per illos Patres aperire nobis, quem sensum haberet vetus illa Ecclesia, quæ paulò Christo antiquior extitit, de Scriptura: quam fidẽ de mysterijs Messiæ populo proponerent, exceptis tamen nonnullis locis, in quibus meritò creditur esse deprauata, vt nemo proinde facilè illi fidere debeat. Prætereà voluit, vt in difficilibus & perobscuris locis Chaldęa nobis deseruiret interpretatio, quæ Hebræam illustraret atque elucidaret. Demũ quia nouerat Spiritus sanctus, Iudæos Scripturas suas deprauaturos, & illis vitiatis cõtra nos decertaturos, consilij Dei fuit, vt per illam interpretationem nobis tela suppeditarentur in cõgressibus cum eis ad victoriam: & ob hanc caussam tãtam authoritatem huic editioni cõtulit, vt nullus Iudæorum illi audeat se opponere, aut eius dictis refragari.

Secunda.

Tertia.

Quarta ac postrema ratio.

Chaldæa paraphrasi editioniue, quantũ Iudæi deferãt.

Vnde factum sit, Hieronymus aliique Veteres Patres vt Chaldæam versionem ignorauerint.

Quod verò hæc interpretatio ignota extiterit Hieronymo, & alijs veteribus Patribus, hoc vel inuidiæ Hebrçorum est tribuendum, qui tanto tempore thesaurum hunc nobis celatum esse voluerũt, vel Spiritus sancti consilio, & prouidentiæ, quæ Patribus antiquis dedit interpretationem LXX. Interpretum, vt pugnarent contra Iudæos, nobis verò posterioribus seculis pspexit de Chaldæa versione, vt solidius Hebræam perfidiam confutare possemus, & obstinatissimos Iudæos reuincere.

I. Locus ad probandum Messiam, vt Deus agnoscatur, frequenter Iehouah in Scripturis nominatur.

Ierie. 23.

His positis, asserimus, hoc tantum ac tale nomen Iehouah frequenter Messiæ tribui in sacris literis ad eius diuinitatem indicandã. Producamus nonnulla exépla. Apud Hiere. c. 23. de aduẽtu Messiæ prædicitur: *Ecce, dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum.* Chaldæus habet: *Et suscitabo Dauid Messiam iustum. Et regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter : & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Hebraicè habetur יהוה צדקנו Iehouach çidquenu; id est, Dominus iustitia nostra. In Paraphrasi Chaldæa habentur sic hæc postrema verba: *Et hoc est nomen quo vocabũt eũ: Fient nomen iustitia à facie eius in diebus eius,* quod idem est atq; dicere, *Dominus iustitia nostra.* Sicut & illud quod habent Septuaginta: Καὶ τοῦτο τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὃ καλέσει αὐτόν, Κύριος Ἰωσεδέκ, nam Iosedec interpretatur, Domini iustitia, vel, Dominus iustus. Eadem Hieremię sententia integrè repetitur. Hierem. 33. Sicut ergò Messias dicitur Dauid propter Humanitatem, quæ accepta est de Dauidis familia, idem etiam, Iehouah dicitur vocandus propter Diuinitatẽ; & propterea quòd nos efficere iustos ex impijs potuit.

Iosedec quid sonet.

Hiere. 33.

Messiam Scripturæ Dauidẽ cur nominent.

Duplex Iudæorum obiectio proponitur, ac soluitur.

Prima.

Duo hic opponunt recentiores Iudæi. Primò, non legendum, *Vocabunt*, sed vocabit: non יקראו, sed יקרא, vt habetur Hiere. 23. vt sensus sit, non vocandum Messiam Iehouah, sed ipsẽ Iehouah iustus noster vocaturus est, scilicet germen iustum, vel Ecclesiam eius spõsam. Sed hoc manifestè est falsum, & deprauatum hunc locum per Iudæos, ostendit Paraphrastes Chaldæus Hiere. 23. & c. 33. & similiter ibidem LXX. Interpretes, & codices veriores & antiquiores, & Glossa Hebræa super Thren. 1. fatetur, Messiam ex hoc loco appellãdum Iehouah, & Rabbi Iocanam in Talmud in lib. dicto Bababatra, idem asserit, & Hieron legit: *Et hoc est nomen quod vocabũt eam.* Et Paulus ait, Christo datum est nomen super omne nomen: at tale nomen solum est Iehoua. Et Iesu etiam nomen apertè diuinitatẽm continet, quia eius est saluare, cuius est condere: & eius est condere, qui est esse summum, & alijs omnibus esse tribuit. Et licèt legamus: *Et vocabit eam:* non euadit Iudæus, quia dicitur Hierem. 33. iuxta Hebræam literam: *Hic est qui vocabit eam*, scilicet Ecclesiam, prædicando, ad fidem & iustitiam, ipse scilicet Messias iustus noster, qui est Iehoua.

Hierem. 23.

Infrà 33.

Rabbi Iocanã.

Philip. 2.

Quodnam sit Christo nom. datum super omne nomen.

Altera obiectio.

Secundò obijciunt, nomen Iehoua alijs creaturis communicatum: nec propterea sequi, illas esse verum Deum, vt Ezech. vlt. in fin. *Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus* (siue Iehoua) *ibidem.* Gen. 22. *Appellauitq; nomen loci illius, Dominus* (Iehoua) *videt.* Et Exo. 17. *AEdificauit Moyses altare, & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea.* Heb. *Dominus Iehoua, signum meũ.* Et Iud. 6. *vocauit illud* (scilicet altare) *Domini pax*, seu Adonai pax. Sed aliud est dicere, aliquem simpliciter appellandũ Iehoua, siue Deus iustitia, aliud cum adiuncto, quo modificatur nomẽ Iehoua. In illis etiam locis signa nomine signati vocãtur, vt cùm figuram Christi appellamus Christũ. Hoc ergò est ratione signati Messiæ, quia aliàs stultissimum esset, rei inanimatæ tribuere ineffabile Dei nomẽ. Et Ionathas illos locos aliter explicauit, & rectè. Nam vltimum sic expressit: *Et coluit ibi Dominum, qui dederat ei pacem.* Et illud Exodi: *Et coluit ibi Dominum, qui fecerat signum.* Et primum locum Ezechielis: *Et nomen ciuitatis declarabitur à die qua habitare fecerit Dominus maiestatem suam ibi.*

Gen. 22.

Exod. 17.

Iud. 6.

Qui loci nomẽ Iehoua rebus etiam inanimatis tribuũt, quomodo accipiendi sint.

II. Locus.

Zachar. 2.

Secundus locus est Zachar. 2. *Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui : & scies quia Dominus exercituum misit me ad te.* Pro quibus habet Chaldęus interpres: *Gaude & lætare Ecclesia Sion : quia ego reuelabor, & ponam diuinitatem* (siue maiestatem) *meam in medio tui, ait Iehoua. Et applicabunt se populi multi ad Iehoua, & erunt coram me in populum, & ponam diuinitatem in medio tui: & scies quia Iehoua exercituum miserit me ad te.* Ecce apertus Messias missus dicitur Iehoua, & posuisse diuinitatem suam bis in medio nostri, per Incarnationem scilicet & Eucharistiam.

III. Locus.

Luc. 2. &

Rom. 9. &

1. Petr. 2.

Tertius locus est Isai. 8 *Dominum exercituum* (Iehoua) *ipsum sanctificate: ipse pauor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel.* Ecce Christus dicitur Iehoua. Et sensus huius sententię est vnus & idem, atq; ille Simeonis iusti fuit, qui vaticinat' est de Christo:

Ecce

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.

IV. Locus. *Isai. 28.* Tharguni.

Quartus Isai. 28. *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui.* Pro quibus Thargum habet: *In tempore illo erit Christus Dominus* (Iehouah) *in coronam gaudij.*

Quintus. *Mich. 5. Matth. 2. & Ioan. 7.*

Quintus est Mich. c. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel: & egressus eius ab initio* (siue ab antiquo) *à diebus æternitatis.* Quia dicitur egressus ex Bethleem, significatur eius humanitas: quia à diebus seculi, eius æternitas & diuinitas.

Sextus. *Isa. 9.*

Sextus locus est Isai. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, &c. & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* In quibus vtraque Diuinitatis & Humanitatis natura satis exprimitur.

Septimus. *Psalm. 44. & Heb. 1.*

Septimus locus Psal. 44. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Prior vox Deus, est vocandi casus, vt verterunt Septuaginta, & apostraphat ad Messiam. Et ibidem: *Sedes tua, Deus, in seculum seculi.* Alloquitur Messiam. Et infra: *Et concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus,* quia ab initio Propheta ad Messiam dirigit sermonem. Vnde illud: *Speciosus forma præ filijs hominum.* Chaldæus habet interpres. *Pulchritudo tua, Rex Messia, maior quàm filiorum hominum.*

Ibidem.

Octauus. *Malach. 3. Matth. 11.*

Octauus Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum* (id est, Ioannem Baptistam) *& præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis.* Hebræa habent: Elohealon, quod Dauid Kimhi de Rege Messia vult esse intelligendum. Liquidum etiam ex eodem loco est, Messiam Deum esse, quia habet templum, de quo, *Veniet ad templum suum.* Et his similes locos facile inuenies sexcentos in Veteris Instrumenti libris.

Dauid Kimhi.

Verbum Patris Deum esse, quibus verbis & quam persicuis asserat Dauid. *Psal. 32.*

Quod autem expresse Verbum sit Deus testatur Dauid in Psalm. 32. *Rectum est Verbum Domini, & opera eius in fide.* (siue in veritate) *Diligit misericordiam, & iudicium* (scilicet Verbum) *misericordia Domini plena est terra. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quoniam ergò hoc Verbum est rectum, & operatur omnia in veritate, proculdubio Verbum est substantia intellectualis, postquàm diligit misericordiam & iudicium, seu iustitiam. & omnia eius opera sunt in veritate, & distinctum est à Domino, & ab Spiritu, & quia opera eius sunt Dei, quia condit cœlos, & ornatum eorum Deus est verus.

Cur in lege veteri dicatur Verbum Domini, in Euangelio verò Verbum absolute.

Quod verò in veteris legis libris dicatur Verbum Domini, in Euangelio Verbum absolutè, & ibi minus absolutè appareat distinctio inter Verbum Domini, & Dominum, & quod in noua lege apertior ponatur inter Verbum, & Deum dicêtem distinctio, inde est, quia ibi erant primæ lineæ mysterij Trinitatis, apud nos aperta veritas, & viui colores: Illi debebant credere vnum Deum; Nos etiam vnum essentia, & trinum in personis. Ideò mirari non debemus, si ibi obscurius dicerentur, quæ apud nos clarius & apertius: maximè cum Veteris Testamenti verba ad lumen Noui Testamenti sint, & intelligenda, & interpretanda. Non enim aperta per obscura, sed potius obscura per aperta & clara sunt explicanda. Idem etiam habetur ex Psalmo 106. *Misit Verbum suum. & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum:* H. b. *De miserijs vel corruptionibus eorum.* Nota hoc loco Patrem mittentem: vide Verbum missum: ergo substantiale & intellectuale, & diuinum, & persona distinctum à Patre. Perspice fructum aduentus eius, sanare ab interitu genus humanum, vel à miserijs, id est, peccatis: verè enim facit miseros peccatum. Quod planè arguit Verbi Diuinitatem: nam remittere peccata, & liberare à morte, Dei est, non vllius creatæ facultatis. De virtute sanandi in verbo Dei posita loquitur Salomon in libro Sapientiæ, capite 16. *Etenim neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus, Domine, Sermo, qui sanat omnia.* Et paulò ante declarans, non serpentem æneum, sed Deum filios Israel in deserto ab ignitis serpentibus percussos sanasse, ait: *Qui enim conuersus est, non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te omnium Saluatorem.* Ergo sermo est Deus Saluator omnium, de quo in Euangelio: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes, Et quotquot tangebant eum, salui fiebant.* Et iterum quis esset ille sermo sanans omnia, cap. 9. declarans, ait: *Nam per Sapientiam sanati sunt, quicunque placuerunt tibi, Domine à principio. Hæc illum, qui primus formatus à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo.* Vides idem esse Sermonem, & Sapientiam, & Verbum. Perpende etiam quid præcedat, desiderium scilicet Prophetarum & iustorum pro aduentu Messiæ: *Clamauerunt,* inquit, *ad Dominum, quum tribularentur* (qui videlicet sub portis æreis, & vectibus ferreis peccatorum continebantur) *& de necessitatibus eorum liberauit eos.*

Deut. 6 & alibi passim.

Quæ ratio interpretandi sit vsus.

Psal. 106.

Quinam sit fructus Dominicæ incarnationis.

Matth. 9.

Sap. 16.

Num. 21. Ioan. 3. Iudæos olim murmuratores, à serpentibus percussos quis sanauerit.

Luc. 6. Mar. 6.

Sap. 9.

Infrà. Gen. 1.

Psal. 106. Ibid.

Præterea idem nobis ostendunt plurimi loci Scripturarum, in quibus Hebraici

Quibus præterea in locis secundum

à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt? Chaldæus vertit: *Quid inuenerunt patres in Verbo meo mendacij, quia elongauerunt se à timore meo, & errauerunt post errorem, & fuerunt ad vituperium?* Et cap. 27. *Ego feci terram, & homines, & iumenta quæ sunt super faciem terræ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento.* Thargum habet: *Ego in Verbo meo feci terram, & hominem, & bestiam, quæ est super faciem terræ, & in virtute mea magna.* Ecce Verbum non solùm fecit cœlum & terram, sed & hominem, & bestias, & omnia. Oseæ verò cap. 1. habetur: *Domus Iuda miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo.* Thargum: *Saluabo in Verbo Domini Dei sui.* Et cap. 9. *Abijciet eos Dominus Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus.* Ionathas reddit: *Abijciet eos Deus meus, quia non receperunt Verbum eius, & erunt vagabundi in Gentibus.* Ecce illud Ioannis 1. *In propria venit, & sui eum non receperunt.*

Infrà 27. & Gen. 1. & seq. — Oseæ 1. — Infrà 9. — Ioan. 1.

Nec tantùm Messias dicitur Iehouah, & Iehouah explicatur à Chaldæo interprete per vocem Verbi, verùm etiam per alias voces (quibus in Hebræo ponitur sub metaphoris Messias: vt os, oculus, brachium, manus, faces, sapientia, sedēs ad dexteram) explicans nobis illas metaphoras, reddit Ionathas per ipsum Domini Verbum. In primis Messias dicitur os Dei, quia per illud locutus est nobis Pater, & osculatus est nos. iuxta illud, *Osculetur me osculo oris sui,* id est, Messiæ, siue verbi. Tamē Isai. 1. dicitur: *Quia os Domini locutum est.* Thargum: *In Verbo Domini decretum est ita.* Et cap. 48. *Priora ex tunc annuntiaui, & ex ore meo exierunt.* Thargum antiqua: *Ex tunc annuntiaui, & ex Verbo meo exierunt.* Ergò Verbum est os Dei. De quo Hierem. 15. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Chaldæus Ionathas vertit: *Et si conuertis iustos, vt fiant iusti, beneplacitum Verbi mei complebis.*

Varia nomina Messiæ, & explicationes eorum. — Messias os Dei cur nominetur. — Hebr. 1. — Cant. 1. — Isa. 1. — Infrà 48. — Hierem. 15.

Dicitur Messias oculus; quia per illum quasi oculum Deus pater omnia nostra videt: vt Ezech. 20. *Et pepercit oculus meus super eos, vt non interficerem.* Thargum: *Et pietatem habuit* (siue pepercit) *Verbum meum super eis propter dissipationem.* Et Ezech. 7. *Non parcet oculus meus, nec miserebor.* Ionathas: *Non parcet Verbum meum tibi.* Et Hierem. 24. *Ponam oculos meos super eos ad bonum,* siue, vt nostra habet litera, ad placandum. Thargum: *Ponam Verbum super eos ad bonum.* Contra verò dicitur ponere ad malum, vt Amos 9. *Et ponam oculos meos super eos in malū, & non in bonum.* Vbi pro oculis ponit Verbum Ionathas. Estque sensus: Ponam Verbum meum ad puniendū, non ad benefaciendū.

Messias oculus Dei. — Ezech. 20. — Ezech. 7. — Hierem 24. — Ponere super aliquem oculos suos in malum, & non in bonū, in Scripturis quid. — Amos 9.

Tertiò dicitur brachium Messias, quia illo nos sustentat & amplexatur, iuxta illud: *Consurge, cōsurge, induere fortitudine, brachium Domini.* Et de quo: *Saluauit sibi dextera eius: & brachium sanctum eius: & Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est?* Et habetur Isai. 5. iuxta Hebrẹum: *Et vidit Deus quia nō est vir* (Sisch. Heb.) *Et obstupuit quia non erat succurrens: & saluabit sibi brachium, & iustitia eius confirmauit eum.* Thargum: *Et manifestum fuit coram eo, & non erat homo qui surgeret & intercederet pro eis: & saluauit eos brachio fortitudinis suæ, & in Verbo beneplaciti sui* (vel voluntatis suæ) *auxiliatus est eis.* Et eodem c. paulò antè habent Hebræa: *Quia scelera nostra nobiscū & iniquitates nostras cognouimus, peccare & mentiri contra Dominum, & auersi sumus, ne iremus post tergum Dei nostri.* Thargum egregiè explicat: *Transgressi sumus & auersi sumus in Verbum Domini, & conuersi sumus retrorsum, ne iremus post timorem Domini Dei nostri,* id est post Messiam, quem negauerunt, & mendacio eius resurrẹctionem celarunt, ne illum sequerentur.

Messias brachium Dei. — Isai. 51. — Psalm. 97. — Isai. 53. & Ioan. 12. & Rom. 10. — Dan. 9. — Act. 3. — Matt. vlt.

Dicitur item Messias manus Dei, quia per illum, quasi per manum, mundum condidit, & per illum nos apprehendit. Et à Chaldæo vertitur Verbum. Isai. 48. *Manus quoq; mea fundauit terram.* Thargum: *In Verbo meo, vel cum Verbo meo fundaui terram.*

Messias manus Dei.

Dicitur etiam Messias, facies Dei, iuxta illud Psalm. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Et Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam faciei meæ, vel ante faciem meam.* Angelus est Ioannes Baptista præparator viarum Domini: Facies Dei, est Christus, quo viso, videtur & Pater, secundùm id, *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Et tamen Hierem. 5. dicatur: *Me ergò non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari.* Thargum: *An à facie mea non timebitis? an à facie Verbi mei non contremiscitis? Qui posui arenam, &c.*

Messias facies Dei. — Psal. 79. — Malach. 3. — Matth. 11. — Ioan. 14.

Vocatur etiam Messias Sapientia, de qua in Chaldaica secunda interpretatione pro illis verbis, *In principio creauit Deus cælum & terram,* habetur: *In sapientia sua creauit Deus cælum & terram.* Et tamen Psal. 103. ait David: *Quamquam magnificata sunt opera tua Domine? Omnia in sapientia* (vel, cum sapientia) *fecisti.* Et Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum excidit columnas septem:* id est, Fabricauit mundum cum septem planetis, vt explicant Iudæi.

Messias Dei sapientia. — Gen. 1. — Psal. 103. — Prouer. 9. — Quid illud: Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, iuxta Iudæorum intelligentiam.

Quòd verò hæc Sapientia per se subsistat, vt hypostasis diuina, docet Salomon Prouerb. 8. *Quando præparabat cælos, aderam,* scili-

Suprà 8. — Vbi Salomon

Verbum Dei, doceat esse per se subsistens. scilicet apud Patrem. Et infrà: *Cum eo eram cuncta componens.* Et Sap. 9. *Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam.* Et infrà: *Et tecum Sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc, cùm orbem terrarum faceres, & & sciebat quid esset placitum oculis tuis, quid directum in præceptis tuis.* Rursus infrà: *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tua, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia, & intelligit.* Si ergò hæc Sapientia assistit Deo, vt Angeli dicuntur assistere Deo, vt personæ intellectuales, si scit omnia, si erat cum illo cuncta componens, si mittitur de cœlo, vt nobiscum sit & nobiscum laboret, non est quid creatum, vel accidentarium Deo, sed diuina hypostasis, quæ erat ante omnem creaturam. Nec mirum si tãta Dei mysteria explicet hic Sapientiæ liber, qui cap 2. tradit passionis Christi Sacramentũ. Datur etiam Messiæ sedere ad dexteram Dei iuxta illud Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo.* Primum est nomen Iehouah, secundum Adonai. Chaldæus vertit: *Dixit Dominus in Verbo suo,* vel Verbo suo Messiæ. *Sede ad dexteram meam.* Et teste glossa Hebræa in Psalm. 17. & Paulo ad Hebræos, sedere ad dexteram Dei, tanti honoris est, vt soli cõueniat Messiæ, seu Verbo, vt personæ distinctæ à Patre: non enim nostro conceptui damus locum, vt sedeat ad dexteram.

Suprà 9. *Dan. 7. & Luc. 1. & alibi aitiis.* *Eccl. 24.* *Messiæ datum sedere ad dexteram Dei.* *Psal. 109.* *Matth. 22.* *Heb. 1.*

Epilogus dictorum. Habes ergò ex tanta diuinorum testimoniorum silua Verbum fuisse à principio, siue in principio, quo condita sunt vniuersa, & fuisse Verbum apud Deum Patrem suum, & fuisse Deum, & magnum, & verum Deum, & distinctam personam à dicẽte, quia vocatur Iehouah: & in paraphrasi Chaldæa Iehouah reddi per Verbum. Atque hactenus quidem de Deitate Verbi dictum sit.

I. Documentũ huius sententiæ: Et Deus erat Verbum. Vltimò, his verbis excitati demus operam, vt fidem tanti mysterij in cordibus nostris nutriamus, vt per illam similiter & nos apud Deum nutriamur. Habemus enim, Verbum distinctum esse à patre proprietate & persona contra Sabellium: est tamen vnum in natura & essentia contra Arrium. Nam etsi plures sint personæ distinctæ, vnus est tamen Deus in essentia.

II. Documentum. Secundò nutriamus fidem Mediatoris: per hoc enim quod Deus est, & consubstantialis Patri Filius, non potest ei non esse gratissimus, atque maximè acceptus, dum pro nobis intercedit apud Patrem. *Heb 7.* *III. Docum.* Tertiò, ingens nostra dignitas, & humanæ naturæ gloria ex his verbis colligitur: quia natura nostra ad Deitatem eleuata, & euecta est.

Contra Arrianos. Quamobrem Arriani pessimè de Christo, & de natura humana meriti sunt: quia & sibi ipsis, & nobis hanc tantam gloriam inuidebant, & Christo adimebãt illud quod ei Pater dederat, & quod maius omnibus est, vt ipse Christus dixit. *Ioan. 10.* *IV. Docum.* Quartò elicimus omnes Christi operationes & passiones in humanitate infiniti fuisse pretij & valoris ad hominem iustè redimẽdum, ac per hoc conuenientissimè exorditus est ab Ouo (vt dicunt) texere historiam. *V. Documentum & vltimũ.* Postremò, absolutè dicitur, Deus erat Verbum, non dicto aliquo, quemadmodum nos dij sumus. Nam illud: *Ego dixi, Dij estis,* significat: Meo dicto dij estis per participationem & gratiam. *Psalm. 81. & Ioan. 10.* *Quid illud: Ego dixi, Dij estis.* Neq; etiam dixit: Verbum erat Deus vallium, aut montium, aut populi Israel, quemadmodum Moysi dixit: *Ecce constitui te Deum Pharaonis:* *Exod. 7.* sed simpliciter & absolutè dixit, quòd Verbum erat Deus; ad confusionem inuidi dæmonis, Arrij, Mahometi, & omnium Iudæorum & Paganorum malè de mysterio Trinitatis sentientium, *Quorũ Christo diuinitatẽ eripientium errorem confutet Ioannes.* & ad consolationem & ędificationem fidelium, qui tanto Dei mysterio credito gloriantur & exultant: pręstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto ab omni creatura impendatur omnis honor, gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

TRACTATVS VII.

In quo exponitur illa quarta sententia:

Hoc erat in principio apud Deum.

EPIPHANIVS In Alogianos disserens, tradit, quosdam sui temporis hæreticos extitisse (inter quos fuit Theodorus Byzantius Coriarius) qui affirmabant Euangelium Ioannis, quod nunc habemus, à Cherintho editum fuisse sub nomine Ioannis, ac per hoc illud non recipiebant. *Epiphan. in hæresi 51. prope initium.* *Ioannis Euangelium Cherinthi nõ esse demonstratur.* Idē docet Philastrius inter anonymas hæreses in Catalogo suo. *Philastr. in Catalo. hæres. cap. 60.* Sed quomodo (vt Epiphanius ait) erit hoc Euangelium Cherinthi, quod contra Cherinthum dicit? Cherinthus enim recẽtem & nudum hominem Christum habet. Ioãnes autem semper existens Verbum prædicauit, & ex supernis venisse, ac incarnatũ esse. *Ioan. 8.* Deinde, quæ causa mouere potuit aut debuit, Cherinthum, vt Euangelium à se conscriptum, alterius nomine inscriberet, quo se proprij laboris honore fraudaret, atque alium de suis operibus honoraret? *Ioannes Euangel. in Cherinthum hæreticu quantũ ferretur odio* præsertim verò Ioannem

nem Apostolum hostem suum, quo cum implacabiles inimicitias, ac sempiternas habebat, & cui se propter hæresin adeò infensum esse dicebat, vt ne vel quidem conspectum eius, vel præsentiam ferre posset Ioannes Qui, vt scribit Irenæus, cum apud Ephesum lotionis ergo balneas fuisset ingressus, ibique Cherinthum vidisset; continuò illotus exiuit, dicēs: *Fugiamus hinc, ne & balneæ ipsæ corruant, in quibus Cherinthus lauatur veritatis inimicus.* Ad hæc, cur Euangelium suum de nomine Ioannis inscriberet, qui omninò Ioannis Euangelium negat, & solum Euangelium quod secundum Hebræos appellatur, recipiebat, reliqua omnia reijciebat?

Iren. lib. 3. c. 3. in fine.

Cherinthus veritatis inimicus.

Nullum Cherinthus præter Hebræorum Euangeliū omnino agnouit, ac recepit.

Quod verò obijciebant Alogiani, non esse recipiendū Euangeliū Ioannis, quod Christi generationem non scripserit: vanū ac futile est. Nam Ioannes hoc habet peculiare, vt omittat ea, quæ ab alijs diligenter enarrata sunt; addat verò, & suppleat ea, quæ illi prætermiserunt. Vnde cum generationem Christi secundum carnem à Matthæo & Luca integrè descriptam legisset, illam prætermisit, & generationem Verbi secundum diuinitatem, nondum ab illis explicatam suppleuit, & addidit.

Matth. 1. & seq. Luc. 2. & infra 3.

Circa hanc quartam Ioannis sententiam non pauca dicenda supersunt, cum præcedentium sit quædam repetitio, & epilogus. Primò ergo dicemus, quorsum facta sit hæc repetitio. Deinde ostendenda erit, Verbi ad Patrem coæternitas, & consubstantialitas.

Propositio tractandorum.

Tertiò quædam in genere de his quatuor Euangelistę sententijs erunt explicanda. Ad primum igitur, tres illæ sententiæ præcedentes repetuntur; vt intelligas (teste Origine) non solum illas singulatim esse veras, sed etiam simul & coniunctim. Est ergo sensus: Hoc Verbū quod erat in principio, & quod erat apud Patrem, & quod erat Deus, in principio Deus erat, & apud Patrem Deum erat. Secundò per hanc sententiam habes, Verbum natura, & voluntate non esse a Deo distinctum, sicut dij Gentium inter se distincti sunt, vt Iuppiter, Saturnus, Mercurius, Apollo: & sicut sunt distincta duo illa principia, alterum boni, & mali alterum: quæ stultissimè constituebāt Manichæi. Licet ergo Verbum sit in principio, & apud Deum, & Deus: non tamen alius natura, alius voluntate Deus. Nam hoc Verbum erat in principio apud Deum, accipiens naturam & voluntatem à Deo. Atque in hūc modum exponit Hilarius. Tertiò, addit Cyrillus in Ioannem Eunomianos sensisse, aliud esse Verbum interius atque insitum naturaliter in Deo, & aliud quod in scripturis Filius Dei dicitur, per quod cuncta condidit, interiori Verbo, atque insito simillimum. Propter quos refellendos subintulit: *Hoc dico Verbum, quod in principio erat, hoc quod apud Patrem erat, hoc quod erat Deus ex Deo: hoc inquam, & non aliud est, de quo librum istum conscribimus.* Sic enim primò argumentabatur Eunomius: *Si Verbum, inquit, naturale internum, atque insitum Deo Patri, ipse Filius est, & est consubstantiale Genitori: quid prohibebit ne Pater Verbum sit, & vocetur? & ita erunt duo Verba in diuinis?* Deinde: *si Verbum Filius Dei est, nec præter ipsum aliud est, quo Verbo, inquit, Pater ad Filium dixit: Filius meus es tu: ego hodie genui te? Cum enim omne quod dicitur, Verbo non aliter dicatur, patet non absque Verbo ita Patrem ad Filium fuisse locutum Ipse quoque Saluator: Scio Patrem ait, & Verbum eius seruo.* Et rursus: *Verbum quod auditis, non est meum, sed eius qui misit me. Quoniam igitur Verbo Pater Filium alloquitur, & ipse quoque Filius fatetur modo, quia Patris Verbum seruat: modo quia non suum, sed Patris Verbum Iudæi audiebant: quomodo proculdubiò non erit concedendum alium esse Filium, quam interius atque insitum, id est, in motu intelligendi Verbum: quo suscepto & eo plenum prolatum Verbū, & substantiæ Patris expressiuum, Verbum vocatur, & Dei Filius?*

Cur Ioannes hanc sententiam replicauerit. Hoc erat (Verbū scil.) in principio.

Orige. hom. in Ioan. 1. sub initium, tom. 2.

II. Ratio.

Duo principia boni, & mali, impij olim Manichæi constituebant.

Hilarius li. 2. de Trin. operis initio.

III. Ratio.

Cyril. lib. 1. in Ioan. ca. 4. in prin. tom. 1. ini

Aduersus Eunomianos aliud esse interius atque insitā naturaliter in Deo Verbum, & aliud quod in scripturis Filius Dei dicitur, impie dogmatizantes.

Eunomianæ argumenta impietatis proponuntur.

I. Argum.

Secundum.

Psalm. 2. & Hebr. 1. & 5.

Ioan. 8.

Tertium.

Infrà 14.

Sed hæc leuia sunt, & infirma: nulla enim ratio cogit, propterea, quod Pater verbo suo consubstantialis sit, idcircò Verbum quoque appellari. Nam & Pater noster Adam filio suo consubstantialis fuit, nec ob id in filium decidit, nec filius in locum Patris ascendit. Nam si consubstantialitas nullum discrimen inter consubstantialia constitueret, quare omniū iudex non punit filium pro Patre, vel Patrē pro filio, sed *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.*

Proposita Eunomij contra Christi consubstantialitatem cum Patre, argumenta soluuntur.

Ezech: 18.

Ad illud: *Quo Verbo dixit Filio Pater: Ego hodie genui te?* Sed intellige, Prophetam hęc reuelatione accepisse à Deo, & personam Filij induisse, ac ita se audiuisse à Patre asserit, *Filius meus es tu*: qui sermo nostræ imbecillitati est accommodatus, vt aliquo modo capiamus diuina mysteria. Superant enim sermonem, & ingenium nostrum res diuinæ: vnde fit, vt multa, non vt dicuntur, sed vt rebus conueniunt, intelligantur.

Psalm. 2: Psalm. 109.

Quo verbo dixerit Filio Pater Ego hodie genui te, & ex vtero ante luciferum genui te.

Ad tertium, putabant Iudæi Christum mendacem, & Dei legem, & Sabbatum contemnere: idcirco ipse respondit, se Patris mandata, & verba optimè seruare, etiam in eo, quòd legem videretur abrogare, quia dicebat: *Ego sum veritas.* Quasi diceret; excutite legis iugum, ô Iudæi: suscipite spiritalem cultum, vmbras atque figura-

Cur Christus dixerit se Patris verba, & mandata seruare teste Cyrillo.

Ioan. 14.

Ibidem.

procul abijcite, & veritatê iam præsentem sequimini. Idcircò rectè dicebat: *Et Verbum quod audistis, non est meum, sed eius qui misit me, Patris.* Hæc in illum errorem Eunomij ex Cyrillo deprompsimus.

Quarta ratio repetitionis huius sententiæ. Hoc (scil. Verbum erat in principio apud Deum.

Quartò, hac sententia significatur, Verbum fuisse intimum Patri ab æterno, & non expansum foras per Incarnationem.

V. Ratio.

Quintò, explicatur in hac sententia Verbi ad Patré coæternitas, quia hoc in principio apud Deum æternum erat: id est, ex quo Deus est Deus, ab eo cogitato tempore Verbum est apud illum. Et hæc est expositio Chrysostomi.

Chryso. hom. 3. in Ioan. tom. 3. initio.

Concedebant enim Arriani, Verbum esse in principio creaturarum, & ante illas: sed coæternitatem illius cum Patre, negabant: quod dogma directè hæc verba Ioannis, & manifestè iugulant. Semper enim & fuit, & est, & erit Filius apud patrem, siue cum Patre. Ab æterno illum genuit Pater, nunc & illum gignit, gignetque eundem in æternum.

Psalm. 2

Semper item Pater & Filius Spiritum sanctum ex sese protulerunt, proferunt assiduè, intermissuri nunquam.

Simile.

Sicut enim si est calefaciens, est & proculdubio id quod calefit, & ipsa insuper calefactio: ita si est Pater, & Filium esse oportet; & si est Pater, & Filius, necesse est amborum spiramen esse. Et de primo hactenus dictum sit.

Verbum Patri esse coæternũ, scripturis euincitur.

Ad secundum: Verbum esse Patri coæternum, Scripturis sacris euincitur. Proptereà enim dicitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum: Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis.* Rursus: *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam:* Et Michæas: *Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Et psaltes: *Sedes tua in seculum seculi; Virga directionis, &c.* Et Ioannes: *Quod fuit ab initio, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Et iterum: *Hic est verus Deus, & vita æterna, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est:* qui de se ipso dixit: *Antequam Abraham fieret, ego sum:* & Pater ad eum: *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Et rursus: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quæ omnia, si quis rectè expendat, non obscurè æternitatem Filij cum Patre demonstrant.

Prou. 8
Eccl. 24
Michæ. 5
Psalm. 44
1. Ioan. 1
Infra 5.
Apoc. 1.
Ioan. 8
Psalm. 109.
Psalm. 2

Eadem veritas rationibus confirmatur. Ratio I.

Secundò, idem rationibus ostenditur. Primò enim, si Filius eadem subsistit substantia qua Pater, si Pater æternus est, erit & Filius æternus, cum relatiua sint simul natura. Vnde Marius Victorinus: *Homousion ergo, non ex nihilo, vel ex non extantibus, nec erat quando non erat. Et ita vno Verbo perijt omne Arrij venenum, quia omnem substantiam & æternitatem significat.* Hæc ille. Et Cyrillus: *Sicuti si præfuisset* (scilicet Pater) *non esset consubstantialis: sic quoniam non præfuit, consubstantialis omninò est. Non potest enim coæternus esse Patri, qui ex ipso naturaliter non est: creatura enim coæterna est.*

Marius Victorin.

Cyril. lib. 2. Thesaur. ca. 1 initio tom. 2

Secunda.

Deinde eadem mensura, substantia & actio Dei mensuratur, sicut corpora, & eorum operationes tempore; Angeli verò cum suis actionibus naturalibus, quales sunt cognitio sui ipsius, & amor, æuo mensurantur. Cum ergo æternitas diuinam naturam metiatur, profectò eius operatio naturalis, quam productionem Filij, siue generationem vocamus, eadem æternitate metienda erit.

Tertia.

Ad hæc, si in multis creaturis inuenimus effectus, & operationes suis causis coæuas: nam calor igni, splendor Soli, vmbra corpori, vestigium pedi, verbum menti, saltem Angelicæ, coæua sunt, & simul tempore: quid ni ergo Patri æterno coæternus sit Filius? maximè cum causa ob id præcedat effectum, quia vel per motum agit, vel ab alio pendet, vel liberè, & contingenter operatur: quæ omnia vtpotè imperfecta, in diuina generatione locum non habent. Vnde Ambrosius libro de Fide: *Sempiternitas, inquit, Filij paternæ maiestatis insigne est. Si iste non semper fuit, ergo ille mutatus est. Sed si semper fuit Filius, ergo nec pater aliquando mutatus est, qui immutabilis semper est.*

Ambros. li. de Fide, ca. 5 sub initium, to. 2.

Quarta.

Præterea, quemadmodum ex ferro non fit lignëus clauus, sed ferreus, & ex substantia temporali & corruptibili non fit productio æterni, vel incorruptibilis: ita nec ex æterna Patris substantia prodire potest aliquid temporale, & corruptibile: impossibile est ergo non æternum filium, & incorruptibilem oriri ex æterna Patris substantia. Vnde rectè Cyrillus libro Thesaurorum scribit: *Si ex mortali mortale nascitur, & corruptibile ex corruptibili: contra quoque necesse est, vt quod ex æterno, & immortali nascitur, id æternum, immortaleque sit.*

Cyril. libro 1 Thesaur. ca. 5 sub initium, tom. 2

Quinta.

Præterea, si Deus semper est Deus, semperque potens creare, semperque Pater: necessariò ei erit coæternus Filius: nam oppositum in Patris dedecus cederet, & eum mutatum argueret, & aliquando non fuisset Trinitas, scilicet quando Verbum non esset: quę omnia absurda, & inconuenientia maxima, veteres Patres esse nouerunt. Nam Athanasius libro de vnita, ac sempiterna substantia Trinitatis: *Vtique, inquit, reuera, si filium natiuitas impediunt ne sempiternus esset, quem tardè, aut serò natum* (hæreticum alloquitur) *esse asseris, necesse est vt & genitori natiuitas Filij sui impedimentum attulerit, ne sempiternus sit, si supra genuit.* Et infrà: *Si omnipotentis, tanquam bonum egenti per ordinem dignitas creuit, prius iam omnipotens non fuisse cognoscitur*

Athanas. lib. 5. de Trin. propè initium, tom. vlt.

gnoscitur

Basil. lib. 2. in Eunom. inter med. & init. tom. 1.

gnoscitur, quia subinde accedit, dum vsque ad summum [illegible] gradum peruenerit, adhuc inferior ab eo esse [illegible]. Item Basilius aduersus Eunomium: *[illegible] bonum [illegible] est diuinæ beatitudini Patrem esse, [illegible] ergo à principio quod decebat, [illegible] non aderat? At enim melioris [illegible] generatione, aut impotentia fuisse hunc defectum ratiocinabuntur. [illegible] generatione quidem, si posteà quod est melius aduenerit: impotentia verò, si sciens atque intelligens, quod [illegible] est, assequi non poterat. Sed si quod [illegible] nefas dicere, non est et bonum Patrem esse, [illegible] gratia commutatus peius elegit.* Cyrillus quoq; lib. Thesaur. *Accedit, quod Filius cum à Patre generetur, Verbum, & sapientia & splendor Patris est. Quare qui asserunt, aliquando ipsum non fuisse, insipientem, & sine Verbo, ac splendore suo Patrem fuisse asserunt, quod impium omnino est.* Et infra lib. [illegible] *[illegible] olem ergo respondeant [illegible], si lux quæ est ex eo, semper cum eo [illegible], an es semper [illegible] inerat & [illegible] semper [illegible] nerint fuisse quæ ex ipso [illegible] æterno Deo Filium semper [illegible].* Et rursus idem: *Alius enim diuinæ generationis modus est, quam humanæ, simul enim [illegible] Deum, & generare ipsum credimus, quamuis mente generatio post intelligatur. Erat [illegible] genitus Filius, nec præcedit generatio eius esse [illegible], sed semper simul, & est, & generatur. Quare qui ausus est dicere, cessasse [illegible] à generando, crimine impietatis non caret. Tres enim mutationes in diuinam induxit naturam, quia tria spatia in huiusmodi generatione quæ [illegible] necessario dantur: vnum ante generationem, alterum in ipsa, tertium post ipsam. Si ergo [illegible] genuit, vt inciperit, & genuerit, & cessauerit, quomodo immutatus non est? aut quomodo [illegible] creator? & quomodo Paulus [illegible] de Christo dicit, per eum facta esse omnia [illegible] aliquod spatium, antequam natus esset, secundum furorem istorum præcessit? Ad hæc, quomodo in tempore genuit Deus, ac in spatio & duratione, qui huiusmodi naturam [illegible] vt cætera omnia excedit? Nec tamen omne quod generat, hoc est, producit ex se naturaliter, à non generando ad generandum procedit: [illegible] quod generat, generare quoq; necessario [illegible].* Hucusque ille. Ex cuius verbis habes, Filium [illegible], nec ratione esse aliqua duratione Patre posteriorem: illa enim duratio & creatura esset, & non per Verbum facta. Idcirco falsus fuit Tertullianus, scribens in Hermogenem, Deum non semper Patrem fuisse, & fuisse tempus, quando nó fuit filius. Falsus etiam Eusebius Cæsariensis, libro de Demonstratione Euangelica, docens: Neque verò Filius absque principio cum Patre simul existit: quoniam ille quidem ingenitus, hic verò genitus est. Sed [illegible] hæc non possunt consistere. Nec

Cyril lib. 1 Thesaur. ca. 5 ante med. to. 1

Dicere, Verbum aliquando nó fuisse, quid sit.

Idem eodem c. 6. ante med. aliquanto.

Quisnam modus diuinæ generationis teste Cyrillo.

Patrem Deum à generando [illegible] quid dicit, triplicem [illegible] in diuina [illegible] mutationem inducit.

Hebr. 1

Tertullianus, Eusebius, [illegible] Deum [illegible] aliquando fuisse [illegible] reprobatur.

[illegible] libro de Demonstr. [illegible] cap. [illegible] tom. 1

enim Pater producens aliquando fuit in potentia ad producere, nec Filius productus, fuit in potétia ad produci. Cum enim productio est æterna, producens non est prior producto. Errabant etiam Arriani, ex creaturis metientes virtutem Creatoris, & illo eodem modo eum generare, & producere, quo creaturæ: cùm tamen Filius dicatur ex vtero genitus, ex ore prodiens, vel in Patre existés; quare nec opus est vt Pater Filium procedat, vt homo filium suum. Vnde Basilius in Eunomium pulchrè ait: *Nec enim principio possibile est antiquius quid excogitare: non esset enim principium, si quid ante se haberet superius: neque quod erat cogitatione transgressos ad id quod non erat, ascendere: contemnere enim est, quod erat, si quod non erat, excogites.* Et infrà: *Illud verò, cui mentis compos non videbitur, quemadmodum oculus cum luminata loca exierit, ac in obscura inciderit, propter priuationem luminis videre desinit: sic intellectus, si extra id quod est, imaginationibus compellatur, cum veritas quasi lux eum derelinquat, confusus, & insipiens ab intelligendo desinit. Nec igitur oculus, si lux non est, visu vti poterit: nec intellectus ab Vnigeniti sensu deductus, officio intelligendi vtetur.* Et infrà: *Simile est si quis interroget quid futurum sit post obitum immortalis: & si quis quærat quid erat ante generationem æterni.* Hilarius etiam libro de Trinitate: *Vnigenito Deo, cui non præest tempus anterius, non relinquitur vt aliquando non fuerit, quia ipsum illud aliquando iam temporis est, & incipiet non post eum tempus esse, sed & ipse est post tempus, cui in eo quod antequam nasceretur non fuit, id ipsum in quo non fuit præferatur.* Hactenus illi.

Diuinam inter & humanam generationem Arriani nil [illegible] discernebant.

Psalm. 109.

Eccl. 24

Ioan. 14

Basil. lib. 2. in Eunom. tom. 1.

Simile Basilij de intellectu ab intelligendo extrinsecus impedito.

Hilar. lib. 12. de Trin.

Quando ergo Doctores asserunt, Patrem priorem Filio, non intelligás tempore, nec natura, sed origine. & quia nos prius concipimus hominem esse, quam Patré; eadem ratione prius concipimus Deum, quam Patrem. Reuera tamen sicut ex tempore cœpit Deus dici intuitu creaturarum, quas sua prouidentia curat, & gubernat: ita ab æterno & semper fuit Pater. Quæ tantò maior est dignitas, quàto generatio de propria substantia excellit illam, quæ est ex nihilo; & quanto præstantior est Deus genitus creatura à Deo códita, & ex nihilo producta; & denique quantò infinita causa nobilior est effectu finito, & æternum agens temporali præstat artificio.

Patrem priorē filio tantum origine sentiunt Patres.

Filij Dei æterna generatio humana quanto superat intervallo.

Illud etiam diligenter aduerte, ita esse æternam diuinam generationem, vt & Filius semper generetur, ac si nondú esset perfectè genitus: & semper genitus, ac si finita & completa esset generatio. Vnde Dominus dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*

Filius Dei ita genitus est, vt tam etiam semper generetur à Patre.

Psalm. 2. & Hebræor. 1.

Vbi

vbi verbum eſt præteriti perfecti, & aduerbium Hodie, de præſenti: quia & perfecte genitus, & perfectè ſemper gignitur. Vnde Gregorius lib. Moral. ait: *Dicendum, naſci Filium, & natum, quia perfectus eſt, & ſemper naſcitur ob æternitatem.* Et Origenes in Iſaiam: *Saluator noſter ſplendor eſt gloriæ. Splendor autem non ſemel naſcitur, & deinceps deſinit naſci: ſed quotieſcunque ortum fuerit lumen, ex quo ſplendor paritur, toties oritur & ſplendor gloriæ. Saluator noſter ſapiētia eſt Dei. Sapientia verò eſt ſplendor lucis æternæ. Sic igitur Saluator ſemper naſcitur, & ideo dicit: Ante omnes colles generat me, non, vt quidam malè legunt, genuit.* Hæc ille, citans locum illum: *Ante omnes colles ego parturiebar.*

Greg. lib. 29. Moral. cap. 1. tom. 1.
Orig. hom. 9. in Iſai. in fin. tom. 1. mediū inter & finem Hebr. 1.
Aeterna verbi generatio quales, ſecundum Orig.
Prouerb. 8

Ad tertium, & poſtremum: Habemus ex his quatuor ſententijs, quatuor dogmata Fidei ad Verbum ſpectantia. Primum, æternitatem Verbi: Secundum, diſtinctionem Verbi à Patre: Tertium, Verbi conſubſtantialitatem, & deitatem: Quartum, Verbi cum Patre coæternitatem. Secundò, prima ſententia ruunt Cherintus & Ebion: Secunda ruit Sabellius cum Patropaſſianis: Tertia Eunomius hæreticus, aſſerens Verbum Patri diſſimile: Quarta cadit Arrius cum ſuis ſectatoribus, conſtituens Filium in ſubſtantia, & in duratione Patre minorem. Rurſus tertiò traducuntur, & iugulātur opiniones falſę Philoſophorū de dijs. Et prima quidē ſententia ruit opinio Gentilium nouos deos & iuniores ponentium, vt annotauit Chryſoſtomus. Secunda ſententia corruunt Platonis ideæ à Deo ſeparatæ, cum vna ſit tantum Dei idea ipſi intima, & coniunctiſſima, de qua dicitur: *Et Verbum erat apud Deum.* Tertia ſententia cadit multitudo deorum, & natura diſtinctorum, quam Ethnici ponunt. Quarta damnatur æternitas, quam creaturis Ariſtoteles aſſignauit, vt mundo, motui, tempori, & materiæ primæ: nihil enim æternum eſt, præter vnum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum.

Quatuor ex prædictis ſententiis dogmata Fidei colliguntur ad Verbū ſpectantia.
Falſa itē Philoſophorum quatuor dogmata per eaſdē ſententiās confutantur.
Chryſ. hom. in Ioan. 2. tom. 3 initio.
Ariſt. lib. 8 Phyſic. & alibi, tom. 2.

Quarto, conſideranda eſt differentia Ioannis ab alijs tribus Euangeliſtis. Illi enim generationem Chriſti temporalē ſecundùm carnem deſcribunt; hic verò ęternam, in prima ſententia. Deinde illi Emanuelem natum hominibus, viſum à paſtoribus, & adoratum à Magis; hic verò Verbum à ſolo Patre ab æterno cognitū, & poſſeſſum, in ſecunda ſententia. Tertiò, illi Filium hominis, & filium fabri vocāt; hic verò, Deum per eſſentiam, in tertia. Quartò, illi narrāt cōuerſatum cum peccatoribus, & publicanis; hic verò cum Patre cōuerſatum ab ęterno, in quarta ſententia. Quintò illi factum Verbum ſecundum carnem, recenſent; hic vero Verbum omnium factorem & conditorem, in quinta & immediata ſententia. Quintò rurſus Ambroſ. lib. 1. de Fide, cap. 5. *Omnes*, inquit, *hæreſes hoc capitulo breui: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &c. Piſcator noſter excluſit. Quod enim erat in principio, non includitur in tempore, non principio præuenitur. Ergo Arrius conticeſcat. Quod autem erat apud Deum, non commixtione confunditur, ſed manentis Verbi apud Patrem ſolida perfectione diſtinguitur, vt Sabellius obmuteſcat. Et Deus erat Verbum. Non ergo in prolatione ſermonis hoc verbum eſt, ſed in illa cæleſtis deſignatione virtutis, vt confutetur Fotinus. Quod verò in principio erat apud Deum, ſempiternæ diuinitatis in Patre & Filio inſeparabilis vnitas edocentur, vt erubeſcat Eudoxius & Eunomius. Poſtremò, cum omnia per ipſum facta dicantur, ipſe conditor Noui vtique Teſtamenti, & Veteris deſignatur, vt Manichæus locum tentationis habere non poſſit.* Hæc ille, acutè ſatis, doctè & eleganter.

Ioannes ab alijs tribus Euangeliſtis differt in quinq;
Matth. 1. & Iſai. 7
Luc. 2
ibidem. & Matth. 2
Prouer. 8
Matth. 13
Suprà 9
Ambroſ. to. 2
Quàm verbis Euang. Ioā. de diuinitate Chriſti oēs hæreſes confutentur, ſecundum Ambroſium.

Sextò rurſus cōſiderandum, quemadmodum Piſcator Euangeliſta Ioannes ea ſupplere videatur, quæ balbus paſtor Moyſes inchoauerat. Nam ille meminit principij temporalium, & viſibilium; populus enim ille non capiebat æterna, hic verò nobis iam ſpiritualibus, æternitatis principiū proponit. Nihil etiam refert, ſi exponas, *In principio*, ſcilicet illo, quo Moyſes dixit, Deum omnia creaſſe ex tempore, & dixiſſe: *Fiat lux, &c.* Nec dixit, quale fuerit Verbū illud, in illo, inquam, principio erat Verbum apud Deum, & nondum adhuc carnem aſſumpſerat: & rurſus, illud Verbum in ſubſtantia Deus erat. Et ita oſtenditur, Nouum Veteri Teſtamento eſſe connexū, illiq; perfectionem & lucem addere. Deinde ille dixit: *In principio creauit*: hic verò, *In principio erat.* Et quemadmodum, Eſt, verbum, ſi de homine dicatur, tempus pręſens duntaxat, ſin autem de Deo ſempiterno atque perpetuo, ſimiliter præſens, ſed æternum ſignificat, & ideò dixit: *Verbum erat in principio*: itacum de creata natura ſermo habetur, vtitur præterito, & illo quidem finito, atq; perfecto, nempe creauit. Tertiò, ibi dicitur Deus, ſiue, vt in Hebræo habetur Eloim, quo verbo Trinitas implicitè ob paruam capacitatē Iudæorum traditur; hic verò apertis verbis de Verbo, & Patre, in quibus & Spiritus ſanctus ſubintelligitur. Quartò, illic dicitur: *Creauit ſeptem diebus*: hic vno verbo omnia facta eſſe traduntur. Quintò, ibi dicitur frequenter dixit Deus, Fiat hoc, vel Fiat illud; hic explicatur quid ſit illud dicere, cū per Verbū oīa facta ſint.

Quæ tam ue quæ Moyſes Propheta inchoauerat, Euang. Ioā. ſupplere videatur.
Exod. 4
Gen. 1. & ſeq.
Veteris inſtrumenti cum nouo cohærentia multis oſtenditur.
II. Ratio conuenientiæ
Gen. 1
Ioan. 1
III. Ratio.
IV. Ratio.
V. & ſexta.
Gen. 1. & 2

Infrà 3. — Septimo. — *Ibidem.* — Octauo, & postrema. — *1.Corint.15.*

Sextò, ibi creatur homo ad imaginem & similitudinem Dei; hic verò, Verbũ Deus factum est ad imaginem & similitudinem nostram, cùm Verbum caro factum est. Septimò, ironicè ibi dictum ad Adam: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*: hic verò nos vere asserere possumus: Ecce Deus quasi vnus ex nobis factus est. Octauò, ibi exul à paradiso terrestri primus homo factus Adam describitur: hic verò secundus Adam, Christus à cœlesti paradiso exulat, vt nos errantes illuc reducat.

Quo pacto nos fieri Verbum Christi, & diuinitatem eius adipisci valeamus. — *Ioan.17.* — *Philip.2.*

Discamus igitur nos ex tam pulchris speculationib. esse verbum Christi, vt ille est Verbum Dei, id est, quemadmodum ille vita, doctrina, & morte Patrem glorificauit; ita nos corde, lingua, & bonorum operum exemplo, Christũ, cuius Verbum sumus, dicamus. Quemadmodum Philippẽses commendantur ab Apostolo, quòd essent sicut luminaria in mũdo, Verbum vitæ continẽtes. Deinde, sicut Verbum Deus omnipotens, sapiens & bonus est, demus operam, vt nos quoque dij simus per participationem: quod ita obtinemus, si gratiâ Dei, per quam & omnipotentes quodammodo sumus & sapientes, & boni nostra culpa non amiserimus, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto honor sit & gloria, & imperiũ in secula seculorum, Amen.

TRACTATVS VIII.

Quo peculiariter de Verbi cum Patre consubstantialitate, ex Scripturis Noui Testamenti contra Arrianos latè disseritur.

Hæc tractatio quàm vtilis sit futura lectoribus.

ETsi præcedenti tractatu nonnulla nobis sint dicta de Verbo consubstantiali Patri suo Deo, & præsertim ex Veteris Instrumenti libris permulta & solida testimonia ad tãtam veritatem corroborãdam produxerimus: præsenti tamẽ loco ex Noui testamenti sententijs in Arrianos decertare, vt suprà polliciti sumus, decreuimus: quod sanè & ad Scripturas pleniùs & luculentiùs intelligendas, & ad completã Verbi Dei tractationem, & ad iugulandam Arrianam perfidiam & impietatem, quę olim innumeras fidelium myriades occupauit, & nostro seculo per nouos Arrianos ab orco reuocata, reuixit, euertendam, sed præsertim ad detegendos thesauros sapientiæ & scientiæ Dei, quibus veteres Patres in dimicatione contra eos, aut dicendo aut scribendo splenduerũt, spectare videtur. Nam fortissima argumẽta Orthodoxorum Patrum contra illos, & Scripturarum locos Catholicis eorum explanationib. illustratos, & technas, & fraudes hęreticorum per nostros Doctores detectas, & vt infirmas ac debiles confutatas, & ad nihilum reductas proponere, non inutile lectoribus, vel ingratum fore existimaui.

Impiè de Dei filio Arriani quid senserint.

Arriani igitur, vim in re ipsa facientes, primùm negabãt Filium Dei eiusdem esse naturæ siue substantiæ cum Patre, & ab eo potiùs factum quàm genitũ, & reliquis creaturis quæ per ipsum sunt conditæ, præpositum, & non esse antequam nasceretur, vt ex non extantibus subsistere eum facerent. Deinde verò contendebant, non licere vocare Filiũ Homousion, aut ea voce vti quę in sacris literis expressa non esset. Sed mentita est iniquitas sibi. Christus enim primus hoc mysterium ore suo detexit cùm dixit: *Pater manifestaui nomen tuum hominibus*: illud admirandis operum signis comprobauit. Vnde & Ioan. 5. habetur: *Propterea ergò magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solùm soluebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Denique sanguine suo & morte illud confirmatum reliquit, cùm interrogatus à Caipha an esset Filius Dei benedicti, respondit: *Ego sum, & videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli.*

Psalm.26. — *Ioan.12.* — *Supra 5.* — *Marc.14.*

Filium Patri consubstantialem esse, ex Scripturis testimonia. — 1. Locus. — *Ioan.10.*

Sed iam rem aggrediamur. Producemus præsenti tractatu testimonia Euangelistarum & Apostolorum; & illa corroborabimus: sequenti verò, quæ illi in contrarium opponebant, dissoluemus. Porrò testimonia ista, cùm varia & multa existant, in varias classes perspicuitatis gratia redigemus. Primæ igitur classis sunt loci, quib. vnio Patris & Filij indicatur, ac per hoc ὁμούσιον, nam Ioan. 10. habemus: *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Et subdit de diuinitate per generationem Christo donata: *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater vnum sumus.* Quasi dicat: sicut de manu Patris rapi non potest, nec de manu mea, quia ego & Pater vnũ natura & potẽtia sumus: quod Iudæi intelligentes, quasi blasphemiæ reũ, voluerunt eum lapidare: *De bono* (inquiunt) *opere nõ lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cùm sis, facis teipsũ Deũ.* Hilar. lib. de Trinit. *Filij manus est, quæ accepit à Patre. Patris manus est, quæ dedit Filio. Et quomodo quod non rapitur de manu Filij, non rapitur de manu Patris? quomodo si quæris, intellige: Ego & Pater vnum sumus.* Hæc ille, latè probans, per manũ Dei naturã & virtutem significari. Aug. lib. de Trinit. *Nescio virũ*

Hilar. lib.7. de Trin prope med. — Manus Dei natura & virtus Dei est, secundum Hilarium.

inuenia-

Aug. lib. 6. de Trin. c. 3. init. 10. 3. ante med.

inueniatur in Scripturis dictum, vnum sunt, quorum est diuersa natura. Si autem aliqua plura eiusdem naturæ sint, & diuersa sentiant, non sunt vnum, in quantum diuersa sentiunt. Cùm ergo si dicitur vnum, vt non addatur quid vnum, & plura vnum dicantur, eadem natura atque essentia non dissidens, nec dissentiens significatur. Hęc ille.

Grammaticorum regula.

Certam regulam tradunt Grammatici, adiectiua neutrius generis sic debere resolui, quòd in substantiuorum naturam, & societatem demigrant, iuxta illud:

Virg. eclog. 3.

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres.

Dulce satis humor, depulsis arbutus hœdis.

Ioan. 10. 1. Ioan. 5. Cyril. lib. 1. Thesaur. ca. 1. circa med. tom. 2. init.

Ita accipiendum: *Ego, & Pater vnum sumus*: *Et hi tres vnum sunt*, vel in vnum sunt. Cyrillus lib. Thesauror. *Ipse quoque de seipso ait: Ego & Pater vnum sumus. Nam quia vnum dixit, identitatem substantiæ significauit: quia verò sumus, in duo scindit, quod intelligitur, quodque in vna deitate comprehenditur.* Hæc ille.

Cum dicitur: Ego, & Pater vnum sumus, quæ de vnitate sit sermo.

Non ergo est sermo de voluntatum concordia, nec hoc magnum esset, sed de natura, & potentia.

Eugen.

Vnde Eugenius de Fide ad Hunnericum Regem: *Non dixit. Ego & Pater vnum volumus; sed, vnum sumus. Idcircò Sardicensis Concilij Patres hunc sensum damnarunt, teste autore Historiæ Tripart. qui habet: Hac gratia eũ (scilicet Christum) dixisse contendunt: Ego, & Pater vnum sumus, propter concordiam, & vnanimitatem. Sed reprobauimus omnes Catholici intellectum eorum fatuum & abiectũ, sicut mortalium hominum.* Hæc ille.

Hist. trip. lib. 4. c. 24. propè finem.

Psalm. 81. Christus Iudæis cum dixit: Nonne scriptum est in lege vestra, Ego dixi, Dij estis? Si illos dixit deos, &c. quid voluerit significare.

Nec obstat sensui Catholico dicto, quod Christus subdidit: *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dij estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, &c.* quia per hæc Christus non voluit se filium adoptiuum vocare, sed naturalem potius, & deitatem sibi longè aliter sine blasphemia conuenire. Quasi eis diceret; Si aliqui participatione filij Dei dicuntur, ille ergo qui participat, sine blasphemia se Filium naturalem dicere potest. Ideò subiunxit: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Hinc Cyril. lib. Dialog. de Trinit. *Itaq; licet multa entia intelligantur ad imitationem eius quod verè est: vnum tamen est, quod verè est. Eodem modo licet multi vocentur dij & filij: sed vnus natura filius ac Deus, radicem quodammodò aliquam habens ineffabilis natiuitatis Patris naturam.*

Cyril. lib. 4. Dialog. de Trinit. in fin. tom. 2. à medio 1. Corint. 8.

Quomodo accipiendum illud, Vt sint vnũ (Apostoli scilicet) sicut & nos vnum sumus. Ioan. 17.

Nec secundò obstat, quod Ioan. 17. Dominus ait: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos.* Et infrà: *Non pro eis autem rogo tantùm, &c. Vt omnes vnum sint sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* Hæc, inquam, mouere non debent. Quia, vt inquit Augustinus: neque petit Dominus vt simus vnum natura humana, quod iam eramus per incarnationem: neq; vnum per naturam diuinam, quod impossibile erat: sed potiùs vt sicut Pater & Filius vnum sunt natura, ita nos cum illis vnum per amorem.

Aug. lib. 4 Trin. c. 9. 10. 3.

Idem lib. 6 c. 3 de Trin. init.

1. Corint. 6

Hinc Augustinus rectè dixit, vt suprà citauimus, nunquam natura diuersa vnum absolute dicuntur, sed aliquo addito, velut anima & corpus est vnus homo, adhærens meretrici, vnũ corpus cum ea, sicut adhærens Deo, vnus spiritus cum eo: ita hic non absolute vt vnum simus, petit, sed vt vnum cum illis, vel sicut illi, id est, vt naturalem eorum vnionem per amoris imitationem participemus. Ita explicat Ambrosius libro de Fide: *Nos vnum erimus, Pater & Filius vnum sunt, Nos secundum gratiam, Filius secundùm substantiam. Alia autem per coniunctionem, alia per naturam vnitas. Denique vide quid ante præmiserit: Vt omnes vnum sint sicut tu Pater in me, & ego in te. Considera ergo quod non dixit: Tu in nobis, & nos in te: sed, tu in me, & ego in te, vt se à creaturis separaret.*

Ambros. lib. 4 de Fide, c. 4. 2. tom.

Cyrillus lib. Thesauror. *Ineffabiliter igitur ipse ex Patre est, & naturaliter vnum cum ipso, non sicuti nos gratia & participatione velut ferrum cum ignitum fuerit, et ignis participatione dicitur.* Intrà: *Si ergo similes secundum naturam facti sumus belluis, & brutis, qui carentiam rationis ipsorum secuti sunt.* Et rursum: *Si discipuli serpentis prudentiam, columbæ simplicitatem, & cælestis Patris misericordiam imitati serpentes, columbæ & dij secundum naturam facti sunt: nihil prohibet, quando vnum fieri cum Domino dicimur, aut cum ipso Deo Patre, vnum cum Deo essentialiter nos factos esse arbitrari. Sin autem operationis alicuius similitudo facit, vt serpentes, vel columbæ, & cætera dicamur, nō erimus secundum substantiam idem cum Deo, quia vnum cum ipso facti esse dicimur. Sed sicut ipse vnum est natura cum Verbo suo, sic & nos ad vnum inter nos reducimur voluntatis coniunctione, atque concordia, quando nullo modo dissentimus, sed vno charitatis vinculo in vnitate coniungimur.* Intrà: *Addidit autem: sicut & nos vnum sumus; vt exemplum vniendarum voluntatum, naturalem suam vnitatem cum Patre credentibus proponeret. Similitudinis enim aduerbia, sicut, quasi, veluti, cæteraq; huiusmodi, non totam rem eandem toti significant, sed similitudinem aliquam ostendunt.* Et paulò pòst: *Sicut igitur ego (inquit) in ipsis sum, qui homo factus idem cum ipsis sum; & tu Pater in me qui eiusdem tecum substantiæ sum: sic volo vt & ipsi in vnitate inter se coniuncti, & quasi vnũ facti corpus, in me omnes sint: qui omnibus propter assumptionem vnius templi coniuncti sunt. Et sic erunt vnum, & erunt perfecti, sicut ego perfectus*

Cyril. lib. 3. Thesaur. ca. 1. circa med. tom. 2. init.

Quomodo nos vnũ simus teste Cyril. o. ad 10. 10. supra 5.

Similitudinis aduerbia, sicut, quasi, veluti & similia, non semper æqualitate, sed similitudinem dicunt, teste Cyrillo.

Hila. lib. 8. de Trin. aliquanto à princ.
Ioan. 6.

fectus sum, etiam post hominem assumptum. Hilarius verò libro de Trinita. admittit, credentes esse vnum cum Christo natura, nō vt ipse, & Pater, sed in eis, dùm Christo vnimur per incarnationem, & carnem nobis porrectam in Eucharistia. Et rursus ipse secundùm Verbi naturam coniungitur Patri. Ait ergo Hilarius: *Si verè Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes vnum sumus: quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ego naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter vel se in Christo, vel Christum sibi inesse, quia in Christo Pater, & Christus in nobis: vnum in his esse nos faciunt. Si verè igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosq; verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis: quomodo voluntatis vnitas asseritur, cùm naturalis per Sacramentum proprietas, perfectæ Sacramentum sit vnitatis?* Hæc illi Patres doctissimi.

Suprà 1.
Ioan. 14.

II. Locus. 1. Ioan. 5.

Hanc eandem vnitatem consubstantialitatis probat Ioan. cap. 5. epist. suæ Catholicæ, dicens: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnū sunt.* Prima enim clausula: *Tres sunt testantes*, Sabellianos iugulat: Secūda verò, *Et hi tres, vnum sunt, & in vnum sunt*, οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι, vt habet codex Hispaniens. Arrianam perfidiam reuincit. Non possunt autem magis cogitari concordes, quàm ij, qui vnum sunt natura, & consequenter vnam & eandem attestationem faciunt maximè cùm hi tres omni sint exceptione maiores. Erasmus nullum non mouit lapidem, vt testimoniū hoc trium in cœlo testantium, quasi suppositititium & falsum de textu abijceret, & in Paraphrasi sua omisit, & in annotationibus eliminandum de textu iudicauit: tum quia in quibusdam Textibus Græcis non inuenitur: tum quia Patres, & præsertim Cyrillus, hoc telo in Arrianos non sunt vsi. Beda in hunc locum hæc verba non habet. Sed tandem conuictus à diuersis qui in eum scripserunt, locum hunc ex Hispaniensi, Britannico, & Rhodiensi codice restituit, sed ita, vt tamen contendat per vnum non significari vnitatem essentiæ diuinæ, sed summam, vt ipse ait, testimonij consensum; quia in sequenti clausula, *Tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua, & sanguis,*

Quæ maxime cogitari concordia possit.

Ea verba Ioannis: Tres sunt qui testimonium dant in cœlo &c. vere esse de Textu, contra Erasmum euincitur.

Beda tom. 5. in fine.

& hi tres vnum sunt, vel in vnum sunt: non natura, sed testimonij consensu debent intelligi. Citat etiam B. Augustinum scribentem in Maximinum, ita interpretari: sed reuera hæc falsa sunt, & perniciosa. Primū enim, hæc verba verè esse de Textu, ostendunt multa. Nam in multis Græcis codicibus inueniuntur, & B. Hieronymus emendasse se epistolas Catholicas, vt hūc locum deprauatum retineret, testatur ipsemet in prologo in eiusmodi epistolas. Legimus etiam plures Patres veteres, qui illud citant. Indicat etiā ille contextus, qui habet Tres testantes in terra, & Tres testantes in cœlo. Adhæc cùm Græci codices variarent, & in hoc à Latinis desiderent, oportet duorum alterum putare: aut quòd detractum sit in illis, in quibus non legeretur; aut adiectum illis, in quibus legeretur: & hoc accidit vel dolo, vel casu aliquo. Si dolo, magis credēdum ab Arrianis esse sublatum, quia eiusmodi verbis conuincebantur; quàm quòd Catholici adiecerint illā, qui certò sciebāt Fidem nostram ab omni mendacio abhorrere, & Ioannem ipsum interminari: *Si quis apposuerit adhæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto*, Apocalypsi videlicet. Si autem casu accidit magis, quàm dolo, proculdubiò casus potiùs locum habet in defectu, quam in adiectione. Quod enim integram clausulam quis adiiciat, minimè casui, sed consilio & malitiæ est tribuendum: quòd verò omittatur, vel neglectu, vel oculi transgressu, aut quouis alio casu, facilè est, & sæpè contingit, præsertim si ab eisdem verbis incipiant duæ clausulæ. Adhæc epist. Ioannis in illis verbis cum Euangelio conuenit: nam Ioan. 10. dicitur: *Ego & Pater vnum sumus.* Cōuenit etiam cū oraculo illo Sybillino quod circumfertur: Πρῶτα Θεὸς ἔπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς σύμφωνα δὲ τρία, καὶ πάντα εἰς ἓν ἄσσοντα. Quæ sic sic Latine redduntur:

Principio Deus est, tum sermo, & Spiritus illis
Additur, æquaua sunt, & tendentia in vnum.

Quod verò Patres, & præcipuè Cyrillus, non sint hoc telo in Arriano vsi, mirandū non est, quia non omnia omnibus occurrūt. & quia aliqui vsi sunt, vt Hyginius Papa IX. à B. Petro, & Cypr. lib. de vnita. Eccles. vel, de Simplic. Prælat. & Victor Vticens. & alij. Præterea hunc locum non proferebant tam frequenter, quia habebant alium similem in Euangelio: *Ego, & Pater vnum sumus:* & nouerant ad vtrunque locum vnam & eandem adhibere responsionem.

Quòd verò August. in Maximinum ita sit interpretatus, & quod gloss. interlin. dicat; *Vnum sunt, de eadem re testantes:* certè ca-

D. Aug. to. 5.
I. Argum.
D. Hier. apud gloss. ordinar.
II. Argum.
Verba prædicta: Tres sunt qui, &c. dolo, an casu aliquo quibusdam codicibus defuerint.
Apoc. vlt.
III. Argum.
Ioan. 10.
Hoc Ioannis testimonium. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, & reliq. cur veteres Patres contra Arrianos decertantes minimè protulerint.
Hygin. Pap.
Cyprian.
Vict. Vticens.
II. Ratio.
Ioan. 10.
Aug. loco supra cit. Glo. interl.

lumniosè citantur: Omisit enim duo verba prima, *Vnum sunt, id est, vnus Deus sunt, de eadem re testantes*: truncauit ergo principium, & finem. Falsò etiã producitur ab illo lib. August. in quo nihil magis agit, quã vt hũc Arrianissimum sensum insequatur. Ait enim lib. 1. in Maximinum, ca. 12. *Concordia, & charitate qua dicis factum fuisse, vt vnum sint Pater, & Filius, quando mihi protuleris dictum esse, quod vnum sint quæ sunt diuersa substantia, tunc cogitabo quid debeam respondere. Legimus enim: Qui plantat, & qui rigat, vnum sunt, sed ambo homines erant, eiusdemq́; substantiæ fuerant, non diuersæ. Item legimus pro Christo dicẽte: Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Nõ dixit: Vt ipsi, & nos vnum, sed vt ipsi sint vnum in natura sua. & in substantia sua, concordi æqualitate quodãmodò vniti atque conflati, sicuti Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnũ, propter indiuiduã eandẽq́; naturam. Aliud est enim, Vnum sunt, aliud, vnus est. Quãdo dicitur: Vnũ sunt, & si non dicatur quid vnum, intelligitur vna substantia. Quãdo dicitur: Vnus est, de duabus diuersisq́; substantijs, necesse est vt quæratur quid vnus. Verbigratia: Diuersa substantia est anima, & corpus: tamen vnus homo: diuersa substantia est, spiritus hominis, & spiritus Dei: tamen cùm Domino adhæret, vnus spiritus.* Addit: *Spiritus non dixit, vnum sunt. Vbi autem dicitur, vnũ sunt, vna substantia significatur, quod vos non vultis, & audetis dicere verum Christum Dei Filium vos confiteri.* Idem latè probat lib. 2. cap. 10. 11. & 12. & lib. 3. cap. 14. *Quid est Homousion, nisi vnius eiusdemq́; substantia? Quid est inquam. Homousion, nisi, Ego & Pater vnum sumus?* Hæc ille. Falsum est ergo, quod Erasmus putauit, dictum Augustini, & Catholicorum, quoties de duobus prædicatur vnum, intelligendũ esse eiusdem substantiæ indiuiduæ: non enim sic Augustin. est locutus, sed quod nũquam de duobus prædicatur vnum in Scripturis substãtiuè, & in genere neutro, quin illa sint eiusdem naturæ: & non dixit, indiuiduæ naturæ, & sic non dicitur: *Credentiũ erat cor vnum, & anima vna*, substantiuè, sed adiectiuè, sicut: *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est*, nõ vnum simpliciter, sed, *vnus spiritus*, & : *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur*, non ait, vnum sunt, sed, vnum corpus adiectiuè, vt credentium cor vnum, & anima vna. Paulus verò & Apollo verè sunt vnum, id est, eiusdem substantiæ, & naturæ, cùm sint omnes eiusdem speciei. Ita Petrus & Paulus vnum sunt, scilicet natura, nõ tamen Petrus & equus vnum sunt natura: sed diuersi natura: benè tamen Petrus & equus vnum sunt albedine, vel butyrum, & mel, idem sunt dulcedine. Sequitur ergo, cùm Pater, & Filius, & Spiritus sanctus dicantur vnum, quod erunt non solum eiusdem naturæ, sed etiam eiusdem indiuiduæ naturę; quia natura diuina impartibilis est.

Erasmi dolus ac malignitas in testimonijs sanctorum proferendis.

1. Cor. 3.

Ioan. 17. & seq.

1. Cor. 6.

Idem August.

Homousion quid secundũ Augustinum. Ioan. 10.

Act. 4.

1. Cor. 6.

Ibidem.

Sup. 3.

Quòd si credebat Erasmus, Filium & Patrem vnam rem esse, cur ergo eum sensum magis probat, qui non à vi primi sermonis capitur, sed à tropo? Et indoctiùs hic errauit Erasmus, si fidelis erat, quã Arriani: illi enim ideò à proprietate sermonis, recedebant ad tropũ, quia illud velut falsum & impossibile ponebant, quòd Christus & Pater vnum essent natura; Erasmus nullam habuit causam recedendi à proprio sensu, quem porrigebant verba.

Erasmus si fidelis fuit, quã Arriani, in quo errauit indoctius.

Quod si dicas, ex subiecta materia, quia ibi erat sermo de consensu testimonij. Respondeo, nonne consensus testimonij magis exprimitur expressa vnitate substantię? quorum enim cõsensus magis est vnus, quã quorum est vna, & indiuidua substantia? Cùm ergo hic sensus illum cõtineat, & fortiùs concipiat, cur non accepit hunc sensum Catholicorum?

Obiectio Erasmi dissoluitur.

Quod verò producit Erasmus verba sequentia de Spiritu, aqua, & sanguine, quæ testificantur in terra, & quòd sint vnum, ob eundem testimonij consensum; miranda est stupiditas. Cùm enim illa sensum nõ habeant, quomodo habere poterunt consensum? nisi se per metaphorã loqui apertè testaretur. Sed per verba, quasi per symbola quædam, & Sacramenta, vt tradit Augustinus, intelligenda veniat Trinitas: *Tres, inquit, sunt testes, Spiritus, aqua, & sanguis, & tres vnum sunt. Ne fortè dicas, Spiritum, & aquam, & sanguinem, diuersas esse substantias, & tamen dictum esse: Tres vnum sunt. Propter hoc admonui, ne fallaris. Hæc enim sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant semper attenditur: quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia. Si ergo illa, quæ bis significantur, intelliguntur, ipsa inueniuntur vnius esse substantia: tanquam si dicamus, Petra & aqua vnum sunt, volentes per petram significare Christum, per aquam Spiritum sanctum: Quis dubitat petram, & aquam diuersas esse naturas? Sed quia Christus, & Spiritus sanctus vnius sunt, eiusdemq́; natura: ideò, cùm dicitur, Petra & aqua vnum sunt, ex ea parte rectè accipi potest, quia istæ duæ res, quarũ est diuersa natura, aliarum quoque signa sunt rerum, quarum est vna natura. Tria itaque nouimus de corpore Domini exijsse, cùm penderet in ligno. Primò spiritum, vnde scriptum est: Et inclinato capite tradidit spiritum. Deinde quando latus eius lancea perforatum est, sanguinem, & aquam. Quæ tria si per se ipsa intuemur, diuersas habent singula quæq́; substantias. Ac per hoc non sunt vnum. Si verò ea quæ bis significata sunt, velimus inquirere, non*

Obiectio altera Erasmi dissoluitur.

In quibus sensus nõ est, neque cõsensus.

Aug. lib. 3 contra Maximinum, ca. 22. sub finem.

In sacramẽtis, non quid sint, sed quid ostẽdant, semper attenditur, teste Augustino.

1. Cor. 10.

Exod. 17.

Quæ tria testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, quænam illa, eodem autore.

Ioan. 19.

Ibidem.

re, non absurdè occurrit ipsa Trinitas, quæ vnus solus, verus, summus est Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: de quibus verissimè dici potuit: Tres sunt testes, & tres vnum sunt. at nomine spiritus significatum accipimus Deum Patrem. De ipso quippè adorãdo loquebatur Dominus, vbi ait: Spiritus est Deus, Nomine autem sanguinis Filiũ, quia Verbum caro factum est: & nomine aquæ, Spiritum Sanctum. Cùm enim de aqua loqueretur Iesus, quam daturus erat sitientibus, ait Euãgelista: Hoc autem dixit de Spiritu quam accepturi erant credentes in eum. Hæc ille. Constat autem, Christum reddidisse testimonium de se cum Patre, & Spiritu sancto, iuxta id: *Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso: & testimonium perhibet de me qui misit me, Pater.* Ille (scilicet Spiritus sanctus) *testimonium perhibebit de me, & vos, &c.* Et cum Spiritus, aqua, & sanguis, Græcè sint neutrius generis, πνεῦμα, ὕδωρ, αἷμα, dicitur tamẽ Græcè, Et hi tres vnum sunt, non hæc tria, quia sub his vocibus diuinæ intelliguntur personæ. ¶ Porrò hæc verba: *Et in tres vnum sunt*, nonnulli codices Græci, vt Hispaniensis, non habent, & beatus Thom. in secundam Decretalem de summa Trinit. & fide Catholica, vbi agitur de dogmate Abbatis Ioachim, ait: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: Et hi tres vnum sunt: quod quidem dicitur propter essentiæ vnitatem. Sed hoc Ioachim peruersè trahere volens ad vnitatem charitatis, & consensus, inducebat consequentem autoritatem. Nam subditur ibidem: Et tres sunt qui testimonium dant in terra, scilicet, Spiritus, aqua, & sanguis. Et in quibusdam libris additur: Et hi tres vnum sunt. Sed hoc in veris exemplaribus non habetur, sed dicitur esse appositum ab hæreticis Arrianis, ad peruertẽdum intellectum sanum autoritatis præmissæ de vnitate essentiæ trium personarum.* Hæc Thomas. Græca exemplaria modò nõ habent, *in terra*, Interpretatur tamen hæc verba quasi de textu August. lib. 3. in Maximinum, cap. 2. Et Ambr. lib. 1. de Spiritu sancto ca. 6. & lib. 3. ca. 11. & lib. de ijs qui mysterijs initiantur, cap. 4. initio. *Hinc cognosce, quòd aqua non mundat sine spiritu: ideoq; legisti quòd tres testes in baptismate vnum sunt, Aqua, Sanguis, & Spiritus. Quia si vnum horum detrahas, non stat Baptismatis Sacramentum, &c.* Et Cyprianus de duplici martyrio, & Leo epistola 17. cap. 6. Et hæc satis esse poterant ad soliditatem huius sententiæ. Solùm notabis Caietanum dubitasse de verbis his: Anabaptistas, & Seruetanos reiecisse hanc epistolam, ob eiusmodi verba, & in Roberti Stephani codicibus 16. septem illa non habere, videlicet ἐν τῷ οὐρανῷ, nouem verò re[...] habere. ¶ Ex Patribus mentionẽ fecerunt huius testimonij Cyprianus lib. de simplicitate prælatorum: nam insolubili diuinæ essentiæ vnitatem ostẽdens, ait: *Dicit Dominus, Ego, & Pater vnum sumus. Et iterum de Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est: Et hi tres vnum sunt: & quisquam credit hãc vnitatem de diuina firmitate venientem, Sacramentis cælestibus cohærentem, scindi in Ecclesia posse, & voluntatem collidentium diuortio separari.* Et Hieronymus in prologo super Catholicas epistolas: *Quæ si sic vt ab eis digestæ sunt, ita quoque ab interpretibus fideliter in Latinum eloquium verterentur, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese varietas impugnaret, illo præcipuè loco, vbi de Trinitatis vnitate in prima Ioannis epistola positum legimus, in qua etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum esse à fidei veritate comperimus. trium tantummodò vocabula, hoc est, aqua, sanguinis, & spiritus, in ipsa sua editione ponentes, & Patris, Verbiq; & Spiritus testimonium omittentes: in quo maximè & fides Catholica roboratur, & Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna diuinitatis substantia comprobatur.* Victor Vticens. lib. 2. *Et vti adhuc clarius vnius diuinitatis esse cum Patre, & Filio, Spiritum sanctum doceamus, Ioannis Euangelistæ testimonio comprobatur. Ait enim: Tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres, vnum sunt. Nunquid ait, Tres indifferenti æqualitate coniuncti? aut quibusdam diuersitatum gradibus longo separationis interuallo diuisi? Sed tres*, inquit, *vnum sunt*. Bernardus quoq; in Octaua Paschæ, interpretatur hæc verba in primo & secundo sermone, & ante hos omnes Hyginius Papa Septimus à B. Petro in epistola ad omnes Christi fideles: *Et ipse* (scilicet Ioannes) *ad Parthos, Tres sunt*, inquit, *qui testimonium perhibent in terra: Aqua, sanguis, & caro, & tres in nobis sunt. Et tres sunt qui testimonium perhibent in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres vnum sunt.* Adde etiam Innocentium III. in generali Concilio Lateranensi, vbi disputans ad Abbatem Ioachim ponentem quaternitatem, id est, tres personas, & illam communem essentiã distinctam ab illis, & verã & propriam ad numerum essentiæ vnitatem nõ admittentem, sed collectiuam & similitudinariam: sicut multi homines sunt vnus populus, & multi fideles vna Ecclesia, vel vnum corpus Christi, & ita verbum Christi interpretantem: *Vt sint vnum in nobis, sicut & in nos vnum sumus, & sint consummati in vnum*: & in exponentem illud: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* tandem respondens & reprobãs eiusmodi doctrinam, ait: *Cùm ergo veritas pro fidelibus suis ad Patrem orat: Volo*

Ioan. 4. Supra 1. Infrà 7. Infra 8. Infra 15. B. Thom.

Illi sententiæ: Tres sunt qui testimonium dant in terra, &c. impiè Arriani cur addiderunt: Et hi tres vnum sunt, secundum aliquos.

Aug. tom. 6. circa fin. Ambros. to. 2. Idem tom. 4. Cyprianus. Leo Papa. Caietanus.

Cyprian. Ioan. 10. 1. Ioan. 5. Hieron. apud glos. ord. Victor. Vticens. Bernardus. Hygin. Papa. 1. Ioan. 5. Innoc. III.

Ioachim Abbatis error de vnita Trinitatis essentia.

Ioan. 17.

inquiens, vt ipsi sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus: hoc nomen, vnum, pro fidelibus quidem accipitur, vt intelligatur vnio charitatis in gratia: pro personis verò diuinis, vt attendatur identitatis in natura vnitas, quemadmodum veritas alibi ait: Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est: perfectione naturæ, vtroque videlicet suo modo: quia inter Creatorem & creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda.

Matth. 5.

Idem Innocentius ad Ferrariensem Episcopum, & habetur cap. in quadam extra, de celebr. Missa, contra Arrianos negantes Christum Deum, & Manichæos negantes Christum hominem verum, scribens, ait: Sed aduersum huiusmodi hæreses Ioannes Apostolus in epistola sua loquitur, dicens: Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt: per hoc intendens ostendere, quòd Christus sit verus Deus. Et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, per hoc intendens ostendere, quòd Christus sit verus homo. Nam ad esse hominis duo principaliter exiguntur, videlicet corpus & anima, ex quorum coniunctione verus homo subsistit. Per hoc autem quòd in articulo mortis Christus inclinato capite tradidit Spiritum, de quo voce magna clamauerat: Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum: manifestè probatur, quòd ipse spiritū habebat, non solum flatum vitalem, sed animam rationabilem, de qua prædixerat: Tristis est anima mea, vsque ad mortem: &, Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Per hoc autem, quòd vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò sanguis exiuit, & aqua, probatur apertè quòd Christus verum corpus habebat. Nam de phantastico corpore, nec sanguis, nec aqua potuisset exire. Vnde ille qui vidit, testimonium perhibuit, & testimonium eius est verum: quia tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis: quòd videlicet Christus sit verus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens. Hæc ille, pugnans huius sententiæ verbis contra diuersas hæreses.

Idem.
Cap. 8.
Ioan. 5.
Quid sit Innocentius: tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, &c. & in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, &c.
Matth. 27.
Luc. 23.
Matth. 26.
Ioan. 10.
Infra 19.
Eidem quid lateris Christi percussio, de qua sanguis exitus sanguinis & aquæ quid significet.

III. Locus pro veritate consubstantialitatis Christi cum Patre.

Tertius locus, ad probandam consubstantialitatem Verbi ad Patrem, quam testimonia ostendunt, quæ tribuunt Verbo omnia quæ Patris sunt: vt, cùm Filius ait ad Patrem: Mea omnia, tua sunt, & tua, mea sunt: &, Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: & rursus: Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Vbi rectè ait Victorinus libro de Trinitat. Si omnia quæ habet Pater, dedit Filio: omnia autem sunt, & substantia, & potestas, & dignitas æqualis Patri: sed maior Pater, quia ipse dedit sibi omnia, & caussa sit ipsi Filio, vt sit. Ita Hilar. libro 7. de Trin. prope finem. Vniuersa potiùs, quæ sua sunt, sine damno impertientis indulsit. Et Ioan. 16. [illegible] quod de suo acciperet. rum sanctum Spiritum loquebatur, ait: Omnia quæ Patris sunt mea sunt, & ideò dixit: De meo accipiet, vt dum de suo accipit, non etiam de Patris accipere existimaretur, vel dum de Patris sumeret, non etiam non de suo sumere intelligeretur. Neque enim de creaturis sumebat Spiritus sanctus, quia Dei Spiritus est, vt ex his videatur accipere, quia ea omnia Dei sunt. Cyrillus lib. Thesaurorum: Quomodo igitur Filius Patri cōsubstantialis non erit, qui omnes naturales Patris proprietates habet? Non enim mentitur Saluator, dicens ad Patrem: Quia omnia mea tua sunt, & omnia tua, mea. Si ergo Patris omnia, sua sunt: Vnum autem omnium naturalis bonitas est: hæc etiam naturæ paternæ proprietas erit profectò in eo, qui ex ipso patre naturaliter prodit, quare consubstantialis etiam erit.

Ioan. 17.
Matth. 11.
Ioan. 16.
Marius Victorinus lib. 1. de Trin.
Hilarius.
Pater (inquit Hilarius) omnia quæ sua sunt, Filio sine damno impertientis indulsit.
Ioan. 16.
Quare de Spiritu sancto Christus dixit: De meo accipiet, eodem autore.
Cyril c. 1. lib. 2. Thesau. circa med. 10. 2. sub init.

IV. Locus. Patris & Filij est vna & eadem operatio, vt vna substantia.

Quarto, probant homusion Patri Filium illi loci, qui idem opus vtriusque esse demonstrant. Ioan 5. Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Infrà: Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & Filius quos vult, viuificat. Et Ioan. 9. Me oportet operari opera eius qui misit me. Et Ioan. 10. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite. Et Ioan. 14. Pater in me manens, ipse facit opera. Cùm ergo operatio ab esse prodeat, & indiuisa sint externa opera Patris, & Filij, constat vnicū tantùm esse, & vnam substantiam habere. Vnde Hilarius lib. 7. de Trin. prope finem, Pater qui in me manet, ipse facit opera sua. Manere, inquit, in Filio Patrem, non est singularis, atque vnici: operari verò per Filium Patrem, non est differentis, aut exteri. Et libro 8. propè finem similiter: Dicens enim se per loquentem loqui, & per operantem operari, & per iudicantem iudicare, & per visum videri, & per reconciliantem reconciliari, & manere se in eo qui in se maneret: quæro quo alio ad intelligentiæ nostræ sensum expressionis sua vti potuerit apertiori sermone, vt vnum esse intelligerentur, quàm isto, quo per natiuitatis veritatem, & naturæ vnitatem quicquid Filius ageret, & diceret, id in Filio Pater & loqueretur, & ageret? Hæc ille, cui omnes Patres consentiunt. Basilius lib. secundo in Eunomium, in fine, dicentem: Spiritum sanctum à solo Filio creatum: Illud verò (ait) cui non patet, quòd nulla Filij operatio à Patre diuisa est? Nec est aliquid in rebus quod Filio insit, & à Patre alienum sit: Omnia, inquit, mea, tua sunt, & tua mea. Quomodo ergo Spiritus caussam & originem Vnigenito soli attribuit, & ad eius accusandam naturam huius creationem accipit? Et libro de Spiritu sancto. Quorum autem æqualis est potentia, horum

Ioan. 5.
Infrà 9.
Infra 10.
Ioan. 14.
Operatio vnde sit.
Hilarius.
Basil. tom. 1.
Idem ibidem.
Prope finem.
Cap. [illegible]

[*Cap. 16 sub initium. Cyril. lib. 12. Thesaur. c. 1 init. to. 2.*]

æqualis est operatio. Et infrà: *Principium eorum quæ sunt, vnum est per Filium condens, per Spiritum sanctum perficiens.* Hæc ille. Si ergo vna est Patris, & Filij operatio, ergo vna essentia: quia, vt Cyrillus testatur; *Nemo vnam esse operationem Dei veri, & creaturæ concedet, ne aut creaturam in dignitate diuina collocet essentiæ, aut Deum in creaturarum conditionem deprimat. Nam quorum virtus, & operatio vna, & eadem penitus est eorum vna, & eadem natura est.*

[V. Locus: Opera Dei, solius propria in Scripturis quæ Christo tribuuntur. *Ioan. 16. Supra 2. Cyrillus loco producto, cap. 15. medium inter, & initium. Psal. 32. Ioan. 1. Psalm. 103.*]

Quintò probatur Filius eiusdem cum Patre essentiæ. Quia opera propria solius Dei illi Scriptura tribuit: qualia sunt, nosse omnia, corda penetrare: *Nunc scimus* (inquiunt) *quia scis omnia.* Ipse enim sciebat quid esset in homine. Quod opus est solius Dei, vt testis est Cyrillus: *Diuinam*, inquit, *admiratus naturam beatus Psalmista, illi soli testatur proprium esse, vt corda hominum sciat, dixit enim ad Deum: Qui finxit sigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.* Creare etiam omnia ex nihilo, proprium Dei opus est: *omnia autem per ipsum facta sunt*: &, *Omnia in sapientia fecisti.* Impossibile est Verbum semẽ esse omnium quæ sunt, quod ex nihilo factum est.

[Secundum opus Dei cum Christo commune. *Ioan. 5. Heb. 1. Athanas. lib. 1. aduersus Gen. prope finem. to. 1. init.*]

Cuncta etiam manu tenere, & regere, solius Dei munus est: quod tamen Verbo datur: *Pater meus*, inquit, *vsque modo operatur, & ego operor*: & ad Hebræ. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Athanasius oratione cõtra idola, siue aduersus Gentes: *Per quem vt omnia facta sunt, ita quoque omnia ipsius ordinatione, prudentiaq; gubernantur.*

[*Ioan. 1.* III. Opus Dei proprium. *Hiere. 23. Matth. 18. Ephes. 4. Cyril. lib. 3. Dial. de Trin. sub init. to. 2.*]

Implere etiam omnia, Dei est, iuxta id, *Nunquid non cælum & terram ego impleo?* Et tamen Christo cõgruit, qui ait, *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et Apostolus: *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit supra omnes cælos, vt adimpleret omnia.* Hinc Cyrillus lib. de Trinita. *Nam si Deus & Pater in nobis adimplet omnia, & est, ac intelligitur, vt Deum decet, in omnibus, vbi nam recipietur per Filium repletio, aspicere non possum. Proinde necessariò considerandum, quod nisi vterque in vtroque substantialiter sit, superflua quædam, vt videtur, declaratur impletio, quæ à Deo & Patre est, cum sufficiat nobis ea quæ per Filium est, vel certè infertur rebus frustra, & non tam congruè impletio per Filium, cum sufficientissime, & abunde satis se habeat Pater ad implendum omnia.*

[Quomodo plenitudo omnium in Patre, & Filio, iuxta Cyrillum.]

[IV. Opus Deo soli conueniẽs. *Matth. 9. Ibidem. Ioan. 1. Idem lib. 4.*]

Item remittere peccata, est opus Dei solius: *Quis potest remittere peccata nisi solus Deus?* Et tamen Christo conceditur; *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Cyrillus libro de [illegible]: *Christus non esset condignum pretium totius creaturæ redimendæ, neq; sufficeret ab bene redimendam vitam mundi, etiamsi suam deponeret animam: vt pretium pro nobis, & pretiosum quoque sanguinem, nisi verè esset Filius, & tanquam ex Deo Deus, creaturaq;, & creaturæ pars.*

[*Dial. de Trin. sub initium.*]

[V. Opus. *Ioan. 20. Aug. lib. 15. de Trin. c. 26, sub init. to. 3.*]

Dare etiam Spiritum sanctum, Dei opus est, & tamen Christus dedit: *Accipite Spiritum sanctum.* Idcircò August. lib. de Trinit. *Quomodo ergo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? Imò quantus Deus est, qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum eius dedit Spiritum sanctum. Orabant quippè vt veniret in eos quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant.* Quem morem in suis præpositis etiam nũc seruat Ecclesia. ¶ Item suscitauit seipsum à mortuis: *Soluite*, inquit, *templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: quod Dei est opus, Hilario teste libro de Trinitate. Resurrexisse enim per se ex mortuis in vitam, nisi natura Dei nõ potuit. ¶ Dei est etiam proprium, omnes suscitare, & omnibus pro meritis operum mercedem retribuere, vel pœnæ, vel vitæ æternæ: quod facit Christus Ioan. 5. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei: & qui audierint, viuent. Et procedent qui bona fecerunt in Resurrectionem vitæ: qui verò mala egerint, in resurrectionem iudicij.*

[*Ioan. 2. Hilar. lib. 7. de Trin. paulò ante med. & lib. 11. à med.* VI. Opus Dei proprium solius.]

[VI. Locus. quod Christus [illegible] cum Patre substantiæ.]

Sextò, verbum Patri homusion, ostendunt ipsimet loci, qui docent à Patre Verbum persona distingui: sicut loci illi, qui vnitatem essentiæ ex professo tradunt, quos distinctionem personarum insinuare demonstrauimus. Sunt igitur eiusmodi loci permulti, nimirùm Ioan. 7. *Scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit*: Et cap. 8 *Vos deorsum estis, ego de supernis sum.* Et infrà: *Ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.* Idem etiam docebant Prophetæ, antequam incarnaretur, Prouerb. 8 dicitur: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Ante omnes colles ego parturiebar.* Et Eccl. 24. *Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam,* Et Sapient. 7. *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei syncera.* Et Psalmo 44. *Eructauit cor meum verbum bonum. Ex vtero ante Luciferum genui te. Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam?* In his locis primùm patet distinctio Verbi à Patre, quia non potest idem à seipso procedere. Deinde probatur substantiæ identitas quia non procedit Verbum ex Patre, vt cęteræ creaturæ de nihilo cõditæ, sed ex substantia Patris, quæ cum sit indiuidua, & impartibilis, tota Filio per generationem datur, & tota simul à Patre retinetur, vt acci-

[*Ioan. 7. Infrà 8.* De Messia, seu Verbi diuinitate testimonia Prophetarum. *Prou. 8. Eccli. 24. Sap. 7. Psal. 44. Psal. 109. Isai. 60.*]

[Antes Verbum [illegible]]

dit de scientia nostra alteri communicata, quam non minus ab alio accipiens possi det, quàm ipse qui alteri communicauit. Et ita Filius est homusios Patri. Cor enim, os, & vterus, ex quo Verbum procedere dicitur, substantia Patris est, & de quo Filius oriri dicitur. Productio quoque, generatio & nō creatio est: hinc Ioan. 16. discipuli dixerunt; *Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non est opus tibi vt quis te interroget. In hoc credimus quia à Deo existi.* Vbi à Deo exire aliud est quam creari: neque vt creatura cognosceretur, opus esset vt omnia cognosceret, sed in hoc potiùs Patri ęqualis cognoscitur, & de eius substantia, quod ęqualis in scientia suo Patri existat, Hilarius lib. 5. de Trinit. iuxta finem: *Neque enim aliud quàm Deus subsistit, quod nō aliunde quam ex Deo Deus subsistit.* Et paullò ante: *Non enim per defectionē aut protensionem, aut per deriuationem ex Deo Deus est, sed ex virtute naturæ in naturam eandem natiuitate subsistit.* Et libro 7. a medio. *Si enim aliquid quod non ex ipso est, reperiri potest simile vi ac virtutis eiusdem, amisit priuilegium Dei sub consortio coæqualis, tamq; non erit Deus vnus à quo indifferens sit Deus alius. At verò non habet contumeliam proprietatis æqualitas, quia suum est quod sui simile est: & ex se est, quod sibi ad similitudinem comparatur: nec extra se est, quòd quæ sua sunt potest: & profectus dignitatis est genuisse potestatem, nec alienasse naturam.* Infrà: *Nam ex Deo Deus, vel in Deo Deus, nec duos deos perficit, cùm vnus ex vno in naturæ nomine vnus maneat, Nec in solitarium Deum desinit, cùm vnus & vnus in significatione non solus sit.* Eugenius libro de Fide ad Hunericum: *Profitemur itaque Patrem de se ipso, hoc est de eo quod ipse est, sempiternè atque ineffabiliter Deum genuisse: non extrinsecus, non ex nihilo, non ex alia subiacente materia, sed ex Deo natum esse. Et qui de Deo natus, nō aliud est quam id quod Pater est: & idcircò vnius substantiæ est, quia veritas natiuitatis, diuersitatem generis non admittit. Nam si à Patre alterius substantiæ esset, non esset verus Dei Filius, sicut Ioannes ait: Et simus in vero Filio eius. Non est etiam degener, quia verus Deus de Deo natus est verus: sicut idem Ioannes Euangelista prosequitur: Hic est verus Deus, & vita æterna. Et ipse Dominus in Euangelio: Ego sum via veritas, & vita. Ergo si aliunde substantiam non habet, vnius substantiæ cum Patre est. Sed si vnius substantiæ non est, non de Patre, sed aliunde est.* Idem confirmat Cyrillus libro Dialogorum de Trinitate: *Etenim summæ stupiditatis, & fatuitatis manifestum indicium est, ponere quidem plantā optimam esse & generosam, alteriusq; naturæ ab ipso fructum quodammodò afferre. Etenim Deus generabit Deum.* Athanasius in disputatione cum Arrio Laodiceæ habita, vterum exponit substantiam, dicens: *Aut de sua ineffabiliter substantia Filium incorruptibiliter genuit, aut ne corrumperetur, omninò non genuit.* Hilarius libro de Trinitate exponit: *Ex vtero, diuinitatis sua virtute, ne creationem putes.* Et Nazianzenus libro de Fide: *Vides ergo hoc Verbum bonum Filium Dei esse, quem non aliunde, quàm de paterno pectore, (vt ita dixerim) de vtero cordis Dei credimus extitisse. Et proinde eum Regem appellauit, quia ipse est Rex Regum, & Dominus dominorum. Cui & omnia opera diuina subiecta sunt.* Et infrà: *Ego (inquit) ex ore Altissimi prodiui. Non ego aliunde quàm de Patre, quia semper cum Patre. Et ideò Sapientia Dei appellatur, vt nunquam Pater sine Sapientia, hoc est sine Filio suo esse credatur.*

Ioan. 16.

Deus Verbum omnia nouit æquè atque Pater.

Hilarius.

Idem.

Eugenius.

A quibus vitiis atque defectibus remotissima diuina Verbi generatio.

1. Ioan. 5.

Ibidem.

Ioan. 14.

Filij consubstantialitatem Arriani negātes, quantæ & stupiditatis, & fatuitatis, teste Cyrillo.

Cyril. lib. 3. Dial. de Trin. propè fin.

Atha. 10. vlt.

Hil. lib. 6. de Trin. inter medium & vlt.

Nazian.

Psal. 44.

1. Tim. 6. & Apoc. 17. & 19.

Psal. 118.

1. Cor. 15.

Eccl. 24.

1. Cor. 1.

Probant etiam illi loci consubstantiale Verbum Patri, quibus vel Pater in Filio, vel Filius in Patre esse demonstratur. Licèt enim distinctionem propriè ostendant personarum, quia idem propriè non potest esse in seipso, vel apud se, non minus tamen identitatem substantiæ indicant, Ioan. 10. *Etsi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.* Et cap. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem? Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Et cap. 17. *Sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.*

VII. Locus pro consubstantialitate Verbi cum Patre.

Ioan. 10.

Infra 14.

Infra 17.

Si ergo Filius in Patre, & Pater in Filio est, naturaliter est, cùm Pater vbique, & infinitus sit, & duæ infinitæ substantiæ esse non possint. Filius cùm sit in Patre, vbique infinitus erit, vt Pater, & vna & eadem substantia cum Patre: ob id enim Pater in Filio, & Filius in Patre, quia vna & eadem est vtriusque substantia. Et ita Pater est in Filio, quia substantia Patris in Filio est: & Filius est in Patre, quia substantia Filij in Patre est. Vnde Basilius in illud: *In principio erat Verbum: Totum quodcunque noueris, & quocunque spiritu tuo penetraueris, Deo plenum simul & hypostasim Filij coniunctam inuenies.* Hilarius libro septimo de Trinitate, circa finem: *Deleant hæretici Euangelicam Filij de se professionē: Ego in Patre, & Pater in me: & ego & Pater vnum sumus: vt possint vel duos, Deos prædicare, vel solum. Non sunt naturarum, significationes in natura vnius proprietate, nec duos Deos Dei ex Deo veritas perficit, nec singularem Deum Dei spatitur natiuitas nec non vnum sunt, qui inuicem sunt. Inuicem autem sunt, cùm vnus ex vno est: quia neque vnus vni aliud per generationem quàm quod suum est, dedit, neq; vnus*

Quid, Patrem esse in Filio & Filium in Patre.

Basil. hom. 16 sub fin. tom. 1 a med.

Hilar.

Ioan. 14.

Supra 10.

Plures Dij esse non possunt.

Idem.

ab vno aliud per natiuitatem obtinet quam vnus. Et lib.3.sub initium: *Ita in se inuicem (sunt) quia vt omnia in ingenito Patre perfecta sunt, ita omnia in Filio vnigenito perfecta sunt.* Hæc ille, docens omnia perfecta esse in vtroque, id est, essentiam Diuinam, vt declarat inferius: *Non vt corpus per intelligentiam nostram corpori immittimus, neq; vt aquam vino infundimus; sed eandē in vtroq; virtutis similitudinem, & deitatis plenitudinem cōfitemur. Omnia enim Filius accepit à Patre, & est Dei forma, & imago substantiæ eius.* Paulò pòst subdit: *Patrem in Filio & Filium in Patre esse, plenitudo in vtroque diuinitatis perfecta est. Non enim diminutio Patris est Filius, nec Filius imperfectus à Patre est*, & reliqua, quæ idem Pater egregiè docet. Ambrosi. in cap.5.2. Epistolæ ad Corinthios: *Pater per id intelligitur esse in Filio, quòd vna eorum sit substantia. Ibi enim est vnitas, vbi nulla est differentia: ac per hoc inuicem sunt, quia & imago, & similitudo eorum vna est.* Victorin. lib. de Trinit. *Pater quo Pater est, in Filio esse non potest: item Filius quo Filius, in Patre esse non potest. sed quod in Virtute substantia sibi est, hoc est in altero.* Cyrillus lib. Thesauro. *Quoniam ipsum esse Filij ex substantia Patris prodit, idcirco Filius est in Patre. Et quoniam quod Pater est natura, id ipsum Verbum suum est; ideò Pater in Filio est, sicut Sol in suo splendore, & sicut mens, siue intellectus in verbo suo, & sicut in fluuio fons.* Et infrà: *Si ergo vniuersi ordines superiorū potestatum eadem volunt quæ Deus, & tamen vicibus Filij vti nequeunt, non idem velle, & idem nolle Filium in Patre, & Patrem in Filio monstrat, sed essentiæ incommutabilis similitudo, atq; identitas.* Idem etiam docet Dionysius exemplo trium luminum, quæ sunt impermixtè, inconfusè, & tamen vnū totum in alio toto. Ait enim cap.2. par.1.lib. de Diuin.nomin. circa dimidium. *Quemadmodum cereorum lumina (vt sensibilibus ac familiaribus vtamur exemplis) in domo vna cùm sint; & tota in totis mutuo sunt, & integra tamen atq; perfecta, & ab se inuicem discretione separantur, discretione coniuncta, & coniunctione discreta. Denique cernimus in domo pluribus tædis illustri, ad vnum quoddam lumen [illegible]: omnia lumina, fulgoremq; vnū indiscretum, indiuiduumq; præferre: neq; reor posset quispiam huius facis lumen ab alijs ex aëre lumina cuncta continente distinguere, & alterum sine altero cernere, cùm tota in totis merè cōmista sint. Verùm etsi quis facem vnā tecto subducat, omnis quoq; ipsius lux vnà exibit, nihilq; secum ex luminibus reliquis subtrahet, vel ex suo cæteris linquet. Erat enim illi (vt dixi) omnium ad omnia [illegible] cognitio mera penitus, & nulla ex parte [illegible] cùm esset lumen in corpore, aëre, & ex materiali igne penderet. Supersubstantialem itaq; coniunctionem illā longè eminere dicimus non modò corporalibus coniunctionibus, verum & animalibus, & spiritualibus ipsis, quas habent impermistè, & supra mundanum modum tota in totis diuina effigie prædita super cœlestia lumina, participatione excellentissima, cunctisq; eminentis vnionis pro captu suo cuiq; indulta.* Hæc diuinus Dionysius. ¶ Facit etiam ad hoc locus ille Pauli; *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Id est, vt Hilarius lib. de Patris & Filij vnitate exponit: *Eadem Patris diuinitas in alia à Patris persona substantialiter in Christo manet.* Et addit: *Per quod impietati eorum satis superq; arbitror fuisse responsum, qui id quod à Domino dictum est: Qui me vidit, vidit & Patrem: &, Pater in me, & ego in Patre, & ego & Pater vnum sumus; &, Omnia quæ Patris sunt, mea sunt, ad vnitatem & concordiam voluntatis tantùm referrent, vt quia dicti fides maneret, tamen dicti intelligentiam fallacis doctrinæ religio ementita corrumperet.*

Omnia vt perfecta sint in vtroque, in Patre scilicet, & Filio secundū Hilarium.

Idem.

Philip. 2.

Hebr. 1.

Coloss. 1.

Ioan. 16. & infra 17. & Matth. 11.

Idem.

Ambros. tom 5. circa finem.

Ibi vnitas, vbi nulla est differentia.

Victor. Victo lib. de Trin.

Qua ratione Pater in Filio, nec Filius in Patre esse possit.

Cyrill. lib. 3. Thesaur. c. 1. iuxta princ. tom. 1. sub initium.

Idem ibidem.

Dion. Areop.

Filij in Patre & Patris in Filio mansionē elegāter ostendit exemplo Dionysius.

VIII. Locus pro consubstantialitate.

Coloss. 1. & infra 2.

Hilar. prope finem operis.

Idem.

Ioan. 14.

Idem.

Infrà 6.

Prætereà dicitur Ioan.16. *Ecce, veniet hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisq; in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est.* De quibus verbis philosophatur in hunc modum Hilarius lib. de Patris & Filij vnitate: *Vt exitionem illam (de qua Apostoli: In hoc credimus quia à Deo existi) non alienationem à Patre doceret esse, sed natiuitatem naturam in se Dei Patris nascendo retinentem, subiecit nō se solùm esse, sed Patrem secum esse.*

IX. Locus.

Idem Hilar.

Ioan. 16.

Item ille locus Ioan.8. *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*, Et cap.14. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* De quo Hil. libro de Trinit. *Non relictus est hominum eloquijs de Dei rebus alius præterquàm Dei sermo. Omnia reliqua, & arcta, & conclusa, & impedita sunt, & obscura. Si quis alijs verbis demonstrare hoc, quàm quibus à Deo dictum est, volet, aut ipse nō intelligit, aut legentibus non intelligendum relinquit. Dominus dixit cùm rogaretur, vt ostenderet Patrem: Qui me videt, videt & Patrem. Hæc demutare, Antichristi est, hoc negare Iudæi est.* Victorinus lib. de Trinit. *Figmentum enim si esset (Dei Verbum scilicet) non ex ipso Pater nosceretur, sed potentia Dei, & diuinitas vt Paulus dixit*, Et subdit: *Impossibile est Verbum semen esse omnium quæ sunt, quod ex nihilo factum est.* Hæc ille. Et causa cur videretur diuinitas: quia tota exteriùs erga creaturas operatur, & non sola persona Patris. Cyrill. lib.Thesaur. *Nam si diuersæ substātiæ sunt, quomodo Pater in Filio, & Filius in Patre videtur? Qui videt me*, inquit, *videt & Patrem meum. Nunquàm certè hominis formam in asino speculabimur, nec asini in hominis forma. Simile enim in simili videtur: quæ verò natura differunt nunquam in alterutris videbuntur.* Hæc ille.

X. Locus.

Ioan. 8.

Infrà 14.

Hilar. lib. 7. de Trin. circa finem.

Victor. Hor. lib. 1. de Trin.

Idem ibidem.

Rom. 1.

Cyrill. lib. 2 Thesaur. c. 1. in fin. item 2 & 11.

[illegible] in q[illegible] videatur tantummodo.

Quia igitur viso Filio, videtur & Pater, ob essentiæ vnitatē; ideo Filius se Patri æqualem ostendens, eundem honorem, qui datur Patri, sibi exhiberi & sinebat, & exigebat. Nam Ioan. 5. *Neq, enim Pater* (ait) *iudicat quemquā; sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificent Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Et idcircò petit sibi fidem adiungi atque Patri, cùm dixit; *Creditis in Deum, & in me credite.* Et à cæco nato exegit fidem, *Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, & dixit, Quis est, Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum; & qui loquitur tecum, ipse est: & subiunxit cæcus sanatus; Credo, Domine, & procidens adorauit eum.* Scitè sanè Amphilochius Theodosium inuisens Imperatorem, & illum regio prosequens honore, ab Honorio filio eius honorādo, vel honorificè salutando abstinuit, etiamsi ab Imperatore rogaretur. Sed cur id faceret rogatus, dixit: *Vides Imperator quomodo filio tuo contumeliam non pateris irrogari? Crede etiam Deum abominari omnes eos, qui ipsius Vnigenitum filium blasphemare contendunt.* Quod intelligens Imperator, & simul gesta, & dicta admiratus, legem statim protulit, vt Arrianorum conciliabula prohiberentur, teste Theodoreto in hist. Tripart.

Ioan. 5.
Infra 14.
Suprà 9.
Quemadmodum Amphilochius Theodosio persuaserit vt Arrianorum conciliabula prohiberet.
Theodor. lib. 9. in hist. Tripart. cap 25.

Septimò, eandem cōsubstantialis Verbi cum Patre doctrinam comprobant epitheta Patri & Filio communia. Primum est, esse, vel quod est: *Qui est, misit me ad vos*; &, *Ego sum qui sum.* Quod etiam Christo tribuitur: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient: antequàm Abraham fieret, ego sum: Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro: Quum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Et Apoc. 1. *Gratia vobis & pax ab eo, Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est: Iesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula.* Et Hieronymus ad Damasum: *Vna est*, inquit, *Dei, & sola natura, quæ verè est. Id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est.* Ergo Filius est eiusdem cum Deo substantiæ.

Septimus locus.
Christus verè est per essentiam Deus.
Exod. 3.
Psalm. 101. & Hebr. 1.
Ioan. 8.
Ibidem.
Hebr. vlt.
Hieron. ad Damasum. Epist. quæ incipit Quoniam vetusto Oriens, & circa medium, tom. 2.

Secundò, nomen boni soli Deo conuenit: *Nemo bonus nisi solus Deus.* Et tamē Christus ait; *Ego sum Pastor bonus*; &, *Eructauit cor meum Verbum bonum*: & Spiritus dicitur bonus à Propheta: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Cùm autem omnia Patris sint, & vnum eorum sit naturalis bonitas, erit profectò in eo qui ex ipso primò prodit. Vnde Gregor. Nazian. lib. Theologiæ: *Porrò illo, Nullus bonus, nisi solus Deus, repercussit Legisperitum illum, qui Christum captiosè tentās hominis bonitatē afferebat. Summè enim & vnicè bonum*, inquit, *solius Dei est, quamuis nomen hoc aliquoties & homini tribuatur.* Hilar. lib. De vnita Patris & Filij; *Neq, se ab ijs quæ Deo deputabat (ille scilicet Legisperitus) professus est alienū esse; cum vnū bonū Deum confitens, ea ipse loqueretur atq, ageret, quæ vnius Dei virtutis, bonitatis, atq, naturæ sunt.* Ambros. lib. de Fide: *Nam si vbi vnus Deus dicitur, nequaquàm tamen Dei Filius à diuinitatis plenitudine separatur: quomodo vbi vnus Deus bonus nuncupatur, à plenitudine Diuinæ potestatis Vnigenitus excluditur? Necesse est igitur aut Deum negent Dei Filium, aut Deum bonum esse fateantur.* Cyrillus; *Quoniam vir in Lege peritus, vt ad hominem nudum accedebat, redarguere illius imperitiam, qui sapientiam Legis vniuersam cōsecutum se putabat, volens respondit, dicens. Cur vt ad hominem solummodò venis, & quod Deo naturaliter inest, (nam ipse solus verè bonus est) mihi attribuis?*

Christus verò, & essentialiter bonus.
Luc. 18.
Ioan. 10.
Psalm. 44.
Psal. 142.
Gregor. Nazianz. lib. 4. Theologiæ, paulò à medio.
Cur Christus à Legisperito se bonum vocari vetuerit.
Hilar. propè finem operis.
Ambros. lib. 2 De Fide, c. 1. init. tom. 2.
Cyrill. lib. 2. Thesaur. c. 2. sub finem, tom. 2.

¶ Item, veritatē esse, Dei proprium est: veræ enim sunt creaturæ ipsæ potiùs, quàm veritas. Verus ergo Deus erit Christus, qui se veritatē esse dixit. Nam Ioan. 14. *Ego sum via, & veritas, & vita.* Et 1. Ioan. 5. *Spiritus est qui testificatur, quoniam Spiritus est veritas.* Ita Græca; Latina verò, *quoniam Christus est veritas.* Et Ioan. 17 *Sermo tuus veritas est.* ¶ Item se vocat vitam: *Ego sum resurrectio, & vita*: quod est proprium Dei. De quo Cyrillus lib. Thesaur. *Creatura*, inquit, *vita esse non potest, sed particeps vitæ.* Et lib. Dialog. De Trinit. *Cum articulo autem & singulariter se ipsum esse dicens vitam, an non Patrem ac Deum suum negauerit esse vitam, nisi vnius naturæ ambos esse dederimus, & per ambos ad nos æqualiter vitam venire, & non ex duobus, sed ex vno Deo nos viuificante?* ¶ Item dicitur à Patribus, voluntas Dei, vt Clemente lib. 1. Recognitio. *Erat semper, & est, & erit illud, à quo prima voluntas genita sempiternitate constat, & ex prima voluntate iterum voluntas. Post hæc mundus, ex mundo tempus, ex hoc hominum multitudo, ex multitudine electio amicorum, ex quorum vnanimitate pacificum construitur Dei Regnum.* Sic ille, vocans primam voluntatem, Filium; & secundam, Spiritū sanctum. Victorin. lib. 1. Trinitate: *Pater ergo, cuius est voluntas; Filius autem, voluntas est.* Idacius lib. De Trinit. *Si voluntas Dei Patris, Filius non fuisset, quomodo Pater in illo potuit cōplacere?* Et Cyrillus; *Omnia hæc Filius Patri est, Consilium, Voluntas, Verbum, Sapientia.* Et paulò antè. *Si voluntas non absq, interiore verbo est; voluntas enim est Verbum occultum in corde insitum, cùm Filius Patris Verbum eius sit, ipse quoq, voluntas eius erit.* Sic erit. Si ergo Filius est voluntas Patris, ergo etiam substantia Patris, quia in illo voluntas, & essentia, ob eius simplicitatem non differunt.

Christus non solum verus, sed etiam veritas ipsa est.
Ioan. 14.
1. Ioan. 5.
Ioan. 17.
Christus est vita.
Cyrill. lib. 12. Thesaur. c. 7. in fine.
Creatura vita esse nō potest, sed particeps vitæ.
Idem lib. 5. dial. de Trin. inter med. & princ. eod. tom. 2.
Christus voluntas Dei à Patribus nuncupatur.
Clem. Rom.
Pacificum Dei regnum vnde conficet.
Mar. Victor.
Idacius.
Matth. 3. & Infrà 7.
Cyrill. lib. 1. Thesau. c. 8 paulò ante med.
Voluntas quid, teste Cyrillo.

Ampliùs exprimitur nomine lucis, cādoris

& solen-

Chriſtus lux, candor, & ſplendor Dei eſt.
1. Ioan. 1.
Ioan 1.
Cyrill. lib. 2. Theſaur. c. 2. prope finem.

& ſplendoris: *Deus autem lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.* Et de Chriſto dicatur: *Erat lux vera: Qui cùm ſit ſplendor gloriæ.* Et Sap. 7. *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis.* At ſpeculum, & lucis candor luci ipſi conſubſtantiales ſunt. Hinc Cyrillus lib. Theſaur. *Si ſplendor huius lucis connaturalis, eiuſdemq́; eſſentiæ cum luce ſua eſt, Filius cùm ſit lucis æternæ ſplendor, conſubſtantialis illi erit.* Eugen. lib. De Fide, ad Hunnericum Regem Wandalorum: *Ideò Apoſtolus de eodem Filio dicit: Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius In quo euidentius & coæternus Patri, & inſeparabilis, & vnus cum Deo ſubſtantia perdocetur, cùm lucis ſplendor ſemper eſt coæternus, dum ſplendor à lumine nunquàm eſt ſeparatus, dum ſplendor à luce natura & ſubſtantia nunquàm poteſt eſſe diuerſus.* Et Ambroſius libro de Spiritu ſancto: *Ergo quia Deus lux eſt, lux autem vera eſt Dei Filius, ſine dubio Deus verus eſt Dei Filius.*

Eugen.
Ambroſ. lib. 1. De Spiritu ſancto, cap. 16 initio, tom. 2.
1. Ioan. 1.
Chriſtus eſt Dei virtus, & Dei ſapientia, Apoſtolo teſte.
1. Cor. 1.
Cyrill. tom 2.
Auguſt. lib. 15 de Trinit. c. 7. ſub initi. tom 3.

Item vocatur Dei virtus, & Dei Sapientia; ergo conſubſtantialis Patri, vt probat Cyrillus lib. 2. Theſaur. cap. 4. ante med. & lib. 1. c. 5. initio, & 8. prope initium. Auguſt. lib. De Trinit. *Si ſolus ibi Filius intelligit vt intelligentia ſit, & ſibi, & Patri, & Spiritui ſancto, ad illam redditur abſurditatem, vt Pater nõ ſit ſapiens de ſe ipſo, ſed de Filio, nec Sapientia Sapientiam genuerit, ſed ea Sapientia Pater dicatur ſapiens eſſe quã genuit. Vbi enim non eſt intelligentia nec Sapientia poteſt eſſe, at per hoc ſi Pater nõ intelligit ipſe ſibi, ſed Filius intelligit Patri, profectò Filius Patrem ſapientem eſſe facit. Et ſi hoc eſt Deo eſſe quod ſapere & ea illi eſſentia eſt quæ Sapientia, non Filius à Patre, quod verum eſt, ſed à Filio potiùs habet Pater eſſentiam, quod abſurdiſſimum atq́; falſiſſimum eſt. Eſt ergo Deus Pater Sapiens, ea qua ipſe, ſua eſt Sapientia. & Filius Sapientia Patris de Sapientia quod eſt Pater, de quo genitus eſt Filius.*

Vbi nõ eſt intelligentia, nec ſapientia poteſt eſſe.
Deus Pater ſapiens qua ſapientia ſit.

Chriſtus natura Dominus, & Rex eſt, atque vocatur.
Cyrill. lib. 12 Theſaur c. 7. ſub initium.
Matth. 2.

Dicitur quoque Chriſtus natura Dominus, & Rex natura, ac per hoc eſt Deus, quia ſolus Deus naturâ eſt Rex & Dominus, dicente Cyrillo: *Qui natura Deus eſt, is etiam Rex eſt: & contra qui naturâ Rex eſt, is etiam Deus eſt.* Eſſe autem Chriſtum naturâ Regem, teſtantur Magi dicentes, *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?*

Chriſtus abſolute Deus eſt, & dicitur.
Ioan 1.
Cyrill. lib. 3. dialog. aliquanto à medio, tom. 2.

Dicitur Deus abſolutè, & ſignatur conſubſtãtialis Patri: *Et Deus erat Verbum* Hinc Cyrill lib. Dialog. de Trinit. *Nam ſi hoc nudo nomine Deitatis Filius ſe ipſum vocat, & fructum, hoc eſt, rem natura non habet, quid manifeſtè clamans, perſuadet: Ego ſum veritas?*

Chriſtus eſt Deus magnus.
Iob 36.
Pſalm. 76.

Item magnus Deus, titulus eſt Patris iuxta id; *Ecce Deus magnus, vincens ſcientiam noſtram.* Et Dauid, *Quis Deus magnus ſicut Deus noſter?* Hic tamen Filio tribuitur titulus: *Expectantes*, inquit Apoſtolus, *beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Quæ verba non debent diuidi in duos, vt volebat Eraſmus, quia non poſſunt diuidi quæ ſine articulo Græcè leguntur: non enim habent, τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ τοῦ σωτῆρος ὑμῶν, ſed ſine articulo dicitur, καὶ σωτῆρος. Ita vt ille magnus Deus ſit idem qui dicitur Saluator noſter.

Tit. 2.
Contra Eraſmum Roterodamum negantem Chriſto diuinitatem.

Præterea aduentus ad iudicium, non Patri tribuitur, ſed Filio, de quo in Symbolo profitemur: *Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos.* ¶ Nec valet quod excuſans ſe dixit: *Nec hic ſimpliciter dicitur aduentus Patris, ſed aduentus gloriæ magni Dei:* imò in contrarium eſt, ſi magni Dei, refertur ad Patrem, cùm non ſit aliud gloria Patris quam ipſemet Pater, idẽ erit dicere, aduentũ gloriæ Patris, & aduentum Patris; quod nõ dicitur de Patre, cùm aduentus ſit Filij, imò gloria Chriſti, quæ eſt & Patris, quia vnica amborum, & Chriſtus ſuam habet à Patre. Vnde Luc 9. *Qui me erubuerit*, inquit, *& meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet cùm venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorũ Angelorum.* Adde quod Arriani, & Maximinus ob hoc Pauli teſtimonium cõfitebantur eſſe magnũ Deum. Citauit etiã Eraſmus Ambroſium pro ſe, ſed falsò: quia tantùm dicit Ambroſius in aduentu Chriſti ad iudicium reuelandam Patris gloriam in illo, ſcilicet Chriſto Filio ſuo. ¶ Dicitur Deus, verus Deus, iuxta id; *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum, Deum verum, & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtum.* Sed & hic titulus Chriſto competit, de quo in Symbolo Nicenæ Synodi canit Eccleſia: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verũ de Deo vero.* Et 1. Ioan. 5. *Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Quod nõ poteſt referri ad Patrem, quia præceſſit; *Et ſimus in vero Filio eius. Hic eſt verus Deus.* Ad hæc Verbum dictum eſt à principio Epiſtolæ, vita æterna: *Annunciamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem.* Et OEcumenius annotauit, hîc, poſitum Græcè pro relatiuo. Qui Patres etiam ex illo colligunt Verbum Patri cõſubſtantiale, vt Cyrill. lib. 3. Dialog. de Trinit. ſub initium. Didymus in Commentarijs ſuis in hãc Epiſtolam, vt Hieron. in cap. 56. in Iſaiam, vt Auguſt. lib. 1. & 3. contra Maximinum, cap. 14. ante medium, vt demùm Athanaſius ſerm. 4. in Arrianos, Hilar. lib. 6. de Trinit. circa finem, & alij. Quod ob id à me dictũ eſt, quòd Eraſmus dixerit ignotum fuiſſe hunc locum Catholicis ſcribentibus contra Arrianos.

Aduentus ad iudicium non Patris, ſed Filij proprius eſt.
Gloria Patris eſt ipſemet Pater.
Gloria Filij à Patre eſt, licet vna & eadem amborum ſit gloria.
Luc. 9.
Arriani Chriſtum eſſe magnum Deum, vnde deduxerint.
Ambroſ. in c. 2 Epiſt. ad Titum, tom. 5. prope finem.
Chriſtus verus Deus.
Ioan. 17.
1. Ioan 5.
OEcumen.
Cyrill Alex. tom. 2.
Didym.
Hieron. tom 5
Auguſt. tom 5. ſub finem.
Hilarius.

Ad hæc dicitur Deus ſuper omnia, iuxta illud; *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper oẽs Deos.* Ita quoq; ab Apoſtol

Chriſtus eſt ſuper omnia.
Pſal. 94
Rom. 9.

di-

dicitur; *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen.* Erasmus hunc locum nobis eripere conatus est, agens Arrianorum patrocinium. Primò enim dixit hanc particulam adiectam; sed cùm opponeretur exemplariorũ cõsensus, dixit Cyprian. aduersus Iudæos scribentẽ omittere dilectionẽ illam, Deus; Sed cũ ille eo loco producat Scripturas ad probandũ Christum Deum, verbum illud erat supplendum: & Patres nõ semper citant integrè omnia testimonij, quod producunt, verba. Addit, Ambrosium docuisse, hæc verba quosdã ad Patrem, non ad Filium referre. Hęc eius verba sunt: *Si quis autem nõ putat de Christo dictum, qui est Deus, det personã de qua dictũ est.* Sed certè planè indicat, nullũ se scire, qui id putaret ad Patrem referri: alioqui nõ dixisset, Det personam, dedisset enim Patrem: imò illa etiam data, probare volebat quòd illi non conueniret. Tandẽ dixit esse doxologiam: vt cùm, narratis aliquot Dei in nos beneficijs, adiungimus: *Sit Deus benedictus in secula.* Vt sit epiphonema, siue gratiarũ actio; cùm aperta sit enunciatio de Christo, & nõ epiphonema. Et scribens in Hispanos, duplicem assignat literam, alteram: *Ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia:* Et ibi punctus. Et est sensus: id est, superans omniũ antiquorum dignitatem. Et quod sequitur: *Deus benedictus in secula,* vult vt referatur ad Patrẽ; cùm tamen ibi nulla de Patre mentio præcedat, vt id ei accommodetur. Et hic sensus multa habet incommoda. Primum, quod Gręcè ὁ ὢν articulus superfluit. Secundum, quod in verbis istis, Θεὸς εὐλογητὸς deest articulus: idque contrà Erasmi regulam, quod quoties certa persona, & maximè Patris, signatur voce Θεὸς, semper illi additur articulus ὁ Θεὸς. Tertium est, quod magnæ est arrogantiæ, propria auctoritate mutare puncta, qua arrogantia quoduis absurdissimum dogma defendi posset: in quo Erasmos superauit Arrianos. Illi enim non negabant Christum Deum, & magnum etiam Deum, sed verũ Deum, & ὁμόιον τῷ πάτρι. Quartum incommodum, quòd importunè vocet illud epiphonema. Altera verò lectio nihil habens, ait, incommodi, est: *Ex quibus est Christus iuxta carnem,* & ibi punctus: Et ex consideratione tantæ Dei munificentiæ subdit gratias agendo, Qui est super omnia Deus benedictus in sęcula, Amen. Sed quid, quæso, importunius, quã addere doxologiam pro gratijs in Iudæos collatis, quibus sunt abusi, ob quod ibi eos luget Paulus, vt musica in luctu, importuna narratio? Nec illam doxologiam vult

Aduersus Erasmi perfidiam.

Cyprian.

Patres testimonij quod producunt, omnia verba integrè non semper proferre solent.

Ambros. in c. 9. Epist. ad Rom. sub init. tom 3. circa finem.

Quid illud Erasmo attribui diuinitatis Christi. Qui est super omnia Deus benedictus in secula.

Erasmiani sensus hæc Apostoli verba ad Rom. 9. Qui est Deus benedictus in secula, ad Deum, Patrem, non ad Filium referentis quinque exponuntur incommoda.

Erasmus in Christũ ipsis Arrianis in quo cõtumeliosior extitit.

Rom. 9. & seq.

Pater, quę Filio prępripitur, & qui est signũ cui cõtradicitur: & inimicitiæ sunt serpentis in Christum, non in Deum Patrem, quẽ indubium erat Deum esse apud omnes.

Postremò Verbum dicitur principium cum Patre, & Spiritu: de quo Augustinus lib. de Trinit. *Dicitur relatiuè Pater, idemq; relatiuè dicitur principium, & si quid fortè aliud: sed Pater ad Filium dicitur, principium verò ad omnia quæ ab ipso sunt.* Et infrà: *Et ideò cùm dicimus, & Patrem principium, & Filium principium, nõ duo principia creaturæ dicimus, quia & Pater, & Filius ad creaturam vnum principium est, sicut vnus Creator, sicut vnus Deus.* Et Dionys. lib. de Diuin. nom. multa ex dictis nomina ostendit Patri, & Filio, & Spiritui sancto communia.

Octauo loco argumenta cõsubstantialitatis Verbi cũ Patre desumuntur ex nominibus proprijs Verbi, quæ alteri personæ nõ conueniunt. Quorum primũ est, & frequẽtissimũ in Scripturis, Filius Dei; de quo B. Hilar. lib. de Trin. testatur: *Verè Dei Filiũ vnigenitũ Deum Dominũ nostrũ Iesum Christum esse, ac doceri, multis modis cognitũ est: dum de eo testatur Pater, dũ de se ipse profitetur, dũ Apostoli prædicant, dũ religiosi credunt, dũ dæmones confitetur, dum Iudæi negant, dum Gentes in passione cognoscunt. Neq; enim ex communione nuncupationis est, quod de proprietatis fide dicitur.* Hæc ille asserens de Christo testari Patrem, scilicet in baptismo, & monte Transfigurationis: *Hic est Filius meus dilectus.* Christus verò de se ipso profitetur: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigitum daret.* Et cæco nato quærenti, *Quis es, Domine, vt credam in eum? Qui loquitur,* (inquit) *tecum, ipse est.* Apostoli verò prædicabant: *Hæc autẽ scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Filius Dei.* Et Paulus, *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit.* Et Ioannes, *Et simus in vero Filio eius.* Et Petrus, *Tu es Christus filius Dei viui.* Religiosi verò, sunt Nathanael, *Rabbi, tu es Filius Dei.* Et Martha, *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei viui.* Dęmones confitentur; *Quid nobis & tibi, Iesu Fili Dei?* Iudæi verò negabant, quia dicebant: *Secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit: Si Filius Dei es, descende de cruce.* Gentes verò in passione cognouerunt, quia Centurio cum suis dixit, *Verè Filius Dei erat iste.* De testimonio Petri Matt. 16. egregiè philosophatur Hilarius eodem lib. de Trinit. de non credente Filium esse verum Deum, dicens: *Hoc qui creaturã Dei potius confitens negat, prius est vt neget Petri Apostolatum, fidem, beatitudinem, sacerdotium, martyrium: & post hæc se alienum à Christo esse intelligat, quia Petrus eum Filiũ Dei cõfessus hæc meruit.* Adit ibidẽ Hilar. *Cùm Dominus posset omnia, tamen*

Luc. 2.

Gen. 3.

Christus Verbum, principium est cum Patre & Spiritu.

August. lib. 5. de Trin. c. 13. in princ. to. 3.

Dionys. Areopag. lib. de Diuin. nomin. par. 1.

VIII. Locus pro consubstãtialitate Filij cum Patre à proprijs nominibus Verbi.

Verbum Filius Dei.

Hilar. lib. 6. de Trin. aliquanto an te med.

Marc. 15. Matth. 3. & infrà 17.

Ioan. 3.

Infrà 9.

Infrà 20.

Rom. 8.

1. Ioan. 5.

Matth. 17.

Ioan. 1.

Infrà 11.

Matth. 8.

Ioan. 19.

Matth. 27.

Ibidem.

Suprà 16.

Hilar. lib 6. de Trinit. post med.

Idem ibidem, circa finem.

1. Cor. 2.

in vnoquoq; eorum qui orabant, operationis suæ effectum meritũ voluit esse confusionis. Neq; enim ei virtutem, qui Dei virtus est, confessio orantis addebat, sed fides erat præmium, hoc mereri. Et

Greg. Nazian. tom. 2.

Christum negans Dei Filium, incredulior ille dæmonibus, & Iudæis existit ingratior teste Nazianzeno.

Quantum differat adoptiuus filius à naturali.

Greg. Nazian. orat. in sanctum Pascha, in fine: *O & dæmonibus incredulior, & Iudæis ingratior! Illi Filij appellationem, æqualis honoris vocem existimabant: hi verò expellentem Deum esse nouerant, credebant enim ob ea quæ patiebantur: tu autem neq; æqualitatem concedis, neq; diuinitatem fateris. Satius tibi erat circumcidi, aut dæmonib⁹ agitari (vt ridiculi quippiam dicam) quàm in præputio, & bona valetudine tam sceleratè, & impiè sentire.* Hæc Gregor. Cùm ergo Filius Dei Christus Dominus noster dicitur, propriè, & antonomasticè de Filio naturali, & nõ de adoptiuo intelligendũ est: nã adoptiui plures, & Angeli, & homines, sunt, & tantum differunt à naturali, quantũ creaturæ à Creatore, vt Patres asserunt. Quos inter

Dionys. Areopag. c. 2. par. 1. sub finem.

Dionys. lib. de Diu. nom, *Diuina omnis Patris ac Filij notio, ex transcendente omnia Patris, ac Filij principatu, & nobis, & cœlestib. est indulta virtutibus, ex quo & dij, & deorum filij, deorumq; Patres Spiritus diuina effigie insignes, & fiunt, & dicuntur, eo scilicet Patris, ac Filij spiritaliter exacto munere, id est, incorporaliter, non materialiter, intelligibiliter ipso quidem diuino Spiritu immateriale omne, ac diuinum supernè eminente, Patreq;. & Filio, ab omni & Patre, & Filio diuino (hoc est adoptiuo) Patris & Filij munere excellenter exceptis.* Hæc ille, docẽs filiationẽ adoptionis assimilari naturali, & diuinæ: sed differre ab ea quantũ effectus à suprema causa. Et idẽ docet cap. 9. eiusdẽ libri. Idẽ docere videtur & Clemẽs Stromateus lib. 2. Stromatũ, à medio:

Idem Clem. Stromat. tom. 2.

Matth. 10.

Nõ sumus autẽ sicut Dominus, quoniã volumus quidẽ, sed nõ possumus. Nullus est enim discipulus super magistrũ. Satis est autẽ si facti fuerimus sicut Dominus, non essentia. Fieri enim nõ potest vt id, quod est adoptione, sit essentia æquale ei quod est natura, sed quòd facti simus sempiterni, & contemplationẽ eorum quæ sunt cognouerimus, & filij appellati simus, & Patrem ex ijs quæ sunt ei coniuncta, solum videamus. Et Hilar. lib. 6. de Trin. loquens de adoptiuis, ait;

Hilar.

In Christo est significatio proprietatis filij, sed non in alijs filijs Dei dictis, secundũ Hilarium.

Proprietatis in his significatio nulla est: nominis namq; tantùm quod Deo dignum est, indulta dignatio est. Infrà, finem versus: *Filios enim Dei, opera secundùm Dei Spiritũ gesta connuncupant, & clamatur à nobis potiùs Abba Pater, quàm ex natura manet proprietate, quia extra naturæ proprietatem est vocis officium, & dici, atq; esse nõ idem est.* Et lib. 12. sub initium:

Rom. 8. & Gal. 4.

Idem.

Ephes. 2.

Rom. 8.

Idem.

Et nos quidem filij Deo, sed per facturã filij. Fuimus enim aliquãdo filij iracundiæ, sed filij Dei per Spiritum adoptionis effecti, & dici id meremur potiùs, quàm nascimur. Et reliq. *Ibidẽ docet discrimen inter Filium naturalem, & adoptiuum: quòd ille semper sit filius, hic verò nõ nisi ex tempore.* Et lib. 3. circa principium:

Aliud inter adoptiuum filium & naturalem discrimen.

Idem.

Ioan. 17.

Dominus dixerat: Clarifica Filium tuum. Nõ solùm nomine contestatus est esse se Filium, sed & proprietate qua dicitur, tuum. Multi enim nos filij Dei, sed nõ talis hic Filius est. Hic enim & verus, & proprius est Filius, origine, nõ adoptione: veritate, non nuncupatione: natiuitate, nõ creatione. Et lib. de Synodis:

Idem lib. de Synod. paulò à princ. can. 3. in fine.

Hoc verè est esse Dei Filium, paternæ scilicet formæ veritatem, coimaginata in se natura perfecta similitudine retulisse. Idẽ lib. de Patris, & Filij vnitate (qui est Gregorij Nazianzeni lib. de Fide, ab Hilario versus) docet, verã natiuitatem, seu filiationem facere, vt Filius nec sit alius substãtia à Patre, nec idẽ in persona. Et

Idem, seu Greg. Nazian.

Ambros. lib. 2 de Fide. c. 4. paulò à princ, tom. 2.

Ambros. lib. de Fide: *Nõ Iudæi hoc dicunt, sed Euangelista testatur, quod æqualem se faciebat Deo. Ergo Euangelista interpretatus est quid sit proprium Filium Dei se dicere, hoc est, æqualem se facere Deo.* Et confirmat Eugenius lib. de Fide ad Hunericum:

Ioan. 5.

Eugenius.

Si verè de Patre natus est; vnius substantiæ, & verus Filius est. Si vnius substantiæ nõ est, nec verus Deus est. Aut si verus Deus est, & tamen de Patris substantia nõ est; ingenitus ergo ipse est. Idem comprobatur ab eodem, ex eo quòd Pater sit ingenitus, Filius genitus, dicente;

Idem.

Cùm ingenitus sit Pater, genitus Filius, non fieri vnã posse, eandemq; esse substantiam geniti, & ingeniti, cùm vtiq; si vt ingenitus Pater est, ingenitus esset & Filius; tunc magis diuersa posset esse substantia, quia vnusquisq; subsistens communem substantiam cum altero non haberet. Ad hæc August. lib. in Maximinum, ponderans illa verba Ioannis;

August. lib. 3. in Maximin. c. 14. aliquanto ante med. tom. 6.

1. Ioan. 5.

Vt simus in vero Filio eius Iesu Christo: ipse est verus Deus, & vita æterna, Quando legitis, inquit, *Vt simus in vero Filio eius Iesu Christo; verũ Dei Filium cogitate. Hunc autem Filium nullo modo verũ Dei Filium cogitatis, si eum natum esse de substantia Patris negatis.* Infrà:

Negans Christum verum Filium Dei, ac Deum, conuincitur ab Augustino.

Dicite ergo nobis, verum iste verus Dei Filius, ab eis qui gratia filij sunt, huius nominis quadã proprietate discretus, de nulla substantia sit, an de aliqua? Non dico, inquis, de nulla, ne de nihilo dicam. Ergo de aliqua est: quæro, de qua? Si non de Patris, aliam quære. Si aliam non inuenis, quia omninò non inuenis, Patris agnosce, & Filium cum Patre Homousion confitere. Sic ille. Et pondera sequentia Apostoli verba: *Hic est verus Deus.* Sicut enim verus Filius hominis, homo verus est; ita verus Dei Filius, verus Deus est.

Christus est verbum Dei.

Præstereà Filius Dei dicitur Verbũ Dei, nõ vocale aut prolatitium, quod damnatũ est à Synodo quadã, vt testis est Hilar. lib. de Synodis, ante medium: & ostendit homousion Filium Patri. Vt enim per Verbũ omnia opera nostra fiunt, iuxta illud Eccl. 37. *Ante omnia opera Verbum* (siue, vt Græci habent, principium omnis operis Verbũ

Hilar. Synod. Syrm. en. can. 8.

Ecclesiast. 37

Ioan. 1.

ita & per Verbum omnia facta sunt. Deinde vt verbum sine corruptione, & fluxu, & motu procedit, sic Verbum Dei intellectuale ab ipso Patre prodit. Et vt coexistere semper, & coæternũ esse Patri Filium, splendor tibi denunciat; impassibilitatẽ natiuitatis illius ostendit Verbum, ita consubstantialitatem nomen Filij pandit. Est etiam Verbum expressa genitoris, quem totũ dicit, & exprimit, imago teste Basilio. Genitoris quoque voluntatem indicat, & cõsubstantiale Patri Verbum demonstrat. Vnde Cyrill. lib. Thesaur. *Quòd si multa nomina Deo, & creaturis communia sunt, & tamen de ipso solo secundùm naturam dicuntur: quid prohibebit Verbum etiam propriè Filium Dei appellari, & hoc vocabulo maximè ipsum esse Filij, prout homines percipere possunt, significari? quãuis multa quoq; alia verba sint abusiuè, & ad imitationem veri Verbi appellata. Hac de causa ipse de se dicit: Ego sum veritas: quare quicquid de Deo dixeris, vt ipsi verè cõueniat: de illo quidem propriè, de alijs verò abusiuè dictũ nõ dubites* Hęc ille. Cuius verba rectè intellige: ait enim, nomina de Deo dici, quantũ spectat ad perfectionem nomine significatã, propriùs & veriùs in Deo reperiri, & si modus, quo illã perfectionem percipimus, vnde & nomina imponimus, propriùs cõueniat creaturis: quia omnia finitè, & limitatè cõcipimus, sicut etiam finiti sumus; Deo verò nulla nostra limitatio congruit.

Basil. lib. 11. aduer. Eunom. tom. 1.
Cyrill. lib. 7. Thesaur. c. 4. Initio tom. 2.
Ioan. 14.
Nomina propriè de Deo dici, quo sensu dicat Cyrill.

Tertiò, dicitur Christus imago Dei, splẽdor Patris, & character hypostasis eius, & Sap. 7. Candor lucis æternæ, & speculum sine macula: & Coloss. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis.* Et quia nõ solũ est imago, sed summa imago; idcircò & consubstantialis erit. Aliàs enim, si creatura esset, & in infinitũ à Patre distaret, & nequaquàm summa absolutè esse imago, quia creari posset altior alia creatura, Deo similior. Quoniam verò imago ad prototypum refertur, ideò ostendit distinctionẽ personarũ præter essentiæ vnitatẽ dictam. Hinc Patres ex imaginis voce colligunt Filium Patri homousion. Clemens enim Alexãdrinus in adhortatione ad Gentes, sic docet: *Est enim Dei imago eius Verbũ & Filius, mentis germanũ diuinũ illud Verbum, lucis lux exemplaris, & archetypa. Verbi autẽ imago est homo, vera mens quæ est in homine: qui ad Dei imaginem, & similitudinem propterea factus esse dicitur, prudentia quæ est in corde, diuino Verbo assimilatus, & ea ratione Verbi, rationisq; particeps.* Basil. lib. in Eunomium: *Idemq; cũ archetypo existentem, nec imitatione figuratam, sed tãquàm sigillo aliquo tota Patris natura Filio impressa.* Et alibi in sermone contra Sabellianos, & Arrium, & Anomæos: *Nõ sunt*, inquit,

Christus, imago Dei, splendo Patris, & character hypostasis eius est, & dicitur.
Sap. 7.
Coloss. 1.
Clem. Alex. operis init.
Ioan. 1.
Imago Verbi est homo.
Gen. 1. 2.
Basil. lib. 2. in Eunom. aliquanto ante med. tom. 1. med. inter & finem.
Idem homil.

duo Dij, neq; enim sunt duo Patres. Qui duo principia inducit, ille duos quoq; Deos prædicat. Vbi namq; vnũ principium, vnumq; ex ipso principio, & vnũ archetypon, ac illius vna imago traditur, ibi vnitatis doctrina nõ corrumpitur, propterea quod ex Patre genitus, Patremq; in seipso naturaliter exprimens: vt imago quidẽ, per omnia illa respondet: vt progenies verò, ὁμούσιον obtinet. Neq; enim qui regiam in foro conspicatus imaginem, Regem, qui in tabula depictus est, dicit, duos ob id Reges cõfitetur, imaginẽ videlicet, & eum, qui per imaginem repræsentatur, neq; si demonstrato eo, qui in tabula pictus est, dixerit: Hic Rex est, mox imaginis prototypon Regis appellatione priuauit. Imò magis per hoc quòd imaginem Regis Regem appellat, Regi suum cõfirmat honorem. Si namq; imago Rex vocatur, multo magis par est Regem esse eum, cuius causa facta est imago. Sed hic quidem, lignũ, cera, & pingendi artificium imaginem facit corruptibilis hominis corruptibilem, figurã videlicet eius qui arte exprimitur. Illic verò, quãdo imaginem audis, splendorem gloriæ intellige. Quis verò est splendor ille, & quæ gloria? Ipse hoc statim Apostolus exposuit, dicens: Et character subsistentiæ (id est, hypostasis, vt Græcè habetur.) Idem est ergo subsistentia, quod gloria: character, quod splendor. Manente itaq; gloria ista perfecta, ita vt nihil imminuatur, perfectus quoq; ex ipsa procedit splendor. Idẽ quoq; libro de Spiritu sancto: *Quomodo igitur si vnus & vnus sunt, non sunt duo dij? Quoniam Rex dicitur Regis imago, non autem duo Reges. Neq; enim potestas scinditur, neq; gloria diuiditur. Quemadmodum enim principatus ac potestas nobis dominans vna est: sic & glorificatio, quam illi deferimus, vna est, nõ multa. Itaq; imaginis honor ad exemplar primum refertur. Quod igitur hic est per imitationẽ imago, hoc illic natura filius.* Hæc ille. Vt ergo Filius (suo genitori, cui est simillimus) dicitur Patris imago; & essentiæ imago; quia in eâdẽ essentia specifica: ita in diuinis, Filius, exprimens totum Patrem, imago est Patris in eius indiuidua substantia, & natura. Victorinus libro de Trinit. *Si imago Dei Christus, de Deo Christus, imago enim, imaginalis imago.* Infrà: *Et quare imago Dei λόγος? Quoniam Deus in occulto, in potentia enim: λόγος autẽ in manifesto, actus enim.* Hilar. lib. de Trinit. explanans illud: *Hunc enim Pater signauit Deus: Signatum se à Deo ait, & hoc ideò, quia vita æterna escam Filius hominis esset daturus, vt per hoc potestas in eo dãda ad æternitatem escæ intelligi posit, quia omnem in se paternæ formæ plenitudinem signantis se Dei contineret: vt quod signasset Deus, nõ aliud ex se, quàm formam Dei signantis afferret.* Et post aliquanto: *Non erit inuisibilis Dei imago corporea, nec indefinita speciei definita moderatio.* Infra: *Primogenitus itaq; omnis creaturæ est, quia in ipso omnia creata sunt.* Infrà

28. de Spiritu sancto paulò à principio. Eod. tom. à medio.
Eundem, & per omnia Patrem Filio, quod & Patri in diuinis honorẽ deberi, pulchro indicat exemplo Basilius.
Colo. 1.
Hebr. 1.
Idem lib. de Spiritu sancto cap. 18. prope initium. Eodem tomo prope finem.
Coloss. 1.
Victorin. lib. de Trinit.
Hil. lib. 8. de Trinit. circa fin.
Ioan. 6.
Quid illud: Hunc enim Pater signauit Deus, secundùm Hilarium.
Coloss. 1.
Idem ibi 'ent.
Christus cur dicatur primogenitus omnis crea-

turæ secundùm eundem
Idem ibidem.
Idem lib. 11. de Trinitate sub init.

Sentis ne iam, quid sit esse imaginem Dei? Creati vtiq; omnia in eo, & per eum. Rursus idem de imagine Patris loquens: *Quæ nisi perfectam* (ait) *paternæ beatitudinis habeat formam, & absolutam naturæ totius referat speciem, non est in imaginis veritate. Si autem innascibilis Dei vnigenitus Deus imago est, perfectæ atq; absolutæ in eo naturæ veritas inest, per quam efficitur esse eum imaginem veritatis.* Et lib. de Synodis, circa principium: *Imago itaq; est rei ad rem coæquandæ imaginata, & indiscreta similitudo.* Et paulò pòst: *Qui imago est, vt verè imago sit, speciem necesse est & naturam, & essentiam secundùm quod imago est, in se habeat auctoris.* In historiæ Tripartitæ lib. 1. scribit Alexander Alexandrinus in Epist. ad Alexandrum Constantinopolitanum. *Imago enim est integerrima, & immutabilis, Patris, & omninò imaginem conuenit esse plenam, per quam non desit aliquid ab æqualitate eius cuius imago est.* Ambrosius lib. de Incarnatio. *Denq; si multi similes, cur solus Filius imago inuisibilis Dei dicitur, & character substãtiæ eius, nisi quia in eo naturæ eiusdem vnitas, & eius vnitatis expressio est? Alia enim secundùm imitationem similitudo, alia secundùm naturam.* Et lib. de Fide: *Vides quã imaginem dicat. Imago ista veritas est, imago ista iustitia est, imago ista Dei virtus est, nõ muta, quia Verbum est, nõ insensibilis: quia Sapientia est: non inanis, quia virtus est, non vacua, quia vita est: non mortua, quia resurrectio est. Vides ergo, quia imago dicitur, Patrem significat esse, cuius imago sit Filius, quia nemo potest ipse sibi sua imago esse.* Item Cyrillus lib. 1. Thesaur. *Præterea si Patris incommutabilis imago Filius est, vt Pater in ipso videatur, sicut scriptum est: Qui videt me, videt & Patrem meum: necesse est non esse factum confiteri, quod ex Patre non facto emanat. Quomodo enim in eo quod factũ est, perspici vnquàm non factum poterit?* Et lib. 3. *Quemadmodum si quis depictam Regis imaginem videat, & miratus pulchritudinem imaginis, ipsum Regem videre desideret, iure vtiq; imago ad eum diceret: Qui me videt, Regem videt. Et rursus: Ego & Rex vnum sumus, quantum ad exactam similitudinem. Et rursus, Ego in Rege, & Rex in me est, quantũ ad figuram, & formam. Figura enim & forma, & species imaginis, species, forma, & figura Regis est. Sic & Filius dicit: Qui me videt, videt & Patrem: Ego & Pater vnum sumus: Ego in Patre, & Pater in me est.* Alcuynus lib. de Trinit. *Quod dicimus, Lumen de lumine, non duo lumina intelligenda sunt, vel separatio luminis, sed ita intelligendum est, quòd Filius effulgentia æterna luminis est æterni: sicut imago sempiterna substantiæ, sempiterna est imago.* Hæc ille. Si ergo imago summa Dei est Filius, ac per hoc eiusdem substantiæ; eãdẽ adoratione adorandus est Filius, qua Pater colitur, & non propter Patrem tantùm, vt docuit Euseb lib. De demonstrat. Euangel. sicut imago Regis colitur non solùm propter Regem sed etiam per se, cùm Deus sit per omnia Patri homousios.

Idem.
Hist. Tripar. cap. 14. aliquanto à medio.
Imago qualis esse debeat.
Ambros. lib. de Incarnat. Dom. Sacram. c. 10. sub initium tom. 2. à medio.
Idem lib. 1. de Fide c. 4. prope finem, tom. eod. paulò ante med.
Ioan. 14.
Verbum Dei qualis imago sit secundum Ambros.
2. Cor. 1.
Ioan. 11.
Cyrill. lib. 1. Thesaur. c. 1. circa medium, tom. 2. init.
Ioan 14.
Idem cap. 1. aliquanto à princ.
Simile.
Ioan. 14.
Suprà 10.
Infrà 14.
Alcuyn. lib. 1. de Trin. c. 7.
Christus quomodo sit lumen de lumine.
Filius non solùm propter Patrem, sed etiã est propter seipsum adorandus.
Euseb. lib. [illegible] de demonst. Euang. [illegible] medio, tom.

Quartò ostẽdunt Filium ad Patrem consubstantialem alia nomina, vt forma, species, figura, facies. Apostolus ait; *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Quod Hilarius lib. de Trinit. sic explicat: *Adeò autem in forma Dei esse, nihil aliud est quàm æqualem Deo esse, vt æqualitas honoris Domino Iesu Christo, qui in forma Dei est, debeatur, ipso dicente: Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Alibi, *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Cyrill. lib. Commentariorũ in Ioan. *Hoc enim modo illud etiam intelligimus: Signatũ est super nos lumen vultus tui, Domine. Vultum enim Dei Patris, Filium appellat, id est Patris characterem: lumen verò illius, gratiam Spiritus, quæ ad omnes penetrat creaturas, per quam ad Deum fide conformamur, tanquàm sigillo quodã ad Filium conformati, qui Patris imago est. Quoniam igitur vultus Dei Patris Filius est, ipse quoq; character erit, in quo Deus signat.* Et lib. Thesaurorum, expendens illud Ioan. 5. *Neq; vocem vnquam audistis, neq; speciem eius vidistis. Et verbum eius non habetis in vobis manens,* ait: *Omnia ergo hæc Filius esse ostenditur, vox, species, & Verbum Patris. Et si species est, patet, quia etiam imago, & character substantiæ genitoris, habens in seipso naturaliter illum, cuius character est.*

Christus forma, facies, figura, facies [illegible]
Philip. 2.
Hilar. lib. [illegible] de Trin. [illegible]
In forma [illegible] esse, quid [illegible] cundum imagium.
Ioan. 5.
Hebr. 1.
Cyrill. lib. 3 in Ioan cap. 29. paulò ante med. tom. 1.
Psalm. 4.
Ephes. 1.
Infra 4.
Idem lib. 3. Thesaur. c. 5 circa medium, tom. 2.
Ioan. 5.

Quintò denique de alijs multis nominibus loquens Gregor. Nazianzen. lib. Theologiæ ait: *Sed ad Filij appellationes, de quibus sermo erat institutus, reuertamur. Videtur enim mihi appellari Filius quidem, quòd si essentiam spectes, idẽ sit cum Patre: nec tãtùm sit hoc quod & Pater, sed inde. Vnigenitus autem, non solùm quod ex eo solus, & solùm, sed etiam quod, non vt corpora, suo quodam modo. Sermo verò, quoniam ita se habet ad Patrem, vt ad mentem sermo, non propterea modo, quod nulli passioni generatio eius est obnoxia, verùm etiam quod intimus est Patri, & Patris mentem enunciat. Addet fortasse aliquis & illud, quia ad Patrem se, vt finitio ad id, quod definitur, habet, hoc nomen ei competere: nam & hoc significat λόγος. Etenim Qui nouit* (inquit) *Filium, nouit & Patrem, hoc enim est quod legis: Qui videt me, videt & Patrem meum. Breuis sanè, & compendiaria naturæ Patris demonstratio, est Filius. Omnis enim proles parentis sui tacita quadam est definitio. Tum si qui & propterea, quòd rebus omnibus insit, hoc nomen tributum dicat, hic à ratione non omninò aberrabit. Nam quid tandem, quod non λόγῳ, id est, certa ratione constet? Sapientia porrò dicitur, vt qui diuinarum pariter, & humanarum rerum*

Greg. Nazian. lib. 4 Theo[illegible]
Filij Dei appellationes, [illegible] Nazianzenus eiusdem, & [illegible] tiones earundem.
Sermo vt se habeat ad Patrem.
Ioan. 14.
Ibidem.
Nihil est quod non certa [illegible] tione con[illegible]

Christus cur Sapientia dicatur, veritas & imago.
1. Cor. 1.

-sit scientia. Qui enim fieri potest, vt omniū architectus eorum quæ cōdiderit, rationes ignoret? Potentia autem, vt qui quæ facta sunt, ea conseruet, quiq; omnibus consistendi facultatem suggerat. Veritas verò, vt natura vnum, non multa: verum enim quod est, vnum est, mendacium autem multiplex.

Quæ sit imaginis natura.

Tum quia purum Patris sui sit sigillum, & character certissimus. Imago verò, quid sit eiusdē essentiæ, & quod hic ab illo, non etiā ab hoc Pater. Hæc enim imaginis est natura, vt princeps exemplar, vnde ducatur figura sua, referat. Tametsi plusculū hic reperimus. In cæteris enim rebus mobilis rei, immobilis est imago; hic verò viuentis, viua quoq; imago. Sanè maior hic similitudo, quàm fuerit in Seth ipsius Adam, quamq; in quauis prole sui sit genitoris.

Gen. 5.

Talis enim simplicium rerū natura, non partim quidem eas similes esse, partim verò dissimiles, sed totam totius esse formam. Imò easdē magis esse, quàm similes.

Lux quare Christus.
Ioan. 1. & Infrà 8. & infra 9.
Actor. 17.

Lux autem, vt qui sit animarum, quæ sermone, & vita purgantur, splendor. Si enim tenebræ sunt ignorantia, & peccatum, vtiq; lux erit cognitio, vitaq; diuina. At vita quoniam lex est, ex qua rationalis omnis natura illustrata constat, esseq; suum accipit. In ipso enim & viuimus, & mouemur, & sumus; dum quotquot Spiritus sancti capaces sunt, omnes inde duplici afflatus efficacia, inspirationeq; afflamur, idq; quatenus mentis os aperuimus.

Christus iustitia cur dictus.
1. Cor. 1.

Iustitia verò, quod, quid cuiq; merito debeatur, discernit, iusta iustè dictans, & his qui sub lege, & his qui sub gratia viuunt; tū animæ simul, & corpori. Vt illud quidem imperet, hoc autem pareat, ac quod præstantius est, regnum in vilius exerceat, ne vile quod est, aduersum melius insurgat.

Christus cur sanctificatio, & redemptio.
Ibidem.
1. Cor. 1.
Infra 6.
Ioan. 11.

Sanctificatio autem, vt qui sit puritas, nempè vt purū quod est, vita quoq; puritate cōplectamur. Iam Redemptio, vt qui nos peccatorū vinculis alligatos liberet, & se ipse pretiū pro nobis rependat, quo totus expietur orbis. Resurrectio autē, vt qui hinc nos resuscitet, & sub peccato mortuos in vitā reducat. Hæc quidem cōmunia sunt tū ei, qui nostra natura superior, tū ei, quē propter nos assumpsit.

Propria Christi nomina secundum Humanitatem.
Homo cur Christus.
1. Cor. 5. &
Gal. 5.
Rom. 8. &
Hebr. 4.
Sap. 1.
Rom. 5.

Quæ verò propria nostra, & hinc assumpta natura sunt. Homo, quod nomē sibi vendicat, nō solū vt corporibus corpus ipse perciperetur, aliqui incomprehensibilis, eo quod Diuina natura percipi nequeat, sed vt per se ipse hominē sanctificaret, dū vt fermentum totā massam temperat, ita ipse damnatā naturam in se totā copulatā à damnationis vinculo soluit, omnia pro omnibus factus quæcumq; nos sumus, præter peccatum: nempè corpus, anima, mens, per quod mors fuerat ingressa.

Cur Filius hominis, & Vnctus, siue Christus.
Quænam sit vnctio Christi.
Psal. 44.
Hebr. 1.

Tùm ex his cōiunctum homo, Deus visibilis, propter id quod latens intelligebatur. Filius autem hominis, partim ob Adam, partim ob Virginem, ex quibus est natus: illo quidem vt progenitore, hac vt matre, & lege, & supra legem generationis. Christus autem, id est, vnctus, ob Deitatem: hæc enim hominis vnctio. Nō (vt alij quidam docent) operatione vnctos sanctificans, sed præsentia totius vngentis, nempè Dei, cuius opus est, vt vngendo sanet hominem, eumq; per hoc quod vngit, Deum faciat.

Via, & ostium.
Ioan. 14.
Supra 10.
Ibidem.
Psalm. 22.
Ibidem.

Via autē, vt qui per se nos ducat. Ostium verò, vt qui introducat.

Quàm verè pastor Christus dicatur.
Luc. 15.
Suprà 10.
Hierem. 11.
Isai. 53. &
Actor. 8.
Ibidem.

Pastor autem, vt qui in loco pascua nobis habitacula præbeat, & super aquam requiei enutriat. Tùm qui hinc nos ducat, nosq; aduersum feras propugnet, cōuertat errantem, perditū reducat, saucium obliget, cōseruet robustū, ac deniq; in cœlestes illas caulas pastoriæ artis sermonibus cogat. Ouis autē, vt victima. Agnus, vt integer, ac purus. Pontifex, vt Cōciliator.

Hebr. 2.
Psalm. 109.
Christus cur dictus Melchisedech.
Isai. 53.

Porrò Melchisedech, quòd quatenus supra nos existit, matre careat: & qua parte nostri similis est, Patre; tū eius generatio superna sit inexplicabilis. Generationem enim eius (inquit ille) quis enarrabit? Idē lib. de vnitate Patris ac Filij prope finem:

Idem Nazian. apud Hilar. sub fin.
Oterit.
Alia Christi nomina percensentur.
Infra 14.
1. Cor. 15.
Ioan 1.
Eccl. 24.
Ioan. 5.
Luc. 1. & 1. Cor. 1. & alias.
Prouerb. 9. & aliàs.
Ioan. 1.
Ibidem.
Psalm. 17. & sæpè aliàs.
Isai. 53. & aliàs.
Matth. 13.
Ibidem.
Ibidem.
Ibidem.
Luc. 9.
Ioan. 4. &
Isai. 12.
1. Cor. 10.
Psalm. 117. &
Isai. 28. &
Matth. 21. &
Act. 4. &
Rom. 9. &
Ephes. 2. &
1. Petr. 2.
Isai. 53. & alibi.
1. Tim. 2. & sæpè in Euangelio.
Deut. 32.
Apocal. 5.
Hebr. 2. &
Osea 13. &
1. Cor. 15.
S. Aug. tom. 3

Ipse Filius ratio dicitur, quæ tamen ratio multis nominibus appellatur. Modò enim Verbum, modò virtus, modò sapientia, modò dextera, modò brachiū, modò margarita, modò thesaurus, modò retia, modò aratrū, modò fons, modò petra, modò lapis angularis, modò agnus, modò homo, modò vitulus, modò aquila, modò leo, modò via, modò veritas, modò vita; cùm sit Deus omnia, & in omnibus: & per hæc vocabula, Diuinarum dispensationū mysteria cognoscuntur. Nam & ob hoc Verbum nuncupatur: quia & propriè diuino ore processit; & nihil Pater sine eo aut iussit, aut fecit. Virtus dicitur: quia verè de Deo, & semper cum Deo, & omnis potestas Patris in ipso consistit. Sapientia appellatur: quia de corde Patris adueniens arcana in cœlestib. reserauit. Dextera nuncupatur, quod per eum omnia opera diuina perfecta sunt. Brachium dicitur, quia ab ipso omnia cōtinentur. Margarita appellatur: quia nihil illo pretiosius inuenitur. Thesaurus dicitur, vt in ipso omnes diuitiæ regnorū cœlestium, quæ reconditæ sunt, agnoscantur. Retia dicitur: quia per ipsum, & in ipso de mari sæculi, Gentium quasi multitudo piscium in Ecclesia congregatur, vbi bonorum, malorumq; discrimina cognoscuntur. Aratrum nuncupatur: quia signo crucis suæ Gentium pectora subiunguntur, vt necessario semini præparentur. Fons aquæ appellatur: quia ex eo sitientium corda cœlestis aquæ gratia irrigantur. Petra dicitur: quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiem præstat. Lapis dicitur angularis: quia vtrosq; parietes Veteris, ac Noui Testamenti, vnus mediator in semetipso cōtinens copulauit. Agnus appellatur, vt innocentia Christi & passio demonstretur. Homo dicitur: quia secundū carnē propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus dicitur: quia propter nostrā salutē pati sustinuit. Aquila dicitur: quia post venerabilē resurrectionem, quasi remis alitum ad Patrem reuolauit. Item Leo dictus est: quia ipse est Rex Regum, qui mortem, ac diabolum virtutis suæ potestate comminuit. Hæc magnus ille Theologus. Et Augustinus lib. 7. de Trinitat. cap. 3. plura

nomi-

nomina de Christo haberi in Scripturis, quam de Patre asserit: quia oportebat nobis magis explicari Sapientiam, vel genitam, vel factā, qua homo factus etiam condita, vel facta, vel creata dicitur Sapientia; & quia per illam explicari debuit Sapientia ingenita; & quòd per illam nos informamur, & imitari eam debemus.

Plura nomina in Scripturis cur Filio, quā Patri tribuantur, teste Augustino.
Eccl. 24.

Egimus hactenùs Scripturis sacris, quæ Patrum sententijs, & interpretationibus corroborauimus: ad idē etiam demonstrandum producemus solidas aliquot rationes, quæ fidem tanti mysterij constabiliant, & confirment. Id enim faciendum esse docuit Clemens superiùs allegatus, & Hilarius lib. de Trinit. eleganter his verbis faciendum persuadet: *Fidem nō nudam Apostolus, atq; inopem rationis reliquit, quæ quamuis potißima ad salutem sit; tamen nisi per doctrinam instruatur, habebit quidem inter aduersa tutum refugiendi recessum, nō etiam retinebit constantem obtinendi securitatem, eritq; vt infirmis sint post fugam castra, non etiam vt arma habentibus adsit interrita fortitudo.* Hæc ille, aptè conferens fidelem sine rationibus tenentē quæ fidei sunt, homini inermi, qui per fidem recipit se ad castra Ecclesiæ, credendo quicquid illa credit: at rationibus fidem propugnantem armato viro comparans, cuius animus interritus argumentis non cedit, & captiosis rationibus nō circumuenitur: & ideò firmus in acie stat, & manus confert.

Eadem veritas triplici ex capite ductis rationibus confirmatur.
Clem. Alex.
Hilar. lib. 12. de Trinit. in ter medium circiter & init.
1. Petr. 3.
Fides non nuda est, nec rationis inops.

Redigemus igitur ad tria capita eiusmodi rationes. Primum est Dei, cuius apparet maior perfectio, & illustrior Patris, & Filij gloria. Secundò ostendemus, idem exigere vniuersum, vt Verbū sit Patri cōsubstantiale. Tertiò, peculiariter intellectu, siue ratione præditas creaturas id ipsum requirere. Et vt primū caput attingat oratio nostra, sit prima demōstratio: Cū Deus infinita potētia, & bonitate, atq; fœcunditate vigeat, infinitè etiā se cōmunicabit, non solū producendo modo quodam, qui vim infinitā exigit, vt facit cū creat ex nihilo, vel cū miracula supra omnē facultatem creatam posita perficit, sed etiā infinitū producendo. Longè enim maius, & excellentius, infinitū infinito modo producere, quàm finitū modo infinito. Ergo Pater æqualē sibi per omnia producet Filium; vel si minor est Filius, Pater eum producendo non toto conatu, hoc est infinito, produxisset filium, neq; in productione finiti infinitus Pater quiescet, si creaturæ nō quiescunt, nisi consubstantialia sibi producant: quamobrem terra terrā, aqua aquā, ignis ignē, planta plātam, equus equū, homo deniq; hominē generat. Præsertim cùm perfectius sit de sua substantia producere hominem viuum, & sibi cōsubstantialem, quā hominē pictū vel sculptum facere. Deus igitur de sua substātia producet Deum, id est, Pater Filium: quē quia ex infinitate producit, nō est minor Patre Filius: & quia ex æternitate æternum: & quia de tota sua substantia, homousion, hoc est, eiusdem substātiæ, siue essentiæ generabit.

I. Locus à parte Dei.
Prima demonstratio, quod Pater æqualem sibi per omnia Filium generet, atque consubstantialem.
Duplex productio in Deo longè diuersa.

Secunda Demonst. est. Sine productione æqualis, & homousij non esset in Deo summa cōcordia, & summa æqualitas, quæ solùm esse possunt inter producētem, & ex tota substātia productam: nec esset summa amicitia, & charitas, ac iocunditas, quę non nisi summam exigunt cōcordiam, & æqualitatē inter plures: quin potiùs infinita esset imperfectio, si tātùm posset creare ex nihilo, & nō de substātia sua generare, quia Dei agere, vtpote finitū, infinitè ab infinito esse distaret; & agere Dei plus esset in potentia, quàm in actu. Etsi agere Dei esset minus quàm esse, iam agere Dei esset propter esse, & ipsum agere non esset finis; cùm tamen quælibet substantia sit propter suam actionem, & illa decoretur. Esset etiam minoritas, & maioritas in Deo, & infinitū esset finitum, & è contrario; quia esse, & agere sunt Deus: vel non esset Deus finitus, nec infinitus. Et Deus vt summè distet à nō ente, non solùm debet habere esse infinitum, sed dare etiam alteri ipsum esse infinitum.

II. Demonst. ab absurdis.

Tertia Demonst. Iure notari posset Deus vel impotētiæ, vel inuidiæ, si vel nō posset infinitum, & æqualem filium generare; vel cùm posset, nollet. Tamen idcircò Patres maiorem Patris, & Filij gloriam esse acutè peruiderunt in hac ipsa Filij ex Patris tota substantia productione. Hinc Athanas. in Disput. in Arriū Laodiceæ habita; *Quid magis Catholicæ, & Apostolicæ veritati congruat, religiosa mētis intentione respicite, vtrū fateri omnipotentē Deum impaßibiliter ex se ipso Filiū generasse; an illud potiꝰ opinari debeamus, ne passionis vitio subiaceret ex seipso, id est, ex sua substantia Filiū generare nō potuisse, Ego enim id astruo, id clarißima vocis professione asseuero, quòd sicuti Deus impaßibilis, ita & omnipotens est.* Nazian. in tract. de Fide, circa finē: *Illud ante cuncta metuentes, ne, si Pater & Filius vnum nō sunt, in inuidiam recurrat auctoris interpolata natiuitas. Hoc enim placuit hæreticis, vt si sit Deus ille omnipotens, inuisibilis, immensus, degeneraret in Filio, nō modò potestate, sed & conditione mutata, qui si non potuerit Pater de semetipso talē habere Filium, qualis ipse est. Et proinde nos Filium verum, de vero Patre natum, nō factū, vnius substantiæ cùm Patre defendimus. Et hoc est quod Græci homousion appellant, id est, aliū ipsum, vt audientia nominū personæ fierent, nō vt substantiam vo-*

III. Demonst. etiam ab incommodis.
Athanas. tom. vlt. ante med.
Greg Nazian. inter medium, & finē operis.
Græci Filium Patri cui dicant homousion, teste Nazianzeno.

Idem. *tabula ſepararent.* Idē oratione in S. Lauacrū, ſub finem ait: *Non enim illi ad gloriam cedit, ex quo ei (id eſt, Patri) aut illis qui ex ipſo ſunt (id eſt perſonis) accidit humiliatio.* *Hilar. initio operis.* Hil. lib. 3. de Trinit. initio: *Hic ergo ingenitus ante omne tempus ex ſe Filium genuit, nō ex aliqua ſubiacente materia, quia per Filium omnia: nō ex nihilo, quia ex ſe Filium: non vt partū, quia nihil in Deo demutabile, aut vacuum eſt: nō partem ſui, vel diuiſam, vel diſciſſam, vel extenſam, quia & impaſſibilis, & incorporeus Deus eſt: hæc autem paſſionis & carnis ſunt, & ſecūdùm Apoſtolum, in Chriſto inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* *Ioan. 1.* *Coloſſ. 1. & 2.* *Sed incōprehenſibiliter, inenarrabiliter, ante omne tempus & ſecula vnigenitum ex his quæ ingenita in ſe erant, procreauit. Omne quod Deus eſt, per charitatem, atq; virtutē natiuitati eius impartiens, ac ſic ab ingenito, perfecto, æternoq; Patre, vnigenitus, & perfectus, & æternus eſt Filius.* *Idem.* Idē lib. 4. paulo à principio: *Ceſſat ergo opinio contumeliæ: cum quicquid ineſt Filio maieſtatis docebitur, id ad amplificandā poteſtatem eius, qui ſibi huiuſmodi genuerit, redundabit.* *Idem.* Et lib. 6. aliquanto ante med.: *Bonū te etiam ex natiuitate mea didici, atq; ob id no inuidum te bonorum tuorum in vnigeniti tui natiuitate eſſe cōfido.* *Ambroſ. tom. 2.* Ambroſ. lib. 1. de Fide lib. 4. initio: *Sed nō eſt honorificentia boni Patris, filij iniuria. Nō poteſt bono Patri placere, ſi filius degeneraſſe potiùs à patre, quàm patre æquaſſe credatur.* *Idem.* Et lib. 5. de Fide, c. 8. prope finē: *Si minorem generauit Deus Filium, minus contulit. Si minus contulit, aut Deus minus voluit, aut minus potuit. Sed nec infirmus, nec inuidus Pater, quia nec voluntas ante Filium, nec poteſtas.* *Aug. tom. 6. ſub finem.* Et Auguſt. lib. 3. in Maximin. c. 7. *Tu dicis quod Pater genuit Filium minorē ſeipſo, in quo & Patri derogas, qui ſi Filium vnicū minorem genuit, aut nō potuit, aut nō voluit gignere æqualem ſibi. Si nō potuit, infirmus: ſi noluit, inuidus inuenitur. Sed vtrūq; hoc falſum eſt: Patri ergo Deo Filius verus æqualis.* *Idem.* Et c. 23. eiuſdē libri in Maximinum limitantē Dei Filium, in fine: *Tecum habeto menſurā tuam, qua tuum falſum Dominum metiaris, & de vero Domino mentiaris.* Hæc ille in ſenſu. Et c. 25. initio: *Vide ſi aliud conaris, niſi ad vnius Patris gloriā per vnici Filij contumeliam peruenire, vt ſcilicet nō augeatur Pater in gloria, niſi minuatur Filius in natura.* *Cyrill. cap. 1. lib. Theſaur. ſub initium tom. 2. initio Ioan. 1.* Cyrill. lib. 2. Theſaur. *Quia igitur & omnia Pater eſt, & meliora ſemper vult, conſubſtantialis ſibi ex Deo naſcitur Filius. Non enim poteſt eſſe perfecta Deitas, niſi Filium habeat, & fructum ex ſe pariat: nec poteſt eſſe creator Deus abſq; Filio, per quem omnia ſunt.* Sic Cyrillus. Ad hæc ſicut maior eſt gloria Dei quod ſit Pater (quod eſt ab æterno) quàm quòd conditor, quod eſt ex tempore: quemadmodū habere filium ex ſubſtātia ſua genitum, & viuum, quàm ex lapide, vel ligno marmoreum, vel ligneum, & mortuum; & maior gloria habere cōſubſtātialem, quàm alterius minoris ſubſtātiæ. Ita etiā maior eſt gloria Verbi, ſi cōſubſtantiale ſit Patri, quàm ſi ſit creatura. Quod indicat ipſum nomen Verbi: nam teſte B. Auguſt. Verbum lapidis eſt id quod de lapide intelligimus, ſeu intellectus lapidis: ita etiā Verbum Patris id erit, quod de ſe Pater intelligit: qui, quia non plus, vel minus quàm ſit, ſeipſum intelligit, & corde dicit Verbū ſuum, nō erit ipſo vel maius, vel minus, ſed omninò æqualem per omnia.

Deo Patri cur ſit glorioſius, filium ſibi æqualē gignere, quā minorem & imparem.

Aug. lib. 15 de Trinit. c. 14. tom. 3.

Ex ſecundo capite, nempè ex vniuerſo, argumenta petuntur, quibus probetur verbum eſſe conſubſtantiale Patri ſuo. Nam in primis ſi ignis in ſe nō haberet natiuum, & intrinſecum calorem, nec aërem, nec aquā, nec terram, nec aliud calefaceret omninò. Externa, & mutuata opera internam, propriam, & natiuam ponunt operationē; aliàs in operationes non prodirent. Et vt opera artis illa naturæ prærequirunt; ita ſine proprio, & ſine naturali Verbo Dei filio (qui proculdubio Patri ſuo conſubſtantialis eſt) mundus hic nec creatus eſſet, nec conſeruaretur: & oēs creaturæ ſteriles eſſent, & ſine fœcunditate, nihilque producerent: eſſet prætereà hiatus quidā, & diſcontinuatio in vniuerſo, ſi Verbū eſſet creatura ex nihilo, vel ex nō extantib⁹ facta, etiamſi lōgè perfectiſſima, vt Arriani fingebant: talis enim minimè cū alijs cōtinuaretur, ſed longè ab alijs diſtaret. Cùm tamen vniuerſi exigat perfectio, vt ſpecies quaſi numeri ſint (vt tradit Philoſophus) quorū qui ſibi inuicem immediati ſunt, ſola vnitate differunt. Ad hæc videmus in vniuerſo, quo facultas aliqua eſt potentior & altior, eo operationem habere coniunctiorē, & magis intrinſecam. Senſus enim operatio magis eſt interna quā plantæ & hominis ratione præditi, vel Angeli actiones ſunt magis intrinſecæ, quàm in animali. Operationes etiā ſenſuū internorū, quàm externorū, quare ratio ſupra ſe ipſam, & ſupra ſuam reflectitur operationē, quod ſenſus nequaquā poteſt. Deus igitur, qui infinitæ ſublimioris eſt poteſtatis, ſummè coniunctā operationem habebit, qua ſe ipſum vel cognoſcat, vel amet: & ideò eius operatio naturā ſuam non diuidet, vel ſcindet, quod nec homo, nec Angelus aſſequi poteſt. Vnde Auguſt. in Oratione de Quinque hæreſib⁹ agens in Arrium diuidentem ſubſtantiam Patris ab illa Filij, & in ſimplicem Chriſtianū Arrianos excuſantē introducens, ait: *Dicit aliquis: Ad omnia quæ voluiſti reſpōdit, in reſponſionibus illius nihil inuenitur aduerſum. Quid ampliùs quæris? Expecta, frater, noli facilè iudicare, habeo adhuc quòd interrogem:*

Alter locus à ratione vniuerſi, pro eadem veritate

Ariſtot.

Ratione roboratur hæc veritas.

Auguſt. oratione de quinque hæreſ. c. 6. ſub initium tom. 6. initio.

Arriana iugulatur impietas, atque perfidia.

noli

noli citò te illi committere: responsio claret, virus latet. Paulò pòst: *O Arriana hæresis, ò crudelis, & impia! Meretrix (iudicante Salomone) ne vnũ viuum, ne vndecunq; cõceptum, iamq; partũ perderet, non permisit diuidi filium suum: & tu diuidis Dominum Deum tuum? Illa etsi meretrix, tamen pia, quia mater: tu autẽ & meretrix, & impia, non vt mater, quod paris, præfocas: quod non paris, congregas.* Hæc ille, eleganter sanè.

3. Reg. 3.

Arriana hæresis qualis, teste Augustino.

III. Locus ex parte Angelorum, & hominum.

Ex tertio capite desumimus argumenta. Primum quidẽ, quia si Angeli, & homines adorant Verbum Dei, vel Filium, si creatura esset, & non consubstantialis Patri, impij & idololatræ essent, creaturæ seruientes: & hæc eorum impietas in Filium, qui se adorari sineret, & in Patrem transiret, qui *Introducens Primogenitum in orbem terræ, ait; Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Magos etiam ab Oriente duxit, qui procidentes adorarunt eum. Hinc Hilarius lib. De Trinit. *Adeò autẽ in forma Dei esse nihil aliud est quàm æqualem Deo esse; vt æqualitas honoris Domino Iesu Christo, qui in forma Dei est, debeatur, ipso dicente: Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, nõ honorificat Patrem, qui misit illum. Nunquam diuersitas rerum, nisi & in honore diuerso est. Res enim eadem venerationis eiusdem sunt: quia vt summus honor indignè inferioribus defertur, ita cum contumelia superiorũ inferiora his æquabuntur honore.* Sic ille acutè. Cyrillus quoque lib. 6. Thesauro. *Si Filius naturâ Deus nõ esset, miserius modo esset genus humanum, quàm anteà: quia cùm credat se à seruitute falsorum liberari Deorum, in eandem incidit impietatem, Deo seruiens, qui naturaliter Deus nõ est.* Et lib. 2. argumentatur à præcepto Angelis facto de adorando Christo, & cõcludit quod est Patri consubstantialis. Et lib. 12. *Si creatura esset Verbum, non solùm nos, qui homines sumus, verùm etiam cœlorũ virtutes errarent, creaturam, non Creatorem adorantes. Sed rectè illi adorant, quem verum Deum cognoscunt. Non est ergo creatura Filius Dei.*

Rom. 1.

Hebr. 1.

Matth. 2.

Hilar. lib. 12 de Trinit. sub fin.

Philip. 2.

Ioan. 5.

Nunquam diuersitas rerũ, nisi & in honore diuerso est.

Cyrill. c. 2. lib. Thesaur. initio, tom. 2.

Idem cap. 2.

Idem cap. 4. in fine.

II. Ratio tertij loci propositi ad probandum, Deum consubstantiale sibi verbum producendo, sic magis & cognosci, & amari.

Secundò, si Deus Verbum sibi æquale, & consubstantiale non genuit, non esset ita cognitus, & amabilis ab homine, vel Angelo, sicut illud habens. Etsi enim per quasdã veluti extrinsecas notas, & signa cognosci valeat Deus vt conditor, & prima causa, & primus motor, & orbis totius gubernator: tamen quia hęc omnia liberè exercet ex voluntate, & consilio, non ex virtute naturæ, nõnisi finitè se per illa in vniuerso communicat. Magis autem, & apertiùs cognoscitur per hoc; & intelligitur, & amatur, quod infinitum, & substantiale Verbum producat, ei totã suam communicãdo bonitatẽ, quàm per iam dicta signa: nã & naturale est quãuis rem ex proprietate naturali, & operatione magis intelligere, quàm ex aduẽtitia, & minimè propria. Hinc Cyrillus lib. Thesaur. *Si Patris nomen non esset dignius in Deo, quàm ipsum nomen Deus; cur cùm discipulos Saluator ad prædicandum mitteret, non iussit vt in nomine Dei, & Filij, & Spiritus sancti baptizaretur? sed quasi maiorem Diuinæ naturæ ostendens dignitatem; In nomine Patris,* inquit, *& Filij, & Spiritus sancti. Philippus verò cùm diuinã curiosè scrutari naturam vellet; Ostende nobis Patrem, dicebat; non, Ostende nobis Deum.* Et ipse Saluator: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrẽ meum:* non dixit, & Deum: Non enim minus, sed maius voluit genitori suo attribuere. Pater enim à maiore, atque digniore, hoc est, ex Filio, intelligitur; Deus verò à creaturis, quę tantũ distant à Filio, quantum natura seruus à natura Domino, & Creator à creatura. Ad hæc quamuis simul & Deus, & Pater est; per prius tamen Pater est, quàm Deus. Quod Saluator ostẽdit, quãdo in cœlos volebat ascendere: *Ascendo,* inquit, *ad Patrem meum, & Patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum.* Vides hinc Patrem & Filium dici, Deum ad creaturas. Si ergo creaturæ secundo loco sunt post generationem Filij, per prius Pater est, quàm Deus sit creaturæ.

Cyrill. lib. 1. Thesaur. c. 6. in quanto à medio.

Matth. vlt.

Ioan. 14.

Ibidem.

Creaturæ quãtũ distent à Creatore.

Ioan. 20.

Expenditur illud: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.

Ex his igitur, & alijs præcedentibus tractatibus enarratis colligimus, Deum nõ nisi cõsubstantialem, & æqualẽ sibi Filium omnifariam genuisse, & quẽ nos eõdẽ quo Patrem cultu, & veneratione prosequimur; Quibus cum Spiritu sancto par sit gloria, æqualis honor, & gratiarum actio, & idem imperium in sæculis sempiternis, Amen.

TRACTATVS IX.

In quo omnia argumenta Arrianorum, quæ indicant, Filium Patri non esse consubstantialem, enarrantur, & simul refelluntur.

DANDA est opera, vt Argumenta Arrianorum, quæ tum ex sacris literis, tum ex rationum momentis colligebant, vt consubstantialitatem Verbi ad Patrem tot modis confirmatam infirmarent, producamus, eaque nullius prorsus esse roboris, ac momenti ostendamus. Athanasius enim in disputatione illa in Arrium plura coniungens argumenta, in eorum persona loquitur, dicens: *Si ergo* (Filius) *maiorem habet, si missus est, si spontanea voluntate non venit, si voluntatem suam non fecit, si, quod ei dicitur, loquitur, si sibi data custodia, si rogat, si pro*

Athanas. institut. Laodicæ circa finẽ tom. vlt. sub initium.

I. Argum. Arrianorum, ab Scripturis contra cõsubstantialitatem.

Ioan. 14. Infrà 17. & sæpè alias. Suprà 7. Suprà 6. Infrà 8. & 12 Psalm. 90. & Matth. 4. Luc. 6. & Ioan. 17. Infrà 22. & sæpè aliàs. Suprà 2. Ioan. 14. Suprà d. Actor. 2. & aliàs.

calice deprecatur, si nomen ab alio accepit, si fidem discipulis petentibus propria potestate nō tribuit, si quæ sunt Patri placita, facit, & ab ipso à mortuis suscitatur, æquum non videtur, vt qui de sua subiectione tanta ac talia dicit, Patri efficiatur æqualis. Hæc ille, vel Vigilius Episcopus, & mart. Tridentinus, vt ipsemet insinuare videtur, vel quisquis alius eius libri auctor extitit. Gregor. quoque Nazianzen. lib. 3. Theolog. multa Arrianorum colligit argumenta. Sed hæc omnia & similia vnica responsione soluuntur, nempè duas esse naturas in Christo, & multa talia vel dici de Christo propter humanā naturam, vel tribuenda esse diuinæ, ob originem quā à Patre habet; vel quia quamplurima de illo ob excellentiam suam, & imbecillitatē, & crassitiem nostram abusiuè, & per tropum in Scripturis & Patribus dicta inueniuntur.

Gregor. Nazianz. Solutio argumenti. Idem. Philip. 2.

Hæc Patres docent. Ait Greg. Nazian. prædicto loco, circa finem: *Porrò si vnā omnium summā mauis, sublimiora quidem tribue deitati & naturæ corpore, corporisq; affectionib. omnibus superiori: verùm humiliora quæq; ascribe composito, & primum tua gratia siue inanito siue incarnato, siue homini facto, deinde in summam dignitatem euecto.* Et Ambros. lib. 2. de Fide: *Seruemus distinctionē diuinitatis, & carnis: vnus in vtraq; loquitur Dei Filius, quia in eodē vtraq; natura est. Et si idem loquitur, nō vno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriā Dei, nunc hominis passiones: quia quasi Deus loquitur quæ sunt diuina, quia Verbum est: quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in mea substātia loquebatur.* Infrà: *Consideremus quia nobis prodest bene credere. Mihi enim prodest scire, quia propter me Christus suscepit meas infirmitates, mei corporis subijt passiones, pro me peccatum, hoc est, pro omni homine, pro me maledictum factus est, & pro me, atq; in me subditus atq; subiectus; pro me agnus, pro me vitis, pro me lapis, pro me seruus, pro me filius ancillæ, pro me diem iudicij ignorans, pro me nesciens diem, aut horam.* Et lib. 3. *Inter duo grauia sacrilegia fortasse detestabilius sit ad diuinitatem referre quæ carnis sunt, quā ad literam referre quæ spiritus sunt. Illi (scilicet Iudæi) timuerunt in Deo carnem credere; & ideò redemptionis gratiam perdiderunt, quia causam salutis abiurant. Isti (scilicet Arriani) diuinitatis maiestatem vsq; ad carnis infirma deducunt.* Et Cyrillus lib. 10. Thesauro. *Duarum igitur naturarum suarū cognitio, & dictis, & factis necessariò facienda erat. Quare ipsi quoq; nos debemus, quæ Deo vero conueniunt, diuinitati suæ, quæ homini vero, humilitati nostræ, quam propter nos assumpsit accommodare.* Et infrà: *Quòd si ex dictis factisúe humano more perturbamini, quare nō perficitis ex illis, quæ vt Deus verus & dixit, & fecit? Et propter humilia dicta, factaúe, humilia de ipso intelligitis, cur sublimia quoq; de ipso non creditis, propter dicta factaúe vt à vero Deo?* Et lib. 5. *Sicut igitur de verè creaturis, non naturaliter, sed abusiuè, Verbum genuit, dicitur: sic quando de Filio creatio dicitur, abusiuè intelligenda est, vt naturalis eius proprietas conseruetur. Creaturis enim gratia Dei largitur, vt generatio de ipsis prædicetur; Æterno autem, consubstantialiq; Patris Verbo incarnatio creationem attribuit. Quantum igitur intersit inter genitum, & creatum, rectè primò teneatur: deinde nōnunquam quando nullum inde sequitur Fidei detrimentum, indifferenter verba capiantur.* Hæc ille docens creaturā propriè tribui Christo ob humanitatem, abusiuè ob diuinitatem: sicut aliqui propriè creati abusiuè geniti dicuntur: Vt, *Deum qui te genuit, dereliquisti!* Et Iob; *Quis est,* inquit, *pluuiæ pater? vel quis genuit stillas roris? De cuius vtero egressa est glacies? Et gelu de cælo quis genuit?* Et hactenùs de modo respondendi ad Scripturas.

Ambros. c. 4. lib. de Fide, inter med. & fin. tom. 2.

Christi hominis propriæ functiones. C.. 3. Luc. 2. Ioan. 1. Infrà 15. Matth. 21. Philipp. 2. Luc. 1. Matth. 24. Idem cap. 3. paulò à medio. Iudæi redemptionis gratiam quare perdiderint; Arrianorum impietas in Christum. Cyrill. cap. 2. propè finem tom. 2. Cap. 3. sub initium.

cap. 6. circa medium. Creatio cum dicitur de Filio Dei, abusiuè & impropriè accipienda est, teste Cyrillo. Deut. 32. Iob 38.

Secundo loco proferebant pro se ipsis Arriani traditionē Doctorum, in quorum persona loquitur Eliphaz Themanites; *Et senes, & antiqui sunt in nobis multò vetustiores quàm patres tui.* In quæ verba ait Gregorius: *Quia omnes hæretici à sancta vniuersali Ecclesia sunt egressi, testatur Ioannes, qui ait: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Sed vt ea quæ asserunt, commendare stultis mentibus hominum, quasi de antiquitate possint, antiquos Patres, se habere testantur; atq; ipsos Doctores Ecclesiæ suæ professionis magistros dicunt. Cumq; præsentes prædicatores despiciunt, de antiquorum Patrum magisterio falsa præsumptione gloriantur, vt ea quæ ipsi dicunt, etiam antiquos Patres tenuisse fateantur, quatenus hoc quod rectitudine astruere non valent, quasi ex illorum auctoritate confirment.* Hæc ille. Ideò omnia quæ allegabant Arriani ex Patribus, vno verbo solui possunt: Quia aut doctores non fuerunt vsquequaque Catholici; & ideò nihil mouere debet eorum sententia: si verò fuerunt Orthodoxi, aut re non plenè discussa, & quasi aliud agentes locuti sunt, aut impropriè, & abusiuè, & aliquanto liberius, præsertim in oppositum errorem agentes. Vnde Basilius ad Maximum Philosophum, loquens de Dionysio Corinthiorū Episcopo: *Quæ de rebus,* inquit, *Dionysij sciscitaris, venerunt quidem ad nos admodum illius multa; libri verò nondum adsunt; atq; ideò nihil dum misimus. Est autem hæc nostra de illa sententia. Non omnia viri huius laudamus. Sunt, quæ prorsus etiam damnamus. Ipse propemodum, quantum nobis liquet, primus hominibus impietatis istius Anomianæ, quæ iam passim obstrepit, seminaria præbuit. Causam verò huius non puto animi malitiam esse, sed quòd vehementer cupit*

Arrianorum argumentum à traditione Patrum. Suprà 15. Greg. lib. 12. Moral. cap. 15. ante med. to. 1. 1. Ioan. 2. Ingenium Hæreticorum quale sit. Solutio. Basil. Epist. 41. init. tom. 2. Basil. Magni qualis de Dionysio Corinthiorū Episcopo, eiusque libris sententia. Qualis Dionysius ille Corinthiorū Episcopus.

oblu-

obluctari Sabellio. Soleo itaque illud similem æstimare plantatori cuipiam, qui recentis plantæ correcturus auersionem, ita immoderatè illam retorquet, vt à medio aberret, & ad contrarium latus ramulum abducat. Tale quid & ab hoc viro factum deprehendimus.

Arrianæ impietatis vnde radix omnis.

Tertiò agebant Arriani ratiunculis, & sophismatibus: quæ quidem omnia nituntur in eo, quòd diuinam generationē more creatæ generationis metiri volebant. Ideò non valet argumentum: Hoc reperitur in generatione creaturarum: ergo in Dei generatione: imò potiùs sequitur oppositum. Quia enim operatio sequitur naturam operantis, & creatura longè dissimilior est Creatori, quàm similis: ideò non sequitur, illud accidere in diuino generante, quod & in creaturis, quia in creaturis sunt imperfectiones multæ, in Deo nulla. Hinc Nazianzenus Oratione 17. ait: *Tu ergo propter hoc vis ita generare Deum, quia etiam corpora (scilicet ex non extantibus ex tempore.) Ego autem propter hoc non ita, quoniam ita corpora, quorum enim esse non est simile, horum nec generare est simile.* Soluimus ergo primo loco Arrianorum rationes. Deinde quę ex Scripturis allegant. Tertiò, quòd liceat vti voce ἀγέννητος.

Deo longè est dissimilior creatura, quā similis.

Greg. Nazian.

Quorum esse non est simile, horum nec generare est simile.

Rationum Arrianorum cōtra Verbum, caput secundum.

Ratio prima.

Basil. tom. 1. circa medium & finem.

Sit ergo prima ratio: Si pater esset ingenitus, & Filius genitus, essent diuersæ substantiæ, cùm ingenitum substantiam significet. Et vt arguebat Eunomius (vt testis est Basilius lib. 1. in eum.) Ingenitus non dicitur per contemplationem, quia quæ ita dicuntur, facta sunt: neque per priuationem, quia priuatio posterior est ipso habitu, & nihil Deo posterius: ergo substantiam significat: ergo cùm ingenito opponatur genitum, substantia differre oportet.

Idem.

I. Solutio. Ingeniti vocē cur non recipiat Magnus Basilius.

Respondet Basilius ibidem: *Ego autem etiam Ingeniti, siue Innascibilis appellationem, quamuis summoperè cogitationibus nostris congruat, tamen quoniam nullo loco in Scriptura ipsam inuenio, & quoniam primum est elementum blasphemiæ istorum, silentio tradendam meritò duxerim. Præsertim cùm Patris vox & id possit quod Ingeniti, & ad id etiam propter relationem coniunctam sibi Filij cogitationem adducat.* Ambrosius libro de Incarnatione æmulatus Basilij prædictam sententiam, ait: *Primùm omnium Ingenitum in Scripturis diuinis nusquā inuenio. Non legi, non audiui. Cuius igitur mutabilitatis sunt homines istiusmodi, vt nos dicant ea vsurpare, quæ non sunt scripta: cùm ea quæ sunt scripta, dicamus, & ipsi obijciant quod scriptum non sit? nonne ipsi sibi aduersantur, & autoritatē calumniæ suæ derogant?* Hæc illi.

Ambr. lib. de Incarn. Dom. Sacramento, c. 8 musico. 10. parum à fin.

Arrianorum impudentia, leuitas, & inconstantia.

Altera solut. harum vocū, Ingeniti, scilicet,

Quia tamen Patres iam illam vocem vsurpārunt ad significandam quæ ab alio nō est, personam; ea admissa, potest solui ratio, præmittendo id quod notat Cyrillus libro 11. Thesauror. *Ingenitum (quod Græcè ἀγένητον) vnico, N, Græcè scriptum, non factum, neque creatum significat, & de Deo vniuersaliter prædicatur. Gemino autem, NN, scriptum, non natum, neque genitum, nec ex alio esse significat, & Patri accommodatur.* Vnde Damascenus libro primo de Fide, ait: Quòd quæuis persona est ingenita, id est, non facta: solus autem Pater est ingenitus, id est, non genitus generans. Hæc ille ferè. Tamen adhuc non est proprium Patris, cùm etiam Spiritui sancto conueniat, vt Ambrosius testatur lib. 1. de Incarnatione, cap. 8. & 9. & Hieronymus apud D. Thomam in prima parte. Significat etiam hoc nomen ἀγέννητος omnis processionis negationem: vt idem sit hoc modo ingenitum, quod improductum. Et hac significatione volunt Patres, ingenitum esse propriam notionem Patris, vt Ignatius epist. 9. Athanas. epist. ad Serapionem, Nazianze. orat. 12. & D. Thom. opusc. 1. c. 8. ait fuisse in Concil. Niceno ita definitum: qua ratione Spiritus sanctus nō est dicendus Ingenitus, cùm nō sit improductus, vt Pater. Hoc docent Hilar. lib. 4. de Trinit. Hiero. epist. ad Damasum, August. lib. 15. de Trin. cap. 26. & 27. & quæst. 2. ad Orosium. Sixtus quoque I. epist. 1. & Concil. Tolet. XI. & Synodus Syrmien. c. 27. & 28. Apponam autem aliquot testimonia ex his Patribus citatis. *Nam vt communis est tribus personis illa vox*, ait Dionys. lib. de Diuinis nominib. *Quæuis persona est ingenitū, non quasi nondum genitum, seu quasi imperfectū sit, seu non sit, ab hoc, aut hoc nō sit, neque vt quod nusquam, nulloq́ modo sit, sed vt quod super omnia ingenitum, semperq́ sit, & in se perfectum sit, atque idem sit secundùm seipsum, atque à seipso vniformiter, eademq́ specie determinatū: ideóq́ illud ex ipso omnibus participare idoneis insinuans, & alia connectens alijs, copia identitatis & caussa in seipso etiam contraria eodem modo ante habens secundùm vnam atque vnicam totius identitatis supereminentem caussam.* Ignatius epistola ad Philadelphienses, vtitur voce ingeniti, soliq́ue Patri illam tribuit: *Et vnus est*, inquit, *Ingenitus Deus Pater, & vnus Vnigenitus Filius Deus Verbum & homo, & vnus Paracletus Spiritus veritatis.* Et Ambrosius libro de Incarnatione, nomen Ingeniti tribuit Patri, & Spiritui sancto, dicens: *Ergo & Spiritus, quia genitus non est, ingenitus vtique secundùm vestram sententiam nominandus est. Si igitur Ingenitum dicitis, & genitum non posse vnius esse substantiæ: superest vt de Patre, & Spiritu sancto, quia nec Patrem genitum legimus, ne spiritum sanctum vult atem*

cet, & Ingeniti, assignans differentiam.

Cyril. c. 1. sub nu. 10. 2.

Damasc. c. 9.

B. Ambr.

B. Thom. q. 33. 1. par. ar. 4. ad 2. 10. 10.

Ingenitum esse soliusPatris, veterum Patrū testimonijs probatur.

Tom. 1.

Part. 1.

Tom. 8.

Hiero. epist. quæ incipit: quoniam vetusto crięns, &c. tom. 2.

Aug. tom. 3.

Idem tom. 4.

Dionys. c. 9. prope init.

Omnis persona secundùm Dionysium quatenus Ingenitum.

Ignat. epist. 9 parum à princ.

Ioan 14. & infrà 16.

diuinæ naturæ, & substantiæ non negetur. Si enim in eo est vis omnis vestræ disputationis, quòd ingenitus, & genitus non possunt esse vnius naturæ: ergo qui non est genitus, cum eo qui non sit genitus, vnius naturæ atque substantiæ est. Et si ideò putatis Patrem maiorem esse, quia genitus non est, nunquid Spiritus sanctus maior est Filio? Nazianzenus oratione secūda in sancta Epiphaniarum lumina, ponit exemplum Adæ ingeniti, & Seth geniti, eiusdem cum ipso naturæ. Capienda ergo vox ingeniti, prout Patri quadrat. Falsum est ergo quod significet substātiam, sed potiùs id, de quo dicitur principio carere. Hinc Cyril. lib. Thesaur. *Ingeniti autem vox non quid Deus est, sed quid non est, significat: nam quia genitus non est, ideò ingenitus est.* Hæc ille. Ingenitum ergo priuatio quædam est, quæ quia negat genitum esse, quòd relationē magis significat, ad eam potiùs, quàm ad substantiam pertinebit, cū priuatio ad sui habitus genus reduci soleat. Vnde Basil. lib aduersus Euno. *Quemadmodum cùm de hominibus ratiocinamur, & hunc natum esse dicimus: non quid sit, sed vnde natus sit, enarramus: Sic & in Deo vox ingeniti non quid sit, sed non esse ab alio ipsum, significat.* Et August. lib. de Trinit. *Cùm verò ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit, dicitur. Cùm autem relatiuum negatur, non secundùm substantiam negatur, quia ipsum relatiuum non secundùm substantiam dicitur.* Hæc ille. Non ergo ingenitus dicitur per contēplationem, vel fictè, vt ait Eunomius, sed per priuationem. Nec propterà sequitur, Deum esse rebus posteriorem; sed potiùs priorem omnibus, quæ de illo cōcipimus. Priuationes enim & negationes Deo conuenientes per eminentiam de illo dicūtur, quòd omnia excedat, & omnibus sit antiquior. Nec verum est, vt ait Eunomius, omnia nomina esse Deo synonyma: quia vnicuiq; sub est suum significatum, vt aiunt Basilius loco dicto, & Nazianzenus libo 3. Theologiæ.

Nazianz.

Cyril. lib. 1. Thesau. c. 3. sub fin. to. 2. init.

Basil. li. 1. aduers. Eunom. aliquanto à med. tom. 1.

August. lib. 5. de Trin. ca. 6. in fin. tom. 3

Deus Pater cur ingenitus nomine suo.

Eunomij falsum dogma.

Basil. ibid.

Nazianz.

Secunda ratio Arrianorum: Pater substantiam signat; & ideò prima persona à secunda distinguitur in essentia. Sed certè nō sequitur. Etsi enim quicquid in Deo significatur, verè idem sit cum eius substantia, ob diuinæ naturæ simplicitatem; ob eiusdē tamen infinitatem omnibus perfectionibus æquiualentem; & omnia in se hoc modo concludentem, nō omnia nomina substantiam significant, sed aliqua relationem, alia modum quātitatis, vel qualitatis. Alioqui si æquale substantiam significaret, Filius, qui Patri æqualis est, & æqualis in substantia, contra aduersarios conuinceretur. Patris ergo nomē, nec substantiā, vel qua-

II. Ratio Arrianorum.

Nomina in diuinis quid tantummodo significent.

litatem, seu relationem significat, vt Basil. lib. 2. in Eunom. circa initium habet: *E dictis ita patet, quòd in Patre quoque ac Filio non significant substantiam nomina, sed proprietates designāt.* Et Nazianz. lib. 3. Theologię, post medium: *Pater, ó viri doctissimi, nec essentiæ, neque operationis est nomen, sed tantùm relationis habitum quendam significat, nimirùm vt Pater se habeat ad Filium, & vicißim Filius ad Patrem.*

Basilius.

Nazianz.

Tertia ratio Arrianorum. Pater, inuisibilis dicitur à Paulo: *Regi,* inquit, *seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor, & gloria.* Et ad Coloss. *Qui est imago Dei inuisibilis.* Filius autem visibilis, imò visus olim à Patribus est. Vnde Tertul. in Praxeam: *Consequens,* inquit, *erit, vt inuisibilem Patrem intelligamus pro plenitudine maiestatis, visibilem verò pro modulo deriuationis.* Et infra loquens de aduentu Dei ad Adam, Abraham, Mosen, & alios, ait: *Scilicet & hæc nec de Filio Dei credenda fuisse, si scripta non essent, fortasse credenda non de Patre, licèt non scripta.*

III. Ratio

1. Tim. 1.

Col. 1.

Tertul. per. à circa fin.

Ex his ergo sequitur, Si Pater est inuisibilis, & Filius visibilis, quòd substantia differunt. Sed dicendum est, Filium æquè, ac Patrē inuisibilem esse: nec enim esset aliàs aut imago Dei inuisibilis, si ipse inuisibilis non esset: item nec eo viso, Pater videretur. Idcircò Patres eum inuisibilem vocant, vt Dionysius epist. 5. ad Dorotheum Diaconum, initio: vbi docet, Deum inuisibilem, & inaccessibilem esse, ob copiam lucis ex se manantis, qui proculdubio est Filius. Et Basilius epist. 43. ad Gregoriū Nyssenum, in fine: imaginē dicit Dei inuisibilis: *Non ideò quod ab archetypo differat imago, iuxta quod inuisibilis est Pater, ac bonus: sed quod idem sit cum prototypo, etiamsi aliud sit.* Et Nazianzen. lib. 1. de Fide: in eos qui putabant Verbum Dei per sui mutationem, vel olim à Patribus visum, vel incarnatum, ait circa finem: *Proinde Filium ex alia substantia credere maluerunt, quia verti, & mutari, & videri posset, quia hæc de Patris substantia credi nō liceat. Quibus primo in loco respondendum est, Filium Dei non ita visum, vt Deus erat, sed vt homo poterat. Deinde in varijs figuris nō mutabilem, & cōuertibilem ipsum, sed esse hoc potentia Dei, vt cū se singulis prout vult, reuelare dignetur, habitum mutet, non substantiam vertat; nec proprietatē qualitatis amittat, &c.* Et Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto. *Quomodò igitur secundùm diuinitatem quidam Filium visibilem putant, cùm etiam Spiritum mundus videre non poßit?* Et libro de Fide contra Arianos, quem librum penè ad verbum ex Nazianzeni libro de Fide vertit, suppresso autoris nomine, ait: *Et tamen sic visus accipitur, vt alicuius conspicabilis, vt dixi, materiæ dispositione assumpta videretur,*

Quod Filius æque ac Pater sit inuisibilis

Dion. Areop.

Basil. to. vlt.

Christus quomodo imago Dei inuisibilis.

Nazianz.

Qua ratione fuerit Christus visibilis.

Ambros. c. 4. init. tom. 2 sub finem.

Ioan 14.

Idem. cap. 8. paullò à med. eod. tom.

retur, salua scilicet inuisibilitate eius, quam à conspectu omnium maiestas interfusa sepsuit. Nō enim sic humanis aspectibus reuelatus est, vt tota in illa deitas appareret, sed ad vicem speculi, cùm conceptos intra lucem suam vultus quasi ad plenam effigiem hominis includit, ita maiestas eius praeeunte fulgore intra id visum esset, quòd imaginem veritatis, non ipsum Deum propriè demonstraret. Quod igitur à Patribus olim Filius Dei visus dicitur, non intelligas quasi substantia eius visa sit: neque verum est solum Filium apparuisse, qui etiam apud Danielē cap. 7. apparuit antiquus dierum: & Stephanus Actorum 7. vidit gloriam Dei Patris, & Iesum stantem: & Spiritus sanctus in linguis igneis venit. Et quādo apparet vel Pater vel Filius, vel Spiritus sanctus, intelligendum est in subiecta creatura, vel intermedijs Angelis. Vnde Angelus fuit ille, cui apparuit in rubro, Actorum 7. & Angelus qui legem dedit, Heb. 2. Galat. 3. Quod docuit Augustinus lib. 2. de Trin. cap. 13. 17. & 18. & in Proœmio tertij libri in fine ait: *Iam enim quaesitum, atque tractatum est, in illis antiquis corporalibus formis & visis, non tantummodò Patrem, nec tantummodò Filium, nec tantūmodò Spiritum sanctum apparuisse, sed aut indifferenter Dominum Deū, qui Trinitas ipsa intelligatur, aut quamlibet ex Trinitate, quam lectionis textus indicijs circumstantibus significaret.* Et cap. 11. propè finem: *In quibus Angelis erat vtique & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: & aliquando Pater, aliquando Filius, aliquādo Spiritus sanctus, aliquando sine vlla distinctione personae Deus per illos figurabatur.* Sic ille. Impiè ergo, & Arrianè Eusebius Caesariensis Verbum mutabile sentit, & Patre inferius, quia illud solum, & non Pater, vel Angelus apparuit, contra Scripturas ipsas, falsa ratione motus. Ait enim libro 5. Demonstrationis Euangelicae, loquendo de illo, qui olim apparebat: *Praetereà ne Patrem quidem Deum hunc fuisse putandum est, qui huiusmodi verbis indicatur. Dicere enim id mutari quod diuinum est, & figurari in speciem, ac formam hominis, neutiquam pium est.* Haec ille, parùm profectò piè, quasi Verbum quod apparuit, non fuerit diuinum, vel in propria substantia mutatum sit, cùm mutatio fuerit in creatura subiecta; vt Gregorius Nazianzenus, & Augustinus docent. Subdit idem Eusebius: *Quòd si quempiam ex Angelis, aut ex ijs qui caelum incolunt diuinis spiritibus, eum qui sanctis oracula ministrabant, aliquis suspicetur esse, planè decipitur.* Haec ille. Quod probat ex eo quòd Angeli aliàs solent suo nomine nominari, & quia illi, qui luctabatur cum Iacob, ponitur nomen Tetragrammaton. Idem etiam libro primo Ecclesiasticae historiae ait, nunquam Angelum Dominum, vel Deum nominari solitum in Scripturis; contra Apostolum, & Stephanum, quorum vterque legem latam per Angelum testatur, qui tamen dicebat: *Ego sum Dominus Deus tuus, &c.* vel, *Ego sum qui sum.* Quia enim personam diuinam, & non propriam referebant, nomina Deo propria illis tribuuntur: sicut quae edicit praeco, iudici ascribimus. Quia tamen alibi in propria persona apparent, & Dei nuntios, non Dei personam agunt, ideò Angeli, & non Deus tunc dicuntur. Licèt quandoq; Christus Angelus nominetur ob assumendam naturā humanam. Ideò in hunc sensum accipiendi sunt Patres, qui Verbum solū olim Patribus visum, vel Patre manifestius dicūt, nēpè non iuxta essentiam eandem, sed in subiecta creatura. Idcircò Hilarius libr. de Synodis, aliquanto ante medium, allegat Synodum quandam ita definiētem: *Si quis Filium non dicat Abrahae visum, sed Deum innascibilem vel Patrem eius, anathema sit.* Sic intellige Victor. lib. 1. de Trinit. *Veluti prodiens à Patre Λόγος, ad Patrem erat propter hoc quod est operari: propter verò quod est esse in ingremio Patris existens, enarrauit de Patre: declaratio Patris, effectus secundùm quod est operari.* Et infrà: *Et quare imago Dei Λόγος? Quoniam Deus in occulto, in potentia enim Λόγος autem in manifesto, actio enim. Pater ergo & magis principalis, vita motionem requiescētem habens in abscōdito, & intus se mouētem: Filius autem in manifesto motio: & ideò filius, quoniam ab eo quod est intus processit.* Et saepè alijs in locis idem docet. Nam lib. 3. de Trin. ita inquit: *Quoniam solā potentiam nemo videt, Deum nemo vidit vnquam. Et quoniam potentia cessans vita est, & cessans intelligentia: haec autem vita, & intelligētia actio est, si quis Deum viderit, moriatur necesse est, quia Dei vita & intelligentia in semetipsa est, non in actu. Omnis autem actus foris est: hoc verò est nostrum viuere, quod foris est viuere. Ergo est mors Deum videre. Nemo,* inquit, *vnquam Deum vidit, & vixit. Simile enim simili videtur. Omittenda ergo vita foris, omittenda intelligentia, si Deū videre volumus: & hoc nobis mors est. Quoniam autem haec vita, & intelligentia Λόγος est, qui Christus est per Christū, & nos omnia per ipsum: ergo Λόγος & vita, & intelligētia. Quare quia ista omnia motus & adiectio est, nos ergo si sumus in Christo Domino, per Christū videmus, id est, per vitā veram, hoc est, per imaginē verā.* Sic ille, obscurè quidē, sed verè, Patrē appellasse, & potentiā; Filium, operationem & [illegible]am: sicut Spiritum sanctum, intelligētiam. Et ideò manifestiorē Filiū vocat, quia pe[illegible]pus & vitā ipsū esse, & potētia manifest[illegible]ur, q̄ in se nō videtur: quia nō est opus, & videri

Margin notes (left): Simile. — Dan. 7. — Actor. 2. — Exod. 3. — Infra 19. & seq. — Infra 20. & sequent. — Aug. tom. 3. ante dimid. — Euseb. Caesar. lib. 1. de Demonst. Euang. cap 9. 10. 1. sub finem. — Diuinitas omnis mutationis est expers. — Greg. Nazian. — Augustinus. — Idem Euseb. c. 11 sub init. — G[illegible] n. 32. — Lucas c. 1. eodem tom.

Margin notes (right): [illegible]al. 3. — Act. 7. — Exod. 19. — [illegible] — Dicuntur spiritus cum Dei personam sustinent, Deus, cùm vero eius nuntios tantū agunt, Angeli in Scripturis nominantur. Christus interdum cur Angelus nominatur. — Malach. 3. — Verbum olim Patribus visum, quo sensu dixerunt Patres. — Hilarius. — Synod. Syrm. in Symbolo, can. 14. — Mar. Victor. — Ioan. 1. — Verbum cur sit imago Dei. — Coloss. 1. — Idem. — Deum cur nemo vidit vnquam. — Ioan. 1. & 1. Tim. 6. & 1. Ioan. 1. — Exod. 33. — Deum vt videns homo mortalis, cur moriatur necesse sit. — Deum videamus, mori necesse est. — 1. Cor. 8.

videri non potest, nisi quis ab operatione cesset, quam cessationem mortem dicit appellari. Quod ergo Filium manifestiorem dicit, quantum admodum nostrum intelligendi accipe, quia nobis effectus manifestior, ipsa causa esse solet. Ideò persona ab alia procedens, quãtum ad nos, manifestior est, licèt in se, quia eiusdem substãtiæ æquè sit ignota. Hinc Basil. epist. 43 ad Gregor. Nyssenum, primò docet à nobis Spiritum sanctum agnosci, & per hunc Filium, & per Filium Patrem: vbi pulchris & elegantibus similitudinibus id tradit Basilius. Et lib. de Spiritu sancto, ait: *Proinde via ad Dei cognitionem est ab vno spiritu per vnum Filium ad vnum Patrẽ. Ac rursus natiua bonitas, & naturalis sanctimonia, & regalis dignitas à Patre per vnigenitum ad Spiritum sanctum promanat.* Idem rursus epist. 73. ad Monachos suos, circa finẽ. *Mens enim nostra, à Spiritu sancto illustrata ad Filium respicit, & in illo, veluti imagine, Patrem contemplatur.* Cyril. lib 1. Thesaur. *Quod autem locus ille Scripturæ, quòd inuisibilia eius (Dei scilicet) à creatione mundi, à creaturis intellecta conspiciuntur, & æterna eius virtus & deitas, Filium significat, sic comprobari potest. Scriptum est enim, quòd nemo cognoscit Patrem, nisi Filius reuelauerit. Si ergo soli Filio Pater cognoscitur, & per eum solùmodò cæteris reuelatur, non per creaturam certè intellectus Pater conspicietur. Sed creatura quidem Creatorem suum, Verbum Dei esse conclamat: Verbum autem in seipso Patrem ostendit.* & de hoc argumento satis.

Basil. tom. vlt.

Idem. tom. 3. prope fin c. 18 lib. de Spiritu sancto, in fin.

Idem.

Cyril. lib Thesau. c. 5. prope init. to. 2. init.

Rom 1.

Locus ille Pauli: Inuisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, & reliq. ad Filium Dei pertinere comprobatur.

Matth. 11. & Ioan. 6.

IV. Ratio.

Quarta ratio Arrianorum est: quia dicebant Verbum esse ὁμοιούσιον, Patri, non ὁμοούσιον: hoc est, similis substantiæ, nõ eiusdem substantiæ: quia Patris imago, & similitudo dicitur, iuxta id: *Deus creauit hominem inexterminabilem. & ad imaginem similitudinis suæ* (id est, Filij) *fecit illũ.* Cùm ergo similitudo distinctionem inter extrema requirat, filium à Patre essentia distingui dicebant. Verùm, ad hoc respõdent Patres, quòd simile propriè acceptum qualitatem significat, in qua est similitudo: & quia identitatem tollit, cũ extrema requirat distincta, sequitur quòd Verbum non simile sit, nec dissimile Patri. Quare Basil. epist. 141. ad Cæsarienses sub initium ait: *Quanquàm nos secũdùm veram rationem Filium Patri neque similem neque dissimilem esse dicimus: vtrumq; enim æquè possibile est. Simile enim, ac dissimile secundùm qualitatũ rationem dicuntur. Numen autem qualitati obnoxium non est.* Nazianzen. lib. de Fide, circa princip. *Denique sublato Homusion, id est, vnius substantiæ vocabulo similitudinem genitoris posuerunt, cũ aliud sit similitudo, aliud veritas. Nã & homo ad imaginem & similitudine Dei factus est; nec tamen quod est Deus, hoc etiam homo cõ*

Sap. 2.

Gen. 1.

Simile propriè quid significet.

Basil. tom. vlt.

Nazianz.

stitisse credendus est. Victorinus lib. 1. de Trin. *Accidit quæcunque sunt similia, eadem esse dissimilia, alia & alia qualitate. Simile enim, non idem.* Sic ille. Si autem similitudo ad substantiam referatur, & ad similitudinem personarum differentia sufficiat: tunc nulla creatura erit similis Deo: quoniam (teste Propheta) *Quis in nubibus æquabitur Domino? similis erit Deo in filijs Dei?* Et Cyrillus lib. 1. Dialogor. de Trin. negat creaturam esse similẽ Deo: & solus Filius erit simillimus Patri. Clemens lib 1. *Pædagogus autem noster, ó vos pueri, est Deo Patri suo similis, vnus est Filius.* Et Ambros. lib. 1. de Fide: *Cur imago, si similitudinem non habet? In picturis homines nolunt esse dissimiles, & Arrius dissimilem Patrem contendit in Filio, & vult, vt Pater dissimilem genuerit sui, quasi impotens, qui generare similem non potuerit.* Et infrà: *Pater Filio dicit: Ad similitudinem nostram: & tu dissimilem Filium Dei dicis?* Cyril. lib. 3. Thesaur. in fine agit in eos, qui dissimilem Filium Patri in substantia dicebant, secundùm exemplar verò siue ideam in mente similem: quia sic Pater compositus esset ex diuersis & contrarijs & simili, & dissimili. Et libro 4. Thesaurorum ponderat, quod insufflauit Spiritum sanctum in Apostolos, renouaturus hominem, quẽ ab initio ad imaginem, & similitudinem suam condidit: *Si ergo* (inquit) *Spiritum Filij accipientes ad imaginem reformamur, quomodo dissimilis erit Patri vero Deo, qui alios per spiritũ suum ad similitudinem Dei reuocat?*

Victorinus.

Quæcunque similia sunt, eadem fere dissimilia.

Solus Filius Patri similis secundum substantiam.

Psalm. 88.

Cyrillus to. 2.

Clem. Alex. c. 2. Pædag. init. p. pe. per. initium.

Ambro. lib. de Fide, c. 4. circa med. to. 2. sub initium.

Gen. 1.

Cyril. c. 4.

Idem cap. 1. initio.

Ioan. 20.

Gen. 1.

Quinta, & postrema ratio est eorum, qui abhorrebant à voce Homusij, ad quam vocem è medio tollendam, multa, & varia argumenta conficiebant hæretici. Primum quidem, quòd hæretici quidam humanam Christi naturam in diuinam conuersam asserentes, ea voce libenter vterentur. Vnde Hilar. lib. de Synodis, circa finem: *Malè, inquit, intelligitur Homousion, quid ad me benè intelligentem? Malè Homousion Samosatenus confessus est, sed nunquid melius Arriani negauerunt? Octoginta Episcopi olim respuerunt (scilicet in Synodo Antiochia celebrata) sed trecenti decem & octo nuper receperunt.*

Quinta & postrema ratio. Quibus olim argumentis vocem Homusion è medio tollere Arriani conabantur. I. Argum.

Hilar. circa finem.

Secundum argumentum erat, quòd illa vox à Latinis non intelligeretur, & vix ab eis Latinè redderetur. Sed hoc soluit Victorinus, dicens: *Non intelligitur Homousios, dicunt: ergo nec Latinè dici potest. Non intelligitur, quare & vos timetis istud? Latinè, inquiunt, dicatur: quia difficilè dicitur, ideò expetitur: & si dicatur, sequimini. Magnum miraculum verbum vos hæreticos facit, vel potiùs forma verbi, quod Græcè dicitur. Certè verbum, aut tollendum est, aut quia obscurum est, tollitur, aut quia contrarium, aut quia minus, vel plus exprimit*

II. Argum.

Victor. lib. 2. de Trin.

Verbi alicuius auferendi causæ quænam esse soleant, teste Victorino.

Quid sonet Homusion.

aut quia superuacuum, quibus omnibus caret Homusion. Et idem de recipiendo Homusion habemus, quomodo exprimamus Homusion, id est, consubstantiale, vel simul consubstantiale. Rursus idem: *Non vtile Homusion, quod excludit hæreticos, maximè Arrianos, quod à maioribus positum vt murus, & propugnaculum? sed nuper est positum, quia nuper erupit venenata cohors hæreticorum: quod tamen conditum iuxta veterem fidem est: probatum autem* ὁμοφώνως *Homousion ab Imperatore Imperatoris nostri patre.* Hæc ille sanctus Martyr. Coacti ergo sunt Catholici vti hac voce, quia Arriani confitebantur verum Deum, sed factũ, & non de substantia Patris, vt Athanasij habet epistola ad Afros, quæ habetur in lib. 2. histor. Tripart. cap. 7. vbi ait: *Si autem & verum Deum dicunt Filium, non nos contristat, factus enim verus est. Hæc est Arrianorum corrupta mens, sed etiam hic Episcopi videntes eorum dolum, collegerunt ex Scripturis, splendorem, fontem, & fluuium, & figuram ad substantiam pertinere.* Et illud: *In lumine tuo videbimus lumen.* Et, *Ego & Pater vnum sumus.* Et clariùs iam, ac breuiter conscripserunt cõsubstantialem Patri Filium. Omnia nanque prædicta hanc significationem habent.

Idem ibidem. *Athanas. to. 2. in fine.* *Arrianorum corrupta mẽs.* *Psal. 35.* *Ioan. 10.*

III. Argum

Demùm tertiùm argumentum colligebant hæretici ex eo quòd hæc vox noua esset, neque in Scripturis reperiretur. Sed respondet Athanasius in libro disputationis in Arrium coram Probo (si tamen eius fœtus existat, & non potiùs Vigilij Episcopi Tridentini) vbi introducit Arrium dicentem: *Peruides, virorum optime Probe, istius decreta Concilij, in sugillationem Apostolicæ fidei, ausu temerariæ assumptionis fuisse conscripta. Quid enim opus erat nouum hoc Homousion vocabulum antiquis dogmatum regulis inseri?* Et reliqua quæ illic latè persequitur. Sed ad hũc cautilum vna est Patrum omnium cõsona responsio, non licere de diuinis tractando, nouis vocibus cum assertione vti, vbi sensus vocibus expressus, nec in Scripturis, nec in definitione Ecclesiæ inueniretur. Si autem sensus est in Scripturis, nõ oportet præcipitem esse ad nouas voces de Deo vsurpãdum autoritate priuata. Hinc Basilius lib. 2. in Eunomium asserit: *Genuisse quidem Patrem multis ex locis docemur: genituram verò esse Filium appellandam, nunquam adhuc vsq; diem, audiuimus.* Vbi autem necessitas occurrit, vel commodiùs explicandi, vel astutijs hæreticorum occurrendi, licet quidem, & expedit non scripta voce vti, si accedat Ecclesiæ, & Patrum Orthodoxorum consuetudo. Quam responsionem Patres omnes suis testimonijs confirmant. Athanasius epistola prædicta ad Episcopos Afros, vbi habet: *Murmuratio siquidem eorum, quasi verba hæc non fuissent ex Scripturarũ autoritate prolata, per eos quoque inanis esse conuincitur. Ex non scripto namque ipsi impiè proferentes, quippè quod nusquam penitus inuenitur, ex non extantibus, & fuit aliquando, quando nõ fuit, alios culpant: proptereà ex non scriptis sermonibus, piè tamen intellectis, damnati sunt. Ipsi namque veluti de stercore reperientes* (fortè, legendum, repentes) *hæc verè de terra locuti sunt. Verùm Episcopi non sibimet adinuenientes verba, sed habentes hæc à Patribus, testimonia cõscripserunt. Veteres enim sacerdotes ante eos, penè centum triginta magna Roma, ciuitatisq; nostra accusauerunt omnes, qui dicunt facturam, aut creaturam esse Filium, & non consubstantialem Patri. Et hoc sciebat Eusebius Cæsarien. Episcopus, qui primùm defendebat Arrianorum sectã, nouissimè verò subscripsit Nicæno Concilio. Scripsit autem & ciuibus suis, confirmans quia & antiquorum aliquos doctos, & illustres Episcopos, & conscriptores agnouisset, nomine consubstantialitatis vsos in Patris, & Filij deitate.* Hæc ille. Et in disputatione in Arrium corã Probo ait: *Ecclesiasticæ semper moris est disciplinæ, si quando hæreticorum noua doctrina exurgit, contra insolentes quæstionum nouitates rebus immutabiliter permanentibus, nominum vocabula immutare, & significantius rerum naturas exprimere, quæ tamen existentiũ causarum virtutibus congruãt, & quæ magis easdem antiquitùs fuisse demonstrent, nõ ortus nouitatem mensurẽt.* Et ponit exemplum discipulorum Christi, qui Christiani vocati sunt, vt à discipulis Ioannis Baptistæ, Dositheæ, seu Theodæ discernerent. Et infrà: *Hanc ergo Apostolis traditam, nouis vtendi nominibus formã, Ecclesia tenens, contra diuersos hæreticos, vt sanè fidei ratio postulabat, diuersas edidit nominum nouitates. Denique Patri nouum Innascibilitatis nomen Ecclesia imposuit. Cùm enim Sabelliana hæresis genitum ex Virgine Patrem voluisset asserere, ingenitum contra hanc confitẽdo Ecclesia tradidit Patrem.* Infrà contingit, vt ostẽdat, clarè in Scripturis habere tres vsias, vt fatebatur Arrius, & non tantùm ex consequentia sermonis deduci posse. *Ostende,* inquit, *scriptũ ingenitum, aut impaßibilem Patrem, verum Deum ex Deo, lumen de lumine, aut Patri Filium similem esse. Nolo mihi dicas. Hoc fidei ratio poscit, hoc pietas docet, ad hanc me nominis professionem Scripturarum consequentia prouocat. Nolo, inquam, mihi talia obtẽdas, quia & in me similia de Homousij probatione responsis proferentem.* Hæc ille. Et posteà introducit Probum egregiè, & pro Catholicis resoluentem & pronuntiantem. Nazianzenus libro septimo in exigentem nudam vocem Homusij ostendi ex sacris literis, ait: *Contra verò vnde tu ingenitum illud, aut* ἄναρχον, *hoc*

est,

Athan. tom. vlt. seu Vigilium Episcopum Trident.

De diuinis tractando, nouis vocibus vti quando liceat, quando non liceat, secundũ Patres.

Basil. tom. 1. sub finem.

Athan to. 2. in fin. hist. tri part. lib. 2. ca. 7. sub finem.

Eusebius Cæsarien. Vbi cum Arrianis vocẽ Homusios reiecisset, post modum cum Nicæno Concilio illam amplexus est.

Idem to. vlt. circa princ.

Ecclesiasticę quid moris sit disciplinę.

Idem.

Patri in diuinis nouum Innascibilitatis nomen cur Ecclesia imposuerit.

Idem.

Nazianz. circa dimid. operis. In eos, qui vocem Homousios in Scripturis non inueniri asserunt.

Ἄναρχον quid.

est principij expers, arces tuas desumpsisti? Et nos vnde immortale? Ostende nobis nominatim ni malis ea expungi, vt sic his quæ ipsi tibi sumpsisti, velut tuis ipsius telis iuguleris; nimirùm nominibus, & profugij tui turre, cui fidebas, euersis. At potiùs palàm est hæc etiam si scripta non sint, tamen è scriptis, quibus consentanea sunt, colligi? Cuiusmodi sunt: Ego sum primus: &, Ego post hæc: item: Ante me non est alius Deus, & post me non erit. Totum enim hoc est, meum est, neque cœptum, neque desiturum. Infrà ait, quòd sicut non delirat, qui ex dicto bis quinque bis septem, & animal rationale mortale, colligit decem, quatuordecim, & hominem: ita ex dictis Scripturis: *Ego & Pater vnum sumus,* Homousion. Idem iterum libro de Fide: *Si dicis mihi, ὁμοούσιον (quod est vnius substantiæ nomen) ob hoc nominari non oportere, quia in Scripturis diuinis non contineatur: quæro autem, ô homo, qui hoc prohibes, vtrùm ideò nominari non debeat, quia scriptum non est, an quia credi ita non licet? Quòd si ita credendum est, cur non ita profitendum? Corde enim, (inquit Apostolus) creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Aut si ideò nominandum non est, quia nec ita credendum, obtinuit Arrianæ labis assertio.* Paullò pòst: *Sed vt ad id reuertar, quod dicis, in Scripturis diuinis, ὁμοούσιον, id est, vnius essentiæ vocabulum non inueniri. Finge hoc interim, sic sit, vt vbicunque legitur res Dei, non Deus accipiatur: quid, quod & aliud tu quod scriptum non est, pariter profiteris, id est, Deum ex Deo, & lumen ex lumine? Quid ad hæc dicis? Aut totum mecum tene, aut totum omitte.* Et infrà ostendit, quòd acceptabant Deum ex Deo, lumen ex lumine, quia in illis patebat locus fraudi. Vnde ait: *Denique & nunc potuissent Homousiõ, sicuti & cætera verbo tenus nominare si habuissent quomodo illud ad aliam intelligentiã suo sensu peruerterent. Sed cùm viderent se in hoc verbo cõcludi, nullam omninò mentionẽ huius rei fieri voluerunt, ne aut profitendo crederent, aut credentes professi viderentur: subtili ingenio excusantes, quod aut scriptum non esset, aut Deum in substantia dici non oporteret, ne corporeus crederetur.* Infrà: *Quomodo dicis in diuinis Scripturis ὁμοούσιον non inueniri, quasi aliud sit Homousion, quam quod dicit: Ego de Deo Patre exiui: &, Ego & Pater vnum sumus, vel quod Prophetæ ex aperto substantiam Dei intimarunt?* Victorinus libro 2. de Trinitate: *An non est,* inquit, *lectum in Scripturis Homousion diuinis? Primò qui hoc negat, rem fatetur, sed scripturæ quærit autoritatem. Quomodo autem non iniquum est ideò rem nõ admittere, quia maiores omiserunt, aliquo fortasse casu, vel caussa, cùm ratione vincatur?* Infrà: *ὁμοούσιον ergo non ex nihilo, vel ex non extantibus, nec erat quãdo non erat. & ita vno verbo perit omne Arrij venenum,* *quia eandem substantiam, & æternitatem significat.* Hilar. lib. 1. in Constantium Arrianũ. *Nolo,* inquit Constantius, *verba quæ non scripta sunt, dici. Hoc tandem rogo, quis Episcopis iubeat? Et quis Apostolicæ prædicationis vetet formam? Dic priùs si rectè dici putas: Nolo aduersum noua venena, nouas medicamentorũ cõparationes. Nolo aduersum nouos hostes, noua bella. Nolo aduersum nouas insidias consilia recentia. Si enim Arriani hæretici idcircò ὁμοούσιον hodie euitant, quia priùs negauerunt: nonne tu hodie idcircò refugis, vt hi nunc quoq; denegent? Nouitates vocum, sed profanas deuitari iubet Apostolus. Tu cur pias excludis? cùm præsertim ab eo dictum sit: Omnis Scriptura diuinitùs inspirata vtilis est. Innascibilem scriptum nusquam legis. Nunquid & hoc negandum erit, quia nouum est? Decernis similem Patri Filium. Euangelia non prædicant. Quid est quod non refugis hãc vocem? In vno nouitas eligitur, in alio submouetur. Vbi impietatis occasio patet, nouitas admittitur (nempè quia & homo similis est Deo). Vbi autem religionis maxima, & sola cautela est, excluditur. Sed diabolici ingenij tui fallentem subtilitatem non tacebo. Similem (quod scriptum non est) Patri Filium decernis prædicari: vt æqualem Christum Deum, quod est scriptum, taceas.* Ambros. lib. 3. de Fide: *Quomodo negant Dei esse substantiam? quomodo verbum, Substantia, quod creberrimum in Scripturis est, putant esse vitandum: cùm ipsi ex alia substantia, hoc est, ἑτερούσιον dicendo Filium, substantiam tamen in Deo esse non abnuant? Non igitur verbum, sed vim verbi fugiunt, quod nolunt verum esse Dei Filium. Nam licèt humano verbo non possit diuinæ generationis series comprehendi: tamen indicarunt Patres fidem suam tali propriè contra ἑτερούσιον sermone signandum, authoritatem secuti Prophetæ, qui ait, Quis stetit in substantia Dei, & vidit verbum eius? Secundùm impietatem igitur suam propositum substãtiæ verbum recipiunt Arriani: Secundùm pietatem autem fidelium comprobatum repudiant, & refutant. Nam quid est aliud cur Homousion Patri nolint Filium dici, nisi quia nolunt verum Dei Filium confiteri?* Infrà: *Frustra autem verbum istud propter Sabellianos declinare se dicunt, & & in eo suam imperitiam produnt Homousion enim aliud alij, non ipsum est sibi. Rectè ergo Homousion Patri Filium dicimus, quia verbo eo & personarum distinctio, & naturæ vnitas significatur. An negare possint ousiam lectã, cùm & panem ἐπιούσιον Dominus dixerit. & Moyses scripserit: ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι λαὸς περιούσιος?* Idem libro de Incarnatione: *Dicunt non esse scriptum, Dei esse substantiam atque naturam. cùm vtique Filius Dei Patris, esse splendorem gloriæ, & characterem substantiæ eius, Scriptura testetur, & multos alias de diuina dixisse substantia, in alio libro plurimè ostenderimus. Naturam quoque diuinam*

quæ

Apoc. 1.
Isai. 44.
Supra. 3.
Idem.
Simile.
Ioan. 10.
Idem.
Rom. 10.
Idem.
Idem.
Idem.
Ioan. 8.
Infrà 10.
Victor.
Idem.

Hilar. medio inter operis & dimidium.
Vocum nouitates quas tantùm vitari iubet Apostolus. 2. Tim. 6.
Supra 3.
Ambros. cap. 7. circa med. to 2 à med. Arriani non vocem Homousios, sed vim eius fugiunt, inquit Ambrosius.
Hieron. 23. iuxta Septuaginta.
Homousion Patri Filium cur negent Arriani.
Matth. 6.
Idem lib. de Incar. c. 8. init. eod. tom in fin.
Heb. 1.

2. Petr. 1. *quis abnuat, cum Petrus Apostolus in Epistola sua scripserit, id operatam Domini misericordiam per passionem Crucis: Vt nos, inquit, faceret diuinae consortes naturae? Sed etiam alibi Paulus scripsit:* Galat. 4. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non sunt dij, seruistis?* Aug. ep. 174. sup init. & ep. 178. tom. 2. Et Augustinus epistola ad Pascentium, loquens de vocibus Homousion, & Ingenito, non scriptis, ait: *Vides, inquam, posse fieri, vt etiam de verbo, quod in Scriptura Dei non est, reddatur tamen ratio, vnde rectè dici ostendatur.* Idem li. 4. in Maximi. c. 14. inter med. & princ. tom. 6. Et lib. in Maximinum: *Pater & Filius vnius sunt, eiusdemq; substantiae: Hoc est, illud Homousion, quod in Concilio Nicaeno aduersus haereticos Arrianos à Catholicis Patribus veritatis autoritate, & autoritatis veritate firmatum est:* circa finem. Conc. Nicenū, tom. 1. Conciliorum. *quod postea in Concilio Ariminensi propter nouitatē in verbis minus quam oportuit intellectam, quam tamen fides antiqua pepererat, multis paucorum fraude deceptis, haeretica impietas sub haeretico Imperatore Cōstantio labefactare tentauit. Sed post non longū tempus libertate fidei Catholicae praeualente, postea quam vis verbi sicut debuit intellecta est, Homousion illud Catholicae fidei sanitate lōge lateq; defensum est. Quid est enim Homousion, nisi vnius, eiusdemq; substantia?* Cyril. tom. 2. circa med. Cyril. libro 1. de Trinitate, circa principium: *Nulla enim dictione vti erubescam, quae ad veritatem explicandam conducit. Omninò enim sub genere, & specifice differentia diuinitas non est.* Hist. Tripart. cap. 42. Historia Tripar. libro 5. introduxit Eudoxium Arrianum disputantem cum Syluano Catholico coram Constantio Imperatore: cumque vrgeret Arrianus, quod anathematizaret vocem Homousion, eo quod non esset scripta; ille respondit, quod tolleret, Ex nō extantibus, & alterius substantiae, & Creatura, quia nec hęc sunt scripta. Quod Imperator quoque decreuit vt fieret: quod (licet cum difficultate) fecerunt. Et Syluanus disputatiuè, atque veraciter ait: *Si ex non existentib. non est, neque creatura, nec ex alia substantia Deus Verbum: igitur consubstantialis est genitori Patri. Sicut Deus ex Deo, & lumen ex lumine, eandemque habet cum genitore naturam.* Eadem histo. Tripar. ca. 9. sub finem. Tunc Imperator iratus, exilium intermінatus est Catholicis. Tandem haeretici admiserunt Homousion, sed callidè, pro eo quod est similis Patri, vt testatur eadem Trip. hist. lib. 7.

Testimonia Scripturarum, quibus Arriani suam haeresim comprobabant, declarantur.

Quibus nā ex Scripturarū locis Arriani suum dogma confirmare contendant.

EXPEDITIS his rationibus Arrianorum, quibus suam impiam sententiam corroborabant, producenda quoque sunt Scripturarū testimonia, quę ad suam perfidiam fulciendam producebant.

PRIMUS LOCUS.

Testimonia Scripturarum, quae videntur ostendere, solum Patrem esse Deum.

1. Locus. ¶ In primis ergo sunt quaedam Scripturae, quae Patrem solum Deum videntur ostendere; vt sunt illae: *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus praeter me.* Deut. 32. Et Dominus in Euangelio: *Haec est vita aeterna, vt cognoscant te solum, Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum.* Ioan. 17. Et Apostolus: *Nobis tamen vnus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus Dominus, Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* 1. Corint. 8. Ergo si Paulus, & Christus solum Deum dicunt Patrem, videtur Filius à natura diuinitatis excludi. ¶ Respondendum est, per has sententias non excludi à deitate personas diuinas, sed tantum falsos deos. (Qui loci deitatē soli Deo Patri tribuere videntur, quem admodum accipiendi sunt.) Vt enim cum ait Paulus: *Vnus Dominus, Iesus Christus,* 1. Corint. 8. minimè à domino Pater excluditur, ita nec Filius à diuinitate, cum Pater, vnus solus, & verus Deus dicitur. Alioqui quia Baruch 3. manifestè dicitur: *Hic est Deus noster, & non aestimabitur alius aduersus eum,* Baruch. 3. de quo posteà subdit: *Post haec in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est,* deberet Pater à diuinitate excludi, sed includitur potius. Sic quoque dicendum est de Filio; & Spiritu sancto, qui non excluduntur, sed includūtur, quia vnus & solus Deus cum Patre sūt, quia à Patre procedunt. Ideò rectè dixit Dominus: *Solus non sum, sed ego & qui misit me, Pater:* Ioan. 8. se vnum cum patre asserens, & non solum quia ab eo procedit. Et hunc esse verum sensum, docent Patres. Tertullia. in Praxean sub initium: Tertul. circa med. operis. *Videmus igitur non obesse monarchiae Filium, etsi hodie apud Filium est: quia & in suo statu est apud Filium, & cum suo statu restituetur Patri à Filio.* 1. Corint. 15. Basi. epist. ad Caesarienses: Basil. ep. 141. aliquanto à prīcē tom. 2. sub finem. *Tale est & quod dixit: Vt cognoscant te solum, verū Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et illud: Creditis in Deum, & in me credite:* Ioan. 17. Suprà 14. *vbique mentes nostras confirmat Spiritus sanctus, vt ne, dum alteri acquiescimus, ab altero excidamus, hoc est ne, dum theologiae attendimus, dispensationem Christi contemnamus, & fiat, vt dum sublimitatem diuinae naturae assequi nequimus, incidamus in impietatem.* (Theologiae nomine hic intellige Filij diuinitatem, qua aequalis Patri est: Oeconomiae verò, dispensationem assum ptae.) Nazianzenus lib. 4. Theologiae à med. [illegible] *Sane mea est opinio, illud: Cognoscant te solum, verum Deum, ad eos, qui cum dij dicantur, tamen non sunt, tollendos valere. Alioqui si Christo ex aduerso responderit, & non potius communiter de deitate diceretur, adiectum non esset: Et quem misisti Iesum Christum.* Hilarius lib. de Patris, & Filij vnita. circa finem: Hilar. iuxta finem Operis. *Quod si vnus Deus Pater Christo non adimit vt vnus sit Dominus: ita solus Deus Pater verus Christo Iesu nō aufert vt Deus verus sit,*

cum ad vitæ æternæ meritum hoc proficiat, vt cum credatur solus Deus verus, credatur & Christus. Hęc ille, rectè colligens ex hoc quod fidei in Christum tribuitur vita æterna, Christum esse Deum. Et idem lib. 4. de Trinit. circa finem: *Vterque* (scilicet Pater & Filius) *itaq; vnus & solus est, proprietate videlicet in vnoquoq; & innascibilitatis, & originis.* Ambro. lib. 3. de Fide: *Ergo cum legis Deum, non separes Patrem, non separes Filium, quia diuinitas Patris & Filij vna eademq; est. Et ideò nec ibi separes, vbi legis quod beatus & solus potens.* Infrà: *Non sunt fragilia comparanda diuinis. Vna sola substantia diuinitatis, quæ mori nescit. Vnde & Apostolus cum sciret, animam, & Angelos immortales, quod solus Deus immortalitatem habeat, prædicauit. Nam & anima moritur; Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur. Nec Angelus immortalis est naturaliter, cuius immortalitas in voluntate est Creatoris.* Idem docet lib. 5. ¶ Cyril. lib. Thesaur. .10. *Ponamus nonnullos errore impulsos, hominis aut bruti animalis cuiusdam statuam erexisse, quam credant lucis esse originem, quamq; lucis nomine appellent. Ad hæc fingamus Solem ad huiusmodi homines magna voce clamasse: Erratis nimium omnes vos: Ego solus enim sum lux, nec alia est præter me. An igitur his verbis splendorem Solis & lunæ non esse lucem putabitis? vel aduersus falsam lucem illa verba Solis dicta interpretabimini? Hoc extremum profectò facietis. Quare cum à Patre quoque dicitur: Ego solus sum Deus, nec est alius præter me: falsos deos, non Filium extrudi, firma fide credendum est.* Infrà: *Quod ergo dicitur: Vt cognoscant te solum verum Deum, aduersus falsos Gentilium deos necessariò accipiendum est.*

Idem sub initium Operis. Ambros. ca. 2 circa medium. tom. 2. 1. Tim. 6. Deut. 32. Idem. 1. Timoth. 6 Ezech. 18. Idem cap. 2. per totum. Cyril. c. 6. sub init. tom. 2. Simile Cyril. li. perelegans.

SECVNDVS.

Testimonia quæ videntur pre se ferre, Patrem Filio esse maiorem.

II. Locus. Ioan. 10. Infrà 14.

¶ Deinde producendi loci, qui prę se ferũt Patrem Filio maiorem esse, quales sunt Ioan. 10. *Pater quod dedit mihi, maius omnibus est.* Et Ioan. 14. *Pater maior me est.* Sed prior locus comparat non Patrem cum Filio, quos ibidem vnũ esse testatur, sed Patrem cum alijs omnibus, quæ possent rapere oues de manu patris. Secũdus verò locus vel ad Humanitatem refertur, vel ad diuinitatem Filij, quatenus origenem habet à patre: quia beatius est magis dare, quam accipere; generare, quam generari, Patrem vt Filio maioré concipimus: licet reuera sint æquales: quia generare & generari, in Deo sunt vna deitas, & vna essentia, quam Filio Pater tradit. De Humanitate ergo intelligit August. lib. 2. de Trin. cap. 1. vbi ait, quod Dei Filius & est æqualis patri secundum formã in qua est; & minor patre secundum formam serui quam accepit: in qua forma non solum minor est patre, sed & Spiritu sancto, & seipso minor inuentus est. Idem docet lib. 1. de Trin. cap. 7. vbi damnat errores eos, qui ea verba aliter interpretati sunt. Ambros. lib. 2. de Fide: *Miraris si ex persona hominis Patrem dixit maiorem, qui in persona hominis se vermem dixit esse, non hominem? Dixit enim: Ego autem sum vermis, & non homo.* Gelasius lib. de duabus naturis introducit Amphilochium Episcopum Iconij in libro expositionis eius verbi: *Pater maior me est,* dicentem in persona Christi: *Non turbetur cor vestrum. Pater maior me est. Maior enim est eo qui vadit ad eum, non eo qui est in eo.* Hæc ille. Alcuynus lib. 3. de Trinit. *Ideò scriptum non est, quod Deus Pater maior sit Spiritu sancto, vel Spiritus sanctus minor Deo Patre: quia non est ita à Spiritu sancto columba, in qua apparuit, assumpta, vel ille ignis, in quo descendit super Apostolos, in vnam diuinitatis personam, sicut assumpta est à Filio Dei ex Maria Virgine Humanitas in vnam deitatis personam. Illa forma serui inhæsit illi ad vnitatem personæ perpetualiter: ille verò Spiritus corporalis, columba, & ignis, ad demonstrandum quod opus fuit, ad tempus apparuerunt, & esse postea destiterunt.* Sic ille. Alij verò ad diuinitatem referunt illam sententiam: vt Basil. li. 1. aduersus Eunom. dicens: *Nos autem secundum habitudinem caussarum ad ea quæ ex ipsis sunt, Patrem Filio præponi dicimus, naturæ verò diuersitate nequaquam, neque temporis excessu.* Infrà in fine libri: *Quoniam a Patre origo est Filij, hoc maior est Pater, quod caussa est atque origo.* Nazianzen. *Quod enim ex eo cui nullum sit initium, prouenit, hoc & gloriam cum suo parente merito communem habuerit: & accedit præterea generationis dignitas, illis qui mentem habent, res tanta, tamq; venerabilis. Nã quod Christo, quatenus homo intelligitur, maior sit, verum quidem est, at non magnum: quid noui enim, Deũ homine maiorem esse?* Et infrà, colligit Filij consubstantialitatem ex hoc, quod Pater maior Filio dicitur, quia collatio fit inter ea quæ sunt eiusdem naturæ. Hilar. li. 9. de Trinit. *Maior itaque donans est, sed minor iam non est, cui vnum esse donatur.* Et idem psalm. 138. ante medium. *Est enim Pater maior Filio, sed vt Pater Filio: generatione, non genere.* Damascenus lib. 1. de Fide Orthodox. *Quando igitur audimus principium, & maiorem Filio Patrem, caussam intelligamus.* Et Concil. Sardicense, vt habes in Tripartita lib. 4. *Confitemur vnam Patris, Filijq; diuinitatem, neque quisquam negat aliquando Patrem Filio maiorem, non propter aliam essentiam, non propter differentiam, sed quia ipsum nomẽ Patris maius est Filio.*

Act. 20. Aug. tom. 3. Philip. 2. Idem. Ambros. c. 4. tom. 2. Psalm. 21. Gelasius. Alcuin. ca. 8. Spiritum sanctum minorẽ esse Patre, cur scriptũ nõ sit. *Matth. 3. & Ioan. 1. Act. 2. Basil. tom. 1.* Pater quomodo Filio maior. *Nazianz. lib. 4 Theolog. aliquanto ab init. Hilar. Idem. Damas. ca. 9. sub finem. Conc. Sardicens. Hist. Tripart. cap. 24, ab init.*

Cyril. c. 3. ini. tom. 2. init. Incorporea natura maius & minus non suscipit. Ioan. 14. Philip. 2.

Cyrillus vtrumq; sensum probat lib. Thesaur. 2. sed priorem sensum magis probat, dicens: *Cum incorporea natura maius & minus non suscipiat; quando maior Pater Filio dicitur, humanitati suæ, non deitati sermo attribuendus est: nam cum dicat Christus: Pater qui me misit, maior me est, & Apostolus de ipso: non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo: quærendum est diligenter, quomodo & æqualis Patri, & minor Filius erit: ita vt nec æqualitatem contemnamus quia maior Pater dicitur; nec maiorem esse Patrem negemus, quia æqualis ei Filius scribitur, sed vtraq; piè intelligamus. Consuetudinem verò nostram Scriptura secuta, maiorem appellat Patrē, vt vndique & ea persona, ex qua significetur, & ea quæ est ex illa, perspiciatur. Aequalitatem etiam attestatur, ne vlla in essentia Patris, & Filij dissimilitudo & differentia reperiatur. Quamuis ergo secundum rationem substantiæ Patris, æqualis, & penitus similis sit; maior tamen ipso Pater est qui eum generat, in hoc solummodò, quia ex eo Filius est; & sic principium Filij secundum originem Pater est.* Et libro 10. in Ioannem, asserit ineptum & risu dignum fuisse, si Christus solum homo, & creatura esset, & se cōparasset cum Deo Patre, dicendo: *Pater maior me est.* Ergo erat consubstantialis. Nec enim creatura cum Creatore contenderet. Est ergo Filius æqualis Patri, qui per semetipsum iurans Abrahæ, ponderat Apostolus, quod neminem habuit, per quem iuraret maiorem.

Consuetudo Scripturæ.

Idem in Ioan. c. 9 in fin. 10. 1. Ioan. 14. Genes. 22. Hebr. 6.

TERTIVS.

Testimonia quæ asserunt Patrem esse Deum Filij.

III. Locus. Ioan. 20. Ephes. 1. Nazianzen. Hilar. Ioan. 8. Ambros. c. 2. sub initium, tom. 1. 1. Corint. 11.

¶ Tertiò sunt loci, qui Patrē vocant Deū Verbi, vel Filij: vt, *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Et Paulus: *Deus domini nostri Iesu Christi Pater gloriæ, &c.* Sed hæ sententiæ dicūtur de Christo homine, vt Nazianz. li. 4. Theologię, & Hilar. li. 11. de Trin. testantur. Dicunt enim dici Deum Filij ea parte qua homo est: *Sed quia* (inquit iste) *ex Patre Deus natus est, & ex dispensatione seruus est, habeat & Patrem Deum, dum ex eo Deus est, & Deum suum, dum ex Virgine caro est.* Sic ille, qui etiam ob originem fatetur dici posse Deum Verbi, id est, ex quo Deus Verbum processit. Ambros. li. 3. de Fide, ad humanitatem refert: *Eo vsque autem caput Christi Deus, secundum incarnationem dictum est, vt & caput viri Christus secundū incarnationē Verbi dictum sit.*

QVARTVS.

Testimonia quæ asserunt, Patrem in Filio, vel per Filium operari.

IV. Locus. Ioan. 14. 1. Corint. 8. Hilar. Victor. lib. 1. de Trin. August. libr. 1 de Trin c. 6. à med. tom. 3. circa med. & princ. Basil. lib. de Spirit. san. c. 5 sub init. tom. 1 circa finem.

¶ Quartò, producuntur loci, in quibus Pater dicitur in Filio, vel per Filium operari: vt, *Pater in me manens, ipse facit opera: Vnus dominus, Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Sed prior sententia eandem naturam Patris & Filij ostendit. Hilarius libr. 7. de Trin. propè finem: *Manere in Filio Patrem, non est singularis atque vnici: Operari verò per Filium Patrem, non est differentis, aut exteri.* Secundus locus licet patri tribuatur, *Ex quo,* & Filio, *per quem,* non innuitur inęqualitas. Vnde, *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso,* de solo Patre dicitur, teste Victorino lib. de Trinitate. Et si Augustinus referat ad personas Trinitatis. Et licet Basilius libro de Spiritu sancto: & Ambros. lib. de Fide, ad Filium illa omnia referant, vt alio loco dicam.

QVINTVS.

Testimonia in quibus dicitur, Patrem dare aliquid Filio.

V. Locus. Ioan. 5. Infrà 17. Infrà 10. Philip. 2. Psalm. 2. Matt. 11. Infrà 28.

¶ Quintò, sunt loci, in quibus dicitur Pater dare aliquid Filio: vt Ioan. 5. *Sic dedit & Filio habere vitam in semetipso: Et potestatem dedit ei iudicium facere.* Et paullò ante: *Pater omne iudicium dedit Filio.* Et infrà: *Opera quæ dedit mihi Pater, vt perficiā ea.* Et Ioan. 17. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Infrà: *Tui erant, & mihi eos dedisti.* Et, *Pater quod dedit mihi, maius omnibus est.* Et, *Dedit illi nomē quod est supra omne nomen: Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* Et, *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Et, *Data est mihi omnipotestas.* At istę & similes sententię non tollunt à Filio consubstantialitatem: quia vel de Christo homine accipiendę sunt & interpretandæ, vel de Verbo, ob solam originem à Patre persona, & non natura distincto. Nazianzenus lib. 4. Theologiæ ait, Christum hominem accepisse hæc per gratiā, quæ ab initio propria erant per naturā qua Deus est. Cyrillus lib. Thesaur. *Accipere igitur omnia, ipsi vt homini attribuendum, quæ vt Deus naturaliter habet.* Et rursus: *Ne quis omnia Patris in Filio perspiciens, propter incommutabilem similitudinem atque identitatem eundem putet patrem, & Filium esse, quod Sabellio accidit, necessariò à patre se accipere ait, quæ ab eo naturaliter habet; Vt cum alter det, alter accipiat, dualitas personarum demonstretur, non nominibus solum, sed verè ac personaliter distincta.* Et infrà: *Nā quoniam homo facile potest amittere bona quæ à Deo accepit, quod Adam perpessus fuerat, denudatus data sibi gratia propter inobedientiā, necesse fuit ne rursus in eadem incideremus, vt incommutabilis Dei Filius factus homo, vt homo gratias Dei peteret, vt per ipsum qui amittere gratias non pos-*

Nazianzen. Cyril. lib. 10. Thesaur. ca. 2 in fin. tom. 2. cap. 1. sub initium. Idem cap. 2. eiusdem libri, in principio Genes. 3.

set.natura nostra firmiter seruarentur. Omnis enim gratia in Christo abundantissimè permanet, & inde ad nos propter similitudinem transfunditur: omnes enim sumus similes ipsi vt homini. Hæc ille doctissimus Pater. Primus locus ille: *Dedit & Filio habere vitam in semetipso*; sic est accipiendus, nempè, eum generando: nã si ante vitam datam generasset Pater eum, esset Filius antequam viueret. Si verò post generationem esset, ante vitam datam nec viueret. Ideò Filium habere vitam in se, est esse Patri consubstantialem, vt ait Victorinus libro de Trinitate: *Quid est, inquit, habere vitam in semetipso? Ipsum vitam sibi esse, non ab alio accipere vitam, sed à seipso, & alijs dare* Sic ille. Cuius verba vt Filio conueniant, illum non accipere vitam ab alio natura distincto, est accipiendum. Cyrillus libro 4. Thesaurorum. *Scribitur, quod Pater vitam in se ipso habet: Hoc autem, in se ipso, nihil aliud significat, quam essentialiter. Sed Filius quoq; dante Patre (qui esse ipsum dat) vitam habet in se ipso: substantialiter ergo, non quasi additamentum, vt vos putatis: quare Patri æqualis, & similis in omnibus est, cum naturaliter vita sit, quam ipse Pater.* Infrà: *Quemadmodum planta fructui qui est ex ipsa, naturaliter suam qualitatem dat, sic & Filio Pater omnia sua dat.* Rursus: *Quare si etiam solum patrem aliquid habere dixeris naturaliter, non priuabitur tamen Filius eadem re naturaliter. Solus enim ea pater habere dicitur, in quantum à nullo habet: sed omnia quæ sibi naturaliter insunt, Filius suus ex eo prodiens cõsequitur naturaliter.* Rursus infrà: *Accedit, quod dicere quoq; possumus, omnia quæ patri naturaliter, ac essentialiter insunt, Filium ipsum esse. Solus pater verus est Deus, quoniam solus habet Filium, qui veritas est. Solus pater sapiens & potens est quoniam Christus Dei Filius, virtus, & Dei Sapientia est. Solus pater inaccessibilem lucem habitat, quia Filius est Lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Solus vita est pater, quoniam habet Filium verè dicentem: Ego sum vita. Postremò, quia vita secundum naturam Filius est; accipere vitam à patre dicitur, non in quantum Verbum, aut imago patris (sic enim ipse quoque naturaliter vita est) sed in quantum homo factus est. Ita enim pater, & tota Trinitas, vitam Filio vt homini præstat. Hic sensus à sequentibus confirmatur, in quibus causa dandi exponitur. Potestatem enim, inquit, dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Si ergo, quia Filius hominis est, & in quantum homo, iudicandi potestatem accepisse dicitur: eodem modo dicemus, quia homo factus est, & homines à Deo cuncta accipiunt, ideò & ipse vt homo, vitam à Deitate accepisse dicitur, qua nulla re percipiat, & cætera omnia quæ habent, & ipsum esse largitur.* Ita intellige illud: *Et ego viuo propter patrem: Quid ait is qui per se vita est? Ego viuo propter patrem* Et ipsa Dei potentia: *Non potest Filius facere à se ipso quicquam.* Et ipsa per se perfecta Sapientia: *Mandatum accepi, quid dicam, & quid loquar*: per hæc omnia ad Patris nos deducens cognitionem, & miraculum eorum quæ fiunt, ad ipsum referens, vt per ipsum Patrem cognoscamus. Non enim ex operum differentia Pater consideratur: quæcunque enim viderit Patrem facere, ita etiam Filius similiter facit, sed ex gloria, quæ ipsi ab Vnigenito affertur, miraculi eorum quæ fiunt, fructum capit. Ambrosius libro de Fide: *Vtique si ad diuinitatem referunt, propter Patrem viuit Filius, quod ex Patre Filius est: propter Patrem, quod vnius substantiæ cum Patre: propter Patrem, quod eructatum est Verbum ex Patris corde, quod à Patre processit, quod ex Paterno generatus est vtero, quod fons Pater Filij est, quod radix Pater Filij est.* Cyrillus libr. 12. Thesauror. *Viuere autem propter Patrem dicitur, non quia particeps vitæ (sicut nos) sit; sed quia omnia paterna substantia propria, naturaliter in ipsum, sicut in filium transeunt.* Ita dicendum; quod dedit illi mandatum quatenus homo est, vel quatenus Deus, accipiendo pro verbo ipso mandatum. Vnde Augustinus libro de Trinitate: *Non enim aliud est mandatum Patris, aliud verbum Patris. Nam & Verbum hoc appellauit, & mandatum.* Ita intellige: *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen*; ea ratione scilicet, qua homo erat, & qua seipsum exinaniuit, & humiliauit.

Ioan. 5. Quomodo id accipiendum sit: Sic dedit & Filio habere vitam in semetipso. | Victorin. lib. 1 de Trin. | Cyril. c. 2. sub initium, to. 2. | Idem. Omnia sua Filio dedit quomodo Pater. Idem ibidem. Idem. | Ioan. 14. 1. Corint. 1. | 1 Timot. 6. | Ioan. 14. | Filius à Patre quatenus dicatur accipere vitam. | Suprà 5 | Ioan. 14. Suprà 5

1. Corint. 1. Ioan. 12 | Ioan. 5. | Ambros. li. 4. de Fide, cap. 5 \[illegible\] | Psal. 44. Ioan. 8. | Cyril. c. 15. inter medium et fin. tom. 5. | I 2. 14. & 12. | Quid sit illud Hoc mandatũ accepi à Patre meo. | August. lib. 1. de Trin. ca 12 sub finem to. 3. inter medi. & init. | Philip. 2. Ibidem.

Sextvs.

Testimonia quæ videntur asserere Filium esse factum, vel creatum.

¶ VI. Locus: Sapientia apud Salomonem, iuxta versionem Septuaginta, & Chaldæam paraphrasim concionatur Prouerb. 8. *Dominus creauit me principium viæ suæ ad opera sua.* Et Ecclesiastici 1. *Prior omnium creata est Sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo.* Et iterum: *Ipse creauit illam in Spiritu sancto.* Et Ecclesiastici 24. *Ab initio & ante secula creata sum.* & ad Hebr. 3. vt legit Hilarius: *Considerate Pontificem fidelem ei qui creauit illum.* Et Petrus Actor. 2. *Certissimè sciat omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus*; id est, *Verbum caro factum est*: Et, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est.* Ad quos locos quibus Christus creatus vel factus dicitur, respondendum est: Creare, & facere, non propriè sumi; vel si propriè, non ad naturam diuinam referenda, sed ad humanam. Vbi ergo fidelis dicitur illi qui

VI. Locus. Qua ratione sit Christo nomen datũ super omne nomen. | Prouerb. 8. | Eccles. 1. | Infra 24. | Hilar. lib. 12. de Trin. | Hebr. 3. | Ioan. 1 | Galat. 3. | Ioan. 1 | Hebr. 3.

creauit

creauit illum, de creatione Pontificis est sermo, hoc est, de prælatione Christi hominis. Qui ante Ioannē factus dicitur, hoc est, illi præpositus, & prælatus. Homo etiam factus est Dominus, & Christus ex muliere, & Verbum caro factum est. Ambros. li. de Fide: *Post me venit, qui ante me factus est: hoc est, supra meritum meum factus, supra meam gratiam, tempore carnis posterior, diuinitatis honore venerabilis. Post me enim venit, temporis est: prior me erat, æternitatis. Ante me factus est, honoris est, quia etiam Incarnationis mysterium supra humanam est gratiam.* Alcuyn. li. de Trinit. *Illud Actuum 2. Iesum Christum Deus fecit: Et, factum ex muliere. Et, Verbum caro factum est: non de eius existentia, vel substantia sed in actu, & administratione eius potentiæ dicuntur.* Quod dicitur in Prouerbijs: *Dominus creauit me*: dicendum, vel aliter legendum, Dominus possedit me, vt Basilius lib. 2. in Eunomium: vel si ita legatur iuxta Septuaginta, ad humanitatem esse referendum, in qua Deus se ostendit: vel abusiuè creatio pro generatione capienda est. Hinc Ambrosius libro de Spiritu sancto: *Denique ipsa Sapientia secundum suscepti locuta corporis Sacramentum ait: Dominus creauit me. Quamuis ventura prophetaret, tamen quia prædestinatus erat Domini Saluatoris aduentus, non dixit, creat me: sed, creauit me, ne frequenter, sed semel crederent ex Virgine Maria corpus esse generandum.* Et lib. 1. de Fide, ponderat quod ait: *Ascendo ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Separatio*, inquit, *ista diuersitatem ostendit, quod illius genitor, noster Creator sit.* Ibidem ponderat, quod si omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil, ergo ipse nō est creatura, vel ipse se fecit. Et infrà: *Prohibuit itaque me Paulus creaturæ seruire, sed Christo admonet seruiendum. Non ergo creatura Christus. Paulus, inquit, seruus Iesu Christi.* Et libr. 2. Arrianum alloquens, ait: *Dic sanè, dic inquam: Ego te, Christe, puto esse dissimilem Patri. Respondebit & ille: Discerne si potes. Discerne, inquam, quo putes esse dissimilem. Dic aliud: Creaturam, inquies, te arbitror. Respondebit & Christus: Si duorum hominum testimonium verum est, tu nec mihi, nec Patri saltem credere debuisti, qui genitum nominauit? Bonum, inquit, negò. Dicet & ille: Fiat tibi secundum fidem tuam, vt tibi bonus non sim. Omnipotentem non arbitror. Respondebit & ipse: Non possum ergo tibi tua peccata donare. Subiectum duo. Refert ad hoc: Cur igitur libertatem, ac veniam ab eo petis, quem putas pro seruitio esse subiectum?* Augustinus libro de Trinitate docet: Sapientiam secundum se genitam esse: Dici verò creatam, vel factam secundum genus suum quo homines illustrat, vel secundum humanitatem, cui vnitur. Et primo modo dicitur Deus Pater fieri, vel factus: vt notat Cyrillus: *Fiat*, inquit, *mihi in Deū protectorem.* Et rursum: *Factus est mihi Dominus in refugium.* Et alibi *Factus est mihi Dominus in salutem.* Nazianzenus libro de Fide docet, Sapientiam condi, vel creari nō secundum se, sed secundum progressum, quem ad creandum facit: quę quidem creatio creata est, ideò addidit: *initium viarum suarum*, & Septuaginta *in opera Dei*. vt potius secundum effectum, quam in se creari intelligatur.

Quod vero vox illa abusiuè sumatur, testantur Patres. Basilius li. 2. aduersus Eunomium, dicens: *Quoniam ex persona Sapientiæ dictum est: Dominus creauit me: licere sibi arbitrati sunt de Domino dicere, quod sit creatura. Ego vero cum multa de voce hac habeam dicere, Primum, quod semel in omnibus Scripturis dicta est: Deinde, quod in volumine, cuius sensus plurimum latet, & per prouerbia, & similitudines, per obscuros sermones, & ænigmata, vt plurimum procedente; vt nihil non ambiguum, nihil clarum ab ipso capi possit.* Hilarius libro de synodis asserit dici de Sapientia quod sit genita, & creata: genita quidem, quia eiusdem cum Patre substantiæ; creata vero, quia sine mutatione à Patre procedit. Hęc sunt eius verba: *Atque ita perfecta natiuitatis intelligentiam, creationis, & generationis attulit sermo; cum alterum sine demutatione, alterum in proprietate naturæ est.* Ambrosius lib. de Fide: *Intelligimus illud, quod de incarnatione Domini scriptum est: Dominus creauit me principium viarum suarum in opera sua, id significare, quod ad redimenda opera Patris, Dominus Iesus ex Virgine sit creatus.* Infrà: *Sicut in Isaia habes; Puer natus est nobis, filius datus est nobis: Ita hic quoque ante præmisit creaturam carnis, & subtexuit assertionem diuinitatis, vt scires non duos Christos, sed vnum esse, qui & ante secula generatus sit ex Patre, & vltimis temporibus creatus ex Virgine.* Et reliqua. Cyrillus vero egregiè libro 9. Thesaurorum. *Nihil possunt verba rebus derogare, quando Scriptura ipsis abutitur.* Et assignat regulam generalem, quod cum dicitur creatus, vel factus Christus, intellige, vel quod ad humanitatem spectat, vel verbum impropriè dictum esse. Et subdit: *Si ergo de hominibus sic loquitur plerumque Scriptura, vt verbis abutatur, neque idcircò rerum natura læditur; necessarium certe est multò magis in diuinis abuti. Non est enim possibile, increatæ naturæ verba sumpta de creaturis propriè accommodare: nec veritas vllo modo læditur, cum res ipsa rectè intelligatur.* Et infrà: *Quando enim Pontifex incarnationis nostræ factus est? quando Apostolus? quando fidelis illi*

Margin notes (left): Ioan. 1. Galat. 3. Ioan. 1. Ambros. li. 3 de Fide, ca. 5. sub initium. tom. 2. Alcuin. lib. 2. de Trin. Prouerb. 8. Basil. to. 1. Ambros. lib. 2 de Spiritu san. ca. 2. sub initi. tom. 2. subfin. Idem c. 6. circa med. eod. tom. Ioan. 20. Idem ibidem. supra 1. Idem c. 7. circa med. Roman. 1. & sæpe alias. Idem c. 4 inter med. & f. Ioan. 8. Deut. 17. & 19. & Matt. 18. Psalm. 2. Aug. lib. 7. de Trin. c. 3. tom. 3.

Margin notes (right): Cyril. libr. 12. Thesaur. cap. 2 a quanto à med. to. 2. Psalm 30. Psalm. 117 Eccles. 15. Nazianzenus. Impropriè & abusiuè creatam dici diuinam Sapientiam secundum Patres. Basil. to. 1. a medio. Eadem genita & creata quomodo secundum Hilarium Hilarius. Ambros. li. 3. de Fide, ca. 4. initio 2. Prouerb. 8 iuxta Septuaginta. Idem ibidem in fine. Infrà 9. Cyril. c. 1. init. tom. 1. Nihil possunt verba rebus derogare, quādo Scriptura ipsis abutitur, ait Magnus Cyril. Idem c. 2. ini. Hebr. 3. Christus quando fidelis factus sit ei qui creauit illum.

qui fecit eum? Tunc videlicet quando pro nobis factus est homo, & , vt Ioannes scribit, quando Verbum caro factum est. Ioan. 1.

Septimvs.

Testimonia quæ conferunt Christum cũ alijs creaturis.

VII. Locus. ¶ Septimo loco proponendæ sunt sententiæ, quæ conferunt cum creaturis Christũ: vt, *Ego primogenitum ponam illum*: *Ego ex ore Altißimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Et Paulus ad Colossenses; *Qui est imago Dei inuisibilis, Primogenitus omnis creaturæ;* Et ad Roman. *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Ad Hebræ. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, &c.* Et Ioannes Apocalypſ. 1. *Et à Iesu Christo qui testis fidelis, primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ.* Sed in his, & similibus locis non dicitur Christus primogenitus creaturæ, quasi eodem modo sit genitus atq; reliquæ creaturæ. Nam cum ante omnem creaturam esse dicatur, manifestè ab earum numero suprema eius natura excluditur. Idcircò ratione Humanitatis primogenitus dicitur, quod omnibus creatis prædilectus sit, & in Diuina prædestinatione præpositus. Vnde Paulus ait: *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ;* ostendens secundum eandem naturam esse primogenitum, qua est in orbem introductus. Cyrillus libro Thesaurorum, superiores Pauli locos sic interpretatur: *Primogenitus igitur in multis fratribus, piè intelligitur, vt diximus: quia factus homo, & frater noster, primus nos in se ipso sanctificauit: Primogenitus autem etiam ex mortuis, quia primus ipse morte calcata surrexit, & primus carnem nostram in cœlos reduxit. Ideò ait: Ego sum via; &, Ego sum ostium.* Infrà: *Primogenitum nonnunquam dicimus eum, qui primò natus est: hoc modo Christus primogenitus Virginis dicitur secundum carnem: non quod alios etiam genuerit, Virgo enim post partum etiam remansit; sed quia primum plerumque, & absolutè, & in se, & non per comparationem ad alia dicitur: ita ergo etiam ex Deo primogenitus est, non vt multorum primus, sed vt solus ex Deo genitus. Ad hæc, quæ prima simpliciter sunt, caussa sunt eorum, quæ secundo loco sunt: Dij ergo filius primogenitus aliorum potest dici, quia ipse primus caussa est, vt Filij appellatio cæteris omnibus accommodetur.* Idem Cyrillus libro 8. Thesaurorum docet; comparationem etiam rectè fieri de diuersis specie; ait enim: *Certè sicut aliæ comparationes accommodatius in eadem versentur specie: sic comparatio melioris de diuersis specie dicitur. Ioseph pulchrior qui fratres sui fuisse dicitur; & stella non dicitur melior quam alia stella, sed excellere in gloria scribitur. Ipse Saluator quando vt homo hominibus comparatur, non dicitur melior, sed Speciosus præ filijs hominum. At verò diuersæ speciei meliores comparationem suscipiunt. Melior enim sapientia dicitur, quàm lapides pretiosi:* (Et simile illud est: *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ:*) *nec vlla communitas naturæ Sapientiæ, cum natura lapidis est.* Et infrà: *Comparatio ergo, quæ melior Angelis dicitur, in administrationibus facta ostendit: quod quanto maior & altior Filij, quam Angelorum administratio inuenitur, tantum super creaturarum naturam Filius exaltatur. Angelis enim sicuti seruis minora committuntur; Filio autem ea, quæ Dominum decent*

Marginal notes: Psalm. 88. Eccl. 24. Coloss. 1. Ibidem. Roman. 8. Hebr. 1. Apocal. 1. Qua ratione dicatur Christus primogenitus omnis creaturæ. Cyril. lib. 10. Thesaur. ca. 4 sub initium, tom. 2. Coloss. 1. Ioan. 14. Supra 10. Idem. Christus primogenitus Virginis cur dicatur. Idem c. 2. inter med. & princ. Comparatio inter ea etiam quæ specie sunt diuersa fieri solet. Gen. 39. 1. Corint. 15 Psalm. 44. Prouerb. 8 Infrà 12. Hebr. 1.

Octavvs.

Testimonia quæ videntur asserere Christum vel sapientia, vel potentia minorem esse.

VIII. Locus. ¶ Prætereà octauò, non adimunt Filio cõsubstantialitatem loci, qui Christum potẽtia, vel Sapientia, vel sanctitate minorem, & inferiorem indicare videntur, vt sunt: *Non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Et, *A me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.* Et, *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Item *Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor.* Et alibi: *Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis.* Sed hęc omnia, & similia de Christo homine dicuntur, vel de Verbo, quatenus à Patre procedit. Hinc Gregor. Nazianz. libr. 4. Theologiæ docet, *Non posse, in Scripturis varia significata complecti: vel non habere pro eo tempore facultatẽ, vt recens catulis videndi; vel ægrè posse: vt, Nõ posse ciuitatem abscondi supra montem positam, quæ tamen maiori alio abscondi posset. vel nõ posset cum decoro, vt, Sponso præsente ieiunare filios Sponsi, vel curare incredulos Christum, vel nolle; vt, Non potest mundus odisse vos, &, Non potestis bona loqui, cum sitis mali? Vel non posse secundum naturæ vires: vt, Quomodò potest homo nasci cum sit senex? Vel non posse absolutè: vt, Deus negare se ipsum non pŏtest. Et, Impoßibile est mentiri Deum. Et de hoc vltimo modo absolutæ impoßibilitatis ait, non posse Filium aliquid facere, quod non Pater faciat: quia communis est vtrique essentia, & virtus est operandi.* Hilarius lib. de Trinit. *Ad operationem Sabbati respondit, non se quicquã facere posse, nisi quod Patrem facientem vidisset. Ad demonstrationem verò æqualitatis, quæcunq; Pater faceret, facere se professus est.* Ambrosius li. de Fide, agẽs in Arrium: *Putat,* inquit, *quod non posit è se quicquã*

Marginal notes: Ioan. 5. Infrà 8. Ioan. 7. Infrà 14. Matth. 20. Greg. Nazian. Non posse, in Scripturis, quot modis accipiatur. Matth. 5. Infrà 9. Marc. 6. Ioan. 7. Matth. 12. Ioan 3. 2. Tim. 2. Hebr. 6. Qui loci in Scripturis impotentiam tribuunt Filio Dei, quomodo accipiendi sint. Hilar. li. 9. de Trin. à medio Ambros. li. 3. de Fide, ca. 3. in fin. to. 2

facere filius, nisi quod Patrem facientem viderit, cùm per vnitatem (vt diximus) eiusdem substantiæ, idem velle atque idem nolle, & idem posse & in Patre sit, & in Filio, & in Spiritu sancto? Cyrillus lib. Thesaurorum in illud: *Non est meum dare vobis: Quoniam,* inquit, *iniustam petitis gratiam, quam me non decet vobis largiri, non est meum dare. Iustus enim sum iudex, & honores singulis quos per gratiam affero, quasi debitos laboribus, virtutibusq; suis distribuo. Ad hæc, inani gloria moti à dextris, & à sinistris meis sedere concupystis: id autem dare, meum non est. Non enim dabo morbum alicui, qui doceo atque hortor, vt à morbo caueatis. Ita ergò id dicitur, quemadmodum si ignis refrigerari petenti ab ipso, diceret, Non est meum dare id tibi; calefaciendi enim, non frigefaciendi mihi natura inest. Sic Christus quoq; dicit: Iustus sum munerum declarator in certaminibus positis, ac ideò non petentibus simpliciter largiri debeo, nec per iniuriam certantium omnium ad duos solùm honores traducere; sed pro rebus ab vnoquoq; gestis, quasi debiti à me honores distribuendi sunt.* Intrà: *Solet enim omnia, quæ naturam hominis excedunt, Patri vt Deo attribuere.* Hæc ille. Quid ergò de nobis dicendum?

Cyril. lib. 10. Thesau. c. 5. paulò à med. to. 2.

Quis sensus eius loci: Sedere ad dexterā meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis.

Egregia similitudo sancti Patris.

Solebat Christus quæcunq; naturam hominis excedūt Patri vt Deo attribuere, teste Cyrillo.

Simili ratione sunt explicandæ sententiæ, quib. Christus inferior in scientia ipso Patre dicitur: Vt, *Dedit autem illo* (iudicij) *vel hora nemo scit, neq; Angeli in cœlo, neque Filius, nisi solus Pater.* Et, *Non est vestrū nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Et de primo quidem loco Irenæus apertè videtur confiteri, Patrem sicut maiorem, ita cognitione superiorem: & Tertul. de Trinit. eum diem Patri solùm asserit notum. Sed dicendum est, verba illa, ad bonum & catholicum sensum esse trahenda vel respuenda: & non solùm Filius nouit diem iudicij, sed etiam anima Christi, licèt nesciuerit ad indicādum Apostolis, vt Patres docēt. Athanas. in disputatione in Arrium habita cum Probo. Et Basil. epist. 141. ad Cæsarieses ait: *Verùm id ita dispensat Christus, propter tuam infirmitatem, ne vel ij qui deliquerūt, per angustiam præscripti temporis adigātur ad desperationem, tanquam nō relicto resipiscentia tempore, vel rursus ij qui in militia Christiana decertant, per temporis prolixitatem, ad deserendam impellantur, si viderint sibi bellum esse cum diutina aduersaria potestate.* Et reliqua. Nazianz lib. 3. de Theologia, circa finem, concedit ignorare Christum vt hominem, vel vt Verbum, quasi à se, cùm hoc habeat à Patre, à quo & esse habeat. Hilar. lib. de Trin. *Si enim omnia per Christum, & in Christo, & ita per ipsum, vt omnia in ipso sint, id quoq; neq; extra eum, neq; non per eum est, quomodo non etiam in scientia eius sit, cùm plerumq;*

Marc. 13. & Matth. 24. Act. 1.

Irenæ. lib. 2. cap. 49. paulò à med.

Tertul.

Quomodo verum, quod solus Pater nouerit iudicij diem.

Athanas. tom. vlt.

Basil. to. vlt. circa finem.

Nazian.

Hilar. li. 9. de Trinit. longè à medio.

scientia ea etiam quæ neque in se, neq; per se sint, per virtutem naturæ non nescia apprehendat. Intrà, quòd ignorare dicatur Christus diem iudicij, quia ea non doceat, probat, cùm subdit: *Si itaque Sacramentum nescit, vt taceat; è contrario necesse est, ideò idem Pater solus ostendatur scire, quia non tacet.* Ambrosius libro de Fide: *Nam quomodo potest nescire partem, qui fecit omnia, cùm minus sit scire quàm facere? Quomodo enim vultis hæc fecisse Dei Filium? Numquid quasi annulum, qui non sentit quod exprimit?* Intrà: *Sed quærimus qua ratione designare momenta noluerit. Si quæramus, non ignorantiæ inueniemus esse, sed sapientiæ. Nobis enim scire non proderat, vt dum certa futuri iudicij momenta nescimus, semper tāquam in excubijs constituti, & in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat.* Paulò post: *Nam si diem designasset expressè, vni ætati hominum, quæ proxima erat iudicio, videretur disciplinam præscripsisse viuendi, superioris temporis aut iustus esset remissior, aut peccator securior.* Infrà: *Mauult enim Dominus nimio in discipulos amore propensus, pendentibus ijs, quæ cognitu inutilia iudicaret, videri ignorare quod nouerat, quàm negare: plusq; amat nostram vtilitatem instruere, quàm suam potētiam demonstrare.* Idem lib. de Spiritu sancto: *Accipe tamen, quia nouit iudicij diem Filius: Lectum est in Zacharia: Et veniet Dominus Deus meus, & omnes Sancti cum eo. In illa die non erit lumen, sed frigus & gelu: Et erit dies vna, & dies illa nota Domino. Hæc igitur dies nota Domino, qui veniet cum Sanctis suis, secundo nos illuminaturus aduentu.* Augustinus libro de Trinitat. ait, dici nescire diem iudicij eo more loquendi, quo cœcam fossam appellamus, non quòd ipsa nō videat, sed quòd occulta sit. *Neque enim (inquit) aliquo genere loquuntur Scriptura, quòd in consuetudine humana non inueniatur, quia vtique hominibus loquuntur.* Cyrillus libro Thesauro. *Quare Filius Dei, qui tempus quoq; fecit, non potest ignorare quousque duraturum sit.* Intrà: *Spiritus enim omnia scit, ipsa etiam profunda Dei, vt scribitur. Quòd si Spiritus sanctus non ignorat, quia à Filio accipit (ille namq;, inquit: De meo accipiet) quomodo Filius ignorabit, qui omnia scientis Spiritus est largitor?* Et paulò antè: *Non oportet igitur propter hanc vocem ignorationem dici Verbo inurere, sed potiùs misericordiam eius admirari, quòd non recusauerit propter nos ad tantam humilitatem descendere, vt omnia nostra, & ipsam etiam ignorantiam humanam susciperet.* Intrà: *Sicut ergò voluit, tanquam homo, fame ac siti, cæterisq; huiusmodi laborare: sic etiam vt homo diem illum ignorat.*

Idem.

Ambros. lib. 5. de Fide, c. 8. sub init. to. 2

Idem ibidem

Idem ibidem.

Idem lib. 2. de Spiritu sancto, cap. 12. prope init. eod. tom.

Zacha. 1. circa finem.

Aug. lib. 1. de Trin. c. 12. init. to. 3. sub init.

Christus vt nesciat diem iudicij secundum August.

Cyril. libr. 9. Thesaur. c. 4. & vlt. sub init. tom. 2.

Idem ibidem.

1. Corint. 2.

Ioan. 16.

Idem ibidem

Idem ibidem circa med.

Item videri possit Filius minor Patre

Ioan.10. Psal.44. Heb 1. Luc.1. Cant 1. Idem Cyril. lib 6. Dial. de Trin. propè init. eod. tom. circa fin. Isai.53. 1.Pet.2. 1.Ioan.3. Isai.11. Idem ibidem. Christi sanctificatio qualis.

in sanctitate & bonitate: quia dicitur à Patre sanctificatus & vnctus: *Vnxit* (inquit Propheta) *te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Sed certè sanctificatio & vnctio non diuinæ, sed humanæ naturæ tribuuntur: diuinitas enim ipsa potiùs sanctitas & vnctio est, quà sanctificata vel vncta. Ideò ergò Verbum dicitur Sanctum substantiuè per Gabrielem; & dicitur *Oleum effusum nomen tuum*, id est, Verbum. Vnde Cyrillus libro Dialog. de Trinitate: *Oportebat factum hominem Spiritum accipere, vt quandoquidem erat, & est nescius peccati, consequenter in ipso libenter inhabitaret Spiritus, & requiesceret, sicut in initio generis, & radice secunda.* Infrà: *Sic & sanctificatus esse dicitur, pertinente ad humanitatem, hoc est, ad hanc carnem, sanctificatione, eo quòd non possit intrinsecus habere hominis natura sanctificationem quandam. Inest enim hoc verè diuina & summa naturæ, cuius quoniam est fructus Verbum, habebit omninò tanquam propriam naturæ, quæ ipsum genuit, sanctificationem.* Hilarius libro de Trinitate: *Consequens & posterior caussa nunquam refertur vt prior sit: quia meruisse aliquid, posterius est, quàm esse qui possit mereri. Mereri enim ius est, qui sibi ipsi meriti acquirendi author existat.* Infrà: *Cùm verò vngitur ex caussa non ad id, quod incremento non eget, spectat vnctionis profectus, sed ad id quod per incrementum Sacramenti profectu eguit vnctionis, id est, vt per vnctionem sanctificatus homo noster Christus existeret.* Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto, in proœmio. *Quasi filius hominis & vnctus, & missus est ad Euangelium prædicandum.*

Hilar. lib. 11. de Trinit. aliquanto à med. Mereri cuius sit, secundùm Hilarium. Christi item vnctio qualis, Hilario. *Idem ibid.* *Ambros. tom. 2. circa finem. Isai.61. & Luc.4.*

Nonvs.

Testimonia quæ videntur facere Filium inferiorem Patre in honore & maiestate.

Nonus locus. *1.Cor.15. Ioan.17. & infrà. Ibidem & sæpè aliàs, & Ioan.12. & 13. Matth.26. & aliàs. Ioan.12. Psalm.109.*

¶ Nono loco, sunt multa Scripturarum testimonia, quæ in honore & maiestate videntur Filium inferiorem Patre facere: vt sunt, *Quòd Filius dicitur subijciendus Patri:* Quòd orat Patrem: Quòd clarificatur à Patre, Quòd adorat Patrem, Quòd respuit in se fidem, quam Patri docet habendam. Primus locus habetur apud Apostolum Paulum 1. Corinth. cap. 15. *Oportet Filium regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Cùm autem subiecta fuerint illi omnia; tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia.* Ex quibus videtur Christi regnum finiendum, & Christum Patri subiectum futurum, ac per hoc in honore illo inferiorem.

Illud Apostoli: Deinde finis, cùm euacuauerit oẽm principatum, &c. quomodo accipiendũ sit.

Sed pro solutione huius nodi perpende, quòd cùm dicitur: *Deinde finis, cùm euacuauerat omnem principatum*, ibi finis, nõ pro consumptione, sed pro consummatione capitur, dicente Hilario libro de Trinitate. *Finis itaque est, indemutata constitutionis mensura perfectio: quæ & beatitudini reseruata, & impietati est præparata.* Deinde aduerte, non esse futuram regni Christi traditionem in manus Patris, quin sibi retineat: quia *Regni eius non erit finis:* &, *Sedes tua Deus in seculum seculi.* Vnde Hilarius eodem loco: *Quòd si Pater tradendo non caruit, ne Filius quidem intelligi potest his egere quæ tradidit.* Et iterum: *Tradet ergò regnum Deo Patri, non vtique tanquam tradens potestatem concedat, sed quòd nos conformes gloriæ corporis sui facti, regnum Dei erimus.* Item Nazianzenus libro Theolog. in negantes regnum Christi duraturum post iudicium, ait: *Verùm accidit hoc tibi ex hoc quod non cognoscis voces has, Vsque, & Donec, non omninò ex aduerso respondere futuro, sed alio vsque tantùm significare.* Et Cyrillus libro Dialog. de Trinitate: *Nam quasi ab alio detineretur regnum Dei, & auellens Filius ab his qui subrepserant, adducit, & tradit Patri, non quòd ipse extra regimen sit, sed quòd cum suo genitore omninò imperet, cuius & virtus est viuens, & in propria hypostasi est.* Sic ille. Subiectus autem erit Christus Patri, quatenus homo est à morte suscitatus, vt ait Hilarius: *Subiectio itaque etiam est, quæ est ex natura in naturam conceptio, dum à se secundùm quod est desinens, et subijcitur, cum concedit in formam. Desinit autem, non vt non sit, sed vt proficiat: fitq; ex demutatione subditus, in speciem susceptı alterius generis transeundo.* Augustinus lib. de Trinita. declarat, quod tradet regnum Patri, non vt Deus, sed vt homo, interpellãdo: & nos viatores regẽdo, nũc regnat: & quòd futurus est subiectus Patri vt homo est. Ambrosius libro de Fide: *Sicut Filius hominis, regnum accepit Dei Filius: vt Filius vtique hominis etiam traditurus est quod accepit, sicut Filius hominis tradit: Ergò & vt Filius hominis subiectionem vtique per conditionem carnis, non per maiestatem diuinitatis agnosceret.* Paulò post: *Tradat igitur Patri regnum suum Filius, non deperit Christo regnum quod tradit, sed proficit. Nos sumus regnum, quia nobis dictum est: Regnum Dei intra vos est. Et sumus regnum Christi antè, posteà Patris, quia scriptum est: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Cùm in via sum, Christi sum: cùm peruenero, Patris sum, sed vbique per Christum, & vbique sub Christo. Bonum est in regno Christo esse, vt Christus nobiscum.* Et infra: *Cùm vnius natura sint Pater; & Filius, & Spiritus sanctus vtique non erit Pater sibi ipse subiectus: & ideò*

Hilar. li. 11. de Trinit. paulò à medio. Qua ratione Christus, teste Apostolo, traditurus sit regnum Deo, & Patri. *Luc.1. Psal.44. Heb 1. Idem ibidem paulò post. Idem post aliquanto. Rom.1 & Philip.3. Nazian. lib.4. Theol. propè initium. Cyril. lib.6. Dial. de Trinit. aliquanto à med. to.2. Hilar. vbi supr. Aug. lib.1. de Trin. c. 10. circa princ. & intra tom.3. sub init. Ambros. lib.5. de Fide, c.6. à med. to.2. circa fin. Idem ibidem.* Quodnam sit Christi regnũ. *Luc.17. Ioan.14. Ibidem. Idem ibidem c.7. à med.*

Christus in cœlo quomodo erit subditus Patri.

non erit in eo subiectus Filius, in quo cum Patre vnum est, ne per vnitatem diuinitatis videatur & Pater Filio esse subiectus. Ergò sicut in illa cruce non diuinitatis plenitudo, sed nostra fragilitas erat subdita, ita etiam postea subditus erit Filius Patri, in nostra vtique participatione naturæ, vt subiectis carnis illecebris, non cupiditas dominetur cordi, non ambitio, non voluptas, sed omnia nobis Deus sit, & omninò quantum capere possumus, ad eius imaginem similitudinemque viuamus.

Cyril. lib. 10. Thesau. c. 8. & 5. de Trin. prope fin. to. 2.
Alter modus subiectionis Christus Patri suo.
Nazian. lib. 4. Theolog. sub init.
Matth. 27. Psal. 21. Ioan 17. & sæpè alias. Sup. 1. & Heb. 5. Idem.
Basil. epist. 141. tom. vlt.
Cur se Christus Patri subiecerit.

Cyrillus libro de Trinitat. intelligit subiectionem Christi ad eius membra iam suscitata, pleneque subiecta. Sic etiam Nazianz. libro Theolog. Christum dicit subijci, sicut & derelinqui, & orare, & exaudiri; velut alienæ fabulæ author, aliena persona sumpta refert, & pro nobis mirabiliter intexit. Et paulò antè: *Quantum ego intelligo, Christum subijci, nihil aliud est, quam paternam explesse voluntatem.* Basilius epist. ad Cæsarienses ait, Christum hominem spontè se subiecisse ob inobedientiam nostram, vt nolle vlli esse subiectum, aboleret. Dicitur porrò: *Vt sit Deus omnia in omnibus.* vel quia non simul Deus & homo naturalis, sed Deus verus Christus apparebit; vel quia omnes omnem perfectionem habebunt in Christo perfectè etiam suscitato; vel quia manentibus omnium hominum naturis omnia implebit.

Quid illud significet: Vt sit Deus omnia in omnibus.
Primus sensus.
Hilar. loco citato circa.

Primus sensus est Hilarij dicentis: *Non alia vtique subiectionis caussa est, quàm vt omnia in omnibus Deus sit, nulla ex parte terreni in eo corporis residente natura, vt intra se duos continens, nunc Deus tantum sit, non abiecto corpore, sed ex subiectione translato, neque per defectionem abolito, sed ex clarificatione mutato, acquirens sibi Deus potius hominem, quàm Deum per hominem amittens.*

Secundus sensus.
Hiero. tom. 3. circa med.
Quæ membra sint Christi, quæ non sint.

Hieronymus epistola ad Amandum, sequitur secundum sensum: *Christus in his* (inquit) *qui fideles sunt, subiectus est Patri, quia omnes credentes, imo omne hominum genus, corporis ipsi membra reputantur. In his autem qui increduli sunt, id est, Iudæis & Ethnicis, & hæreticis, insubiectus esse dicitur, quia pars membrorum eius non est subiecta Fidei. In fine autem mundi cùm omnia membra regnantem viderint Christum, id est, caput suum, etiam ipsa subijcientur Christo, id est, capiti suo, vt omne Christi corpus subijciatur Deo & Patri; vt sit omnia in omnibus.*

Cur dictum: Vt sit Deus & non Pater, omnia in omnibus.

Non est, vt sit Pater omnia in omnibus, sed vt sit Deus: quod proprium nomen est Trinitatis, & tam ad Patrem, quàm ad Filium & Spiritum sanctum referri potest, vt humanitas subijciatur diuinitati. Humanitatem hoc loco dicimus, non mansuetudinem & clementiam, quam Græci φιλανθρωπίαν *vocant, sed omne hominum genus. Porro quod ait, Vt sit omnia in omnibus, hoc sensu accipiendum est. Dominus atque Saluator noster nunc omnia non est in omnibus, sed pars in singulis. Verbi gratia, in Salomone sapientia, in Dauid bonitas, in Iob patientia, in Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in Phinees & Paulo zelus, in Ioanne virginitas, in cæteris cætera. Cùm autem rerum omnium finis aduenerit, tunc omnia in omnibus erit, vt singuli Sanctorum omnes virtutes habeant; vt sit Christus totus in cunctis.*

Græcis φιλανθρωπία quid.

Tertius sensus.
Mar. Vict. lib. 1. de Trin.

Sic ille. Victorinus libro de Trinitate: *Filius autem, hoc est,* Λόγος, *actiua potentia est, & quæ faciat, & quæ viuificet, & sic intelligentialis. Omnia ergò & iuxta generat, & facit secundùm vitam, & regenerat: sed intelligentiam veritatis, & Dei, quam dat Iesus omnibus* Λόγος, *cùm sit omnium, & intellectuum, & vniuersaliter omnium quæ sunt. Si igitur iste generat, & iste regenerat. Omnia iste subiecit. Omnia non solùm homines, sed vt dicit Paulus, omnem potestatem & principatum, & omnem potentiam. Nunquid ista vt homo, an vt* Λόγος*? Etenim ipsum subijcere, non temporis solùm eius, ex quo de materia filius, sed antè & posteà. Si enim diluuium factum est, si Sodoma & Gomorrha incensa, si hæc & alia multa facta sunt, si in præsentia (id est, aduentu) prima triumphat inimicos in semetipso: si in secunda præsentia nouissimus inimicus euacuabitur; Filius* Λόγος *facit ista. Sed potentia paterna facit igitur omnia, spiritus spiritalia (fortè faciet.) Tunc & ipse subijcietur Deo subijcienti ei omnia. Euacuatis enim omnibus requiescet actiua potentia, & erit in ipso Deus, secundùm quod est ei esse, & secundùm quod est quiescere: in alijs autem omnibus spiritaliter secundùm suam & potentiam & substantiam. Et hoc est: Vt sit Deus omnia in omnibus. Non enim omnia in vnoquoque, sed omnia in omnibus manebunt. Igitur omnia, sed Deo existente in omnibus; & ideò omnia erit Deus, quòd omnia erunt Deo plena.* Hæc ille. Vbi Christum Patri subijci ait, quod attinet ad humanitatem, non quòd illo minor, sed quod quia Verbum operatio quædam est Patris, Verbum quod interim per curam reducendi ad subiectionem administratur, ipsi Verbo tribuatur: Regnum verò futurum, in quo citra hanc curam omnia erunt Deo plene subiecta, tribuatur Patri, cum quo tamen Christus regnabit. Et tunc Deus erit cuncta in omnibus, quia omnia erunt Deo plena.

Gen. 7.
Infra 19.
1. Cor. 15.

DECIMVS.

Declarantur testimonia quæ loquuntur de Christi obedientia & subiectione.

Decimus locus. Philip. 2. Ioan. 6.

¶Decimò: Sunt loci de Christi obedientia, *Qui factus est obediens vsq; ad mortem*, &, *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me; non meã contrariam voluntati diuinæ.* Sed respondet Augustinus libro cõtra sermonem Arrianorum: *Neque enim*, inquit, *cùm obedimus Deo, eaq; obedientia dicimur eius facere voluntatem, nolentes id facimus, sed volentes: ac per hoc si volentes id facimus, quomodo voluntatem nostram non facimus: nisi quia illa dicitur voluntas nostra, quando Scriptura ita loquitur, quæ intelligitur esse propria contra volũtatem Dei?* Idem tradit Nazianzenus lib. Theolog. ¶Quod dicitur accepisse mãdatum, & quòd ex his quæ passus sit, obedientiam didicerit, & similia, intellige de humanitate dicta.

August. c. 7. initio, tom. 6. circa fin.

Nazian. lib. 4. Theol. circa fi. Ioan. 10. & 12. Heb. 5.

¶Quod dicitur: *Exinaniuit semetipsum*, (quem locum interpretatur Ambrosius libro de Fide) declarat Apostolus addendo: *formam serui accipiens.* Vt enim Sol cùm nube tegitur, claritas eius comprimitur, non cæcatur: sic Deus, & Dei Filius in illa deitatem non intercepit, sed absčõdit. Et Christus sicut quatenus homo est, Deum orauit dicendo, *Pater clarifica me*, ita etiam in quantum homo adorauit. Nec enim alius quàm homo, clarificari egebat. *Clarifica tu me, Pater, qui propter homines inglorius factus sum.* Hanc clarificationem esse hominis, tradit Cyrillus libro 6. de Trinitat. Hilarius libro 9. de Trinitat. prope medium, ad diuinitatis manifestationem per carnem gloriosam refert hanc Filij clarificationem. Idem tradit libro 3. ante medium. Et Cyrillus libro 10. Thesauro. Doxa enim Græcè, modò gloriam, modò opinionem significat. Infrà: *Posteaquàm hanc opinionem, existimationemq; de se petyt, vt Deus esse manifestaretur, caussam intulit, dicens: Quoniam & ego nomen tuum hominibus manifestaui. Si ergò petyt quod fecit: fecit autem ipse nomen Patris manifestum hominibus, nihil aliud certè petit, quàm vt homo hominibus Deus esse manifestetur, non propter se, sed propter salutem ipsorum. Petyt autem vt homo: & quicquid à Patre vt homo petit. à se ipso quoque vt Deo & Spiritu sancto petit* Hactenus Cyrillus. Vnde patet, Filium Patre non esse minorem, quòd Patrem clarificet: Clarifica, inquit, Filium, vt & Filius tuus clarificet te. Tunc enim Patrem clarificat, cùm eum tantùm esse ostendit, vt Filium sibi æqualem producere possit. Hinc Cyrillus libro Thesauro. *Manifestaui*, ait, *nomen tuum hominibus, quia videlicet verus Pater es, & Filium verum habes.* Vnde S. Ignatius epist. ad Ephes. considerans illa verba: *Sermo quem audistis, non est meus, sed eius, qui me misit.* Et illa de Spiritu sancto: *Non enim loquetur à se. sed quæcunque audierit à me*; de se autem Patri (sic enim legit Ignatius) sic ait: *Ergò vterque eorum ipsum glorificat, à quo & accepit quod faceret, & ipsum prædicat, atque eius verba pronuntiat. Erroris autem Spiritum seipsum prædicat, sua prophetia dicens, sibi placens, etenim est, & seipsum glorificat: acerbus namq; est plenus existens falsiloquio. seductor, lubricus, superbus, arrogans, verbosus, dissonus, immensuratus, nigriformis, timidus, de cuius operationibus liberauit nos Iesus Christus.* Ambrosius libro de Fide: *Petrus quoque cùm AEneam curaret, ait: In nomine Iesu Nazareni surge, & ambula. Non in suo ait, sed in Christi nomine. Surge autem, verbum est imperantis: sed fiducia de merito est, non præsumptio de potestate & de nominis operatione, non de sua virtute præceptionis authoritas. Quid igitur Arriani dicunt? In nomine Christi & Petrus imperat, & illi nolunt imperasse Dei Filium, sed rogasse. Ille (diabolus) dicit: Si Filius Dei es, dic lapidi huic, vt fiat panis. Ille dicit, Impera, vos dicitis, Obsecra. Tolerabiliora sunt tentamenta diaboli, quàm argumenta sint Arrij.* Item cùm Christus dicit: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*, non reijcit à se Fidem, quasi Patri æqualis nõ sit, sed ne in carne sistat, ad diuinitatem eandẽ cum Patre transire iubet. Vnde Ambrosius libro de Fide: *Quid est ergò: Non credit in me? Non in id quod corporaliter cernitis, nõ in hominem tantummodò quem videtis. Non enim in hominem tantummodò credendum asseruit, vt credas quia Iesus Christus ipse est Dei Filius & homo.* Augustinus libro de Trinitat. *Qui in me credit*, inquit, *non in hoc quod videt, credit, sed in eum qui me misit; nisi ita intelligas: Qui in me credit, non in hoc quod videt, credit, ne sit spes nostra in creatura; sed in eo, qui suscepit creaturam, in qua humanis oculis apparet, & sic ad se æqualem Patri contemplandum per fidem corda mundaret.* Tertullianus in Praxeam, dat rationem huius dicti Domini: *Quia per Filium* (ait) *in Patrem creditur; & authoritas credendi Filio, Pater est.* Cyrillus: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Credere enim in Filium, non destituit à Patre, sed in genitorem Patrem per Filium, germanum adoratorem verè deducit.* Rursus idem: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit. Et qui videt me, videt eum qui misit me. Nam cùm fides non sit simpliciter in hominem, sed in Dei naturam, & erat Verbum in carne; propterea non exercet fidem in ipsum, benè declarauit. Quod autem sit in identitate per omnia cum Deo ac Patre propter naturalem effigiem, et iam substantiæ in specie identitatem manifestabat, dicens: Qui videt me, videt eum, qui misit me.*

Ambrof. li. 2. de Fide. c. 4. aliquan. ante med. tom. 2. Philip. 2. Christus vt exinanierit semetipsum formam serui accipiens. Ioan. 12. Infrà 7. Idem qua ratione fuerit clarificatus à Patre. Cyrill. tom. 2. Hilar. Cyril. c. 9 prope init. eod. to. Doxa Græcè quid. Idem ibidem. Ioan. 17. Ibid. Patrem Filius quomodo clarificauerit. Idem Cyril. li. 10. Thesau. c. 6. prope fin. D. Igna. epist. 14. aliquanto ante med.

Ioan. 14. Qualis sit Spiritus erroris, teste Ignatio. Ambrof. li. 3. de Fide, c. 3. prope init. tomo 2. Act. 9. Luc. 4. Tolerabiliora sunt tentamẽta diaboli, quã argumẽta sunt Arrij, inquit Ambrosius. Ioan. 12. Eius loci: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Ambro. lib. 5. de Fide, c. 5. circa med. to. 2. circa finem. Aug. lib. 1. de Trin. c. 12. prope fin. sub init. Tertul. oper. prope dimid. Cyril. lib. 4. Dia o de Trinit. tom. 2 a med. Idem lib. 5. Dialo. inter init. & med. Fides non simpliciter in hominem, sed in Deum est.

VNDECIMVS.

Declarantur testimonia quæ asserunt, Filium à Patre esse missum.

Vndecimus locus. *Isai.48.* *Infrà 61.&* *Luc.4.* *Gal.4.* *Ambros. lib.5. de Fide, c.4. sub init. tom.2 circa fin.* Quod non ideò quia mittitur Filius, & Spiritus sanctus, Patre mittente minores sint. *Tob.9.* *Num.22.* *Cereal. lib. in Maximi. c.7.* *Luc.23.* *Alcuyn. lib.3 de Trin. c.3.* *Galat.4.* *Aug. c.5.10.3.* *Idem c.21. & vit. in fin.* *1. Sent. dist. 25. c. ideoque putauerunt.* *Cyril. lib.12. Thesau. c.15. aliquantò à med. to.2.* *Ioan 6. & aliàs.* *Philip.2* Missio Filij, & & Spiritus sancti duo in se necessario includit. *Matth.3.* *Act.2.* *Aug. li.4. de Trini. c.20. circa med.* *Ioan.1.* *Infrà 16.* *1. Sent. dist. 7. cap. ad hoc dicimus.* *Ioan.9.* *Quid missio Filij & Spiritus sancti in ipsis operetur testè Augustino.* *Aug. lib. 2. de Trin. c.5. in fi.*

¶ Vndecimo loco arguebant ex missione Filij à Patre, vel ab Spiritu sancto, vt dicitur Isai. 48. & 61. & Galat. 4. Vnde Filiũ arguebant minorem. Sed certè id missio non euincit. Vnde Ambrosius libro de Fide: *Nam si minorem putas eum qui mittitur, eo videlicet, à quo mittitur, disce quòd & minor maiorẽ misit, & maiores ad minores missi sunt. Nam & Tobias Raphael Archangelum misit, & Angelus ad Balaam missus est, & Dei Filius ad Iudæos. Nunquid ego minor etiam Iudæis Dei Filius, ad quos mittebatur?* Cerealis libr. in Maximi. *Christus missus est à Pilato ad Herodem.* Alcuynus: *Cùm misit*, inquit, *Deus Filium suum factum ex muliere, satis ostendit eo ipso missum Filium, quo factus est ex muliere.* Vnde & à seipso missus est Filius, ait Augustinus lib. 2. de Trinitate, & lib. 4. *Non ideò minorem Filium, quia missus est à Patre, nec ideò minorem Spiritum sanctum, quia & Pater eum misit & Filius, sufficienter, quantum arbitror, demonstratum est. Siue enim propter visibilem creaturam, siue potius propter principij commendationem, non propter inæqualitatem, vel imparitatem, vel dissimilitudinem substantiæ in Scripturis hæc posita intelliguntur.* Cyrillus: *Missum se Filius dicit à Patre, aut secundùm incarnationis modum, quia seipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & factus est obediens vsque ad mortem, aut quia sicut ex Sole lux emittitur, vel ex igni calor, sic inseparabiliter ex Patre emanat.* Sic ille, docens mitti personam Filij secundùm diuinitatem ob originẽ à Patre: quod quidem non sufficit, nisi addatur quòd in subiecta creatura aliquid fiat, vnde persona innotescat, vt humanitas in Verbi missione, & columba, & ignis in missione Spiritus sancti. Ideò Augustinus rectè inquit: *Non ergo eo ipso quod de Patre natus est, missus dicitur Filius, sed vel eo quod apparuit huic mundo Verbum caro factum. Vnde dicit: Exiui à Patre, & veni in hunc mundum: vel eo quod ex tempore cuiusque mente percipitur, sicut dictum est: Mitte illam vt mecum sit, & mecum laboret.* Hæc ille. *Id verò quod in Verbi vel Spiritus sancti missione fit, vel spirituale est, & internum donum, quod animæ, ad quam fit missio, infunditur, præsertim charitas, sapientia, vel aliud: vel est quid externum, vt humanitas, columba, ignis, vel aliud simile, quod ad externa capienda mentem mouere possit.* Hinc Augustinus libr. de Trinitat. de Spiritus sancti in specie columbæ visione in Christi baptismate, eiusq; in forma ignis ad Apostolos missione loquens: *Hæc, inquit, operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus, missio Spiritus sancti dicta est: non ita vt appareret eius substantia, qua & ipse inuisibilis & incommutabilis est, sicut Pater & Filius, sed vt exterioribus visis hominum corda commota, à temporali manifestatione venientis, ad occultã æternitatem semper præsentis conuerterentur.* Hæc ille. Si ergò vt vna persona mittatur ab alia, opꝰ est ab ea oriri; ideò Pater à nullo legitur missus in Scripturis, ait Augustinus libro 2. de Trinitate. Et libro 4. ait, quòd Spiritus sanctus nullam personam mittit, licèt Christum Dominum miserit, iuxta illud: *Nunc misit me Dominus, & Spiritus eius.*

Pater in Scripturis cur nusquam legitur missus. *Idem ibidem. c.12. in fin.* *Idem c.20. & 21.* *Isa.48.*

DVODECIMVS.

Testimonia Patrum quæ videntur fauere Arrianis, explicantur.

Duodecimus locus à testimonijs Patrũ. *Clem. Rom.* *1. Cor. 11.* *Tertul.*

¶ Postremò allegantur quędam Patrum testimonia, quæ benignè sunt accipienda & interpretanda. Clemens libro 6. Recognit. *Vnigeniti verò omnipotens Deus caput est.* Intellige Christi, quatenus homo est, vt Paulus dixit: Caput Christi, Deus; vel in Deitate ob originem, nisi velis libros illos vt apocryphos reijcere. Tertullianus libro in Praxean, sub initium: *Quale est vt Deus diuisionem & dispersionem pati videatur in Filio, & in Spiritu sancto, secundum & tertium sortitis locum, tam consortibus substantiæ Patris, quas nõ patitur in tot Angelorum numero, & quidem tam alienorum à substantia Patris? Membra, & pignora, & instrumenta, & ipsam vim, ac totum censum monarchiæ euersionem deputas eius: non rectè. Malo te ad sensum rei, quàm ad sonum vocabuli exerceas. Euersio enim monarchiæ illa est tibi intelligenda, cùm alia dominatio suæ dominationis, & proprij status, ac per hoc æmula superducitur; cùm alius Deus infertur aduersus Creatorem.* Hæc ille, *dicens Filium, & Spiritũ sanctum sortiri secundum & tertium locum, eius esse membra, pignora, instrumenta.* Infrà: *Sermo autem Spiritu structus est, & vt ita dixerim, sermonis corpus est Spiritus.* Sic ille, vocãs sermonem creaturam, vel saltem compositam. Sed dicendũ cum Hieronymo, Tertullianum virum Ecclesiæ non fuisse. Et vt Hilarius in Matthæum, consequens error hominis, detraxit scriptis probabilibus authoritatem. Et cùm in Praxean scripserat, iam declinauerat in errorem Mõtani. Vnde ipse in eo libro ait: *Nos verò & semper, & nunc magis vt instructiores per Paracletum, deductorem scilicet omnis veritatis, vnicum quidem Deum credimus; sub hac tamen dispensatione, quam οἰκονομίαν dicimus, vt vnici Dei sit & Filius*

Tertullianus homo Ecclesiæ non fuit, & Montanum secutus est, teste Hierony. *Hieron. lib. aduer. Heluid. to. 2. init.* *Hilar. can. 5. in Matth. init.* *Tertull.* *Ioan.16.*

sermo

Lactant. c. 14 in fin.
In multis erravit Lactantius.

sermo ipsius. Lactantius lib. 4. diuinar institutio. *Ille verò* (scilicet Christus) *exhibuit Deo fidem: docuit enim quòd vnus Deus sit, eumq́; solum coli oportere: nec vnquam se ipse Deum dixit: quia non seruasset fidem, si missus vt deos tolleret, & vnum assereret, induceret alium, praeter vnum.* Sed teste Hieronymo, in multis lapsus est Lactantius: quia omnibus penè verbis, factis & passione se verum Dei Filium, & Patri aequalem probauit. Posset etiam dici, Christum ipsum non ita clarè & expertè se Deum esse protulisse, vt proterui Iudaei exegissent; idque consultè, quia tenebrosi Iudaeorum animi tantam lucem ferre non potuissent: vt etiam notat Cyrillus. Eusebius lib. 11. de praeparatione Euangelica haec ex Philone refert: *Decet omnes, qui scientiam quaerunt, ad Deum Patrem mentem erigere. Si verò nequeunt, ad imaginem saltem eius, scilicet Verbum sacratissimum.* Et lib. 4 de demonstratione Euangelica Patrem Filio priorem & superiorem vocat. Et inferius docet Filium Dei consilio praefectum Angelis, & bonis animabus, sicut Angeli hominibus reliquis. Sed ille planè fuit antesignanus factionis Arrianae, vt ait Hieronymus: ideò illa labe oēs libros suos respersit, praesertim quartum & quintum libros de Demonstratione Euāgelica. Vt in eum meritò Athanasius scripserit libros vndecim, seu secundùm alios, septem de Trinitate. Solent quoque alij Doctores abusiuè loqui, factum vocando Filium, quòd genitus sit. De quo Clemens libro 6. Stromatum: *Quòd autem Deum norunt, non per agnitionem, sed per qualemcunque eius manifestationem, Graecorum praestantissimi, dicit Petrus in praedicatione. Cognoscite ergò vnum esse Deum, qui fecit omnium principium, & finis habet potestatem: & qui non cadit sub aspectum: qui omnia videt, qui cùm capi non possit, omnia capit, nulli indigens, cuius indigent omnia & per quem sunt omnia, qui comprehendi non potest, aeternus, ab interitu alienus, non factus. Qui omnia fecit Verbo virtutis suae Scripturae, inquam, cognoscentis, hoc est, Filij. Vides hic asserentem, quòd Deus fecerit omnium principium, id est, Filium.* Et infrà declarans, ait: *Quoniam autem vnum est ingenitum, nempe Deus omnipotens, vnum est etiam progenitum, per quod omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Vnus enim est reuerà Deus, qui fecit principium vniuersorum, significans primogenitum Filium, vt scribit Petrus praeclarè intelligens illud: In principio fecit Deus caelum & terram.* Haec ille. Vbi declarat, factus sumi pro genitus. Basilius etiam epistola ad Maximum Philosophum ait, interdum Patres scribentes in Sabellium, declinasse verbo tenus ad dogma Arrianum, vt correctores curuatura nouellae plantae. Et ad Neocaesarienses reprehendentes quosdam, qui verba Gregorij Neocaesariensis trahebant ad errorem Sabellij, respondet, Catholicos interdum ob disputationem declinasse adulterum extremum, vel quia attemperabant se moribus eorum, quibuscum disputabant, in his de quibus non erat praecipua controuersia. Et his paucis putamus nos ostium aperuisse ad reliqua Arrianorum argumenta refellēda & diluenda, & ad Catholicum dogma Filij Dei cum Patre Homusij, & consubstantialis tuendum & propugnandum. Cui cum Patre & Spiritu sancto aeternae victori laudes, honores, & gratiarum actiones ab omni creatura ratione praedita rependantur aeternis seculis, Amen.

Hieronym.
Christus omnibus penè verbis, factis, & passione se verum Dei Filium, & Patri aequalem ostendit.
Cyril. lib. 4. de Trin. prope fin. tom. 2.
Eusebi. c. 10. prope init. tom. 1.
Philo.
Idem cap. 1.
Idem cap. 6.
Euseb. Caesar. Episcop. Arrianae quondā signifer factionis, teste Hieron.
Hieron in Apolog. aduer. Ruffin sub init. tom. 2.
Athanas. tom. vlt.
Clem. Alex. tom. 2.
Act. 2.
Dei perfectiones.
Psalm. 15.
Hebr. 1.
Ioan. 1.
Gen. 1.
Basil. epist. 41 in tom. vlt.
Idem epist. 64.

TRACTATVS X.

In quo nouae Sectariorum opiniones de Sacrosancto Triadis mysterio, & percensentur fideliter, & breuiter, ac perspicue refelluntur.

QVONIAM Infelicissimum hoc seculum opera Sathanae inturbantis omnia, in excogitandis, & in lucem proferendis nouis contra fidem erroribus ingeniosissimum & foecundissimum extitit, vt totus Septentrio in varias sectas, & diuersas synagogas dissipatus, locupletissimus testis esse potest; par etiam fuit, vt summis quidem & principalibus Fidei articulis, quibus pura fide, & summa veneratione altissimum, & incomprehensum Trinitatis arcanum complectimur, minimè parceretur. Audaces igitur quidam, & giganteo ausu pugnam in Deum renouantes inuenti sunt, qui in tantum de integro insurgere mysterium non vererentur, profitentes infinitam Dei naturam, & omnem captum humanum longè antecellentem, eiusque hypostases & intimas operationes se solos suis cogitationibus & rationibus penetrasse, ac proinde ore sacrilego de illis quae minimè nouerunt, temerè pronuntiarunt, quo Ecclesia Dei ferè post sexdecim secula deceptae, & laboranti, vt docent, sua opera concurrerent, atq; adeò suis quas iactant doctrinae opibus Ecclesiam Dei locupletarent, atque confirmarent. Sed in eo veterum haereticorum filios ac discipulos se ostentant, quòd nihil nouum, nihil singulare, nihil denique à paren-

Quonam erupit nostri seculi haereticorū audacia & impudentia in edisserendo Triadis sanctae mysterio.
Infelicis eorū conatus exitus infelicissimus.

parentibus & magiſtris ſuis diuerſum inuenire potuerunt, ſed tantùm antiquarum hæreſum iam extinctarum, & æterna obliuione ſepultarum excitatores eſſe potuerunt. In Arrianiſmum ſiquidem, vel in Sabellianiſmum omnes eorum cogitationes reciderunt, Domino mirabiliter eos præcipitante, & eorum linguas diuidente, vt contraria dogmata, & ſibi inuicem pugnãtia traderent, quò magis & à Sathanæ ſpiritu profecta agnoſci poſſent, & minus laboris Eccleſiæ Catholicæ in reſpondendo, & illorũ commentis refutandis exhiberetur. Dicamus igitur cum Dauide, *Præcipita Domine, diuide linguas eorum* (qui turrem Babylonicam iterum conſtruere nituntur) *quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.* Iniqua enim vita, & vitiorũ ſordibus maculata, mater eſt cunctarum hæreſum, & cauſa ſingularis a Fide Catholica naufragandi. At verò illorum inter ſe contradictio, ſuperbiam cuiuſque detegit, ac prodit, repugnantis Eccleſiæ Dei Sponſæ iudicio ſe ſubdere, nedum alterius intellectui cedere. Ipſi igitur pugnantes, hoſtileſque inter ſe manus conſerentes, ſeipſos cõfecerũt, atq; arma Eccleſiæ Catholicæ ſuppeditarunt, quibus de omnibus illorum figmentis & erroribus illuſtrem & glorioſum ageret triumphum. Dixit enim elegãter vnus ex noſtris, acerrimus Arrianorũ inſectator: *Diuiſio hæreticorum, victoria eſt Eccleſiæ.*

Pſal.54. *Gen.11.*

Cunctarum hæreſum mater quænam.

1. Tim. 2.

Diuiſio hæreticorum ait Hilarius, victoria eſt Eccleſiæ. *Lib.7. de Trinit.*

Vt igitur nouorum dogmatum capita enarremus, ſciendum eſt, quoſdam hodie dictos Τριθεΐτας, Latinè Trideitas, ſiue Trinitarios, nouos Philoponianos, ſiue nouos Arianos, qui reuera in ſacra Triade tres Deos, ſubſtantia, ſiue eſſentia diuerſos conſtituerunt.

Hæreſes circa Trinitatis myſterium excitatæ.

Prǽter hos verò ſunt noui Sabelliani, qui ſicut vnicam admittunt ſubſtantiam, ita vnam tantùm hypoſtaſim, ſiue perſonam agnoſcunt, etſi virtutes, ſiue facultates tres in Deo ponere ſe aſſerãt, perinde atq; tres facultates in anima rationali. Tertio loco nati ſunt Αὐτόθεοι, qui ea omnia quæ de Patre ſolo affirmamus, nempe illum eſſe ingenitum, innaſcibilem, & deitatẽ à ſe, hoc eſt, nõ ab alio habere; ita Filium à ſe eſſe, & non à Patre, & Spiritum ſanctum à ſe, nõ à Patre & Filio diuinitatis eſſentiã accepiſſe.

Ab his verò hæreticis aſſertionib. quædam aliæ neceſſaria conſequentia inferuntur, quæ eiuſdem ſunt notæ & criminis, atque illǽ priores à quibus oriuntur: vt quòd tres ſunt Dij: diuerſas eſſe potentias Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Patrem non eſſe principium diuinitatis, & pleraque alia his ſimilia: quę omnia nihil prorſus ſunt aliud quàm veterum hęreticorum figmenta, deliria, & ſomnia iamdiu exibilata, & de Eccleſia profligata, & tanquam cadauera extincta, æternæ morti adiudicata: quæ velle longiori ſermone confutare, eſſet omninò actum agere. (Decertauit enim inter alios contra iſta noua monſtra acutè & neruosè Genebra. Pariſ.) Nihil autem dicere in illa, non eſſet aut ſatis tutum, aut fidelis verbi Dei miniſtri. Sed inter hæc duo extrema eligemus temperatum quendam & moderatum impugnandi modũ, quo breuiter conferendo cum illis manus, & cadat hæretica falſitas, & Catholica veritas conſtabiliatur.

deitarũ, Sa... lianorum, Autotheatum errore de ſancta ...nitate, ...s alios ne...arios ſacũ ...oluant.

Geneb. Pariſien. recens noſtri ſeculi ſcriptor illuſtris.

Refelluntur Arriani.

¶ Primus autem Tritheitarum author Arrius fuit, qui tres omninò diſtinctas eſſentias poſuit: maiorem quidem Patri dedit, Filio autem aliã illa Patris minorem, Spiritui ſancto tertiam, vtraque iam dicta inferiorem, vt ita gradus eſſent in diuina natura, & tolleretur vnitas eſſentiæ communis omnibus tribus perſonis. Aetius autem, & eius diſcipulus Eunomius, tres perſonas conſtituerunt, ſed omninò diſſimiles: quia nullo genere ſimilis poteſt eſſe factura factori: ſicut Arriani poſuerunt ſimiles largitate gratiæ, non proprietate naturæ: Macedonius verò Patrem & Filium omninò ſimiles conſtituit, at Spiritum ſanctum omninò diſſimilem, vt docet Ruffinus lib. 10. hiſt. Eccleſ. cap. 25.

Trideitas excitauit Arrius.

Aliter] Aetius & Eunomius, aliter Macedonius, vtriq; tamen impie, de hoc myſterio ſenſere.

Ruffinus.

Nec euadunt noui Trinitarij, ſe longè aliter atq; ſenſit Arrius, ſentire affirmantes. Dicunt enim ſe tres numero eſſentias conſtituere, ſed æquales, & per omnia pares in tribus perſonis: nam etiam ſi ſic aſſerant, non proptereà tamen euadunt Arrianiſmum, quicunque enim quouis modo eſſentiam multiplicat, ſiue parem, ſiue imparem illam faciat, plures Deo conſtituit, & ab vnius Dei profeſſione recedit. Secutus eſt hunc errorem Philoponus Philoſophus, de quo Suidas in verbo Ioannes ait: *Ioannes Grammaticus Alexandrinus cognomento Philoponus, plura ſcripſit Grammatica, Philoſophica, Arithmetica, Rhetorica: Sacras quoque literas tractauit. Scripſit & contra 18. Procli argumenta, & contra Seuerum: ſed tamen ab Eccleſiæ Doctoribus, vt Tritheites, id eſt, qui tres eſſe Deos aſſerat, reijcitur, & in Orthodoxorum catalogum non admittitur.* Sic ille. Ad hæc Nicephorus Caliſt. lib. Eccleſiaſt. hiſtor. *Natura qualibet non ſimpliciter id quod eſt, dicitur, ſed dupliciter. Vno enim modo, cùm communem cuiuslibet naturæ rationem ipſam per ſe*

Omnino Trinitarios ruere in Arrianam perfidiam.

Philoponus Arriani dogmatis aſſertor.

Suidas.

Niceph. Caliſt. lib. 18. hiſt. Eccleſ. c. 47. circa med.

Nicephori profeſſio Fidei de ſancta Trinit.

ipſam contemplamur veluti hominis aut equi naturam, in nullo indiuiduorum extantem. Alio verò modo, cùm eam ipſam communem naturam in indiuiduis exiſtentem & particularem, maximè in quolibet earum ſubſiſtentiam recipientem, neque cuipiam alij, præterquam illi ipſi ſoli de cætero conuenientem conſideramus. Quod namq; in me eſt animal rationale & mortale, nulli reliquorum hominum commune eſt. Neque quæ in hoc ipſo animante eſt natura, in alio quopiam fuerit. Quòd verò has ipſas notiones de naturis & ſubſiſtentijs Eccleſiæ doctrina habeat, ex eo conſtat, quòd naturam quidem Patris, & Filij, & Spiritus ſancti profitemur, tres autem horũ ſubſiſtentias, ſiue perſonas prædicamus, per quas quælibet proprietate quadam à reliquis diſcernitur. Quænam enim ſit natura vna diuinitatis, quàm communis diuinæ naturæ ratio, ipſa per ſeipſam conſiderata, & nuda contemplatione à proprietate cuiuſque diſcreta? Et quòd propria, & peculiariter rurſum naturæ nomen cõſideremus, dum rationem naturæ in quolibet indiuiduorum, ſiue ſubſiſtentiarum communem, propriam atque peculiarem cuiuslibet factam, quæ nulli deinceps alij, quòd ſub communem ſpeciem cadat, coaptari poſſit, contemplamur, ex eo patet, quòd in duabus Chriſti naturis vnionem, Diuinitatis inquam & humanitatis, docemus. Non enim communem, quam in ſancta Trinitate conſideramus diuinitatem, incarnatam eſſe dicimus; ſic enim & Patris & Spiritus ſancti incarnationem prædicauerimus: ſed neque communem humanæ naturæ rationem vnitã eſſe Deo Verbo opinamur. Eo namque pacto, & qui ante Verbi aduentum extiterunt, & qui poſteà futuri erant, hominibus omnibus vnitum eſſe Dei Verbum, rectè diceretur. Itaque etiam vnam naturam Dei Verbi incarnatam eſſe profitemur, diſertè eam à Patre & Spiritu ſancto ſecernentes. Hęc ille, ſecutus principia Philoſophiæ, cui plus temporis impenderat, quàm Theologiæ.

Nicephorus quod dogma Philoſophiæ ſecutus in myſterio Trinitatis.

Philoſophi namque, quę vnum ſunt eſſentia, in tria genera partiuntur, quæ vnum cenſeri dicũt, ſcilicet genere, vel ſpecie, vel numero: iam quæ vnum ſunt non tantùm hypoſtaſi & ſubiecto, ſed etiam eſſentia & re: contrà verò quæ numero diſtinguuntur, illa non tantùm hypoſtaſibus & ſubiectis, ſed etiam re & eſſentia diſtingui aſſerũt. Quæ præcepta ſi ſequamur, dicendum, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum vnum Deum eſſe, non numero, quòd eorum diſtinctæ ſint hypoſtaſes, ſed ſpecie, & communi illa natura. Sed hæc in Eccleſiæ ſchola, nõ omnia quæ re ipſa differunt, diſtinguuntur eſſentia. In ſubſtantijs ſiquidem procreatis diſtinctio realis nihil differt ab eſſentiali; at in diuinis ſecus eſt. Nam pater, filius, nepos, in humanis, & re ipſa, & eſſentia diſtinguuntur: ſed in diuinis, vbi natura non ſecatur, nec ſcinditur, ſed tota integra quæ eſt in Patre, communicatur Filio & Spiritui ſancto, ibi non quicquid re ipſa, etiam eſſentia diſtinguitur. Idcircò Nicephorus ſuperiora Philoponi dogmata corrigens, ait: *Sed Philoponus cum ſectatoribus ſuis, communem humanam naturam, ipſamq; etiam diuinam, quam indiuiſibilem dicimus, in plurimas partitur perſonas, diſcernens eam, & ſingulatim in diuiduis tribuens, & tribus superſubſtantialis naturæ ſubſiſtentijs diſpertiens. Id verò ipſum à rectè ſentientibus prorſus eſt alienum.* Hæc ille. In quem producit Gregorium Nazianzenum, & alios Doctores, qui Philoponi ſententiam refellebant.

Niceph. vbi ſup c. ſeq. id eſt 4º. in prin.
Philoponi de trina Dei ſubſtantia falſa dogmata confutantur.

Similis per omnia extitit error Abbatis Ioachim, dicentis Perſonas tres eſſe vnum per quandam collectionem: vt multi fideles faciunt vnam Eccleſiam propter vnam fidem, & plures ciues vnam ciuitatem, & plures ciuitates vnum regnum. Quod omninò falſum eſt: quia Pater generando, non contulit Filio partem eſſentiæ, ſed totam, vtpotè ndiu.ſam; & vterque ſpirando, eandem numero, & inſecabilem naturam Spiritui ſancto tradiderunt.

Abbas Ioachim quaternionem in eſſentia diuina conſtituit.

Similia impius inter Arabas Auerroes in 12. Metaphyſicæ, ſcribens, dixit: *Putauerunt*, inquit, *antiqui* (id eſt, Chriſtiani) *Trinitatem eſſe in Deo in ſubſtantia. & voluerunt euadere per hoc, & dicere, quia fuit trinus & vnus Deus, & neſciuerunt euadere: quia cùm ſubſtantia fuerit numerata, congregatum erit vnum per vnam intentionem (id eſt ſpeciſice) additam congregato.*

Auer. comm. 39 in 12. Metaphyſ. ſub init.

Hinc quæritur impuriſſimus Mahometus in ſuo Al.orano Azoara 12. 54. & 106. & nos clamitat impios, quod contra omnem & Scripturam, & Philoſophiam, & rationem, ternionem Deorum introducamus. Saltem putabat id ex eo ſequi, quòd tres per ſe ſubſiſtentes credimus, quorum quilibet ſit Deus. Hinc etiam Lucianus Atheos in Dialogo, qui Philopatris inſcribitur, contra nos iocatur, dicens: *Cùm enim quendam Triephonem dicentem Critias feciſſet, Deum iura, altè regnantem, magnum, æthereum Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, vnum ex tribus, tria ex vno, Critiam inducit reſpondentem: Non intelligo quid dicas, Tria vnum, & Vnum tria. Num quaternionem dicis Pythagoricum illum? an Octernionem? an numerum ex triginta conſtantem?* Hæc ille, noſtra deridens.

Lucianus Atheos hominũ mordaciſſimus, Triadis ſanctæ Myſterium ridet ridiculus ipſe.

Steph nus Pariſienſis Epiſcopus damnauit falſam propoſitionem quorũdam qui dicebant, Trinitatem nõ cohærere cum ſumma ſimpli citate, quòd vbi exiſteret pluralitas realis, ibi reperiretur additio & compoſitio, vt in

Steph. Pariſ. Epiſcop.
In eos qui Trinitatem negãt cum ſumma poſſe ſimplicitate conſiſtere.

acervo

aceruo lapidum. Sed illi non viderunt, nos ſimplicitatem Deo tribuere, non comparatione hypoſtaſeon, ſed ratione diuinæ eſſentiæ, quæ vbicunque eſt, ſimpliciſſima eſt, & nihil habet addititiũ, non partẽ, non accidens, non aliud quodcunque.

Peratæ, portentoſarum opinionum homines. *B. Theodor. part. 2. à medio.*

Ad hæc, extiterũt Peratæ hęretici, portentoſarum opinionum homines, de quib. Theodor. lib. 1. Græcarum fabularum teſtatur, quòd mũdum in tres partes diſpertirent, & primam vocarunt increatam, & Triadem, quam & nominarunt tres Deos, tres Rationes, tres Intelligentias, ſiue mentes, tres homines (erant enim antropomorphitæ) Alteram αὐτογενῆ, infinitarumq; poteſtatum plenitudinem: Tertiam hanc ipſam, in qua verſamur ſedem, quam & ἰδικὴν appellabant, id eſt, ſpecialem. Aſcende etiã ad Platonicos & Pythagoricos, qui tres intellectus conſtituerunt, ſupremum, mediumque & tertium. Primum, maximè vnum & ſimplicem; proindeque ideis (quippe quæ multæ & variæ eſſent) vacuum: ſecundum, idearum receptatorem, aliquantiſper à primi ſimplicitate diſcedẽtem: tertium, animam mundi, ſpiritui ſuo omnia peruadentem, omnia continentem. Vltra has autem intelligentias diuinam ſubſtantiam non progredi, vt docet Porphyrius. Et hæc hactenus tolerari poſſunt. Sed quia addiderũt, tres hos intellectus eſſe tres principales eſſentias, aut tres Deos, vt Plotinus, qui lib. de Tribus principalibus ſubſtantijs differit, & Chalcidius, Timęi Platonici Paraphraſtes proſequitur, ad eundem infelicem Philoſophiæ ſcopulum, vt Philoponus, impegerũt. Ita enim ſcribit Chalcidius in Timæum: *Originem quidem rerum, ex qua cæteris omnibus, quæ ſunt ſubſtãtia eius miniſtratur eſſe ſummum & ineffabilem Deum, poſt quem prouidentiam eius ſecundum Deum latorem vtriuſque vitæ, tàm æternæ quàm temporariæ: tertiã porrò eſſe ſubſtantiam, quæ tertia Mens, Intellectusq; dicitur, quaſi quædam cuſtos legis æternæ.* Et infrà: *Ergo ſummus Deus iubet, ſecũdus ordinat, tertius intimat.* Adde Cyrillum lib. 8. in Iulianum circa mediũ, vbi dicit, Porphyrium lib. 4. Hiſto. Philoſophicæ primum, & ſecundum, & tertium Conditorem poſuiſſe, recitata ipſius oratione: & primum commemorãs Numeniũ, allatis ipſius verbis, introducit primum Deum, & ſecũdum Deum, & tertium Deum: Deinde cõcludit eius dictum ferri potuiſſe, niſi Deum ſecũdum, & tertiũ nominaſſet. Et adducto Plotino: *Mentem eſſe dicit Deum Verbum, ſicut nos, quoniam & nos ipſi Sapientiã illud nominamus, verum non inferius, neq; ſecundum in vllo excellentia, & gloria Patris, neque quaſi non habeat per ſe perfectionem, perfici ipſum dicimus intuitu in Patrem, ſicut ſcilicet iſtis videtur, quod opus habeat primo authore mentis, & ipſum contempletur, vt diſcat. Conformiter autem vult & animã, quæ à primo tertia dicitur indigere mentis contemplatione & participatione, quam (mentem) & ſecundam cauſam nominant, vt & illi (animæ) profit. Verùm illi quidem ſic opinantur, & ad inæqualitatem naturarũ, ea quæ apud ipſos ſunt admirabilia, reſoluunt frigidis & puerilibus gloriantes cogitationibus. Nos autem perfectum eſſe dicimus Patrem & Filium, tãquam perfectum ex perfecto, ad hoc & Spiritum ſanctum. Diuina enim & ineffabilis natura nullo indiget, quod ipſi accedat, ſed perfectione diues eſt, idq; ex ſe ipſa in omni dignitate, quæ Diuinæ naturæ & ſoli conuenit.* Et alio eiuſdem lib. 8. loco ait, ſe nihil in Platonicis libris deſideraſſe, quàm vt conſubſtantialitatis rationem tribus hypoſtaſibus accommodent, neque ſubſtantiarum diuerſitate eas dirimant: nam ſola conſubſtantialitatis ratio nos Catholicos à Philoponianis & veteribus Trideitis ſeparat. Audi eius verba: *Tres (inquit) principales ſubſiſtentias etiam ipſi* (Platonici) *poſuerunt, & vſque ad tres ſubſiſtentias eſſentiam Dei attingere affirmarunt. Interdum etiam Trinitatis nomen ponentes, cum Chriſtianorum ſententia conueniunt. In his certè nihil deſideramus, ſi conſubſtantialitatis rationem tribus ſubſiſtentijs accommodare vellent, vt & vna intelligatur Deitatis natura, triplicitatem non habens in naturali diuerſitate, & ſubſiſtentiæ inter ſe non videantur minores: nam primum authorem ſummum conſtituunt, ſtantem, immobilem, beneficum per omnia, & illum eſſe dicunt bonum: ex ipſo autem factum eſſe Mentem, quæ intuitu in ipſam perficitur: quam & ſecundum nominant Deum, & præſidentem mundo opificem: & illam ſubſtituunt, ac in ſecundo ordine poſt primum ſupputãt. Præterea & tertiam narrant mundi animam, ex ſe, vt perfectè habeat, ſortitam minimè, ſed habitudine ad proximam mentem, diuiniorem, & ad viuificandi potentiam robuſtiorem effectam.* Hæc ille. Fuit ergò Trideita Plato, vt Cyrillus libr. 1. in Iulianum probat: nam citans Porphyrium, hæc ſcripſiſſe Platonem, in fine refert: *Circa Regem omnia ſunt, & illius gratia omnia, & illud cauſa omnium pulchrorum: ſecundum autem circa ſecunda, & tertium circa tertia. Nam cùm omnia quaſi exiſtant circa tres Deos, attamen primò quidem circa omnium Regem, ſecundò autem circa Deum ab illo, & tertiò circa eum ab iſto.* De quibus verbis Porphyrij ſubiungit Cyrillus: *Videtur igitur non proiſus ſanè, ſed ſicut Arriani, ſeparat & ſubſtituit, ſubſiſtentiaſq; ſubiectas ipſis infert, & tres opinatur eſſe Deos diſtinctè, ſanctamq; & conſubſtantialem Trinitatem.* Hæc ille, docens ad quæ-

Platonici, vt & eorum magiſter Plato, Tridei fuiſſe comprobantur.

Porphy. lib. 4. hiſt. Philoſo. à Cyril. cit. 1. lib. 8. contra Iulianum circa med.

Plotin.

Chalcidius.

B. Cyril. to. 3.

Numenij ſententia de Trin.

Magni Cyrilli de Numedij dogmate iudicium.

Pſalm. 15.

Idem Cyril.

Quid deſiderarit in Platonicis libris Cyrillus.

Quid commune cum Chriſtiani. Platonici habeant in hoc myſterio.

Cyril. idem ibid. init.

Porphyr.

Plato epiſt. 2. penio à med. ſub fin. operis.

Cyril. lib. 8. contra Iulian. circa med.

quædam, quæ fides tradit illos peruenisse. Deum enim solitarium esse noluerunt: adiunxerunt enim mentem & ideam, deinde animam, siue Spiritum, cùm diuinam substantiam vsq; ad tria progredi docuerunt, & tria illa realiter distinxerunt, & actu distinctè seorsum constare decreuerunt: sed ad rationem vnius numero & eiusdem essentiæ peruenire non potuerunt. Hactenus ex Philosophis Platonicis, vt agnoscas Platonem tredeitam fuisse, & eius sectatores & discipulos, imò etiam Originem, vt illi impingit Epiphanius, & ex huiusmodi fontibus hausisse Philoponum: & re vera ratio humana eò vsque progredi non poterat, vt agnosceret vnam naturam numero esse tribus cõmunicabilem, & actu communicatam: quia hoc solum lumen Fidei desuper infusum docere potuit. Ideò mirum esse non debet, si errauerunt Platonici omnes, & reliqui eius erroris sectatores, quos connumerauimus; quãquam dubito, an quibusdam Platonis amantissimis id euenerit, quod Petro Abaylardo, qui dum multum sudauit, vt Platonē faceret Christianum, se Ethnicum esse comprobauit, teste Bernardo ad Innocentium Papam. Cumq; tot ac tales extiterint Tredeitarum authores; cõtendit tamen Gregorius Paulus, qui pro Trinitarijs scripsit, huius inuẽtum sibi arrogare, & de hac palma cum Valentino Gentili decertare, qui anno 1566. Bernæ combustus fuit, quia dixerat tres esse æternos Spiritus, quorum quilibet sit per se Deus: Filium nõ esse à se, sed à Patre: Filium à Patre esse secundùm essentiã: quæ certè Catholicæ non sunt propositiones, in sensu ipsius, qui essent am produci sensit, cùm Augustinus sermone quodam de verbis Domini scripserit: *Maledictus qui nomina propria personarum tres Deos, aut tres Dominos, aut tres Spiritus confitetur.* Ausus est hic Gentilis impiè vocare Symbolum Athanasij, Symbolum Sathanasij, vt vel hæc impietas idonea suæ combustionis caussa extiterit. Quanquam etiam Michael Seruetus Hispanus, qui de Sabellianismo à Caluino, & suis conuictus, & damnatus, atque combustus fuit Geneuæ, non facilè antiquitate cedat, vel Gregorio Paulo, vel Valentino Gentili; cuius istæ sunt assertiones, ex libris eius decerptæ: Omnes qui Trinitatem statuunt in essentia, esse Tritheitas, veros atheos; nec Deum habere nisi tripartitum & aggregatum; Incorpoream Deitatem realiter distinctam, Mahometo dedisse caussam negandi Christum. Tres illas res incorporeas distinctas: In Dei vnitate non posse stare, & esse Triadem imaginariam. Multa alia indigna de Filio Dei loquitur, & triformem nobis obijcit Deum, quasi tricorporem Gerionem, aut Cerberum tricipitem, quod olim ab Arrianis fuit obiectum: vt docet Augustinus ad Pascentium, & soluit huiusmodi probrum: quia Deus non componitur ex imperfectis, vt Gerion, aut Medius fidius, quasi quædam eius pars sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus sanctus, sed vnum, quia trium perfectorum, integrorumque vna sit forma atque deitas: nec Trinitas ex personis coalescit, quippe quæ sit indiuidua, simplicissima, & omnis compositionis expers. Sed ad rem; voluit Seruetus vnam tantùm in Deo esse hypostasin, & Filium ante incarnationem fuisse quasi λόγον, & rationem, & formam ideanicam; & Spiritum sanctum similiter nõ esse rem per se subsistentem, sed agitationem & motum, quo Prophetæ & Sancti afflati sunt. Quos egregios authores secuti sunt ministri Polonici, qui in Conuentu Regio Petricouiæ, Anno 1565. cùm Catholicus aduersarios inuitaret his verbis: *Iam igitur* (inquit) *constituta propositione, qua de agendum est, in Dei vnius, in Trinitatu nomine exordimur*, protinus quidam eorum toruè inspiciens respondit: *Nos verò hic non dicimus, Amen: neque enim nos nouimus istum Deum Trinitatem.* Vnde cœpta est controuersia agitari de Trinitate inter Catholicos & aduersarios. Rursus finito colloquio, Catholici cecinerunt, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*; & aduersarij non dixerunt, Amen, sed subduxerunt se. Ad hanc igitur primam Trinitariorum hæresim euertendam multa superius diximus, maximè duobus pręcedẽtibus tractatibus; ita vt illis quicquam addere velle, nihil sit aliud quàm actum agere. Sed pręstat pauca eorum argumenta resoluere: eo consilio, vt loci aliquot Scripturæ discutiantur, & expendantur.

Primò ergò vt probent, vnius Dei nomine non comprehendi Filium, vel Spiritum sanctum, & non esse illum Deum Israel, quem Scripturæ prædicant, vel non esse tam propriè Deum, quàm Patrem, vel non possidere eandem numero essentiam, siue ex non eadem essentia Deum nominari: ista enim sunt tria præcipua horum pronuntiata, & aiunt regulam esse in vniuerso Scripturæ corpore seruandam, vt quoties absolutè in vtroque Testamento ponitur Dei nomen, solum Patrem significare. Quæ regula certè falsa est, cùm id nomen nunc sit essentiale, vt omnibus congruat personis: interdum personale, vt vni

tantum

Origin. & ipse trideita secundùm Epiphan. Deum esse vnum essentia, & trinum in personis, naturæ lumine nõ potest apprehendi.

Petrus quidã Abaylardus dum multum sudauit quomodo Platonem faceret Christianum, se Ethnicum comprobauit, teste Bernard. *Bernar. epist. 190. aliquanto ante dimid.*

Greg. Pau. Tritheitas à se primũ prodijsse falso gloriatur.

Valentinus Gentilis vbi, quando, & quare combustus.

Aug. ser. 31. de Verb. Domini. tom. 10. sub in. t.

Symbolum Athanasij Gentilis Valentinus vocare ausus est Symbolum Sathanasij.

Michaelis Serueti Hispani impiæ de Trinitate voces, atque sacrilegæ.

Idem Aug. epist. 177. to. 2. circa finem.

Ministri Polonici se Deum trinum non nosse, id est, nõ credere profitentur intelligentes.

Trideitarum proponuntur argumenta, atque soluuntur.

I. argum.

Nomen Dei in Scripturis nũc pluribus, nũc vni tantum Personæ accõmodatur.

tantùm quadret Patri, præſertim in Nouo Teſtamento: non quòd ille potius aut principalis ſit Deus, abſit; ſed per quandam attributionem ad diſcernendas perſonas inter ſe, vt qui diuinitatis totius ſit fons & principium. Sicut Hebræi Adami nomine denotant nunc quidem primum generis noſtri propagatorem, nunc verò vniuerſos ſiue ſingulos homines quaſi humanæ ſpeciei æqualiter participes. Vt ergo Adamo nemo dabit principalius eſſe hominē, quàm reliquos omnes ab ipſo progenitos; ita nec Deo Patri dabit quiſquam ſupra cæteras perſonas ab ipſo productas eſſe Deū. Nam ſubſtantia, teſte Ariſtotele in categorijs, non intenditur, nec remittitur, ſed in quocunque ineſt, æqualiter ineſt: poteſt tamen homo homini præſtare ratione accidentium, vel qualitatum; quæ poſſunt intendi & remitti, ſed non ratione ſubſtantiæ. Deus autem accidentium, vel qualitatum capax non eſt, vt propter illas magis intenſus poſſit dici Deus, aut magis vna perſona quàm altera. Nomine ergò Dei venit interdum in Scripturis tota Trinitas, vel tres perſonæ, & ſimpliciter pronuntiatum non ſemper refertur ad ſolum Patrem, ſed & ad alias perſonas. Nam præterquam quòd qui apparuit Deus in Veteri Teſtamento, nunquam fuit Pater, ſed ſemper Filius, vt tradunt veteres Patres ſuperius producti, & ſpeciatim Tertullianus de Trinitate, Auguſt. lib. 2. de Trinitate, & Iſidorus lib. De ſummo Bono: Per quem Pater heri & hodie, & in ſecula cuncta adminiſtrat: ob idque dicitur magni conſilij Angelus, vel Angelus Teſtamenti: nomen præterea Κύριος, ſiue Domini, quod frequenter tribuitur Filio in Veteri, & in Nouo Inſtrumento ſemper Chriſtum ſignat. Et Iehoua, & Adonai, quæ per illud nomen inculcantur, Septuaginta Interpretes, & Apoſtoli, & Euangeliſtæ nomine Κυρίε expreſſerunt. Præter hæc omnia, inquam, nomine Dei abſolutè venit Chriſtus. Nam Geneſ. 1. *In principio creauit Deus & cælum terram*, explicat Paulus quis ſit ille Deus creans, dum ad Hebræos 1. apoſtraphans ad Meſſiam, ait: *Tu in principio Domine terram fundaſti; & opera manuum tuarum ſunt cæli.* Tu, inquam, Chriſte, de quo ibi erat ſermo, & de quo præcedit. *Et adorent eum omnes Angeli Dei*; & tradit introduci in orbem terræ; & iterum quæ dicuntur per Prophetam: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Quæ cùm conſtet dici de Deo Iſrael, Paulus exponit de corporato Chriſto, Hebræorum 3.

Adā Hebræis proprium, & generale nomen eſt.

Ariſtot. c. de ſubſtantia. Subſtantia nō intenditur, nec remittitur, teſte Philoſopho.

Pater in Veteri Teſtamento nunquam, ſed Filius tantùm ſemper apparuit, Patrum ſententia. Superioribus nimirum tractatibus huius libri.

Tertull. *Aug. c. 9. 10. 3.* *Iſidor. Hiſpalenſ. de Sum. bono. cap. 12.* *Iſai. 9. iuxta Septuaginta interpre.*

Dei nomen & Domini, Filio Dei in Scripturis attribui paſſim oſtenditur.

Pſal. 101. *Deut. 32.* *Pſal. 94. &* *Heb. 3. & ſeq.*

Item quæ ſunt gloriæ, maieſtatis & diuinitatis Dei Iſrael, Apoſtol' tribuit Chriſto in epiſtola ad Romanos & Philippenſes, vt illud, quòd Omnes ſiſtemur ante tribunal Dei, producit ex Iſai. Rom. 14. *Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu.* & Rom. 10. *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Et Iſai. 8 *Dominum exercituum, ipſum ſanctificate: ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter: Et erit vobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali*: quod de Chriſto exponit B. Petrus epiſt. 1. cap. 2. Numer. quoque 21. recenſentur filij Iſrael vulnerati à ſerpentibus, quòd murmuraſſent contra Dominum: quæ ad Chriſtum refert Paulus 1. Corint. 10. Et illud: *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem: accepiſti* (ſiue, vt Apoſtolus legit, dediſti) *dona hominibus*, ad Chriſtum refert Epheſ. 4. Item illud: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Iudas Apoſtolus in Catholica ſua de Ieſu interpretatur. Et Ioannes Euangeliſta gloriam Dei ſedentis ſuper ſolium excelſum, quā oculis ſuis vſurpauit cap. 6. Iſaias, maieſtatem fuiſſe Chriſti interpretatur, c. 12. Euangelij ſui. Item illud Iſai. 41. & 44. & 48. *Primus & nouiſſimus ego ſum*, Chriſto adaptatur. Apocal. 1. *Ego ſum primus*, inquit, *& nouiſſimus, & viuus, & fui mortuus.* Adhæc, quod in Exodo habetur, cap. 3. *Qui eſt, miſit me ad vos, hoc nomen mihi eſt in æternum.* Et: *Omnipotens nomen eius.* Exod. 15. in vnū conflat Ioannes, dicens: *Gratia vobis & pax ab eo Qui eſt, & Qui erat, & Qui venturus eſt.* Et Chriſtus ipſe Oraculum voce Dei expreſſum apud Malachiam cap. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*, explicat Matth. 11. ad ſe ſpectare: *Ecce ego*, inquit, *mitto Angelū meum ante faciem tuam, qui præparabit viā tuam ante te.* Vt quod Deus apertè in Propheta de ſe enuntiauerat, Chriſtus vt de ſe dictū interpretetur; & quod Propheta in perſona Dei locutus eſt, Chriſtus in ſecundam perſonam, quæ ſuam denotet, tranſmutet.

1. Corint. 15 *Philip. 2.* *Iſai. 45.* *Rom. 14.* *Suprà 10.* *Iſa. 8. & 1.* *Petr. 2.* *1. Cor. 10.* *Pſalm. 67.* *Epheſ. 4.* *Exod. 4.* *Iudas.* *Iſai. 6.* *Ioan. 12.* *Apoc. 1.* *Exod. 3.* *Apoc. 4.* *Malach. 3.* *Matth. 11.*

Et idem omninò de Spiritu ſancto dicendum. Nam quod Iſai. cap. 6. ex parte Dei Prophetæ dictum eſt: *Vade, & dices populo huic, Audite audientes, & nolite intelligere*: Paulus affirmat Actor. 28. à Spiritu ſancto pronuntiatum. Et illa pronuntiata prophetia dixit Iſaias: *Quouſq; Domine Iehouah, &c.* vt intelligas, nomē Iehoua Spiritui ſancto competere. Præterea Paulus quos templum Dei nominat 1. Cor. 3. vocat tēplum Spiritus ſancti, 1. Corinth. 6. Et quæ dona Dei vocat vno loco, 1. Corinth. 12. alio vocat Spiritus ſancti diſtributiones. Ergò

Spiritui ſancto eandem nimirum appellationem Dei & Domini, Scripturas nō raro accommodare.

Act. v. *1. Cor. 3.* *Infra 6.* *Infrà 12.*

Areopag. Dionys. — *Idem.*

nuncupatione Dei & Domini Pater venit, tanquam Filius & Spiritus sanctus. Et Dionysius cap. 2. de Diuin. nominibus, part. 1. *Hoc sanè, inquit: & in alijs locis discussum à nobis ac demonstratum est, omnes semper Deo digna denominationes, non per partes, sed in tota ac perfecta, atque integra & plena Deitate à Scripturis sanctis celebrantur, & omnes ipsa individua absolutéq; , ac præter omnem obseruationem, integrè tota integritate, exactissimè totius Deitatis intenduntur. Denique sicuti in Theologicis institutionibus admonuimus, nisi quis hoc de tota Deitate accipiat dictum, blasphemare, ac scindere nefario scelere præsumit coniunctam supremè vnitatem.* Hæc magnus Theologorum pater.

II. Argum. Tritheitarum. — Ioan. 17. — 1. Cor. 8. — Ephes. 4. — B. Irenæ. li. 4. c. 9 & 23. & lib. 2. c 46. & l. b 4. c. 9. & 12. — Tertul. circiter operis dimidium fui. — Clem. Rom. — Solutio. — August. epist. 174. aliquanto à medio tomo 2. circa fi. — Greg. Nazian. operis circa dimid. — Pater solus & verus Deus à Christo, & à sanctis cur dictus.

Sequitur secundum argumentum. *Hæc est,* inquit Dominus, *vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum:* vbi solus Pater, verus Deus appellatur. Et 1. Corinth. 8. *Nobis tamen vnus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus Dominus, Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Et Ephes. 4. initio: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Vnus Deus & Pater omnium,* & reliqua. Ergo nomine Dei venit solus Pater. Producunt etiam veterem & sanctissimum patrem Irenæum sæpè annotasse cōtra suæ memoriæ Hæreticos, Christi patrem, solum esse verum Deum Israelis: & idem docuit Tertullian. in Praxean, & libro de Trinitate, vbi Christum Deum negat simpliciter. Et Clemens libr. 2. Diatexeon, cap. 6. Et libro 3 cap. 17. appellat Patrem supra omnia Deum. Respondemus tamen, hæc omnia prædictæ veritati non obstare. Vt enim rectè docet Augustinus ad Pascentium Arrianum: *De Patre tantummodo vos vultis intelligi quod ait: Vt cognoscant te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, vbi nos subaudimus, etiam Iesum Christum verum Deum.* Et Nazianzenus lib. 4. Theolog. circa medium: *Sanè mea est opinio, illud: Cognoscant te solum verum Deum, ad eos qui cùm dij dicantur, tamen non sunt, tollendos valere. Alioqui si Christo ex aduerso responderet, & non potius communiter de Deitate diceretur, adiectum non esset: Et quem misisti, Iesum Christum.* Hæc illi. Patrem etiam veteres Doctores vocant solum verum Deum propter authoritatem principij. Illa verò elogia: *Nobis vnus Deus, Pater, ex quo omnia.* Et, *Vnus Deus & Pater omnium,* & similes aliæ voces permultæ; non aliud insinuant, nisi personæ Patris singularem distinctionem à reliquis, proprietatemque: nam dum confertur Pater cum Filio, vel Spiritu sancto; suus cuique titulus per attributionem quàdam datur, non per naturam: vt 1. Corinth. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus, &c.* Vbi Paulus Filium nominando præponit Patri. Patri autem tribuit Dei nuncupationem, non quòd aliæ personæ non sint Deus: Filio autem Domini titulum, quasi Pater & Spiritus sanctus nō sint Dominus.

1. Cor. 8. — Ephes. 4. — Illud Apostoli: Nobis vnus Deus Pater, &c. quomodo accipiendum.

Ambros. c. 2. sub finem. — Cap. 6. sub ini. — Cap. 2. sub init. & fin. tom. 2. Ioan. Damasc. circa medium operis. — Epiphan. in Anncorato. — Isai. 6. — Rom. 8. — Cur Seraphim apud Isaia non bis, aut quater, sed ter tantum dixerint Sanctus, secūdum Epiphan.

Quod in Arrianos ab Ambrosio lib. 1. de Fide, & lib. 4. & 5. & à Ioan. Damascen. annotatum fuit: hic enim in epistola de Trisagio producens Epiphanium in Isaiæ verba, ita inquit; *Benè enim dixit, & valdè propriè Deiferus Epiphanius: Quoniam propter quid non bis vel quater, Sanctus, dicunt Seraphim, sed ter, nisi quoniam trium hypostasum numerum demōstrant in vnam & Deitatem, & Dominationem vnicam? Sanctus Deus & Pater, ex quo Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus: Sāctus fortis, Filius, Enhypostata Dei virtus: Sanctus immortalis, Spiritus sanctus viuificans, secundum quod ait Apostolus. Lex Spiritus vitæ. Nō quoniam nō est Deus Filius, vel Spiritus sanctus; neq; quoniam non est fortis Pater vel Spiritus sanctus neq; quoniam nō est immortalis Pater vel Filius, ve secundū quod Apostolus hypostases ostendere volens, ait: Nobis autem vnus Deus Pater, ex quo omnia: & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia; & vnus Spiritus sanctus, in quo omnia.* Hæc ille. Paulus ergò vnum Deum Patrem appellauit, & vnum Dominum Iesum Christum, non quod non sit Deus Filius, neque quòd non sit Dominus Pater: nam nomen etiam Spiritus conuenit maximè Deo Patri: tamen quando absolutè dicitur non dubiū quin solus Spiritus sanctus per attributionē intelligatur. Si enim hoc loco non excipitur Pater, eo quòd Filius vocetur vnus Dominus, cur excipiatur Filius, propterea quod Pater dicatur vnus Deus? & ne Apostoli ad cōuellendam deorum multitudinem missi, suspicionem darent multitudinis deorum; soli Patri diuinitatis titulum tribuebant, referentes Verbum, & Spiritum sanctum virtutes Patri σύμφυτους, & inseparabiles à Patre; ex quo, & in quo essent, ad ipsum vt principium & fontem referebant.

Rom. 11. — Olim Christianos antelucanis horis conuenire, & hymnos Christo Deo canere consueuisse, Iunior Plinius est testis. — Lucianus. — Idem. — B. Irenæus.

Quòd enim Christus à Deitate non excluderetur, testatur Plinius Iunior epistola ad Traianum, solitos dicē Christianos ante lucanis horis cōuenire, & hymnos Christo Deo canere. Et Lucianus ἄθεος in Peregrini dialogo prodit, Christianos, euocatis dijs Græcorū, solùm adorare crucifixum; & in Philopatre, iurare Altitonantem, magnum, æthereū, Filium Patris. At Irenæus pugnans in Valentinianos lib. 3. sexdecim primis capitibus ex Scripturis & Traditione Apostolica probat, vnicum esse verum Deum Patrem Christi; lib autē 4. eundem

esse

esse verum Deum, qui legem tradidit Iudæis: quia Valentiniani alium Christi Patrem fingebant.

III. argument. Sequitur tertium argumentum. Filius & Spiritus sanctus tales sunt propriè: quod si Filius, propriè Filius est, & Spiritus, Spiritus est; ergo diuinam naturam ab alio acceperunt: qui autē ab alio acceptam habet naturam, qui queat esse Deus? Et licet Θεὸς sit Filius, & Spiritus; nō tamē αὐτόθεος. Sunt quidem hi dij essentiales, sed Pater erit, vt loquuntur, essentiator, id est, præbens alijs essentiam, & αὐτόθεος, id est, à se, & per se Deus. Sed profectò, si diligenter inspicias, vana est hæc consequentia, & vniuersæ veræ philosophię contraria: Filius à Patre habet essentiam, & non est αὐτόθεος, ergo non est verus Deus Israel, quem Scripturæ prędicant, aut non est tam propriè Deus atque Pater, aut non habet eandem essentiam numero, quam Pater: nam cum generet per communicationem eiusdem ad numerum essentiæ, nec extra suam effundat substantiam propter infinitatem, ergò indubiè Filius accepit eandem, quam Pater habet substantiam. Et vt Filius in specie humana non est minus homo, quam Pater qui genuit; ita in diuinis Filius nequaquam est minus Deus, quam Pater.

Solutio.

Simile.

IV. Argum. Quartum argumentum ex Concilio Nicæno colligunt, apertè Patres distinxisse inter Deum Patrē ab alijs personis, dicendo: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verū de Deo vero.* En vnus qui genuit, & alter qui genitus est: at Iudæi, & Sabelliani, atque Mahometani, nullā agnoscunt in Deo realem multitudinem. At hoc argumentum longè ante nos soluit Hilarius li. de Synodis. Nam quod attinet ad vnitatem essentię minimè à Iudęis dissentimus: quod attinet ad personas, de eo instituimus omnem dissensionem. Iudæis quidem erat traditum, vt crederent vnum Deum, nihil explicatè dictū de Trinitate: & licet olim inter Iudęos posset disputari, an Deus esset vnus hypostaticè, sicut est vnus essentialiter; quod videretur magis consonum textui; *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est*, & philosophi non nisi vnum, indiuiduum, absolutū, & separatum in diuinitate posuerunt: tria tamen existere in ea supposita inseparabilia, atq; ad se inuicem relata, Christus suo aduentu nos docuit, quæ nō repugnant vnitati essentiæ. Et vt illi aduersus nos obijciunt, qui in Iudæos Triadem personarū defendimus: ita vera, & pura conscientia Arrianis Paganismum improbrum vertimus, qui damnatam πολυθεΐαν impijs cōatibus moliūtur introducere, ac tantum à Paganis eos distare, quod illi plures tribi deos tuētur, isti tres solos constituāt. Quod igitur ex Nicęno Concilio producitur, soluitur dicendo, nomen Dei sæpè pro persona accipi, & non essentialiter: *Credimus*, inquit, *in Deum Filium qui genitus ex Deo Patre, Deum verum de Deo vero.* Sic etiam Acto. 20 Lucas ait: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*: Ecclesiam Dei, id est, Christi, quam ipse Christus suo sanguine comparauit. Et 1. Timot. 3. asserit Apostolus, Deum manifestatum in carne, id est, Christum, siue Verbi personā. Et Scholastici Theologi admonent, dupliciter accipi Dei nomen, nempè, & essentialiter & personaliter, indistinctè, & distinctè, absolutè, & relatiuè: & priori modo nō est Deus de Deo, sed posteriori; sicut & apud philosophos homo species nō generat, quoniam aliquid indistinctum, indefinitū est, sed indiuiduum, vt Adam, Noe, Iacob.

Conc. Nice. Actio. 1. tomo Concil. 1. in princ.

Solutio.

B. cl..ar. circa o. ... dimid.

Deut. 6.

Nomen Dei in Scripturis sæpe personā significat.

Act. 20.

1. Timoth. 3

Simile.

V. Argum. Quintò sophisticè ratiocinantur: præter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, nullus est Deus: sed Pater non est Trinitas; Filius non est Trinitas; Spiritus sanctus nō est Trinitas; ergo Trinitas nullus est Deus. Sed paralogismus est sophisticus à termino distributo ad non distributum; & Trinitatis nomen est de his, quæ in singulari multitudinem significant. Deinde argumentātur per inanē philosophiam, & fallaciam: Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt alius, alius, & alius; quāuis non sint aliud, & aliud: at Pater est Deus Filius, Deus, & Spiritus sanctus Deus; ergo alius est Deus Pater, alius Deus Filius, alius Deus Spiritus sanctus. Sed est sophisma à diuisis ad coniuncta; quod genus argumentationis reijcitur ab Arist. in li. Periherm. Non enim valet: Est bonus, est Poeta: ergo est bonus Poeta. Ita in illa argumentatione: Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt alius, alius, & alius: & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt Deus, ergo alius, atq; alius, atq; alius Deus: nam alius in priori propositione sumitur pro distincto supposito siue hypostasi, in conclusione pro distincta substantia Deitatis.

Solutio duplex.

Arist. tom. 1.

VI. Arg. Sextò argumentantur: Abrāham, Isaac, & Iacob sunt quisque homo, & hi sunt numero tres: ergo tres homines, & vnus homo cōmunicatione speciei: ergo Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt quisq; Deus, & hi sunt numero tres; ergo tres dij, & vnus Deus cōmunicatione speciei diuinitatis. Dicendū est, vitiū argumētationis huius esse, quod diuinitas quę prędicatur de vnaquaq; persona, accipitur pro specie deitatis, sicut homo pro specie humanitatis in priori

Solutio.

Aug. lib. 7. de Trin. c. 6. per totum, tom. 3. inter med. & initium.

argumentatione: at diuinitas, vt probat B. Augustinus lib. de Trinit. non est vt species, nec personæ, vt indiuidua, ne maius aut minus, superius aut inferius in dignitate cogitatur. Quare quod interdū essentia per speciem exprimatur, & hypostasis per indiuidua explicetur, vt apud Theodoritū in principio Polymorphi, & Damascenum lib. 3. de Fide Orthodox. id non ex veritate proprietatis fieri, sed per enunciationis similitudinem accipiendum est. Sicut enim species est quę de multis dicitur, indiuiduū verò, quod de vno solo: sic essentia diuina de omnibus personis enuntiatur, quælibet verò persona earum de se sola, & non de alia dicitur. In hoc verò est discrimen, quod indiuiduis multiplicatis essentia quoque multiplicatur, diuersaq; ex parte euadit; & ideò vt species multitudinis numero efferatur, quia dicimus Abrahā, Isaac, & Iacob, tres homines esse, sicut tria indiuidua: non autem licet Patrem, Filiū, & Spiritum sanctum, tres deos appellare, ob summam essentiæ simplicitatem. quæ tota est in omnibus simul personis. Non sequitur ergo: Pater, Filius, & Spiritus sanctus Deus est, ergo tres sunt dij: sed ita colligendum: ergo tres sunt, vel, ergo tres sunt, quorum quisque Deus est. Nomen enim Dei repetitum ad personas pertinet. quę re vera tres sunt: ad iunctum autem numero, ternionem inducit substantiæ, quæ multa non est, sed vna, & simplicissima, & quod Græci, vt Basilius homil. contra Sabellium, Arrium, & Anomæos, & Damascenus personas asseruerūt. differre numero, Dialecticam acceptionem transgressi sunt; volentes significare, hypostases differre numero, hoc est, ab se se inuicē distingui numerabiliter, ita vt numerare possis: Pater est vnus, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt tres. Item Pater non est Filius, aut Spiritus sanctus. Sunt igitur eorum argumenta leuia, & eneruia, & quam simillima his, quę Mahometus facit: vt, Deus vnus est, ergo non Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, quia essent tres; & si tres, schisma esset in cœlo, & sanctificationis Deus nullius indiget, ac per se solū potuit omnia creare ac gubernare, ergo consortiū nō habet. Nefas est de Deo cogitare membra, & actionem generandi: ergo nō genuit similem: docuit, *Adorate Deum, & Dominum meum*, ergo ipse non est Deus, qui eū adorauit: quæ omnia leuissima sunt, &c.

B. Theod. par. 2. à medio.
B. Damascen. cap. 2.

Qui Patres essentiam cum specie, & hypostasin cum indiuiduo confundunt, quo modo interpretandi sint.

Essentiæ humanæ à diuina discrimen.

Basil. hom. 28. tom. 1. procul à medio.
Damasc. lib. 1. de Orthod. Fide, cap. 11. per totum.

Numero inter se personas diuinas distingui, vt dixerint Basilius & Damascanus.

Qualia Arrianorum argumenta.

VII. argum.

Septimò obijciunt: Manifesta est cōtradictio, tria re ipsa distincta, vnū esse numero, quia hic negatio & affirmatio de eodem construeretur.

Solutio.

Respondemus, re vera non esse contradictionē: non enim vnitas trinitas esse potest, vel trinitas, vnitas magis quā trinitas, nō trinitas, & vnitas non vnitas; sed tantum asserimus in trinitate hypostaseon, esse vnitatem essentię: quia affirmatur triū personarum essentia, negatur essentiæ imparitas. Est enim vna & eadē natura triū hypostaseon. Lōgè enim aliud est, tres personas esse tres deos, quod Scriptura, & Patres vniuersi inficiantur; aliud, tres personas, id est, tria supposita per se subsistentia, esse Deū, siue habere per se diuinitatē. Nec benè infertur: Sunt dij, & sūt tres, ergo tres dij: quia est à diuersis ad coniuncta argumētatio inualida. Quemadmodum in proposito exemplo, Fons, riuus, & fluuius sunt aqua; & fons, riuus, & fluuius sunt tres; ergo fons, riuus, & fluuius sunt tres aquæ: quæ quidem complexio siue conclusio falsa est, propter trium illorū perpetuam inseparabilitatem. Et vitium argumenti est, quod numerus trium in media propositione notat subsistentias; in conclusione verò violētè ad substantiam, vel essentiā trahitur. Nō ergo ad numerum personarū consequitur essentiæ multiplicatio. Refert Augustinus post Ciceronem li. de Fato: Geminos olim ita vixisse, ea animi & corporis constitutione, vt eodem temporis puncto famerent, sitirent, lusitarent, negotiandi, otiandi, dormiendi, vigilandi, pernoctandi eadē cupiditate tenerentur, valerent, deniq; ægrotarent, morerentur: quid si reliqua illis essent paria, facies, forma, decor, moles, magnitudo, crassities, color, temperamentum, ingenium, mores, voluntas, potestas, mutua necessitudo, eædem animi, & corporis dotes, & qualitates? num non de ijs aptè & rectè diceretur: Hi duo vnum sunt? Cur ergo non de Patre, Filio, & Spiritu sancto idem dicatur, quorum vnitas propter singularitatē substantiæ, istam inseparabilitatem, atque immanentiam transgreditur? Platonici, vt eis Aristot. lib. Metaphys. attribuit, ideam, & rem vniuersam concedebant, re ipsa esse plures res singulares, & earum quamlibet. Alexander Aphrodisius, & Auerroes vnū dūtaxat esse omnium intellectum asseruerunt, & singulares animos ab illo carptos, delibatosq; tandē in ipsum resolui, non secus atq; mixta in sua elementa redire videmus. Præterea sanctus Thomas, & alij dixerunt, eandem numero humanitatem, si à tribus simul assumeretur, reipsa plures personas fore vnum hominem: & infinitissimam, singularissimam, simplicissimamq; Dei essentiam intra metas coercebis, ne tribus personis sit communis citra vllam differentiam, vel diuersitatem. Fons, riuus, & fluuius videbuntur tibi vna aqua, quod sint

Simile.

Aug. lib. 5. de ciuit. Dei, c. 2. tom. 5.
Cicero.

Quam similis Geminorum, dissimilisque valetudo fuerit.

Aristo. lib. 7. Metaphys.
Platonici.
Alexand. Aphrodis.
Auerroes.

S. Thom. in 3 par. q. 3. art. 6 ad primum. tom. 13.

sint homusij, & inseparabiles à se inuicem; & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, qui nō modò eandem diuinæ essentiæ aquam, & pelagus infinitum possident, verum etiam alteri in alteros permeant admirabili nexu, qui περιχώρησις dicitur, vnus Deus non iudicabuntur?

Περιχώρησις. Græce quid.

Aqua riui non est eadē numero cū illa fōtis, quia in illo noua assiduè gignitur, sed alia est quodammodo in fōte, alia in riuo propter finitatem, & defectionem rerum creatarum, quarum natura est, vt ad plures hypostases se extēdere nequeant absq; multiplicatione substantiæ: & tamen nimis anxiè, & curiosè aliquis contenderet aquam fontis & riui diuersam esse: quidni ergo inanius studium eorum videatur, qui postulant tres diuinas subsistētias, siue personas tres deos prædicari, cum non videant eandem aquæ essentiam in tres personas profluere, ita vt eadem numero aqua in Patre dicatur, & verè sit fons, in Filio, riuus, in Spiritu sancto fluuius? Nec in eis aquā multiplicari, quoniā Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas. Falsò ergo Rabbinus quidam Ioseph syllogizat. *Cum tres nulla in re differentes, tres homines pronuntiemus; quidni patrem, Filium, & Spiritum sanctum tres deos, quamuis in eis sit absoluta ταυτότης liceat confiteri?* Sed hāc illationem inficiatur Scriptura sacra, & fides.

Athanas. in suo symbolo.
Prima ratio in Rabbinum quendam Ioseph Tridentā.

Primò, quod inter deos nulla substantiæ attributionum, aut qualitatū sit diuersitas: & sic dixit Cicero lib. de natura Deorum: *Si nihil inter Deum & Deum differret, vnum potius fore Deum, quam plures.* Ita Euclides, teste Diogene Laertio, docuit, similia, in quibus nihil prorsus inesset dissimilitudinis, non esse similia, sed vna, & eadem: quod hic maximè verum est, vbi supposita solis relationibus distinguuntur, secus in alijs indiuiduis reliquarum personarum, quę distant accidētibus, & materia.

Cicero.
Euclides.
Diog. Laert. de vitis Philosoph. in Eucli.

Porrò in his enuntiationibus: Deus est trinus, & vnus: vnitas in trinitate, & trinitas in vnitate veneranda est, vt dixit Athanasius in Symbolo, & Iustinus in expositione Fidei, & Nazianzenus sub finem Orationis ad Heronem: *In his,* inquam *& similibus locutionibus monas non signat vnitatem, vt est principium numerorum Arithmeticæ, sed vnam essentiam acceptione physica. Trias, vel Trinitas, non est trium vnitas, vt somniauit Gentilis, sed ipsamet tres personæ: & sensus est, tres personas esse in vna essentia, non per collectionem aliquam, sed per sinceram singularemq; vnius erga aliam communicationem: & è conuerso vnam essentiam in tribus pariter reperiri citra differentiam vllam: & hæc nihil aliud nisi tria supposita vnam esse essentiam, tantàmque substantiæ vnitatem, tamq; singularem, vt æqualitatem omninò teneant: nam quicquid de vna pronunciaueris, de tribus verissimè potest, & debet intelligi, exceptis vocabulis quæ proprietatem, & quasi characterem Hypostaseō designant, vt non magis sit illud in tribus, quam in singulis, neque minus in singulis, quam in tribus.*

Athanas.
Magnus.
Iustinus Martyr to. 3. init.
Gētilis Valentini contra vnitatem Trinitatis impiū dogma refellitur.

Exemplum Pampolitani accipe: *Si tres, inquit, homines immortales dixero, ego non intelligo plus viuere posse simul tres quam singulos, nec minus singulos, quam totos tres. Vnde trium vna est immortalitas, vna perennitas. Sic si æqualiter sunt tres sapientes, non plus sapiunt simul, quam singulatim, sed tanta est in vnoquoque viritim sapientia, quanta in diuersis.* Sic ille.

De vnitate æqualitateque Trinitatis exemplum Pampolitani.

Et sicut omnium eorum, quę in hoc mundo mouentur, vnum est tēpus, non modò specie, sed numero, & vt Fides (non vt est habitus, sed vt obiectū quod creditur) vna est in omnibus qui credunt, Apostolis nō aliud à nobis, nec nobis aliud ab eis credentibus: sic trium hypostaseon vna par, cōmunis, indifferens numero ęternitas, sapientia, &c:

Aliud exemplum.

¶ Deinde subtilior est Rabani Moguntini Episcopi interpretatio in libro qui inscribitur: Quomodo sit Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate: hanc enim sumit ex vna, & indiuidua personarū operatione. Nos diximus ex vna essentia. Et ita in illa propositione, Trias est in monade, præpositio, In, non signat aliquam rerum diuersitatem, ne essentia diuina consideretur extra personas, & ita quartum aliquid in simplicissima diuinitate inducens realē distinctionē, constituatur inter personam, & essentiam, quam vim non habere præpositionem, In, similes alij formulę arguunt, in quib. extrema satis est ratione distingui: vt, mens est in anima ratiocinante, id est, est anima ratiocinans: partes sunt in toto, & totum in partibus, hoc est, idē quod partes, & prætereà nihil. Ita tres personæ sunt in vnitate, vel vna essentia, id est, sunt vna essentia; & nil prætereà.

II. Ratio.
Rabani Episc.

Vnde Damascenus lib. 1. de Fide Orthod. post Gregoriū Nazianz. in Epiphaniæ lumina, ἐν ὑποστάσεσιν ἡ θεότης, ἢ τό γε ἀκριβέστερον εἰπεῖν ὑποστάσεις ἡ θεότης. In hypostasib. Deitas est; aut quod verius est in Deitate sunt hypostases. Quod Marsilius intellexit lib. 1. sentent. q. 6. articulo 3. cuius hæc sunt verba: *Pro hoc notandum, quod præpositio, In, aliquando sonat transitionem, & sic semper significatur diuersitas inter id quod inest, & inter id cui inest: vt cum dicimus: Scientia est in animo, vel animus est in corpore, vel corpus in loco. Aliquando non sic esse in alio est esse illud: quomodo dicimus, totum est in partibus, id est, partes simul sumptæ: voluntas est in animo intelligente, id est, animus ipse vult.* Quo præmisso, capiendo to in, transitiuè, nihil est in

Damasc. c. 8.
Marsil.
In, præpositio variè sumitur.

essentia

essentia diuina tanquam in subiecto, vel tãquam in toto, seu vt in loco: sic enim denotat diuersitatem eius quod inest, ab eo cui inest, sed quicquid est diuina essentia, est idem quod ipsa, transitiuè loquendo: nulla persona est in essentia diuina, quia persona non est diuersa ab essentia. Accipiendo autem, In, citra transitionem, Catholicus debet fateri personarum trinitatem in essentia diuina, quia debet cõcedere quod essentia est tres personæ.

Altera eiusdẽ Rabbini solui tur obiectio.

Arguit Rabbinus; Abraham, Isaac, Iacob, non sunt ita communione vnius naturæ vnus homo, vt non differant inter se numerabili essentia, cuius caussa tres homines sunt, & dicuntur. At in diuinis hypostasibus vna extat, & eadẽ numero essentia: quo fit, vt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sint vna numero res, Patre dãte essentiam Filio nec aliam, sed ipsissimam eandem naturæ ipsius quadam profusione, quã Græcus Dionysius γονιμότητα, fœcũditatem Scholastici vocant, quam pater & Filius indiuisam tradunt Spiritui sancto. Non secus ac si calor impediret seipsum eundem numero, & sine diuisione ligno, vel si lumen lucernæ vnius sese sine materiæ distinctione tribueret alteri: nõ enim forma huius ab illius forma differret, nisi quia recipitur in alia, & alia materię parte, cuius expers est diuinitas. Ideò etsi fieri nequeat, vt res finita, vt calor & lumen, sit in diuersis subiectis, vel suppositis, quod essentiam terminatam habent: diuinitas tamen, quia infinita, non potest nõ inesse pluribus personis.

Dionys. Areopagita. Simile de idẽtitate diuinæ naturæ plurib. communis personis.

III. Ratio. Ἀμερεία Græcè quid.

Tertia caussa est, ob substantiæ ἀμέρειαν, id est, impartibilitatem: nam Pater in Filiũ, & vterq; in Spiritũ sanctum transfundunt eandẽ sine partitione, vel diminutione, essentiam. Sola enim diuisio propriè numerum facit, quod apparet in fide, & doctrina quæ à præceptore in discipulũ tota absque præceptoris detrimento transfunditur, neque duo dicuntur fides, aut doctrinæ. Vt enim fides vna est in omnibus qui credunt. Apostolis non aliud credentibus, aliud nobis, vt diximus suprà: ita diuina essentia, quæ in Filij generatione, & Spiritus sancti productione transfunditur, non nisi vna numero in tribus personis inesse potest: & ita non sunt tres dij, sed vnus Deus, quod substantia vt est indiuisa, & impartibilis, ita indiuisè communicatur.

Numerus ex diuisione tantum exsistit.

Simile.

IV. R.

Quarta ratio, ob diuinarum personarũ mutuam in se immeationem, vel immanẽtiã, quæ Græcè dicitur περιχώρησις. Ideò tres deos non admittimus. Filius enim & Spiritus non sunt extra Patris sinum vel essentiã vt externum, vel diuersum Deum possint constituere, ac per hoc, cum Pater sit immẽsus & infinitus, tanti etiam sint filius, & Spiritus sanctus; vbicunq; vnus eorum est, illic alij consistant nõ tantum oportet, sed vt etiam mutuò se capiant, & complectantur. Ob quam personarum inconfusam capacitatem aliquoties se Filius Dei dicit in Patre esse, & Patrem in se. Hinc Isaias dixit; *Tantũ in te est Deus, & non est absq; te Deus. Verè tu es Deus absconditus*: vbi non tantum expressit ipsos vnum esse substantia, verum etiam ipsos in se immanere. Ita vt hæc vnio maior censeatur, quam illa hypostatica, per quã diuinitas Verbi penitissimè animam Christi attingit, & anima vicissim pro suo modulo diuinitatem penetrat. Et vt diuinitas, & anima Christi sic in se sunt, vt nec confundantur, neque se mutuò eijciant: ita diuinæ personę ad se inuicẽ ita adunantur sine cõfusione, sicut nec ab se inuicẽ discernuntur, vt nulla interueniat distantia, neq; se vltro citroq; capiant per mutuam commixtionẽ aut per alterius in alterũ, quod sit capacius, immissionem, aut per vnius insitionem, alteramve consitionem, verum per eandem deitatis plenitudinem, quę etiam in immẽsum patens in Patre, non potest non cõplecti Filium, & Spiritum sanctum: & rursus infinita in Filio, & Spiritu sancto Patrem circumit, & complectitur.

Ioan. 14. & seqq. Isai. 45.

Diuinarum personarum inter se vnio maior quam hypostatica censetur a Patribus.

Explicatur illa vnio qualis sit.

V. Ratio.

Quintò, ob inseparabilitatem, circuminsessioni proximã, per quam altera persona in alterã permeat, & ab altera non discedit iuxta id Ioan. 8. *Solus nõ sum, sed ego, & qui misit me, Pater*. Et paullò post: *Qui me misit, mecum est, &c.* Et c. 16. in fine: *Non sum, inquit, solus, quia Pater mecum est*. Et c. 14. *Pater in me manens, ipse facit opera*. Et paullò ante dixerat: *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Ergo personæ diuinæ neq; separãtur, neq; distant à se inuicem, si absq; disiunctione perpetuò cõuersantur. Idcircò nos, homines tres dicimus tribus locis distantes qui nec sibi præsentes sunt, nec omninò inseparabiles: at in Trinitate non tres Dij, sed vnus ob personarum indiuiduam societatẽ quæ nec virtute differunt, neq; distinguuntur negotijs, neq; spatijs, locis, vel temporibus diuiduntur. Hinc August. epi. 3. ad Volusianum, vinculo duplici personas colligans, scribit: Filium semper esse in Patre, & semper esse cũ Patre, vt comes indiuiduus, & inseparabilis: semper est in Patre, vt ratio in animo, vt sapientia in sapiente, vt idea & notio in intelligentia.

Ioan. 8. Infrà 14.

August. tom. 2. epist. Quomodo Filius sit semper in Patre secundum August.

Sextò, est æterna inter eos relatio: vt idem sit, Patrem esse, quod hoc aliquid esse: Filio, hoc esse, & esse Filium: Spiritui pariter esse hoc, & Spiritum esse. Nam relatio-

VI. Ratio, & vnde sumatur diuinarum inter se personarum distinctio.

nes pro

nes pro modulo nostro intelligendi cōsti tuunt hypostases, & alteram ab altera differre faciunt. Fieri ergo nequit, quin Pater Filium ad quem refertur, habeat, aut Filius Patrem, cum quo comparetur perenniter, aut Spiritus sanctus Patrem & Filium, quorum perpetuò sit, & dicatur Spiritus. Substantialis ergo illa, indiuiduaque omni ex æuo relatio hoc sempiternè, & inseparabiliter vnum facit: hæc enim est relatiuorū natura, vt vnum sine altero subsistere nequeat.

VII. Ratio. Septimò, impedit plures deos dici, expressa similitudo, & absoluta æqualitas & monarchia: nam qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus: & quantus Pater, tantus Filius, tantus & Spiritus sanctus, qui à Patre promanant. Neq; enim quis dicet, Solem, & eius splendorem esse duo luminaria, aut Regem, & eius expressam imaginem, esse duos Reges, aut fontem, eiusq; riuum esse duas aquas: ergo idem facit monarchia, & operationum συνεργεία. Neque enim imperium eorum scinditur, aut operatio diuiditur: Pater sine Filio nihil molitur, neq; Filius sine Spiritu sancto. Ideò ad hanc actionis vnitatem, & communitatem declarandam Scriptura solet construere nomē Dei plurale, vt Elohim, & Adonai, cum verbo singularis numeri: vt, *Creauit dij*. Gen. 1. *Dij possedit te*. Deut. 32. Non enim alijs imperat Pater, alijs Filius, alijs Spiritus sanctus, sed vnus principatus, vnū regnū, vna dominatio, vna monarchia, quæ omnibus reb. vitā suppeditāt, virtutem, sapientiam, & in omnibus creatis coniunctim & non separatim sua exercent munia. Vnde & rerum omniū vnum est principium, vnus finis. Theodoritus in historia sua refert, in Concilio Romano per Damasum collecto, latum canonem quēdam, quem Augustinus de verbis Apostoli, serm. 13. (vt à quibusdam citatur) ad hunc modum retulit: *Maledictus qui nomina propria personarum, tres Deos, aut tres Dominos, aut tres Spiritus confitetur*. Hic canon ita citatur ab Athanas. li. 6. de vnita deitate, ad Theophilum: *Maledictus qui propter tria nomina personarum tres deos, aut tres substantias aut tres omnipotentes confitetur*. Hęc ibi. Basil. in homil. contra Sabellianos, & Ariū & Anomæos: *Vnus Deus est & pater, vnus Deus & Filius, non dij duo. Nam patri Filius similis est. Non enim aliam in patre diuinitatē intueor, & aliam in Filio; neq; aliam illius, & aliā huius naturam pono*. Cyril. li. contra Iulia. *Nō ignorauit Moses quod Deus vnus, hoc est vna deitatis natura, in sancta, & consubstantiali Trinitate adoratur, nempe in Patre, & Filio, & Spiritusācto. Singula. n. nominata personis, & subsistētys proprijs creduntur esse quod sunt. Etsi Arrius existimaret insolubilem quæstionem, quod tres vnus Deus diceretur, & tribus personis distingui nō posset, Athanasius tamen authoritate Scripturæ dissoluit coram Probo apud Virgilium, quod in Trinitate Deus vnus sit per naturæ vnionem, non secundū distinctionē personarum. Et idcircò tres vnus Deus est, quia trium vna natura est: quia & cum multa animæ, vna anima, & cum omnes homines, vnus homo dicitur secundum naturæ conditionem, quæ omnibus vna est, non secundum diuersitatem asseritur personarum. Si ita horum trium nomen commune requiris, Deus est, iuxta quam nominis communionem & Pater Deus est, & Filius Deus est, & Spiritus sanctus. Et cum vnusquisq; illorū singulariter Deus sit, Deos tamen eos dicere pluraliter naturæ vnitas non admittit, quoniam natura nomen quod Deus est, non priuatum cuiq; & peculiare sed commune est; & ideò non pluraliter dij. sed vnus dicitur Deus*. Hęc ille. Cum ergo Pater essentiam suam in Filiū transfundat, & omnia quæ ab ipsa fluunt essentia, & vterq; in Spiritum sanctum, non possunt esse plures dij, vel æterni, vel immensi. In Concilio per Damasum Romæ conditus est allegatus canon. Et Athanasius in Symbolo: Nam sicut vnamquamq; personam Deum ac dominum confiteri Christiana veritate compellimur; ita tres deos, aut dominos dicere, Catholica religione prohibemur. Hinc B. Thom. in prima parte ait: *Quia Pater, & Filius, & Spiritus sanctus non distinguuntur natura diuinitatis, sed solis relationibus, conuenienter tres personas nō dicimus tres deos, sed vnum verum Deum, & perfectum profitemur. In hominibus verò tres personæ, tres homines dicuntur, & non vnus homo, quia naturæ humanitatis, quæ communis est, differenter cōuenit eis secundum materialem diuisionē; quæ omninò in Deo locū non habet. Vnde in tribus sunt tres humanitates numero differentes, & sola ratio humanitatis in eis communis inuenitur. In tribus autem diuinis personis non tres diuinitates numero differentes, sed vnam simplicem deitatē necesse est esse: & sic non tres deos, sed vnum confitemur, propter vnā simplicē deitatē in trib. personis*. Idem Thomas ad Hanibald. li. 1. sent. dist. 9. q. 1. art. 2. *Aeternus*, inquit, *potest capi adiectiuè, vel substantiuè. Si substantiuè, nō prædicatur nisi in singulari: si adiectiuè, sic Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt tres æterni, tresq; Personæ habentes æternitatē*. Sic ille. Alij nō ferunt dici tres ęternos, nisi per appositionē, tres qui sunt æterni, vel quorum quisq; æternus sit: adiectiuam autem constructionem cum numerabilibus reijciunt absolutè, ne substantiæ multiplicitas vlla ex parte significari videatur. Hanc etiam quęstionē sic dissoluit Cardinalis Petrus Aliacensis in

primo

Margin notes: Genes. I. Deut. 32. — B. Theodorit. part. paulò à medio. — B. Aug. tom. 10. circa prin. — B. Athanas. tom. vlt. — B. Basil. hom. 28. aliquanto ante dimidiū, tom. 1. à med. — Cyril. libr. 4. contra Iulianū circa finem. tom. 3. — B. Athanas. tom. 4. ante dimidium. — Tres personæ in diuinis cur sint nisi vnus Deus, secundū Athanasium. — Athanas. — B. Thom. 1. p. quæst. 39 art. 3. tom. 10. Qua ratione id neget sanctus Doctor. — Idem tom. 17. sub finem. Quo sensu illud admittat dici posse idem Doctor.

Petrus Aliacen. lib. 1. sent. q. 5.
Idem ibidem.

Primo Sentent. *In Symbolo cum concedantur tres coaeterni, & coaequales, miror quare ibidem negetur, tres aeterni, & tres immensi, nec video rationem diuersitatis.* Postea quaerit, sit ne aliquo sensu concedendum, tres esse Deos? Respondet Dei nomen aliquando sumi essentialiter, atque ita reciprocari cum essentiae diuinae, siue diuinitatis vocabulo, eique esse planè synonymum: aliquando intelligi personaliter, supponereque pro certa persona diuina, & sic dicimus Deum generari à Deo, & Christum esse Dei Filium.

Altera solutio quaestionis propositae

Priori designatione non esse concedendos tres Deos, ne essentia Dei multiplex existimetur: posteriori, vt istas propositiones recipimus, non tantum est vna persona diuina, vel tres sunt personae diuinae, quarum quaelibet Deus est; sic agnoscendas has, Non tantum est vnus Deus, vel plures sunt Dij. Et ita iste confiteretur tres immensos, tres aeternos, in quibus attributum est adiectiuum: sed re vera enunciationes aliae, Tres sunt immensi, tres aeterni, in quibus attributum ex adiectiuo conficitur, non sunt eiusdem momenti, & ponderis, atque aliae, nempè tres sunt Dij, tres sunt Domini, tres sunt creatores; quarũ extremum vocabulũ est substãtiuum, vt suprà docui. Deinde, Athanasius eas noluit eodem censeri calculo, sed posteriores simpliciter negari voluisse propter autoritatem Scripturę, quę apertè vnum Deum clamat: haec enim vnitatẽ monachiae, actionem, atque essentiae vnitatem liquidò demonstrant. Priores verò enunciationes propter Arrianos abiecisse, ne in vocibus, in quibus suam *iniuriam* collocabant, cũ ipsis communicaremus. Quod sequentia probant: *Quia sicut sicut vnamquamq; personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur, ita tres Deos, aut Dominos dicere, Catholica Religione prohibemur.* Cur enim non dixisset: Sicut vnamquamque personam omnipotentem, & aeternam confitemur; ita tres Deos omnipotentes, & aeternos dicere, Catholica religione prohibemur? Ex quo apparet, Arrianos vt conflarent inuidiã Catholicis voce Homusij vtentibus, quasi illa mutationem deorum introduceret facta differentis essentiae suspicione, tales voces iactasse: ob quam etiam caussam, teste Epiphanio in Panario, Catholici nostri à voce geniti, & ingeniti abstinuerunt. Et vt scribit Hieronymus ad Damasum, non ausi fuerunt ab initio dicere, tres hypostases, quod & Gentilium vsu, & Arrianorum fuco hypostasis essentiam significaret: ita etiam in Concilio Ephesino inter duodecim anathematismos in Nestorium, in quinto cauetur, ne

Quid minus firmum in illa

Arrianorum nequitia.

Epiphan. sub finem operis.

B. Hieron. ad Damasum. de hypostasi Arrian. tom. 2.
Concilium Ephesinum.

Christus dicatur [illegible], & alio loco, vt dicatur B. Virgo [illegible] non [illegible], aemulantes Dei zelum, quod ad detestandam idololatriam Paganorum colentium Baal, se nollet deinceps appellari Bahali, hoc est, Domine mi (Hebrai. [illegible] quae verba solebant esse vxoris ad virum) apud Oseam capite 2. declarauit.

Bah ali quid sonat.

Refelluntur Autotheani.

¶ Secundo loco disputandum est contra Autotheanos. Nam Galasius quidam libro de diuina Christi essentia profitetur, vnitatis Dei caussam ex personarum [illegible] pendere: & prior Caluinus libro primo Institutionum, & in praefatione libri contra Gentilem Valentinum, & Stancharus, Gregorius Paulus, & Ioannes Cazououius, Isti igitur omnes, Christum à se habere essentiam, non autem à Patre contendunt, & similiter Spiritum sanctum à se esse, nõ autem à Patre & filio. Et isti reuera cum tollant processionem Filij à Patre, & Spiritus sancti ab vtroque, tres essentias distinctas cum Arrianis ponunt: ablata enim origene, seu emanatione vnius ab altero, per quam vnam tuemur essentiam in tribus personis, necessariò in plures essentias, & distinctas, dilabuntur cum Arrio. Sed hanc haeresim Autotheanorum paucis confutabimus, & corũ argumenta diluemus. Scripturę enim & Patres apertè testantur, Christũ omnia à patre suo habere. Primo enim Filius, si Filius est, à Patre suo genitus est, & ab eo esse, & omnia accipit, aliàs Filius non est. Si ergo Christo Domino [illegible] communis est cum Patre, & Christus à semetipso essentiam habet, falsò ergo in Nicęna Synodo definitum esset in Fidei Symbolo, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero:* & non tantum durè, & impropriè, vt ipsi spontè fatentur, nisi velint ad Sabellium transire. Nec valet, si dicant Christum natum ratione personae, cum intereà ratione diuinae naturae à se ipso essentiam obtineat: nihil enim est hoc, cum, teste Augustino, non sit aliud, Deum esse, aliud personam. Sed ijdem omninò fatentur etiam Christum ratione personae suae non esse Deum. Deinde distinguunt re ipsa personam ab essentia diuina, & ita faciunt Deum compositum ex duobus re ipsa differentibus, quorum alterum sit natum, alterum innatum. Atqui Deo & diuina hypostasi nihil est simplicius. Et reuera persona nihil addit diuinae essentiae, quod sit re ipsa distinctum, & nihil adducit compositionis: & licet ratione distinguantur, non tamen discrimen est

Contra Autotheanos.
Gala, & haeretici.
Caluin. ca. 13. nu. 23. & 24.
Stancharus.
Gregor. Paulus
Cazououius.
Quod isti idẽ cũ Arrio sentire videantur.
Christum à Patre, non autem à se ipso esse rationib. euincitur.
Nicaena Synodus.
August. lib. 7 de Trin. ca. 6 initio, tom. 3.

tantum

tantum, quin ex illis ſuppoſitum vnum nõ poſſit conſtitui. Certè apud homines idem eſt eſſentia & perſona; eſſentia quidem eſt id, quod natura ſingularis & atoma: perſona verò eſt id quod per ſe in eadem ſubſiſtit. Et apud Philoſophos quæ ſubiecto differunt, re ipſa diſtinguuntur; ratione verò differunt, quę mente & cogitatione tantùm; ita vt quod re ipſa eſt vnum, ratione tamen ſit diuerſum. ¶ Ecce mel, verbi gratia, idem eſt dulce & candidum: dulce, quia guſtum afficit; candidum, quia cãdore ſuffuſum, & viſum diſgregat. Idem etiam eſt homo & Pater, homo & Filius, Deus & Pater, idem Deus & Filius, etſi cogitatione differant. Idcircò qui diceret, Abelem reſpectu perſonæ ſuæ, vel vt eſt Euæ & Adæ Filius, eſſe procreatum, reſpectu verò ſuæ eſſentiæ qua homo, eſſe ingenitum, riſu & cachinnis exciperetur: quomodo ergò ferendi illi, qui Verbi Dei perſonam numeris omnibus ſimpliciorem, aliud quàm ipſius ſubſtantiam eſſe aſſerunt? Nec poteſt mente concipi, quin ſi Filius eſt, & genitus, naturam acceperit ab eo qui genuit. Nec valet Caluini & ſuorum exemplum, quod proferunt: non minor eſt aquæ eſſentia, in ſcaturigine atque in fonte ipſo & riuo, quæ ſunt illius emanationes: quòd ſi, vt inquirunt, inter ſe comparentur, principium eſt ſcaturigo, ac maior, & ſuperior: ita, aiunt, Pater maior Filio, & Spiritu ſancto. Sed falſiſſimum quod ſit maior, aut ſuperior: nam vt eodem argumento reuincantur, vt vt fons ab ſcaturigine ſemper dimanat, & ab ea exiſtit diſtinguiturque, non tamen habet aliam aquam, quàm illam quæ prodit ab ſcaturigine: ita Filius à Patre ſemper exit, & ab eo diſtinguitur, nec habet aliam ſubſtantiam, niſi quàm accepit à Patre. Vnde Daniel. 7. à facie antiqui dierum emanat rapidum & igneum flumen: quod nihil eſt aliud, quàm pelagus diuinæ eſſentiæ, quæ eſt in Patre, redundare in Filium: & Sapientiæ cap. 7. dicitur Sapientia Dei; emanatio claritatis omnipotentis, & candor lucis æternæ. Vt enim lux à Solis corpore; ita claritas Filij Dei à Patre. Et Eccleſiaſtici capite 24. in fine: *Ego quaſi tra mes aquæ immenſæ de fluuio, ego quaſi fluuius Do rix, & ſicut aquæductus exiui de paradiſo.*

[Margin: Eſſentia & perſona in humanis, vti differant. — Exemplum. — Gen. 4. — Caluini quo oſtendit tres ... os inter ſe ... men pares, ... æquales, exemplum di... itur. — ...an. 7. ...facie anti... ...i dierum, ...pidum & ig... ...um flumen ...manare, apud ...anielẽ quid.]

Iam verò ex Scripturis proferamus teſtimonia, quibus comprobemus, Filium non habere aliquid à ſe, ſed ex Patre ſuo. Ad id tendit, quod dicitur: *Ego hodie genui te: Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam: Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: Ante omnes colles ego parturiebar: Ego ex Deo proceſſi, & veni: neque enim à me ipſo veni, ſed ille me miſit.* Et, *Scio eum quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit.* Prætereà loci omnes idem oſtendunt, in quibus dicitur vnigenitus, aut Filius Dei, aut natus ex Deo, aut vbi quid ſibi datum: quales ſunt, *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt*: ſic dicitur natura diuina, quæ cæteris omnibus excellit, à Patre Filio tributa: *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo: & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt.* Et Ioan. 17. in fine: *Vt videant*, inquit, *claritatem meam quam dediſti mihi (quia dilexiſti me) ante conſtitutionem mundi.* Vbi verba intermedia, *quia dilexiſti me*, per parentheſin ſunt legenda; vt dare claritatem, iungatur cum verbis illis, ante conſtitutionem mundi, vt conueniat cum verbis in initio capitis habitis: *Et nunc clarifica me tu, Pater apud temetipſum, claritate quam habui priuſquam mundus fieret, apud te.* Et cum alijs locis: *Ab initio & ante ſecula creata ſum.* Et Michæas: *Egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* Ex quibus habemus eſſentiam, naturam, ſapientiam, virtutem, & omnia à Patre per generationem Filium habere, vt rectè dixerit: *Mea omnia, tua ſunt: & tua mea ſunt.*

[Margin: Idem veritas ... ſcripturis o... ...nditur. — ...l. 2. — ...b 2. — ...cleſ. 24. — ...ouer. 8. — Idem. — Ioan. 8. — Suprà 7. — Infrà 10. — Suprà 5. — Ibidem. — Eccleſ. 24. — Mich. 5. — Ioan. 17.]

Idem etiam traditione Eccleſiaſtica cõfirmatur: habet enim Nicænum Symbolum: *Et ex Patre natum ante omnia ſecula.* & Symbolum Athanaſij: *Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus: Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus: Spiritus ſanctus à Patre & Filio, nõ factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Tertullianus lib. de Trinitate, & Hilarius libro de Synodis ſcribunt: *Qui aſſerunt tres ingenitos, tres deos introducunt.* Ignatius quoque epiſtola ad Magneſianos, aſſerit Filij ſubſtantiam genitam: & Dionyſius Areopagita de Diuinis nominibus aſſerit fontalem deitatem eſſe ipſum Patrem. Auguſtinus libro Meditationum, Patrem inuocat ὢν, ſiue ens à ſe; Filium, vt ὢν, ab altero; Spiritum ſanctum, vt ὢν, ab vtroque. Et tractatu 31. & 41. in Ioan. *Filius non hoc habet tantùm naſcendo vt ſit Filius, ſed vt omninò ſit.* Hæc ille ferè: & alio loco ait: *Sicut autem Filio præſtat eſſentiam de Patre generatio, ita Spiritui ſancto de vtroque proceſſio.* Hilarius libro 9. de Trinitate contra Arrianos agens; qui producebant illud Marci 13. diem iudicij ignorari ab Angelis, & à Filio hominis, interpretatur ſub finem libri: *Si itaque*, inquit, *diem Filius ſecundùm Sacramentum neſcit vt taceat; è contrario neceſſe eſt; ideò diem Pater ſolus oſtendatur ſcire, quia non tacet. Abſit autem corporalium demutationum nouitates, in Patre & Filio exiſtima*

[Margin: Symb. Nicæn. — Symbol. Athanaſij. — Tertul. — B. Hilar. lib. de Synod. c 5. — B. Ignat. epiſt. 6 paulò à med. — Areop. Diony. de diuin. nomi. c. 2. par. 1. paulò à med. — Auguſtin. lib. Medit. cap 31. tom. 9. — Idem tom. 9. — B. Hilar. — Marc. 13.]

ri, vt aliquando Pater Filio aut loquatur, aut taceat. Et in principio ferè lib. quarti de Trinii. *Nihil nisi natum habet Filius.* Et libro nono ait: *Natura cui contradicis (hæretice) hac vnitas est, vt ita per se agat, ne à se agat; & ita à se non agat, vt per se agat. Intellige agentem Filium, & per eum agentem Patrem. Non ab se agit, cùm Pater in eo manere monstratur.* Iustinus Martyr in lib. de Expositione Fidei, differentiam inter Patrem, Filium & Spiritum sanctum, haberi ait ex modo existentiæ: quia scilicet Pater est ingenitus, genitus Filius, Spiritus procedens. Et Ruffinus in Symbolum explicās id: *Et in Iesum Christum Filium eius vnicum: Vnicus* (inquit) *ergo Filius est; & cùm sit gloria, sempiternitate, virtute, regno, potestate hoc quod Pater est, omnia tamen hac non sine autore sunt Patre: sed ex Patre tanquam Filius habet.* Et Hieronymus in id: *Gloriam meam alteri non dabo*, quod nimirum Arriani pro seipsis proferebant: *Hoc significat*, inquit, *ne idola putentur oppressisse populum Dei. Vel certè cùm dicit, Alteri non dabo, ostendit se alteri iam dedisse: alteri enim ad distinctionem prioris dicitur.* Damascenus lib. 1. cap. 18. *Filius ex Patre est, & omnia quæcunque habet, ex ipso habet. Quare non potest à se ipso quicquam facere: non enim habet appropriatam operationem præter Patrem.* Et capite de Spiritu sancto: *Præter Patrem*, inquit, *habet Filius & Spiritus sanctus quæcunq; habet.* Et Ambrosius in id: *Dedit illi nomen quod est super omne nomen*, interpretatur, *hoc est, esse Deum per naturam, quoniam genuerit Filium plenum & æqualem sibi.* Cyrillus libro 1. Thesaurorum, capite 5. & 6. & Augustinus libro 15. capite 20. de Trinitate: ostendunt Eunomium damnatum, quòd negarit Filiū Dei esse Filium essentiæ siue naturæ, vel substantiæ, vel essentiam ex essentia, sapientiā ex sapientia. Hilarius libro 8. scripsit, Manichæorum hæresim esse, Deum non procedere ex Deo, ne introducatur diuinæ substantiæ partitio. Concilium Nicænum dixit: *Et ex Patre natum.* Et posteà explicat, nasci ex Patre, esse ex Patris substantia gigni. Et hoc apertè militat in Paganos. Auicenna enim libro 1. de interrogationibus & quæsitis: *Deus*, inquit, *est ens necessariò existens, cuius esse impossibile est quòd sit ab alio, & esse cuiuscunque rei alterius ab alio non prouenit, nisi ab esse ipsius.* Et Mahometus Azoara 11. *Constanter dic illis* (scilicet Christianis) *Deum esse vnum necessarium, qui nec genuit, nec generatus est, nec habet quempiam similem.* Et Maximus Paganus epist. 43. inter illas Augustini ita garriebat: *Equidem vnum esse Deum summum, sine initio, sine prole natura, ceu Patrem magnum atque magnificum, quis tam demens, tam mente captus neget esse certissimum?* Ideò fabulosum est commētum impostoris cuiusdam Ioannis Leonardi, qui vnigenitum interpretatus est, id est, genitum in natura diuina, ne eum affirmaret esse eiusdem naturæ. Cyrillus lib 2. Thesaurorū: *Quomodo*, inquit, *verè Filius erit, qui non ex substantia Patris emanat? Sed verè Filius est: consubstantialis ergò etiam est: eadem enim natura geniti & genitoris inuenitur.*

Idem. — *Iustin. martyr tom. 3. in prin.* Inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctu differentia. — *Ruffin. apud Hieron. to. 4. non procul ab init.* — *Hiero. in Isai. ca. 48. sub ini. tom. 5.* Quomodo illud accipiendum, Gloriā meam alteri non dabo. — *Ioan. Damasc.* — *Matth. 11. & Ioan. 16. & Infra 17. Ioan. 5.* — *Idem c. 10. circa med.* — *Ambr. in c. 2. ad Philip. ante med tom. 5. circa fin.* — *Cyril. tom. 2. in princ.* — *August. to. 3.* Eunomius ab Ecclesia quare damnatus. Manichæorū hæresis quænam. — *Synod. Nicen.* — Contra Auicēnam, Mahometum, & Maximum Paganū, generationem esse in diuinis negantes. — *B. Aug. tom. 2*

Ioannes quidā Leonardus quā stultè vnigenitum intellexerit, & quare. — *Mag. Cyril. c. 2. à med. to. 2.*

Argumentantur Autotheani, Filium habere essentiam à se ipso: diuina essentia nec genuit, nec genita est, vt in Abbatem Ioachim definitum, qui putabat Patrem, Filium, & Spiritum sanctum non vera eiusdem essentię ad numerum vnione, sed tantùm collectitia vnam esse substantiam. Sed certæ actiones non sunt naturæ, sed hypostasis, vt testatur Aristoteles, quia natura per se non subsistit, & idcircò non generat. Deinde si substantia diuina generaret, vtique quod generaret, re ipsa ab ea distingueretur: quod falsum est, cùm essentia diuina à nulla persona realiter distinguatur. Prętereà si essentia generaret, aliam necessariò essentiam gigneret, cùm omne quod gignitur, re ipsa distinguatur à gignente. Adhæc Damascenus colligit cuiusque speciei prima indiuidua ingenita quōdam fuisse, & hodie pleraq; sterilia existere, & tamen eiusdē naturæ & speciei. Vt ergo Ineptus esset, qui ideò animātes progenitas fortiri essentiam à matricibus negare vellet, quia pręter animantes fuerunt ingenita; ita qui contendit Filium à Patre non adipisci substantiam. Eusebius lib. 1. Ecclesiasticæ histor. Christum ait ante Luciferum genitum πρὸ τῆς τοῦ κόσμου συστάσεως οὐσιωμένον. id est, ante mundi cōstitutionem essentiatum. Et Dionysij interpres Pachimeres ait: *Spiritus est Spiritus Filij, quòd simul essentiatus propriusque ipsius sit.* Et Dionysius cap. 2. de diuinis nominib. vsurpat vocabulum οὐσιοῦσθαι. Et in hoc sensu bono recipimus Patrem essentiatorem, Filium & Spiritum sanctos essentiatos: quanquam hæc verba irrideant Authotheani.

Autotheanorum proponuntur argumenta, atque soluuntur. — I. Argum. — *Phil. lib. 1. de Anima, to. 2.* — Quod substantia diuina non generet. — *Damasc. lib. 1. cap. 9.* — Ineptus mentoquis. — *Euseb. c. 1. post dimid. tom.* — *Psal. 109.* — *Pachimeres Interpres Dionysij.* — Deus Pater vt sit essentiator, Filius verè & Spiritus sanctus essentiati.

Secundò obijciunt, nomen sacrum & ineffabile Iehouah commune esse cum Patre, Filio, & Spiritu sancto. Nam id Isaiæ 45. *Viuo ego, dicit Iehouah, quia mihi curuabitur omne genu*, Paulus ad Rom. 14. de Christo exponit. & Apocal. 1. & 4. exponitur illud: *Qui est misit me ad vos*, de Christo, & ad illum restringitur, cùm ait: *Gratia vobis & pax ab eo Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est.* Ita enim Iehouah à verbo היה, quod est esse, deriuatur: ergò, inferunt, Christus est autotheos, vel essentiam à Patre non consequitur.

II. Autotheanorum argumentum. — *Isai. 45.* — *Rom. 14.* — *Exod. 3.* — Iehouah nomen vnde descendat.

sequitur. Sed reuera est Iehouah ab illo verbo, quod est esse, descendat, non propterea idem est cum eo, qui Deus est à se, vel qui essentiam à se consequitur, vt Caluinus, sed signat id quod semper, & verè, & propriè, & naturaliter, & necessariò existit, à quo cætera essentiam obtinent, cuius cóparatione reliqua nec quidem sunt, vel per vmbram: itaque hoc commune est sanctis tribus hypostasibus, prę sertim cùm Filius & Spiritus sanctus tam ab æterno existant, & essentiam habeant, quàm Pater, ac reliquis creaturis esse tribuunt. Id quidem quod in seipso est, id est, Patris essentiã, quę ipsa est, possident, sed non à seipsis, plurimum verò distant, id quod est seipso participare, & illud aliud participare à seipso, neque ab alio pendere, vt faciunt omnes creaturæ, quæ naturaliter subsistunt, sed omnes Deo egent, vt se tueantur, vt viuant, vt moueantur: & ideò habent esse nouum, contingens, vanum, caducum, fluẽs ac temporarium. Ita etsi ab æterno producti sint Filius & Spiritus sanctus, & illa productione omnia à Deo consecuti, in se tamen consistunt, sese proprio marte sustinent. Et id est propriè vox αὐτόθεος: nam αὐτὸς in compositione, & extrà, propriè signat per se, siue κατ᾽ αὐτόν. Ita Epiphanius in hæresim Arrij, vocat τὸν αὐτέλειον, αὐτοδοξολόγητον, id est, qui per se absolutum, perfectum, & quod per se glorificabile est, nec illum veretur primus (quod sciam) vocare αὐτόθεον, siue quia propriè, & per se Deus, siue quia Patri est tum ἰσόθεος, tum ὁμόθεος, quibus vocibus vtitur Gregor. Nazian. Et Aristotel. αὐτοαγαθὸν, verum, solidum, quodque per se est bonum. Si autem sentiat reciprocari cum αὐτουσίῳ, quod est essentiam à seipso habere non admitto: quia sic solum conueniret Patri, non Filio, vel Spiritui sancto: etsi in eo sensu nec de Patri pronuntiari quidem rectè potest, quippe qui etsi à nullo sit, non tamen ipse se genuit, & potiùs dicendus est existere seipso, quàm à seipso, ne in grauem & pudendum errorem Lactantij incidamus, asserẽtis Deum se procreasse atq; fecisse. Et quod in oraculis Sibyllinis habetur, Deum pronuntiari αὐτοφυῆ & αὐτογένητον, ad bonum sensum est interpretandum. Producit enim Iustinus vetus oraculum, quod habet: Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ᾽ ἄρ᾽ Ἑβραῖοι Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς. *Soli, inquit, Chaldæi & Hebræi sapientiam nacti sunt castè se genitũ Regem colentes*, & Orpheus cũ Musæo loquẽs, εἷς ἔστ᾽ αὐτογενής, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται, id est: *Vnus est ingenitus, à quo cuncta res sunt creatæ.* Ricardus lib. 1. de Trinit. substantiam primam & principalem à semetipsa esse, ostẽ-

Calvin. lib. 1. Instit. c. 13. num. 23.
Iehoua quid significet.
Quale sit esse creaturarum.
B. Epiphan. in hæresim 69.
Primus Christum Epiphanius vocasse videtur Autotheon.
Greg. Naz. lib. de Theo. & alias.
Aristot.
Deum ex seipso procreatum Lactantius dixit non rectè.
Lact. 1. c. 7. prope finem.
Dictum Sibyllæ, Deum à seipso genitum, quomodo verum sit.
Iustin. martyr in orat. ad Gentiles sub init. to. 2. in princ.
Ricar. à S. Vict.

dere conatur. Est tamen locutio valde impropria, & rectiùs locutus fuisset sine præpositione à, vel ab, vel ex, ne caussæ efficiẽtis daretur suspicio, cùm dicimus, à seipso est: nihil enim seipsum potest efficere, quia esset antequã esset. Et tales propositiones si quando in aliquo Catholico authore reperiantur, interpretandæ sunt negatiuè, vt Deus à seipso est, vel Pater à se est, id est, à nullo existit. Hinc Damascen. rectè ait: *Pater enim sine caussa, & ingenitus: nam non ex alio est. Ex seipso enim illud esse habet.* (Et declarans hoc subdit) *Neq; quippiam eorũ quæcunq; habet, ex altero habet.*

Tertio argumentantur: Si Christus obtineret essentiam à Patre, esset precariò Deus: quod absurdum videtur. Respondemus, precarium Latinè dici vel de prece, vel de eo quod commodatur ad nutum: & quomodocunque in hac controuersia accipiatur, non nisi absurdè dicitur. Qui enim fieri potest, vt quis ab aliquo substantiam obtinens, eam aut prece, aut qualicunq; accommodatione accipiat, cùm in rerum natura non subsistat, vt valeat deprecari, vel accommodato accipere (Sed ponamus sensum esse, Dei Filiũ dono & munere essentiam obtinere: sed id non sequitur ex eo, quod asseritur ex patre genitꝰ. Nam si Isaac qui essentiam ab Abrahamo Patre consecutus est, aut, vt isti dicunt, mutuatus, non propterea dicitur quod homo, sed factitius, non verus, nec proprius & naturalis. Dicendum ergò est, aliud esse dare precariò, siue largitione, aliud dare naturaliter. Filio à Patre datur substãtia, sed necessariò & naturaliter. Munere autem amicus dat amico, id est, quadam animi beneuolentia largitur munus quod sibi retinere potuerat. Non sunt ergò eædem donationes illæ quæ voluntatis sunt, & quæ naturæ sunt opera. Ideo præclarè dixit Bulgarię Archiepiscopus Theophylactus in illud Ioan. 18. *Ergo Rex es tu? Cùm audis, quòd vitam dederit Filio, & iudiciũ, & alia omnia, ita intellige, quòd hæc omnia Filius à Patre habeat.* Et Didymus in fine lib. 1. de Spiritu sancto: *Spiritus non accipiens aliunde sapientiam, dictus est Spiritus sapientiæ; hoc enim ipsum quod subsistit, Spiritus sapientiæ est, & natura eius nihil est aliud nisi Spiritus veritatis, & Spiritus Dei.* Sic ille. Cùm tamen Angelus aliunde sit substantia, aliunde sanctus, aliunde sapiens, aliunde bonus. Et B. Bernard. serm. 80. in Cantica prope finem reprehẽdit Gillebertum Pictauiensem Episcopum, commẽtantem Boetium lib. de Trinit. cùm enim dixisset Boetius: *Cùm dicitur Deus Deus Deus, pertinet ad substãtiam*, noster commẽtator intulit, non quæ

Pater si esset à seipso, quid inde.
Damasc. lib. 1. c. 10. prope init.
III. argum. Autotheanorum. Solutio.
Precarium Latinè quid.
Gen. 21.
Ioan. 18. supra 5.
Ibidem.
B. Didymus to. 9. operum D. Hier. sub finem.
Ioan. 14. Infrà 16.
B. Bern.
Boet. prope fin. operum.

est,sed qua est:quod absit(ait Bernard.) vt assentiat Catholica Ecclesia, esse videlicet substantiam, vel aliquam omninò rem, quæ Deus sit,& quæ non sit Deus.Hæc ille in sensu.

Quod Spiritus sanctus non sit autotheos.
3.Athan.
Ioan.16.

Quod verò Spiritus sanctus non sit αὐτόθεος, vt putant Autotheani,ostendit Athanas. qui in Epistola ad Serapionem de Spiritu sancto scripsit, Παρὰ τοῦ Λόγου τὸ πνεῦμα ἐκλάμπει. Infrà: *De sua*(inquit)*essentia Spiritum sanctum existentem Deum de se essentialiter Apostolis,& sua Ecclesia sponsæ demonstrando Christus affirmauit dicens: De meo accipiet, id est,de mea essentia. Et Spiritus est coessentialis Filio,à quo omnia habet,quæcunque habet. Et ille* (*scilicet Spiritus*)*me glorificauit* (*id est, in se meã,vt habet à me Deitatem, me gloriosum Deũ demonstrauit*)*sicut & ego glorifico Deum Patrem meum,id est,sicut in me ab ipso habeo Deitatem.*

Ibidem.
Ioan.8.
Infrà 16.

Et Christus de Spiritu suo dixit: Non loquetur à semetipso,sed quæcunque audiet loquetur, id est: Non est vt sit expers principij Spiritus, quod est proprium Patris,sed maximè & propriè est ab ipso Filio, à quo accipit vt sit Deus essentialiter.

Idem tom.1.

Idem orat.4.in Arrianos: *Non tria,*inquit, *principia introducimus, cùm tres Soles ad comparationem adducimus,sed vnicum Solem,eiusq; splendorem,vnicam ex ambobus lucem.* Et oratione in eosdem: *De ea accepit Spiritus sanctus,non contra.*

Idem.

Item sub extremum libro de vnitate fidei ad Theophilum. *Quemadmodum ergò duo ligna missa in fornacem ignis, & è duobus lignis procedit flamma inseparabilis: sic de Patre & Filij virtute procedit Spiritus sanctus, ipsam virtutem deitatis habens?*

Idem.

Idem de Concilio Nicæno: *Spiritus sanctus quicquid habet, habet à Verbo Dei, & damnat Ecclesia hac congregata inuentores huius hæreseos,scilicet Arrianæ:& Spiritum sanctum increatum Deum, veram hypostasim de Patris & Filij hypostasibus coessentialem confitetur.*

B.Didy.to.9. operum D. Hieron.prope fin.

Et Didymus lib.2.de Spiritu sancto à medio: *Nõ loquitur à semetipso,hoc est,non sine me. & sine meo & Patris arbitrio:quia inseparabilis à mea & Patris est voluntate: Quia non ex se est,sed ex Patre & me est, hoc enim ipsum quod subsistit & loquitur,à Patre & me illi est.*

Ioan.1.6.
Supra 14.

Et paulò pòst: *Spiritus quoq; sanctus,qui est Spiritus veritatis,Spiritusq; sapientiæ, non potest, Filio loquente, audire quæ nescit;cùm hoc ipsum sit quod profertur à Filio,id est,procedens à veritate.* Paulò infrà: *Neque enim quid aliud est Filius,exceptis his quæ ei dantur à Patre, neq; alia substantia est Spiritus sancti præter id quod datur ei à Filio.* Hęc ille.

B.Damasc. li.3.de orthod.fide,cap.10.sub init.
August.lib.5. de Trin.c.15. tom.3.

Damascenus: *Omnia,*inquit, *quæcũq; habet Filius & Spiritus sanctus,à Patre habet, & ipsum esse habet.* Et August. lib.5.de Trinit. *Sicut naturam præstat Filio sine initio generatio, ita Spiritui sancto præstat essentiam sine initio processio.* Sic ille in sensu potiùs quàm in verbis: & hactenus in Autotheanos.

Refelluntur Sabelliani.

Aduersus Sabellium eius sectatores.
Tertull.
Epiphan.
Praxeas.
Noetus.
Mich. Seruet.
SchegKius.
Antetrinitarij.

¶ Tertio loco agendum in Sabelliũ,ante quem fuit Praxeas idem sentiens, contra quem disputat Tertullianus & Noetus, de quo Epiphanius hæresi 57. quos permulti hodie sectati sunt, vt Michael Seruetus,& SchegKius Brentianus & Medicus eam hæresim renouauit, scribens in Trinitarios Poloniæ natos,& alij qui Antetrinitarij vocati sunt,qui nũc præcipuè regnãt in Hungaria & Transsyluania. Isti omnes cum Sabellio Lybico asserunt, Tres vnus, ita vt ternarius non referat res vel hypostases,cũ in Deo vnam tãtùm naturam & personam ponant, sed esse vt nomina distincta vnius & eiusdem rei, vel vt actiones diuersas eiusdem personæ,vel vt officia distincta: & ita illud vnum indiuiduum nunc dici Patrem,quatenus res omnes cõdidit, & quotidie conseruat; nunc Filium,quatenus in tempore carne assumpta ex Maria Virgine natus est; demùm Spiritum sanctum,quatenus se rebus procreatis impertiretur, & in earum mẽtes substantialiter illaberetur.

Quod nam horum impiũ dogma.

Hæc tamen concedunt Patrem Deum natum,passum,crucifixum per quandam cõmunicationem,vt quondam Patropassiani dicebant:quia isti,vt illis longè priores,etiam Christi incarnationem negãt,& Christum purum hominem profitentur. Itaq; Pater,& Filius,& Spiritus sanctus,illis sunt nomina synonyma,vt gladius,ensis,phramea;vel essent tanquã prænomen, nomen & cognomen,vt M. Tullius Cicero:aut essent vocabula officiorũ,vt Rex,Dux, Comes;siue vt SchegKius in lib.contra Trinitarios,esse vnum Deum numero,multum, vel multiplicem facultatibus & differẽtijs hypostaticis: perinde atque anima vna est, multa verò re ipsa distincta:nempe est vegetans,sentiens & intelligens. Quare audacter negat, Scripturam sacram nominare Patrem,Filium & Spiritum sanctũ, vel res esse vel hypostases: & asserit se appellare δυνάμεις, vel differentias hypostaticas.

Patropassiani cur sic dicti.
SchegKius.

Sed certò lõgè distat δύναμις à persona: est enim propriè δύναμις vis quædam alteri inhærẽs: persona verò in se hæret, per seq; subsistit. Præterea dicere δύναμιν Diuinitatis, est dicere Patrem non esse à seipso, sed ab eo cuius est dynamis. Nam in vera Philosophia potentiæ siue virtutes,siue facultates ab essentijs profluunt:& ignorat hic miser,Paulum vocasse Dei Filium charactẽrẽ hypostasis eius. Gaudet autem similitudine sacchari, in quo est substantia, candor & dul-

Δύναμις à persona quid differat.
Idem.
Heb.1.

cedo, quæ tres proprietates dicunt diſtinctas, licèt ſit vna ſola res. Sed hæc ſimilitudo nó eſt ad rem, & alijs aptioribus & melioribus explicatur.

Pluresesse in Deo personas, Scripturæ testimonijs. I. Locus. Gen. 1. Exod. 6. Gen 6. Infrà 3. Infrà 11. Deut. 23.

Hæc hæreſis confutatur multis ſacrarum literarum teſtimonijs, in quibus Deo tribuitur pluralis numerus: vt Elohim, id eſt, Dij creauit: Adonai, id eſt, Domini mei: &, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt:* &, *Venite, deſcendamus & confundamus ibi linguam eorum:* &, *Dij poſſedit te.* Et niſi vnitas eſſentiæ & actionis, & perſonarum ternio innueretur, frigida eſſent eiuſmodi verba & vanitatis plena. Quod ferre non valens Mahometus dixit, pluralem de Deo locutionem adumbrare quandam in Deo compoſitionem, ac in Deo eſſe animam, cuius gratia pluralis forma, vt de compoſito enuntiatur. Maluit ergò Mahometus quid falſum dicere ac fictum, & Deum facere ſolitarium, quàm humiliter de ſcriptura ſentire. Apparuit Dominus in tribus viris, quos Abrahã & plurali numero alloquitur: *Domine, ſi inueni gratiã in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum.* Geneſ. 18. Et ad Abimelech Gen. 20. *Eduxerunt me Dij de domo patris mei.* Et cap. 35. *Apparuerunt Iacob Dij cum fugeret fratrem ſuum.* Et Deut. 4. *Non eſt alia natio tam grãdis quæ habeat Deos appropinquantes ſibi.* Et Eccleſia Domini Deuter. 5. *Audiuimus vocem deorum viuentium, qui de medio ignis loquitur.* Et Ioſ. vlt. *Non poteritis ſeruire Domino, quoniam Dij ſancti ipſe, vel, Dij ſancti eſt. Et in Regibus Iſrael gens in terra, propter quam iuerunt Dij, vt redimerent ſibi, & Dij liberabunt de manu iniuſta.* 2. Paralip. 32. Eccleſ. 12. *Memento Creatoris tui.* Heb. *Creatorũ tuorum in diebus iuuentutis tuæ.* Et cap. 2. *Quis eſt homo vt poſſit ſequi Regem Deum qui fecerunt eum?* Et Prou. 30. *Noui ſcientiam Kedoſchim,* id eſt, *Sanctorũ.* Iob 35. Et Iſa. 22. *Vbi eſt Deus factores mei?* Et Iſa. 54. *Dominabuntur tui qui fecerunt te, Dominus exercituum nomen eius.* Hierem. 23. *Peruertiſtis verba Deorum viuentium, Domini exercituum.* Daniel. 7. *Regnum dabitur ſanctis Altiſſimorum, & ſuſcipient regnũ ſancti Altiſſimorum, & ſanctos Altiſſimorum conteret.* Malach. 1. *Si ego Domini, vbi timor meus?* Quos quidem omnes locos iuxta literam Hebræam produximus.

Pluralis de Deo locutio, ait Mahometus, Diuinam quandam cõpositionem sapit. Maluit Mahometus quid falsum dicere & fictum, quã humiliter de Scriptura sentire. Genes. 18. Infrà 20. Infrà 35. Deut. 4. Quid illud Salomonis, Noui scientiam Kedoschim.

II. Locus. Psal. 2. & Heb. 1. & 5. Isai. 53. Act. 8.

Ad hæc apertiùs hoc probatur: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: Generationem eius quis enarrabit?* at Genitum & Generãs diſtinctæ ſunt perſonæ, nec vllares generat ſeipſam, vel alteram minorem ſe. Idcircò nec Deus Pater pelagꝰ ſubſtantiæ infinitum, alium generabit, qui ſit accidens, vel qualitas vel facultas. Tertiò,

III. Locus.

dicitur Verbum eſſe in principio, & apud Deum, & Deus: &, *Ego & Pater vnum ſumus: Duorum hominum teſtimonium verum eſt: Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo: & teſtimonium perhibet de me qui miſit me, Pater.* Et infra: *Qui miſit me, mecum eſt, & non reliquit me ſolum.* Et Ioañ. 16. *Venit hora, & iam venit, vt diſpergamini vnuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis: & non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.* Et, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus:* &, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus:* non in nominibus, quia vna trium Deitas. Quartò, multa ſuperiùs in hoc idem comprobandum ex Scripturis produximus, quæ non eſt operæpretium repetere.

Ioan. 1. Ibidem. Ibidem. Suprà 8. Ibidem. 1. Ioan. 5. Matth. vlt. Sabellianorũ Sophismata diluuntur.

Nec obſtant quæ in contrarium obijciunt. Primò quidem Laurentius Valla, perſonam nihil aliud eſſe docet, quàm inſeparabilem qualitatem, vt in Sole lucem, vibrationem caloris: & Caluinus cõtendit perſonę vocabulum qualitatem ſignare: vt cùm dicimus, perſonam Philoſophi, perſonam nobilis, perſonam ſerui. Sed certè nominibus Patris, Filij, & Spiritus ſancti non ſolùm ſignificãtur proprietates, id eſt, Patris, Filij, & Spiritus ſancti notiones (quę à Scholaſticis dicuntur Paternitas, Filiatio, ſpiratio) ſed etiam hypoſtaſes ſiue ſubſiſtentiæ. Vnde Damaſcenus lib. 3. cap. 5. in principio: *In diuinitate vnam naturam confitemur, tres autem hypoſtaſes dicimus, quæ ſecundùm veritatem ſint.* Ideò lib. 1. cap. 10. præclarè notat vocabula Patris, & Filij, & Spiritus ſancti innaſcibilis, Nati, & Procedentis, itemque principij, & eius quod manat ex principio, non ſolùm vnius ad alterum habitudinem, verùm etiam ſubſiſtentiæ modum atque rationem declarare. Et ob eam cauſam quatuor contra iſtos defendit Eccleſia: in primis ſubſiſtentias, quæ per ſe cohærent & ſubſiſtunt, multas & diſtinctas: & confeſſione pluralitatis ſingularitatem ſuſtulit. Deinde docet pluralitatem non tantùm rationis, aut proprietatum, ſed etiam rei, & quaſi ſubiecti: & ita per veram & realem diſtinctionem excluſit id, quod vnicum dicitur. Tertiò in rebus perſonalibus originis ordinem poſuit, ſubmota confuſione, diſcretionem quæ importat ordinem, prædicauit, & cum Tertulliano in Praxeam, perſonam appellauit ordinem in Deo, qui nihil de eſſentia mutat. Quartò, hypoſtaſes indiuiduo amoris vinculo ita ſociauit, vt per conſonantiam auferat ſolitudinem, ſeparationem, diuiſionẽ, & quicquid eſt eiuſmodi.

I. Argum. Laur. Vall. Caluin. lib. 1. instit. cap. 13. num. 5. & 6. Damasc. Idem. De Trinitate veritates quatuor quas Catholica credit, & profitetur Ecclesia. Tertull.

Arguit Schegkius: Quando Pater, Filius,

II. Argum. Schegkij.

lius,& Spiritus sanctus prędicatur de Deo, prædicantur vt partes, seu personæ vnius Dei de tota essentia. Sed falsum est, aliquā trium personarum, partem Dei vel diuinę essentiæ esse, sed potius vnaquæq; illarum verus est & plenus Deus, & tota & plena diuina essentia. Vt contra Maximinum cōfirmat Augustinus dicens: *Putas Deum Patrem cum Filio & Spiritu sancto vnum Deum esse non posse: times enim, ne Pater solus non sit vnus Deus, sed pars vnius Dei, qui constat ex tribus. Noli timere, nulla fit partium in Deitatis vnitate diuisio. Vnus est Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, hoc est, ipsa Trinitas: vnus est Deus, de qua dictum est, quia nullus est Deus nisi vnus.* Et infrà: *Ergò, inquis, Deus Pater pars est Dei? Absit. Tres enim personæ sunt, Pater, & Filius & Spiritus sanctus. Et hi tres, quia vnius substantiæ sunt, vnum sunt, & summè vnum sunt, vbi nulla naturarum, nulla est diuersitas voluntatū. Si autem natura vnum essent, & consensione non essent, non summe vnum essent: si verò natura dispares essent, vnum non essent. Hi ergò tres qui vnum sunt propter ineffabilem coniunctionem Deitatis, qua ineffabiliter copulantur, vnus Deus est.* Infrà: *Quod si in vna persona absurdißimè dicitur, quia pars rei vllius esse non potest Deus, quātò magis pars Trinitatis esse non potest, quicunq; vnus in tribus?* Infrà: *Nec huius Trinitatis tertia pars est vnus, nec maior pars duo quam vnus est ibi: nec maius aliquid sunt omnes quam singuli, quia spiritalis hæc, non corporalis est magnitudo. Qui potest capere, capiat: qui autem non potest, credat, & oret, vt quod credit, intelligat.* Hæc ille sapienter. Adhæc, vt tradunt Scholastici, totum quadrifariam dicitur. Est enim aut essentiale, aut integrans, aut vniuersale, aut numericum: nullum horum est in diuinis: igitur ibi nō sunt vllæ partes. Non est in primis essentiale, quia hoc continet plures essentias imperfectas, vnām perfectam constituentes: non integrale, quia illud habet esse in partibus molis quantitate affectis, quæ possunt cōstituere totum per modum continui vel contigui, vel connexi: non vniuersum; quia in diuinis nihil potest habere rationem vniuersalis pręter essentiam, quæ in pluribus reperitur personis, & de pluribus enuntiatur, quæ videtur esse ratio vniuersalis. At verò essentia ad personas comparata, non habet rationem vniuersitatis, nisi analogicè, & iuxta nostrum intelligendi modum nihil in re penitus statuentem. Ratio enim vniuersitatis cùm sit nudæ intelligentię, nō est ratio rei, & vnitas Diuinæ essentię in personis rei sit ratio & vnitas. Non est etiam totum numerale, quoniam est omninò improprium & alienum ab hac disputatione, neque ad realem distinctionem, quam retinere volumus, accommodatum. Nam totum numerale appellatur numerus aliquorū substantia, siue natura distinctorum multitudinem comprehendens: & Paulus bis Coloss. 1. & 2. profitetur plenitudinem diuinitatis esse in Christo: quod non est aliud, quàm Diuinam personam non esse diuinitatis partem, sed plenitudinem, & totum potius, quàm partem: & si aliquid in Diuinis pars dici debeat, potius est essentia quā persona; cùm persona potius totius rationem habeat, quasi duabus partibus constituatur, Diuinitate & relatione, siue diuina essentia & ꝓprietate relata, vt asserit Thomas lib. 1. senten. distinct. 34. ad Hannibaldum. Et nomine quidem essentiæ, sola rei essentialia principia significantur: sed nomine personæ includuntur omnia, quæ possunt ei conuenire, siue sint essentialia, siue personalia. Abutitur autē Schegkius illa præpositione In, dum ait, personas in essentia diuina produci, vt se Sabellianum prodat, cùm simplicius & intelligentius dici possent personæ quæ de Patris essentia, vel à Deo Patre diuinitatis fonte producuntur. At persona Patris nec in essentia nec ex essentia producitur, quia à nullo existit. Neque etiam dicimus, Abel in humana substantia est generatus, sed ex humana substantia, vel ab Adamo parente progenitus est. Persona ergò non est in alio, vt pars in toto, vt accidens in subiecto, vt forma in materia, vt corpus in loco, vel vllo alio modorum octo, quos Philosophus recenset: verùm persona in se est, se sustinet, in se subsistit, & quæ non est tātùm δυνάμις, vel proprietas hypostatica, vel communicabile idioma, vt Schegkius loquitur, sed significat rem illam dynamin, & proprietatem habentem. Nec enim Filij nomen significat propriè υἱότητα, sed id quod habet υἱότητα, nec Daniel est Danieleitas, vt Ricardus de S. Victor. exempli gratia loquitur, id est, non est ipsum Danielis idioma & proprietas, sed id quod Danielis proprietatem & idioma est consecutum. Non enim voces istæ abstractæ res per se constantes, & concreti rationem habentes, vt sunt personæ, significare consueuere. Et de his satis sit pro ratione loci dictum. Ipsis ergo Patri, Filio, & Spiritui sancto immortales laudes, honores, imperium, & gratiarum actiones reddantur ab omni creatura ratione prædita in seculis sempiternis, Amen.

Margin notes: *B. August. lib. 3. contra Maxim. Arrianū, ca. 10. init. & 6. non procul à fine.* — *Deut. 6.* — *Ioan. 5.* — Diuinæ tres personæ cur vnum sint. — *Matth. 19.* — Totum quadrifariam dicitur: eiusmodi totius nullā rationem in Deo reperiri. — *Coloss. 1. Infra 2.* — In Christo plenitudinem esse diuinitatis, quid sit. — *B. Thom. tom. 17. à med.* — *Schegkius.* — *Gen. 4.* Personæ non vt causa… — *4. Phys.* — *Schegkius.* — *Ricard. de S. Vict. lib. de Trinit.*

TRACTATVS XI.

In quo voces, quæ in Mysterio sanctissimæ Trinitatis vsurpari solent à Patribus, explicantur latè, & à calumnijs Hæreticorum vindicantur.

Præposterum traditionis de re, quæ nomine Trinitatis, quæ caussa extiterit.

ETsi Præposterum videatur, post rem ipsam discussam, & agitatam, de vocibus quibus exprimitur, differere, & quæstio quid nominis priorem soleat locum obtinere: consultò tamen hoc à nobis obseruatum est, vt post dogmatum Trinitatis veritatem perceptam, de vocabulis quæ ad eam explicandam à Patribus vsurpata sunt, tractemus, & quam rectè, & aptè illi conueniant, etiam si hæretici garriant, dilucidum reddamus. Vix enim aptitudo vocum ad res significandas intelligi poterat, nisi prius res ipsas penitus cognitas, & comprehensas haberemus. Aiunt enim Nouatores, ac Sectarij, voces quasdam esse, quas vel ignorat sacra Scriptura, vt οὐσία. & ὁμοούσιος περιχώρησις. vel si nouit, non in ea significatione, vt sunt substantia, hypostasis, persona, caussa, principium, & similes, propria etiam diuinarum personarum, vt ἀγέννητον, γέννητον, & ἐκπορευτόν. hoc est, ingenitú, genitum & procedens, vel prodiens: relationes quoque personarum, vt Paternitas, Filiatio, Spiratio passiua: denique verbum ipsius Triadis, siue Trinitatis suspectum habent, & parum Latinum. Hæc siquidem omnia vt noua habent, & ignota in eo, quo nunc accipiuntur significatu. Respondemus, huius rei caussam, altitudinem tanti Sacramenti; quod omnem linguam, & captum non solum humanum, sed & Angelicum lógo interuallo superat, extitisse. Nomina etiam, & verba nostra cum ab hominibus excogitata non sint, nisi ad exprimédas, & repræsentandas creaturas, cum Deo immenso, & infinito tribuuntur, omnia deficiunt. Scriptura etiam vetus de hoc Mysterio raró locuta est, & valdè occultè: idcircò verba significantia ad tantam rem explicandam non suppetunt. Nouum verò Testamentum etsi clarius & apertius hoc mysterium expresserit, verum perfectam eius cognitionem, & omnimodam loquendi rationé, quam tuto sequámur, Spiritui sancto, & per œcumenicas Synodos, & per summos Pontifices Ecclesiæ Pastores, & sacros Doctores loquenti, pro ratione imbecillitatis nostrę erudiendæ accommodatè tradidit. Qui ergo sapit, non sequatur profanas vocum nouitates, neq; peregrina hæreticorum nomina amplectatur, sed à trita, & certa loquendi ratione, quam Ecclesia tenet, non deflectat. Sed iam de singulis per se verba faciamus.

Tanti mysterij voces Lutherani quas minime probant nec accipiant.

Eorum calumnijs respondetur.

1. Timoth. 6

Essentia.

Essentiæ vocabulum in Scripturis contineri

¶ Essentia, prima vox est, quæ & confundi solet cũ voce substantię. Sed dicamus primum de essentia: quam Trinitarij in Scripturis inueniri negant, & à Mercurio Trismegisto, qui plura in Pimandro de Dei visia philosophatur, acceptam, & nefariè ad Christiana Fidei dogmata traductá, vt quidam illorum tradit, calumniantur. Quod idcircò factũ est, vt negarent Filium Patri ὁμοούσιον, sicut in Nicæna Synodo est definitũ contra Arrianos. Sed certè si Scripturas cõsulamus, voces synonymas & quá proximas significatione inueniemus. Dixit enim Deus ad Mosen Exo. 3. *Qui est; misit me ad vos:* & Apoc. 1. & 2. habetur, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. *Qui est, & qui erat, & qui venturus est*, de quo affirmatur vnum coniugatum, dicitur & alterum. Certè Petrus vocat Christianos, participes Diuinæ naturæ, & Paulus, *Qui cũ in forma Dei esset*, id est natura: quemadmodũ cum subdit: *Formam serui accipiens*, id est, essentiam, siue substantiam. Gręcè habetur ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων. Certè aliud non est οὐσία, vel ὕπαρξις, quã quod Gręcè μορφὴ, vel φύσις. Et Heb. 1. dicitur Christus χαρακτὴρ ὑποστάσεως αὐτοῦ, id est, figura substantiæ, vel character hypostasis. Siue enim hypostasis personam, atq; subsistentiã vt res postulat, significet, vt consentaneum est textui Paulino & proprietati verborum; siue substantiam, vel essentiam, perpetuo sequitur Deo tribuendam essentiam: quia nulla hypostasis est, quæ non priùs sit essentia, nec hypostasis definiri potest, vt in eius definitioné non ingrediatur essentia. Prætereà idem sunt, essentia diuina, Diuina natura, Deitas & Diuinitas, cum Cicero libro de natu. Deo. indifferenter Deorum naturam & diuinitatem pro eodem vsurpet: & Paulus inquit; *Sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas*, & Coloss. 1. & 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, πλήρωμα τῆς θεότητος. Dicamus ergo cum Petro & Paulo (si nó permittitur dici) eiusdem essentię, saltem eiusdem naturæ, vel eiusdé formæ, substantiæ deitatis. Et Ecclesia à Patribus Veteris legis, non à Mercurio vocem essentiæ accepit. Vnde Iosephus in postremis verbis lib. 20. de Antiq. scribit, se complexum quatuor libris sententias suorum Iudæorum. Περὶ Θεοῦ, καὶ τῆς οὐσίας αὐτοῦ. Est autem essentia, rei natura, & ratio, qua vnumquodque constat, & in creaturis omnis essentia communicabilis est pluribus indiuiduis, &

Nicæn. Syno. Greg. Paul. lib. 1. in Sabel. lianos.

Apocal. 4.

2. Pet. 1.

Philip. 2.

Hebr. 1.

Cicero.

Roman. 1. Coloss. 1.

Ioseph. Iud.

Essentiæ definitio.

Hypostasis quid.

hypostasibus, & veluti commune quoddã. Hypostasis verò est substantia prima, quæ dicitur τόδε τι, sicut essentia secunda substãtia, quæ non est nisi in prima. Et sicut essentiæ est esse, ita hypostaticon per se subsistere. Et essentia, respectu personarum nõ est species, quia diuinitas cunctis vocibus Logicis superior est, & ad earum leges vniuersas accommodari non potest absq; errore, quia generalem, & communem naturam non habet, qua participant indiuidua: nihilq; extra ipsam se pandit, cuius sit tanquã pars, vt homo est pars animalis. Deinde nõ dicitur de multis numero differentibus, quomodo differri numero accipiunt Philosophi, sed qualis Pater, talis Filius, & Spiritus sanctus. Præterea non enuntiatur plurali formula de indiuiduis: nã tres personæ nõ sunt tres Dij, vel tres essentiæ diuinæ, sicut tria humana indiuidua dicimus tres homines: quia hic numero dicitur essentia, vt apud Philosophos vna specie. Deniq; essentia diuina vltra tria supposita nõ progreditur, in tria verò necessariò, & naturaliter influit, cum in natura humana, & plures, & pauciores tribus homines versari queant, propter naturam, quę est in infinitũ secabilis & diuidua. Et certè essentia, quę res cõmunis, qua diuinã essentiam vocamus, non est res quarta distincta ab illis tribus personis, nec confitendæ sunt tres personæ in essentia Diuina subsistere, sed è contrario, essentiam in personis, ne quaternionẽ ponere videamur. Et certè communia in singularibus subsistunt, non singularia in cõmunibus, vt contra Platonem docuit Aristot. definiens primas substãtias per se subsistere, secundas non nisi in primis. Vnde B. Damas. lib. 1. de Fide Ortho. *Dicimus autem vnamquamq; trium perfectam habere subsistentiam, vt non ex tribus imperfectis vnam compositã naturam perfectam intelligamus, sed in tribus perfectis personis vnam simplicem substantiam, superperfectam, & anteperfectam. Ex perfectis autem subsistentijs. impoßibile est compositionem euadere: vnde non dicimus speciem ex subsistentijs, sed in subsistentijs.* Et li. 3. *Essentia per se nõ subsistit, sed in ipsis hypostasibus seruatur: commune autem cum proprio, itemq; ipsam per se subsistentiam habet hypostasis.* Hæc ille in sensu.

Diuinitas cunctis vocibus Logicis superior est.

Athanas. in Symbol.

Arist. li. 1. de Anim. & li. 7. Metaphys. 10

3. B. Damasc. c. 10. paulo à med.

Idem c. 6. prope init.

Substantia.

¶ Deinde dicendum de voce Substantiæ, quæ etiam Græcis οὐσίας voci respondet. Hæc ergo vox in sacris literis ambigua & ęquiuoca extenditur ad multa significata, nullibi verò Scripturarũ capitur prout intelligitur de prędicamẽto substantię. Appellãtur enim in primis opes & diuitię substantiæ. Vnde Luc. 15. vbi nos habemus: *Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit,* Græcè dicitur, μέρος οὐσίας, vbi solũ in Nouo Testamẽto, quod sciam, inuenitur vox Vsias. Et cum subditur in eod. c. *Et diuisit illis substantiam*: &, *Dissipauit substantiã suam cũ meretricibus*, non οὐσίαν vocat Euãgelista, sed βίον, quod ex diuitijs & facultatibus hominis commoda vita subsistat. Quod etiã dicitur Luc. 8. de muliere Hęmorrhoyssa, quæ in medicos erogauerat omnem suam substantiã: & Mar. 12. de vidua, quæ obtulit in Gazophilatiũ, omnẽ substantiã suam: in illis locis βίος ponitur, sicut 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi.* Aliquando verò verbũ tertium distinctũ Gręcum ponitur, vt ὕπαρξις. id est, substantiã, à verbo ὑπάρχω. qua voce vtitur Apostolus Hebr. 10 *Cognoscentes vos habere meliorẽ & manẽtẽ substantiã*: & Act. 2. *Possessiones & substantias vendebant*, πάντας ὑπάρξεις. Plerunq; tamẽ nõ ὑπάρξεις. sed τὰ ὑπάρχοντα, substantiã vertit interpres: vt in seq. locis Gen. 12. *Tulit Abrahã vniuersã substantiã*: &, c. 13. *Erat quippe substantia eorũ multa.* Et Luc. 8. *Mulieres quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* & Matt. 19. *Vẽde omnia quæ habes*, πάντα ὑπάρχοντα, id est. *Omnẽ substantiã*: & 1. Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas*: item Matth. 24. *Super omnia bona sua constituet eũ.* Vbi videre potes, τὰ ὑπάρχοντα vario modo verti à nostro interprete, modo per substantiã, modo per facultates, modo per bona: & hæc est prima substantiæ significatio, qua vsus est Quintil. in declamat. *Vt plus substãtiæ filio relinquerem*, id est facultatis.

Eius varia in Scripturis significata.

Luc. 15.

Supra 8.

Mar. 12.

1. Ioan. 3.

Quintil.

Secundò est substantia in alio sensu, & Gręcè dicitur οὐσία, sed ὑπόστασις. & significat primam substantiã, subsistentiã, robur, basim, seu columnam, iuxta id: *Est autem fides sperandarum substantia rerum*, & ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων. Et Psal. 38. *Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus & substantia mea apud te est*, id est, robur meum à te est mihi, vel, in te habeo, omne spei meæ robur. Et Psal. 68. init. *Infixus sum in limo profundi, & nõ est substantia*, siue hypostasis, id est subsistẽtia aliqua, cui tutò niti possint pedes affectuum meorũ, Psa. 88. prope fin. *Memorare quæ mea substantia*, id est, quod sit meum robur, aut quę fortitudo mea à te. Et Psal. 138. *Non est occultatum os meũ à te, quod fecisti in occulto, & substãtia mea* (vel hypostasis mea) *in inferioribus terræ*: vbi hypostasim ossa, quibus in vtero matris est cõpaginatus, significare videtur. In his omnib. locis pro substantia, Græcè habetur hypostasis. Idcircò Apostolus ad Heb. c. 1. Christũ vocauit splendorẽ gloriæ, & characterẽ hypostaseos paternæ.

II. Significatio

Hebr. 11.

Sunt prætereà apud Hier. duo loci. Primus, c.9. *Non audiuisti vocem substantiæ?* Ita Septuaginta, vbi nos habemus, *Vocem possidentis?* Græcè ἐν ὑποστάματι. Quos locos Athanasius in epistola ad Africanos producit ad probandũ, substantię nomen non esse Scripturis ignotum: & eosdem citat Greg. Naz. li. de Fide, & Ambros. lib. 1. de Fide. Cęterum οὐσία, à Quintiliano Latinè vertitur essentia licet sine caussa negauerit posse alia voce interpretari, quoniam Cicero naturæ vocabulo illã reddit. Etsi verò οὐσία vox non inueniatur accepta in ea significatione, nec etiam substantia, satis est alias voces æquiualentes legi; vt cum ait; *Ego sum qui sum: qui est misit me ad vos: Gratia vobis, & pax ab eo qui est & qui erat, & qui venturus est*, & quod Damasc. li. 1. c. 12. accepit ex Greg. Nazian. ex serm. de Natali, Deum esse quoddam pelagus substantiæ infinitum, & interminũ. Et Paul. Gal. 4. *Sed tunc quidẽ ignorantes Deũ, ijs qui natura nõ sunt dij seruiebatis:* & Petrus, *Diuinæ consortes naturæ*, id est substantię: & Pau. *Qui cũ in forma Dei esset* (id est natura diuina) *non rapinã arbitratus est esse se æqualẽ Deo.* Nam etsi compositum ex materia & forma dicatur substãtia, & qualibet eius pars, maximè verò forma, teste Philosopho. Hinc Hilar. lib. de Trinit. *In forma Dei esse, nihil aliud est, quam æqualẽ Deo esse, vt æqualitas honorũ Domino Iesu Christo, qui in forma Dei est, debeatur.* Sic ille. Et sicut paullò post Apost. dicens: *Formã serui accipiens*, accepisse illũ naturã humanã denotat, ita de forma Dei esse, est habere naturã diuinã. Porrò substantia, vt dicit cuiusq; rei essentiam, vel naturam, vel quidditatẽ, hoc est definitionẽ, in omnibus decẽ prędicamẽtis ponitur: & dicitur quidditas, quia interroganti quid est Deus, vel homo, respondemus reddẽdo definitionẽ, quæ rei cuiuslibet est quidditas. At verò substantia vt dicit id quod substat accidẽtibus, vel si non substat, substare tamẽ potest, abusiuè, & impropriè de Deo dicitur: vt Aug. tradit lib. 7. de Trin. Deniq; accipitur pro ente quod per se subsistit, & definitur à Damasc. in Logica sua: *Substantia quidem est res per se existens, non indigens altero ad consistentiam*, id est, in seipsa ens, & nõ in altero habens existentiam. Et ita substantia inuenitur in Deo. Est autẽ existẽtia, siue esse actus fluens ab essentia, siue natura: quod quidem primo loco habet hypostasis, siue persona, deinde essentia, siue natura.

Deinde aduerte, existentiã latius se porrigere: nam conuęnit accidentibus, & non solum substantijs, quia accidentia habent existentiam, non quidem in seipsis, sed in substantijs. Subsistentia verò, quæ propriè est nomen eius actus quo res subsistit formaliter. Thomas tamen cum cæteris doctoribus pro re ipsa subsistente accipiunt, & propriè vocatur hypostasis, quæ quidem addit supra substantiam, proprietatẽ incõmunicabilitatis, quæ si est natura ratione prædita, dicitur persona: in alijs naturis ratione carentibus dicitur suppositũ, & in vtrisq; naturis dicitur hypostasis. Suppositũ ergo est ens completũ, non constituens cũ alio vnum, nec alteri inhęrens, nec ab altero sustentatũ. Dicitur ens completũ, ad differentiam materiæ, & formæ, vt in homine animæ, & corporis, quæ sunt entia quidem, & incompleta, & partes corporis, vt caput, manus, pes, partes sunt substantiæ, sed incompletæ. Additur in definitione: Non constituens cum altero vnum, ad differentiam essentiæ Diuinæ, quæ cum proprietatibus à se non reipsa distinctis cõstituit personas. Additur etiam, Nec alteri inhærens; vt excludantur accidentia. Postremò adiũgitur, Nec ab altero sustentatum; ad differentiã naturæ humanæ in Christo, quæ nõ in propria personalitate, sed in Verbo sustentatur. Natura etiã in diuinis non capitur, vt est principiũ motus, & quietis eius, in quo est, sed secundum se, & nõ per accidens: nec etiã prout distinguitur ab agente libero, & à proposito operante, sed prout est ens completũ, & primaria rei essentia, id est, ea quæ speciem constituit. Ad hæc, secunda substantia est concretũ, nõ abstractum, vt homo, non humanitas: nam in homine dicimus esse humanitatem, non autem hominem. Prima verò substantia addit secundæ principiũ, quo indiuiduatur, & fit hoc aliquid, persona verò addit primę substantiæ dignitatem rationis, & liberi arbitrij: Diuinitas verò est de se hæc, & atoma, & singulariter vna: humanitas verò nõ est de se hæc, sed principio, per quod indiuidua fiat, indiget. Et quia homo concretum est nomen, & hominem, vt est, significat, implicitè materiam, & accidentia cum quibus existit, designat: humanitas autem tantum dicit speciem hominis constituentia, quorum pars non est subsistentia, vel accidens. Vnde re ipsa differunt homo, & hæc humanitas, & consequenter humanitas; & hic homo, seu species, & indiuiduum in substantijs corpore constantibus: quia indiuiduũ supra speciẽ addit accidentia indiuiduantia. In rebus autẽ materia carentibus, vt sunt Angeli, idem prorsus sunt secundum doctrinam B. Thomę. In vtrisq; autẽ substantijs, tã spiritualibus, quam corporeis hypostasis super naturam singulare & atomã addit per se subsistere, ac proinde

Marginal notes: *Athanas. to. 2 in fin.* — *Greg. Nazian.* — *Ambr. c. 6 tom. 2.* — *Quint.* — *Cicero.* — *Exod. 3.* — *Ibidem* — *Apoc. 1. & Infrà 4.* — *Ioan. Dam.* — *Greg. Nazian.* — *2. Pet. 1. & Philip. 2.* — *Arist. c. de subst.* — *B. Hilar. li. 12 de Trin. prope init.* — Quid illud Apostoli, qui cum in forma Di esset. — Substantia 3; quatenus ponatur in prædicamento. — *Aug. c. 5. 10. 3* III. significatus. — *B. Damas. in Logica c. 1.* entitio. — Existentia quid. — Hæc quam late pateat. Accidentium esse est in existere. — Subsistentia quid. *B. Thom.* — Persona in rationalibus inuenitur tantummodo. Definitio explicatur. — Naturæ in diuinis qualis acceptio.

esse incõmunicabile, quod reuera distat ab ipsa singulari natura. Quod in Christi natura cernimus, quæ indiuidua ex se fuit & singularis, non tamen persona propria, & humana, quia non per se subsistebat, sed in Verbo diuino. In Deo autem abstractũ, & concretum re non differunt, nec natura à supposito: quia Deus, Deitas, & hic Deus, & hæc Deitas, & hæc Deitas, & hæc persona, idem sunt.

Hypostaseos.

De voce hypostaseos. Niceph. li. 10. Eccl. hist. c. 15. ¶ Tertiò differendum est de voce hypostaseos. Tradit Nicephorus, Hosium primum missum in Alexandriã à Constantino, vt sedaret Arrij quæstionem & Sabellij Lybici dogma radicitus euelleret, cœpisse disserere de vocibus οὐσίας & ὑποστάσεως: à qua quæstione Nicæna Synodus, vt à re non necessaria, consultò abstinuerat. Nicæna Syno. Alex. Syno. sub Athana. Synodus autẽ Alexandrina sub Athanasio, & alijs, iudicauit non opus esse talia vocabula in Deo ponere. Addit, Philosophos Græcos nihil de hypostasi dixisse, & Ireneum quendam Grãmaticum vocasse nomen barbarum, neque antiquos illa vsos, Sophoclẽ verò in Phœnice accepisse pro insidijs collocatis, Menandrũ pro iuris condimento, aliquos pro vini fæce existente in fundo cadi, alios pro fæcibus & crassiori parte vrinæ. Eius varia acceptio apud externos. Iren Gram. Sophocles. Menander. Suidas verò, qui ex nostris fuit, aliter de hypostasi disserit. Hypostasis quid iuxta Suidam. *Hypostases, inquit, est propriè, quod per se subsistit. Est ergo res, & subsistes, & essentialis, in qua congeries accidentium, tanquam in vno subiecto re, & actu subsistit.* Statim intrà: *secundum Ecclesiasticam & Apostolicam traditionem, hypostasis est persona, id est, character: vt Apostolus Filium splendorem gloriæ, & characterẽ substantiæ eius dicit: hoc est, personam eiusdem essentiæ, characteris, & substantiæ Patris.* Hebr. 1. *Personas autem, & characteres dicimus in Deo, incorporea, & non informata. Persona, siue substantia (id est, hypostasis) est secundum Patres, propriũ supra commune. Communitas enim est, natura cuiusq; rei: propria verò sunt substantiæ, vt naturæ, hoc est, essentia vna est Deitas: hypostases verò tres, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: tres personæ, id est characteres, vna autẽ natura, & genus. Si ergo dixeris: Custodiat nos Deitas; totam sanctam Trinitatem significasti. Si verò dixeris Filius Dei nobiscum, vnam hypostaseon dixisti, & totam Diuinitatem,* Distinctio personarum S. Trinitatis. *Tres hypostaticæ proprietates sunt in Deitate: ortu carere, Patris: Filij, esse natum: & Spiritus sancti, procedere. Pater enim non est genitus: nec procedit Filius, nec genitus est Spiritus sanctus. Quinque autem modis effertur hypostasis, persona, character, indiuiduũ, & proprium. Hypostasis, discreta persona dicitur. Eã igitur (carnem) in hypostasi esse, non tamẽ hypostasim dicimus: Ἐνυπόστατον enim id quod inest: dicitur: Sicut ἀνυπόστατον, quod non subsistit, aut essentiam non habet, vt somniũ quod subsistentiæ est expers, nec subsistit, & est imaginarium, & quod desuper diximus, anhypostatum anhyparctum, & anusiũ quod verbo quidem sæpè dicitur in essentia verò aut hypostasi no cognoscitur; vt, orcus mors, aut morbus. Rursus Enusium dicimus, aut ipsum ens aut proprietatẽ, quæ in ipsa substantia cognoscitur: vt, Enusium est homini rationale, & corruptibile.* Enusium quid. *Similiter etiã Enhypostatũ duobus modis dicitur: aut quod reuera existit: aut in hypostasi proprietas vt in Deo Patre non esse natum, in Filio esse natu, in Spiritu sancto procedere.* Et rursus: *Hypostasis, est essentia cum quibusdã proprietatibus numero à conformibus discrepãs. Aut etiã sic: Hypostasis, est essentia, proprietatem habens characteristicis proprietatibus.* Hæc ille egregie iuxta Patrum doctrinam loquens. Non fuit igitur hoc vocabulum, vel Apostolis, vel Patribus antiquissimis ignotum: quia Paulus Christum vocat characterem Paternæ hypostaseos, dicens, *Qui cum sit splendor gloriæ, & character hypostasis eius.* Hebr. 1. Nec enim ouum ouo tam simile existit, atque Filius Patri: nã substantia siue hypostasis nihil hic aliud significat quam personam, vt etiam intellexit Ricar. li. 6. de Trin. Idẽ etiã facile euincit ratio. Ricar. c. 11. & 22. Christus enim non est paternæ essentiæ character, sed ipsamet paterna substantia. Vnde nec Isaac imago dicitur hominis, vel essentiæ hominis, cum sit homo, sed Patris Abrahæ: à quo similit exordium, cuius lineamenta, & colorem & figuram præsefert. Simile. Deinde imago, relatiuum est vocabulum: relatio verò in diuinis tantum fit inter personas non comparatione essentiæ, ne essentia multiplicari videatur. Est ergo hypostasis vocabulum in significatu personæ, Christianum, Catholicum, Ecclesiasticum, Theologicum, & Paulinum, licet Hieron. ad Damas. scribat: *Tota,* inquit, *secularium literarum schola nihil aliud hypostasin, nisi οὐσίαν nouit.* B. Hier. Epist. 57. circa medium tom. 1. At verò cum per se subsistendi ratio rebus, brutis, & inanimis conueniat, ac ideò Græci Patres, vt Theodoritus in Polyphormio, Damascenus in logica cap. 10. & 11. & Pachimeres in 2. caput de Diui. nominib. Dionysij, hypostasis vocabulum tribuãt bobus, equis, oleis funalibus, & similibus primis substantijs: B. Theod. p. 2. paulo à med. B. Damasc. & per ... Pachimeres interpres B. Dionys. nostri tamen vt cogitationem in naturis præstantioribus detinerent, hoc nomen soli naturæ intelligenti accommodarunt, vocem generis certæ speciei astringentes, & accommodantes. Hinc personæ, siue hypostasis definitio accipitur, nempè intelligentis naturæ in indiuidua subsistentia: quæ cum ea conuenit, quam tradit Hugo

Hugo Etherianus prope operis init.

Etherianus lib. 1. de processione Spiritus sancti in Græcos cap. 11. *Persona*, inquit, *est substantia è proprietatibus eiusdem naturæ rebus numero differens: cuius descriptionis integer, cõsummatusq; hic esse sensus videtur: Persona est substantia rationalis, quæ per suas proprietates singularis potest intelligi: vt pater per generationem, Filius per natiuitatem: sanctus verò Spiritus per processionem: per horum similia, quæ singulis personis connecti possunt singulariter.* Hæc ille. Et

Boetius prope fin. operis.

Boetius lib. de duabus naturis cap. 17. *Persona, est rationalis naturæ indiuidua substantia.* Infrà: *Indiuidua subsistentia. Ita enim plerique veteres substantiam dicebant, quam nos propriè subsistentiam appellamus: & confitebãtur tres in Deo substantias, id est subsistentias.* Ita ille in sensu.

Ricardus de S. Victor.

Ricardus verò lib. 4. de Trinit. ca. 3. aptiorem se reperisse gloriatur, per quam persona dicitur intellectualis naturæ incommunicabilis subsistentia. Præter dictum Pauli locum, est ille Hierem. 23. iuxta 70. *Quis stetit in hypostasi mea? &, Si stetissent in hypostasi mea*: & cap. 9. *Non audiuisti vocem hyparxeos*, id est, existentiæ, vel subsistentiæ: possuntque hæc testimonia ad Verbi personam referri, quæ solam Humanitatem fecit in sua hypostasi stare, & alij credentes in eo sunt

Hebr. 11.

per fidem, quę est subsistentia, siue hypostasis rerum sperandarum. Christi etiam loquentis in carne vocem noluerunt Iudęi agnoscere.

Ὕπαρξις ab οὐσία quid differat.

Differt autẽ ὕπαρξις ab οὐσία: quia οὐσία, est ratio substantiæ, & τὸ τί ἦν εἶναι, id est, definitio.

Alex. Aphr. cap. 1.

Vnde Alexander libr. 2. de Anima: *Multa*, inquit, *entia sunt, quæ quidem ὕπαρξιν, (id est, existentiam) habent, ignotam verò, & occultissimam essentiam: omnes enim & notum, & tempus, & locum esse nouerunt: sed quæ sit eorum essentia, siue natura, & definitio, scire difficillimum.*

Vsia, & hypostasis discrimẽ.

Sic ille. Differunt ergo vsia, & hypostasis, vt genus, & species: nam omnis hypostasis vsia est cum quibusdam proprietatibus numero ab alijs eiusdem speciei differens: nõ autem omnis vsia est hypostasis. Quare vsia est vt κοινότης, id est, communitas, hypostasis verò vt ἰδιότης, id est, proprietas, quæ & persona, & atomon, siue indiuiduum dicitur. Meminerunt etiam antiquissimi Patres huius vocis, vt Dionysius Areopagi-

Dion. Areo.

tes, qui libr. de Diuin. nomin. cap. 2. *Penitus nobis*, inquit, *in vna sui ipsius communicauit hypostaseon.* Et sic citat eum Damascenus lib. 3. cap. 6. de Fide Orthodox. Iustinus etiam

Ioan. Dam. Iust. martyr tom. 3. init.

martyr in expositione Fidei: *Ingenitum, & genitum, & procedens, non essentiæ nomina sunt, sed existentiæ modi, modusq; existentiæ nominibus his denotatur.* Græca habent ὑπάρξεως, & ὕπαρξιν. Infrà: *Quapropter ipsum ingenitum, & genitum, & procedens, non essentiam declarant, sed subsistentias significant.* Hos Patres secuti sũt Basilius, & Gregorius Theologus, apud

Basil. Nazian.

quos inuenitur τελειότατος φύσις ἐν τρισὶ τελείοις, i. natura in triplici hypostasi subsistens, vel vnitas in triplici persona subsistens. Vnde Nazianz. in Epiphaniæ lumina: *Cæterum de Deo cum dico, vno lumine pariter, & tribus illuminamini: tribus quidem, secundum proprietates, vel si alicui ita libuerit appellare, secundum hypostases, seu personas. Minime enim de verbis pugnamus, dummodo syllabæ ad eũdem sensum perducant. Vno autem secundum substãtiæ, siue Deitatis rationem: diuiditur enim indiuisibiliter, vt ita dicam, & coniungitur diuisibiliter.* Idem in oratione de statu episcopali,

Idem inter med. operis, & init.

& dogmate ante med. *Quandoquidem necesse est vnũ custodire Deũ, & tres fateri subsistentias; siue tres personas, & vnãquãq; cũ sua proprietate.* ¶ Quod verò Hieronymus in epistola

Hierony. epi. 57. to. 2. ante medium.

ad Damasum agnoscens vocem hypostasis ambiguam esse, & quandoq; accipi pro essentia, interdum pro supposito, siue prima substantia, nolebat asserere tres hypostases, ne hæreticis fauere videretur, sed vnam tãtũ: postea tamen agnito vsu Patrũ, & Conciliorum, voces ipsas mollientium, & hypostasin pro supposito habente naturam accipiẽtium, agnouit in vna natura tres hypo-

Idem.

stases. Vnde idem Hierony. ad Augustinũ, & Alpium: *Sabellij*, inquit, *errorem declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus. Non enim nomina tantummodò, sed etiã nominũ proprietates, id est, personas, vel, vt Græcè exprimunt ὑποστάσεις, hoc est, subsistentias confitemur.* Hæc ille, qui vocabulum hypostasis interpretatur subsistentiam.

Persona.

Persona.

¶ Quartò loco agendum de vocabulo personæ, quod frequens est in Scripturis, & a-

Eius acceptiones.

pud Patres, & bonos autores, licet in varijs significatis. Primò Latinis personæ voce, iuxta etymon suum, larua significatur, siue facies conficta, quę Gręcis dicitur Πρόσωπον, Vnde in scenas histriones personati prodibãt, id est, assumta forma Principis, vel militis, vel vxoris, vel serui, vt fabulam agerent. Hinc Cicero pro Plancio; *Plancius ab-*

Cicero.

iecta Quæstoria persona, comitiq; sumpta, &c. Et ita vsurpatum est apud bonos authores, vt dicatur imponi persona Prętoris, Con-

Idem.

sulis, Quæstoris. Vnde actio 4. in Verrem, *Vos mihi Prætori biennio ante, Quirites, hoc eodẽ in loco personam hanc imposuistis.*

Persona vnde dicta.

Dicta est autem persona à Verbo personare, quod est sonum magnũ emittere, & voce magna clamare: *Nam caput* (vt C.

Gell. lib. 5. c. 7

Bassus apud Gelliũ, inquit) *& os coopertimẽto*

Personæ vocabulum quam lepide interpretatus sit, quamque esse vocis eius originem dixerit C. Bassus.

personatectum, vndiq; vnaq; tantum vocis emittendæ via peruium, quod non vaga, neque diffusa est, in vnum tantummodò exitum collectam coactamq; vocem, & magis claros, canorosq; sonitus facit. Hęc ille. Ex qua significatione deinde per translationem persona accipi cōsueuit pro qualitate, qua vnus homo ab alio homine distinguitur, vel mēte, vel corpore, vel rebus externis, quæ apud Rhetores attributa appellantur. Vnde eleganter dicimus, hunc agere personam patris, vel parasiti, vel militis, vel serui, vel mulieris, quia qualitates, & proprietates illis conuenientes induit. Hinc Seruius Sulpic. ad Ciceronem scripsit; *Digna tua persona quæ sunt, ea reminiscere.* Et Cicero libr. 1. Offic. *Imposuit nobis ipsa natura personam magna cum excellentia, præstantiaq; animantium reliquorum.* Sic ille, propter rationem, qua homo præditus, & qua cætera animalia destituuntur. Hinc vitium acceptionis personarum, id est vitium, quo qualitates, & res minimè ad merita caussæ facientes iudex respicit.

Cice. li. 4. epi. fam. — *Idem.* — Quid vitium acceptionis personaliter.

III. significatus.

Tertiò solet persona accipi pro homine quolibet, vt vulgus accipere consueuit, dū probum hominem bonam personā vocat. Et Valer. Max. *Conuiuiū,* inquit, *solenne maiores instituerunt; idq; Charistia appellauerunt, cui præter cognatos, & affines nemo interponebatur; vt si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensa, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur.* Et Cicero ad Atticum: *Vt mea persona semper ad improborum ciuium impetus aliquid videretur habere postulare.* Et 4. quæst. Academ. *At vereor interdum, ne talium personarū, cum amplificare velim, imminuam etiam gloriā.* Et Philippica 6. *Non alienum fuit, personas quasdam à vobis recognosci, vt quibus cum bellum gereretis, possitis taciti cogitare.* Adde Cornelium Celsum in proœmio lib. 1. *Medicos nihil tentasse iudico: quia nemo in splendida persona periclitari voluerit coniectura sua; ne si nō seruasset, occidisse videretur.* Hęc ideò prolixius protuli, vt constare possit ex bonorum authorum testimonijs, personam vsurpari ad significandum naturæ rationalis indiuiduam personam, vt Boetius dixit, & B. Paulus in hunc sensum eam vocem accipit. *Nā & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos, in persona Christi.* Et rursus: *Vt ex multarum personis facierum, eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.* Et Iudas Apostolus in Catholica sua Epistola: *Mirātes personas quæstus caussa:* Et Tertullia. libro de præscriptionibus hæret. initio: *Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* Est ergo hæc vox recepta nō tantum à fidelibus, sed etiam ab Ethnicis in eo significatu, & à

Valer. Maxi. li. 2. c. 45. de Sacell. Deæ Viriplacæ. — *Cicero.* — *Idem.* — *Idem.* — *Cornel. Celsus.* — *Boetius lib. de duabus natur. & vna perso. Christi.* — *2. Corint. 2.* — *Suprà 1.* — *Tertull.*

Patribus tam veteribus, quam recentioribus ad mysteria Trinitatis explicāda. Et valet idem quod Græcis hypostasis, proprietas: & subsistentia, & Gręcè πρόσωπον, qua voce æquè atque ὑπόστασις Gręci Theologi vtūtur. Siquidem Damascenus in primis institutionibus monet πρόσωπον, & ὑπόστασιν idē pollere apud Theologos: & sicut πρόσωπον modo pro larua accipitur, modo pro homine ipso: Vnde Phocylides dixit: Ἀδίκως μὴ κρῖνε πρόσωπον, & passim apud nostros Græcos Theologos: ita Latinis non tantum speciē, & similitudinem vultus, sed etiam dignitatem personæ significat. Gregorius Nazianzen. in Epiphaniæ lumina, & oratione de Statu, & dogmate Episcopali, & Suidas, & B. August. declarant, hoc nomen ob necessitatem hæreticis respondendi, & loquendi introductum in Ecclesia. Hinc libr. 5. de Trinita. cap. 9. *Cum quæritur quid tres, magna prorsus inopia humanum laborat eloquium. Dictum est tamen tres personæ, non vt illud diceretur, sed ne taceretur.* Et libro 7. cap. 4. initio: *Loquendi caussa de ineffabilibus, vt fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possumus, dictum est à nostris Græcis vna essentia, tres substantiæ (id est vna vsia, tres hypostases: aliter enim Græci accipiunt substantiam quā Latini) à Latinis autem vna essentia, vel substantia, tres personæ: quia sicut iam diximus, non aliter in sermone nostro, id est, Latino, essentia quam substantia solet intelligi.* Infrà: *An quia Scriptura non dicit tres deos? Sed nec tres personas alicubi Scripturam commemorare inuenimus. An quia nec tres, nec vnam personam Scriptura dicit hac tria? Legimus enim personam Domini, non personam Dominum: propterea licuit loquendi & disputandi necessitate tres personas dicere, nō quia Scriptura dicit, sed quia Scriptura non contradicit. Si autem diceremus tres deos, contradiceret Scriptura, dicens: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Cur ergo & tres essentias non licet dicere, quod similiter Scriptura, sicut non dicit, ita nec contradicit? Aut si propter vnitatem Trinitatis nō dicuntur tres essentiæ, sed vna essentia, cur non propter eandem vnitatem non dicuntur tres substantiæ, vel tres personæ, sed vna substantia, & vna persona? Quam enim est illis commune nomen essentiæ, ita vt singulus quisq; dicatur essentia, tam illis commune est vel substantiæ, vel personæ vocabulum. Quod enim de personis secundū nostram, hoc de substantijs secundum Græcorū consuetudinem ea quæ diximus, oportet intelligi. Sic enim dicunt illi tres substantias vnam essentiā, quemadmodum nos dicimus tres personas vnā essentiam vel substantiā. Quid igitur restat, nisi vt fateamur loquendi necessitate partita (aliàs parta) hæc vocabula, cum opus esset copiosa disputatione aduersū insidias, vel errores hæreticorum?*

B. Damas. — *Phocylides.* — *Greg. Nazian.* — *Idem.* — *Suidas.* — *B. Aug. to. 3.* Diuinæ hypostasis personæ Latinis cur dictæ. — *Idem.* — Cur tres personas Catholici nominēt, cum eas Scripturæ nusquā dicant. — *Deut. 6.* — *1. Senten. dist. 23 c. Verum & hic.* — *Ibidem ca. Quid enim de.* — *Ibidem c. Verum & hic in medio.*

Cur neget tres essentias Ecclesia, sed tres tamen hypostases recipiat, teste Augustino. Idem August. 1. Senten. dist. 23 c. Ideò oritur.

eorum? Posteà subdit, *Negari tres essentias, ne intelligeretur, in summa æqualitate vlla diuersitas, asseri tres personas, siue tres substantias secundùm Græcos, propter errorem Sabellij declinandum.* Et cap. 6. *Cur ergo non hæc tria simul vnã personam dicimus sicut vnam essentiam, & vnum Deum, sed tres dicimus personas, cùm tres Deos, aut tres essentias non dicamus, nisi quia volumus vel vnum aliquod vocabulum seruire huic significationi, qua intelligitur Trinitas, ne omninò taceremus interroganti, quid tres, cùm tres esse fateremur?* Hactenus Augustinus.

Laurent. Valla lib. elegantia. cap 34. Boet. vbi suprà productum fuit. Contra Laurentium Vallam, nomen personæ accipi pro indiuiduo negantē.

Proinde vana sunt, & ab arroganti Grãmatico profecta, quæ Laurentius Valla, reprehendens Boëtium, quod male definierit personam, protulit. Dixit enim, personã Latinè non sumi pro indiuidua substantia rationalis naturæ, sed pro larga, & pro qualitate, siue conditione, per quam homines inter se differunt, & à qua Rhetores sumere argumenta consueuerunt: quod sanè falsum esse, superiùs indicauimus, & Ciceronē, & Celsum, & Valerium in ea significatione, qua Boëtius personam definiuit, vsurpasse. Quę verò ad sua corroboranda addidit, nimirum personam sic sumptã; vt Boëtius accepit, nõ magis esse in Deo, quàm in bruto; & naturæ, seu substantiæ vocabulũ Deo minimè quadrare: & similiter personam in Deo qualitatem significare, & tres personas, id est, tres qualitates esse in Deo statuendas: hęresim planè sapere videntur, & symbolis Fidei, & generalibus Synodis, & sanctis Patribus aduersãtur: tũ quia personæ rationem, vel nomen nullus vnquã brutis animantibus propriè ascripsit. Nomen verò naturæ, & substantiæ verissimè, & proprijssimè Deo quadrat, vt suprà probaui ex Sacris literis; & Deus pelagus est substantiæ infinitum, vt Gregorius Theologus, & Damascenus tradunt; & Christus dicitur hypostasis; siue paternæ substantiæ character, siue figura. Nomen prætereà naturę in Deo Petrus agnouit: *Vt simus,* inquit, *Diuinæ consortes naturæ:* Sicut Paulus tribuit illi nomen formę, per quã æqualis est Deo. Impium est in Deo qualitates statuere, cũ in Deo nullum sit, nec esse possit accidens. Insanum quoque est, personas vocare diuinas qualitates, cùm qualitas in Deo nihil aliud quam essentiam, vel substantiam Deitatis importet; & tres personæ non sint nisi vna, & eadem numero substantia. Porrò quod ibidem subiungit, vibrationem radiorum, & calorem in Sole qualitates esse, & nullam vocem signare meram substantiã, falsa sunt, & à vera philosophia aliena. Siquidem vibratio radiorum Solis non est qualitas, sed actio eius: & in Sole formaliter calor nullus est, etsi impropriè esse dicatur, eo quòd in his inferioribus ex reflexione radiorum producatur. Deinde voces omnes de prædicamento substantiæ, vt lapis, arbor, animal, homo, Petrus, meram substantiam, & nullum accidens in suo significatu complectuntur.

Laurentij Vallæ verba subhæretica, & impia.

Greg Nazia. in sermone de Natali Domini. Ioan Damasc. de Orthodox. fide, cap. ... in fine. Heb. 1. 2. Pet. 1. Philip. 2. Personas in diuinis non esse diuinas qualitates, vt idem somniauit.

Alia eiusdem refelluntur vanissima commenta.

Falsum quoque, nullam rem extare, quæ vera sit substantia: nam Deus mera est substantia, & Angelus, & anima rationalis, & forma substantialis, & materia prima. At si dicat, nullam rem esse sine qualitate, vel accidenti, falsum quoq; est, cùm Deus expers sit omnium accidentium. Quod postremò subdit, Boëtium Romanè loqui nesciuisse*, & nos barbarę loqui docuisse: iniurium, & contumeliosum est verbũ. Et licèt daremus Boëtium id fecisse, tolerabilius fuisset docere barbariem, quàm tradere hæreses, vt fecisse Vallam ostendimus. Et certè Grammaticus vel ab ipsis Grãmaticis erudiri poterat, qui inter pronomina tres personas, primam, secundam, & tertiã agnoscunt, & non nisi pro indiuiduo rationalis substantiæ poni, & vsurpari consueuerunt, vt, Ego, tu, ille, vel Is: quia locutio est hominis, non brutorum.

Idem rursus Valla notans Boetium barbariæ, & falso, notatur ipse temeritatis, & impietatis.

Principium, & caussa.

Caussa in diuinis pro principio à Græcis vsurpatur.

¶ Quinto loco aduertendũ, quod cùm vna persona ab alia oriatur, vt à Patre Filius, & à Patre, & Filio Spiritus sanctus, Theologi insignes Ecclesiæ Græcæ nõ abhorruerunt à voce Caussæ, siue αἰτίας: Latini verò Doctores ab ea diligenter abstinuerunt, & tãtũ vocabulo principij vsi sunt. Pater enim est causa Filij, & vterque causa Spiritus sancti secundũ Græcos: iuxta Latinos Pater est principiũ Filij, & vterq; principiũ Spiritus sancti. Pro quorũ dilucidiori notitia aduerte, caussam, & principiũ formaliter idē non esse: nã principiũ, tantũ dicit ordinē vnius ad alterũ, siue ille sit productionis, siue tēporis, siue loci, siue dignitatis, siue cognitionis: ordo autē necessariò distinctionē ponit. Ideò Aristoteles lib. 1. Metaphys. vocat principiũ, illud vnde aliquid vel fit, vel cognoscitur. Caussa verò supra principium, addit influxum, & efficientiam in aliud. Et ita omnis caussa est principium, non tamen omne principium est caussa. Quare Græci Patres considerantes in Deo esse ordinem cum productione, nõ solùm principij, sed etiam caussę vocabulis sunt vsi: qua ratione Damascenus lib. 1. de Fide Orthodox. cap 9. vocat Patrem caussam Filij, & Basil. epistola 48. & Hilarius lib. 4. de Trinit. *Pater,* inquit, *est principium totius Trinitatis*, id est, aliarum Personarum, *non sui ipsius:* Et Patrē,

Caussa & principium in quo differant.

Arist. to 3.

B. Damasc. B. Basil. to. 3. D. Hilar.

Naziang. Gregor. medium inter operis, & initium

Filij authorem vocat. Item Nazianzenus oratione de statu, & dogmate Episcoporũ: *Filij principium Pater tãquàm caussa.* Per caussam significantes hi Patres nihil aliud quã principium producens, & cõmunicans esse suum Filio. At verò quia caussa communicans aliquid alteri, ponit illud cui datur de integro productum dari, quod non est in Patre, & Filio, quia ab æterno & Pater dedit, & ab æterno Filius accepit. Et illud quod datur, non fit, cùm sit æterna Dei essentia, quæ datur, & accipitur: ideò in illa communicatione nulla est mutatio, vt solet in omnibus alijs rebus naturalibus inueniri. Quod timentes Latini, à voce caussæ abstinuerunt, & principij nomen vsurparunt, quia est superius vocabulum, & non ita exprimit mutationem vt caussa, etiamsi vera caussæ ratio inueniatur in productione Filij à Patre: quia Pater non est tantùm principiũ ordinis, sed productionis, in qua per se caussæ ratio consistit. Hinc Gregorius Theologus in prædicto loco: *Venerare proprietates, Patris quidem, & sine principio, & cum principio intellecti, & dicti; principij autem tanquàm caussæ, tanquàm fontis, tanquàm luminis æterni: Filij autem sine principio quidem minimè, principij verò vniuersorum. Principium verò cum dico, nequaquam tempus interponito, neque medium quippiam inter naturam generantis, & generati; ne diuidas naturam, cùm malè quid interposueris sempiternis, & coniunctis. Si enim tempus Filio est longæuius, illius scilicet primùm caussa erit Pater.* Infrà (vt habet noua editio Iacobi Bullei Abbas locupletior) *Principium igitur nescit Pater: nec enim aliunde, nec à se ipso originem habet. At Filius, si quidem vt caussam Patrem accipias, nequaquàm principio caret. Principium enim Filij Pater est, vt caussa: sin de tempore principium intellexeris, principij quoque omnis est expers.* Hæc ille magnus Theologus. August. lib. 3. cõtra Maximinum c. 17. in fine, affirmat Patrem, esse principium non de principio: Filium, principiũ de principio: Spiritum Sanctum, principium de vtroque principio, qui tamẽ vnum sunt simul principium, non duo principia. Et sicut Adam, primus homo dicitur, & humanæ naturæ principium, non quia sibi esse dederit, aut humanæ naturæ sit caussa, sed quia primus homo extitit, & reliquorum omnium hominum qui ab eo propagati sunt: ita Pater in diuinis principium est Deitatis, quia est prima persona, non tempore, vel natura antegrediens, & ab eo Filius, & ab vtrôque Spiritus sanctus promanat.

Latini Patres Deum Patrem Filij caussam cur esse negauerunt.

Greg. Nazia.

Iacob Bullem abb.

Quomodo Pater dicatur principium Filij.

B. Aug. tom. 6. circa finem.

Gen. 1.

1. Cor. 15.

Exemplum.

Circumincessio, vel Inexistentia.

¶ Sexto loco de voce Circumincessionis, vel Inexistentia, quæ Græcè dicitur περιχωρήσεως, tractandum est. Erasmus Sarcerius eã definiens in Dictionario Theologico dixit: *Circumincessio est, qua dicitur quod vnus in alio sit, vel è cõuerso, vel est quædam actualis inexistentia, qua aliquid dicitur inexistere alicui, quod est realiter distinctum ab eo per intimam præsentialitatem, quod in solo Deo propriè est.* Græcè dicitur περιχώρησις, quæ circuitus est propriè, & complexus personarum, quæ vniuntur in vna essentia, siue immeatio: & immanentio in se mutuò hypostaseon. Vox quidem à Damasceno pluries vsurpata, vt libr. 3. cap. 4. in fine, & lib. 4. cap. 19. in principio, & lib. 1. c. 19. initio videtur eã describere: *Immanẽtia,* inquit, *& stabilitas hypostaseon inuicem est. Nam ipsæ inseparatæ, & inabscedentes sunt ab inuicem, inconfusam habentes in inuicem circuitionem. Non quòd cõmisceantur, aut confundantur, sed quòd inuicem inhabitentur. Nã Filius in Patre, & Spiritu, & Spiritus in Patre & Filio, & Pater in Filio, & Spiritu: nulla quidem facta contractione, cõmixtione, aut confusione, & est vnitas, & idẽtitas motionis.* Hæc ille. Est etiam vox Latina Circumincessionis ab Scholasticis vsurpata recentioribus magis quã ab antiquis, quia B. Thomas eius nõ meminit; eius tamen Scotus, Durãdus, OKam, mentionẽ faciunt: cùm enim incidissent, in Ioan. Damasceni veterem versionem, vocabulo isto minùs Latino, & culto, Græcũ elegans περιχώρησιν expresserũt, quo personæ Diuinæ à se inuicẽ absque separatione distinguuntur, in se tamẽ absque confusione insunt, seque; veluti immeant; ita vt Filius, & Spiritus sanctus non sint extra essentiam & sinum Patris, vt externum, diuersumue Deum possunt cõstituere. Et idcircò cùm Pater sit immensus, & infinitus, tanti etiã sunt Filius, & Spiritus sanctus; & vbicunque vnus eorũ est, illic etiã alij consistant, mutuò se capientes, & complectẽtes ob inconfusam personarũ capacitatem. Et hæc significata est immeatio, cũ dixit Dominus: *Ego, & Pater vnum sumus: Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Et Paulus: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi: Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Et Propheta: *Tãtùm in te est Deus, & nõ est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus:* explicans ipsos vnũ esse substãtia, & in se immanere, & Deum non esse solitariũ, vel diuersum. Et hoc est illud vinculũ, quod teste Hilario nefariè conabantur dirũpere. Arriani ponẽtes varias essentias in personis (de quo Ioãnes. *Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est*) & Catholici retinuerunt vocantes ὁμοούσιον, ἀδιαίρετον, & ἀσύγχυτον, id est, cõsubstantialem, indiuisum, & inconfusum.

περιχώρησις Circumincessio, quid sit. Erasm. Sarcerius.

B. Damasc.

Scotus. Durandus. OKam.

Ioan. 10. Infra 14. 2. Cor. 5.

Ioan. 1. Isai. 45.

B. Hilar. de Trinit.

1. Ioan. 4.

Exempla

Hæc Circuminceſſio qualis ſit.

Exempla huius Circuminceſſionis ſunt adhibenda, quo res obſcura illuminetur. Nam non eſt longè ab illapſu Dei, quo ille in mentes piorum ſeſe inſinuat,infunditq; ſubſtantialiter,aut cùm ſpiritus immundus in animos eorum, qui arreptitij, & energumeni dicũtur,illabitur,ſine cõfuſione; aut vt corpus immortalitate, & gloria beatũ. in alio corpore tali claritate nequaquàm prædito ineſt: quale fecit Chriſtus, dum è ſepulchro lapide magno clauſo & munito prodijt;& cùm ingreſſus eſt ad Diſcipulos ianuis clauſis fortiter obſeratis.In Angelis etiã tanta viget puritas, & ſimplicitas, vt in ſe inuicem citra vllam noxam,aut alterius ceſſionem penetrare,introire,inſidere, & ſubſiſtere poſſint: vt cùm cereorum plura lumina in vna domo etianſi ſe permiſcuerint,atq; coniunxerint, integra tamen atq; incorrupta, & perfecta diſiũctione ſeparãtur. In duabus etiam Chriſti naturis ad vnã hypoſtaſin coniunctis, exemplũ habemus: de quo Damaſcenus lib.3.cap.5.6.& lib.4. cap.19.circa medium. Tanta eſt enim naturarum vnio inter ſe, vt Diuinitas per totam Chriſti animam commeet; anima viciſſim pro ſuo modulo, Diuinitatis plenitudinem capiat. Vt meritò ventiletur inter Doctores Scholaſticos, maior ne ſit trium perſonarum inter ſe vnio, quàm duarum Chriſti naturarum coniunctio. Niſi quòd vnio cum penetratione,introitu,pręſentia nuſquàm diſtanti ſubſtantialem idẽtitatem complectitur. Alia verò duo inexiſtentiæ genera,id eſt,Angelorum & duarum naturarum in Chriſto, quoniam ſine eiuſdem ſubſtantiæ communicatione adueniunt,ad hanc Trinitatis non propriè pertinent. Primum fit per externam receptationem,qua res loco cõtenta dicitur eſſe in loco: alterũ per præſentiam, quæ quauis diſtãtia caret: vt cùm Angelum in loco, accidens in ſubiecto,formam in materia eſſe aſſerimus: ad quam ſpeciem refertur quod diximus de duabus Chriſti naturis ſe inuicem abſque confuſione, ac mutatione immeare: ita tamen,vt immeatio nõ proficiſcatur ex carne,quæ nequit Diuinitatem peruadere,ſed ex Diuina ſubſtantia,cui omnia concedunt neceſſariò. Vnde ipſa Diuinitas carnem permeans tribuit carni erga ſe mirabilem inexiſtentiam, quam vnionem vocamus, & Circuminceſſionem. Tertium hoc intimæ,pleniſſimæ,ac nullo modo diſtãti præſentię Conſubſtantialitatem addit, Deique eſt maximè propria : in cuius beatiſſima Trinitate (vt tradit Auguſtin.) ſingula ſunt in ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus,& omnia in omnibus,& vnum omnia. Quod ſignu expreſſit Hilarius lib. 8.de Trinit. eleganti ſimilitudine cũ Euchariſtia, qua corpori Domini ſubſtantialiter adunamur: eamq; ideò appellauit Sacramentum vnitatis Patris,& Filij. Quemadmodum enim Chriſtus nobis ἐμμένων in nobis carnaliter per Sacramenti participationem eſt; ſic ille in Patre naturaliter per Diuinitatis ſubſtantiam atque cõſortium.

II. Exemplum.

Matth. 28. Supra. 27. Ioan. 20. Tertium.

Quartum.

B. Damaſc.

Col. 1. & infrà 2.

Eiuſmodi exempla inuicē comparantur.

Vnionis hypoſtaticæ conditio.

B. Aug. lib. 6. de Tri. c. vlt. in fin. to. 3.

B. Hilarius euchariſtiam Hilarius cur dixerit Sacramentum vnitatis Patris & Filij.

In omni inexiſtentia duo requiruntur, & quænam illa.

Quoniam enim in omni inexiſtentia abſoluta requiruntur potiſſimũ duo: diſtinctio ſimul,& vnitas, ac in ſolis Diuinis hypoſtaſibus ſumma reperitur vnitas, itemque diſtinctio: in illis enim vt diſtinctio nõ confunditur, ita neq; vnitas diſtinguitur, quoniam Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſine confuſione indiuiſi ſunt,& vt Nazianzenus ait, ἀδιαιρέτως καὶ ἀσυγχύτως: ita in ſolo Deo perfecta eſt περιχώρησις. Ex quibus accipe illud quod Dominus Dixit : *Exiui à Patre, & ad Patrem vado*, veriſſimum eſſe, etiamſi ipſe dixerit: *Ego, & Pater vnũ ſumus*. Docet enim Dionyſius ca.2. de Diuin. nominib. par.1. *Quomodo*, inquit, *ſi ex multis facibus vna ſubdũceretur fax è domo, nihil in illa ſecũ traheret ex alijs luminibus, nihil etiã de ſuo illis relinqueret: ita cogita Filium, de cælo à Patre profectum in mũdum, nec traxiſſe Patrem, neq; Spiritum ſanctum, ſed nec illis aliquid ſui reliquiſſe, atq; indiuiduum ſua immanentia exitum feciſſe, & veniſſe ad nos, & peracto curſu, ad Patrẽ reuerſum eſſe.* Quod non intelligens Andreas Fricius hæreticus in libro De mediatore Chriſto, ſe videre non poſſe fatetur, quomodo ſi vna ſit trium perſonarum eſſentia, Pater ſimul cum Filio nõ ſit incarnatus. Nõ enim incarnatio in eſſentia facta eſt Filij, quia ſic ad omnes perſonas ſpectaret, ſed ad ſolam, & vnam Verbi Dei hypoſtaſim.

B. Greg. Naz.

Ioan. 16.

Exemplum B. Dionyſij perelegans.

Andreas Fricius.

De proprietatibus Perſonarum.

Propria Diuinarum Perſonarum.

¶Septimò, De proprijs Perſonarnum dicẽdum eſt. Vt enim diuinæ perſonę in eſſentia ſunt vnum, ita in ratione perſonæ plures ſunt, & diſtinctę. Vbi enim pluritas eſt, ibi neceſſariò eſt diſtinctio illorum inter ſe. Vbi diſtinctio, ibi etiam propria, per quę diſtingui, & ſecerni valeant; de quibus canit Eccleſia: Vt in perſonis proprietas, in eſſentia vnitas, in Maieſtate adoretur ęqualitas. Et Bernardus epiſt. ad Innocentium contra Petrum Abailardum: *Licèt in hac ineffabili, & incomprehenſibili Deitatis eſſentia, aliter & alter, id quidem requirentibus proprietatibus perſonarum, ſobriè, Catholiceq; dicatur : nõ tamen ibi eſt alterum & alterum, ſed ſimplex vnum; vt nec præiudicium faciat vnitati Trinitatis confeſſio, nec proprietatum ſit excluſio, vera aſſertio vnitatis.* Et infrà : *Nam per alium, & aliud*

B. Bern. ep. 9. 189 alias numero à principio.

Idem ibidem.

aliud, nouit pietas Fidei, cautè inter personarum proprietates, & indiuiduam essentiæ vnitatem discernere, & medium iter tenens, regia incedere via, &c.

Idem.

Idem lib. 5. De considerat. ad Eugenium, circa finem: *Nō numerus proprietatum, qualem personis ipsis inesse fatemur, etsi nō aliud à personis.* Sic ille, docens proprietates Personarum à Personis reipsa nō distingui. Et

B. Damasc.

Damascenus lib. 1. De Fide Orthodox. ca. 9. sub initiū: loquēs de Spiritus sancti processione: *Alius autem hic subsistentiæ modus, incomprehensibilis, & incognoscibilis, quemadmodum, & Filij generatio. Quapropter quæcunque*

Matth. 11. & Ioan. 16.

habet Pater, Filij sunt præter innascendi proprietatem: quæ non significat substantiæ differentiam, neque dignitatis, sed sui silentiæ modum. Hæc ille, docens innascibile, siue ingenitū esse proprium Patri, sicut Filio genitum, & Spiritui sancto procedere. Et ante eum

Iustin. Martyr [illegible]

Iustinus Martyr in Expositione Fidei ait: *Quapropter ipsum ingenitum, & genitum, & procedens, non essentiam declarant, sed subsistentias significant. Satis enim sunt nobis ad discernendas personas, & ad Patris, & Filij & Spiritus sancti, peculiariter cuiusque indicādam subsistentiam.*

Greg. Nazian. ante operum dimid.

Adde Gregorium Nazianzenum in oratione in laudem Heronis philosophi ab exilio redeuntis: *Hoc enim Pater, & Filius, & Spiritus sanctus commune inter se habent, quòd minimè creati sunt, quodq́ue diuinitate iunguntur. Hoc item commune Filius, & Spiritus sanctus, quod vterque eorum ex Patre est. Hac autem proprietate inter se distinguuntur, quòd Pater Ingenitus sit, Filius Genitus, Spiritus sanctus Emissus. Quod si modum quærere pergis, quid ijs relicturus es, quos solos mutuò se cognoscere, atque à se mutuò cognosci Scriptura testatur: aut ijs etiam nostrum, quibus in altero æuo diuinitùs illustrari continget?* Hæc ille. Et hæc sint satis de proprietatibus.

Relationes in Diuinis vbi inhæreant.

In istis fundantur relationes, quibus personæ inuicem referuntur, vt Pater ad Filium, vel Generans ad Genitum, & Spirator ad Spiritum procedentem, & è contrario. Nam Spiritus ad Spirantem eum necessariò refertur, & simul sunt natura, & simul concipiuntur.

Eadem quid designant.

Illud porrò aduerte, nullas relationes originis in diuina persona perfectionē simpliciter dicere: siquidem cum omnes perfectiones simpliciter meliores sint suis disparatis, vna relatio esset altera melior. Nec tamen propterea negamus, relationes dicere perfectiones secūdum quid, siue secūdum relationē (vt sic dicam) modalem: nec vllum inconueniens est ponere in vna persona perfectionem quæ non sit in alia, quia talis perfectio non est perfectio simpliciter simplex, sed relatiua, quæ etiam eminenter ratione essentiæ est in quauis persona, ac proinde vna persona non est alia perfectior. Non ergo in relationibus attenditur ordo dignitatis, secundùm maiorem, vel minorem perfectionem simpliciter, sed solùm secundùm perfectionem relatiuam, sed secundùm magis, vel minus principale, vt Sancti Patres loquuntur.

Hinc Pater in diuinis dicitur principalior, non perfectior: quia res quanta diuiditur in perfectā, & in imperfectam: sicut etiam in finitam, & infinitam: sed nō sic res, quæ non est quanta, vel relatio, quæ ob id non dicitur finita, vel infinita; perfecta vel imperfecta. Idem de immanentibus hypostaseon actionibus sentiendum, ne incommoda multa sequantur contra singularem hypostaseon maiestatem. Nam si Generari dicat perfectionem, vel potentiam, Filius illa ratione esset perfectior, & potentior Patre, quod Filius gignitur, Pater non gignitur. si imperfectionē, vel imbecillitatem, certè Filius imbecillior, & imperfectior esset Patre: quòd nemo Catholicus concesserit. De his duximus hoc loco admonendū Lectorem, etiamsi nos aliter senserimus, & alter argumenta ista dissoluerimus.

Trinitas.

Trinitas.

Laurent. Valla.

Gentil. Valentin.

Genebr. Parisien. recens nostri seculi nobilis Scriptor.

¶ Postremò de Trinitatis vocabulo tractādum; de quo Valla libro 3. eleganti. cap. 5. dixit, esse Trium vnam diuinitatem. Gentilis verò Valentinus Bernæ combustus in Prothesibus dixit, Trium vnitatē. Sed hæc auscultanda nō sunt; quia, vt doctè ait Doctor Genebrardus Parisien. etsi certum sit trium Diuinarum Hypostaseon vnam esse Deitatem, & summam vnitatem; nō est tamen hæc propria Verbi natura, & etymologia. Quod apparet ex Græco nomine τριὰς, cui illud nō respondet, & Trinitas, sicut τριὰς ternionem designat, vt duernio, & quaternio duarū, vel quatuor chartarū numerum, vel alterius rei. Dicimus enim Trinitatem Angelorum, hominum, vel rerum. Sed ridiculi sunt, & deplorandi, qui ex hac etymologia demoliri volunt Triū Personarum veritatem.

Caluinus.

Et Caluinus lib. 1. Institut. cap. 13. num. 25. contra hæreticum Gentilem, ex eo quòd veteres Trinitatis voce tres personas intelligerēt, citra essentiæ comparationem colligit in personis essentiam non comprehendi. Perinde atque si quis negaret, trinitatem hominum, ex eo quod significet tres homines, propterea vellet essentiā humanā ab illis excludere. Quibus in verbis rediit Caluinus ad ingenium, putans personam esse proprietatem, non subsistentiā.

Isidori Hispalensis haud

Isiodoro verò parcendū,

qui

Idoneum Trinitatis etymo. qui lib. 1. c. 4. scripsit: *Vnitas, inquit, est simplex, & singularis, trinitas verò multiplex, & numerabilis: quia Trinitas, est Trium vnitas*: Quia aut ludere voluit tropo notationes oratoriæ, quo similiter iocamur, dicentes ciuitatem esse ciuium vnitatem: aut certè in hac etymologia, sicut in alijs multis, nimius fuit. Et porrò ei condonandum, quia ex tali etymologia nullum monstrũ contra Fidẽ elicuit, vt priores Hæretici dicti. Est autem hæc vox non noua, sed Apostolica: nã Dionys. lib. de Diuinis nomin. & de mystica Theologia hanc Triadis vocem vsurpat, & Iustinus Martyr in lib. expositionis Fidei, & Gregorius Thaumaturgus in formula quadam, quam inuenies apud Eusebium historiæ Ecclesiast. lib. 7. cap. 24. & Athenagoras in Apologia pro Christianis, & Tertullianus, qui peculiarem librum inscripsit de Trinitate. Porrò quòd Lutherus anno Domini M. D. XLIII. in Enchiridio quod edidit, illam orationem: *Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis*, expungendam cẽsuit de Litanijs, admiratus sum: nec enim illa oratio barbara est, aut minus Catholica, sed recepta à Patribus. Ecce Augustinus epistola 67. *Ita Pater, ita Filius, ita Spiritus sanctus, ita Trinitas vnus Deus*. Et libro 1. de Trinit. cap. 2. initio testatur, se Domino Deo adiuuante demonstrandum suscipere, Trinitatem esse vnum Deum, & solum, & verum. Et Tertul. in Praxean paullò durius loquitur: *Pater, Filius, & Spiritus sanctus tres vnum sistunt Deo*. Dionysius ca. 2. De diuin. nominib. Τρισυπόστατος φύσις ὁ Θεὸς. id est, *Ter subsistens natura Deus*. Et, Τριαδικὴ ἑνὰς τρισυπόστατος, id est, *terna vnitas, & vnitas ter consistens*. Si contendant Hæretici vocem esse barbaram, iniurij sunt viris eloquentissimis, & Hieronymo præsertim, qui Damasum obsecrat, & obtestatur per homusion Trinitatem, vt suę quæstioni faciat satis; & Augustino, & Hilario, qui libros integros de Trinitate scripserunt, Trinitatemque inuocarunt. Si dicant parũ Catholicam; quomodo non erit Catholicum, quod Apostolico Ioannis testimonio consonat? ait enim: *Et hi tres vnum sunt*, id est, vnus Deus. Sãcitur ergo illo verbo Trinitas vnus Deus: nam tres, & trinitas, coniugata sunt. Dionysius Areopagita habet antiquissimos interpretes, vt Dionysium Alexandrinum, B. Maximum, & Pachimerem. Ita ergo Dionysius mysticam Theologiam suam exorditur: Τριὰς ὑπερούσιε, καὶ ὑπέρθεε, καὶ ὑπεράγαθε... Et ca. 3. De diuinis nomin. docet inuocandam Trinitatem, omnes suas benignissimè exponẽtem prouidentias. Nam ipsa quidem adest omnibus, non autem illi adsunt omnia. Et Socrates libro 6. histor. Ecclesiast. ca. 8. refert, Ignatium Antiochenum, tertium à B. Petro, Angelorum visionem vidisse per responsorios hymnos sanctam Triadem laudantium: quẽ modum cantandi Antiochenæ Ecclesiæ præbuit, & ab illa ad vniuersam Ecclesiam hæc traditio sancta promanauit: nam, teste Damasceno, nulla Ecclesia fuit, quæ hymnum trisagium ad sacram Triadem non direxerit in precibus solennibus: in quibus vtinam perpetuò dũ viuimus, permaneamus, quo in cœlestibus digni inueniamur, vt simul cum Angelis, & Seraphinis immortales, & æternas laudes, & gratiarum actiones rependere valeamus, præstante ad hoc vires ipso Patre, & sancto dulcedinem mentis & gustus largiente in seculis sempiternis, Amen.

Marginalia (left): B. Dionys. — Iust. Martyr. tom. 3. initio. — Greg. Thaumaturg. apud Euseb. to. 1. — Athenag. apud Iustin. Mart. tom. 1. — Tertul. — Lutheri audacissima impietas. — Aug. tom. 2. — Idem tom. 3. — Tertullianus. — B. Hieron. ad Damas. de verbo hypostasis. — Aug. tom. 3. — B. Hila. operis initio. — 1. Ioan. 5. — Dion. Areop. — Dionys. Alex. — B. Maxim. — Pachimeres. — Dion. Areop.

Marginalia (right): Socras. — Hymni trisagij in Ecclesia decantandi consuetudo à quo primum sit instituta. — B. Dama. c. li. 3. de Fide Orthod. c. 10. & in epist. de Trisagio.

TRACTATVS XII.

Quo argumenta, quæ in sacrosanctæ Triadis mysterium fiunt, diluuntur atque soluuntur.

ETsi multa sint nobis superioribus tractatibus de sanctissima Trinitate, quoad eius fieri potuit, & explicata, & ad disputationis cotem reuocata: pauca tamen adijcienda esse existimauimus, quæ prædicto arcano maius aliquod intelligentiæ lumen adferant.

Generatio non repugnat in Deo.

¶ Quoniam modus Diuinæ generationis, & Spiritus sancti productionis (sicut etiam quomodo Verbum caro factũ est, & quomodo Eucharistia, pronuntiatis Domini verbis, conficiatur) nobis est prorsus incognitus, & incõprehensus; idcirò Hæretici adeò peruersè illũ concipiebant, vt ex illo vno derogari putarẽt omnibus, q̃ de Deo apertè, & constanter in Ecclesia prædicantur. Nã verbi gratia, quòd Deus sit Spiritus, & omnis corporis, siue materiæ expers: quod sit vnus, quòd infinitus, quòd simplicissimus, quod immutabilis, & impatibilis, quòd æternus, quòd immensa sapientia, & infinita bonitate, & inenarrabili beatitudine pręditus, & his similia, certissima sunt, & in Ecclesia constitutissima, & vno omniũ consensu recepta: & tamen his omnibus Diuinã generationẽ, & Spiritus processionẽ repugnare contendebant; & propterea illa à Diuinitatis natura tollenda docebant.

Marginalia: Ioan. 1. — Matth. 26. — 1. Argum. negatium Diuinam generationem. — Ioan. 4. — Diuinæ proprietates quænam illæ.

Quibus in primis respondere in genere possu-

Arnob. aliquanto ante libri dimidiũ Simile.

possumus id, quod Arnobius libr. 5 aduersus Gentes scribit: *Vt enim si vitreus esse dicatur mundus, si argenteus, ferreus, vel ex fragili condolatus & fabricatus testa, non dubitemus falsum esse contendere, quamuis qua sit eius materia, nesciamus: ita cùm de specie agatur Dei, quam perhibetis, cõuincimus non esse, etiamsi qua sit, minus possumus explicare.* Hucusque ille. Ita & nos eum sequentes, Diuinam generationem nõ esse talem, qualẽ Hæretici fingunt, possumus ostendere, licèt eius proprium, & verum modum nesciamus. Quòd ergo Diuina generatio non repugnet eum; eo quòd Deus est spiritus, & incorporeus, inde probatur, quod Ioan. 4. dicitur: Spiritus est Deus, id est, Pater, vt sequẽtia ostendunt: nam & Pater tales quærit qui adorẽt eum. Vides Patrem esse spiritum. Spiritus etiam dicitur Christus: vnde Thren. 4. prope finem: *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Et dicitur imago Dei inuisibilis. Et de æterna Sapiẽtia habetur Sapien. 7. circa finem: *Est enim in illa spiritus intelligentia, sanctus, vnicus, multiplex.* Infrà: *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera.* Eò etiam pertinet, quòd & Lux, & Verbũ, & vita, & veritas, & virtus, & sapientia Patris dicitur; vt etiam de Deo spiritu, id est, Patre intelligatur procedere spiritualiter Filius, ablegatis tamẽ, & semotis his omnibus, quæ in corporum generatione propter quantitatis molem accidere solent. Idem etiã de Spiritu sancto dicendum, qui à Patre procedit, & à Filio.

Quod spiritali Dei naturæ & incorporeæ non repugnet Diuina generatio probatur.

Scripturæ

Col. 1.

Ioan. 1.

Ibidem.

Infra 14.

1. Cor. 1.

Ibidem.

Rationes.

Ratio etiam generationem indicat spiritualem esse: nã cum ipsa non sit aliud quã medium inter generantem, & Genitum; si alter illorum, vel vterque sit spiritalis, erit sicut & ipsi spiritalis. Deinde omnis operatio naturam consequitur operantis, quia operari, est effectus ipsius esse, quem sibi sua caussa assimilat. Cùm ergo Deus spiritus sit, generatio, quæ Dei operatio est, sibi similis, hoc est, spiritalis erit. Adhæc, in creaturis productionem quandam substantialẽ, & corporalem videmus, qualis est illa hominis generantis hominem; aliam accidentalem, & spiritalem, qualem in animis nostris & Angelis cernimus, qui suas mentis notitias, &, vt ita dicam, volitiones pronunciunt. Cùm autem intelligamus, substantiam præstantiorem esse accidenti, & spiritum corpore: Dei productio, quæ perfectissima est, necessariò neque accidentaria erit, neque corporea, sed substantialis potiùs, & spiritualis. Idcircò stultum est, vel matrem, vel sexum, vel seminis sectionem in Diuina natura quærere.

Quale cuiusque esse, tali & operatio.

In creaturis duplex generatio quænam illa.

Quæ longè absint à Diuina generatione.

Eadem prorsus est doctrina Patrum: nam Basilius libro aduersus Eunom. *Pater est,* inquit, *qui alteri principium vt sit iuxta similem sibi naturam exhibuit. Filius verò, qui ex alio generationis principium habuit. Cùm ergo audimus quòd homo est Pater, tunc etiam affectus notionem assumimus: cùm verò quòd Deus est pater, ad caussam ab affectibus purã cogitationibus decurrimus.* Infrà: *Quoniã corruptibilia hoc modo ille, qui est incorruptibilis, è contrario modo generat.* Gregorius Nazianz. orat. de statu Episcopali, & dogmate. *Tu igitur* (Arrium alloquitur) *propter hoc vis ita generari Deum* (scilicet ex non extantibus, & tempore) *quia etiã corpora. Ego autem propter hoc non ita, quoniam ita corpora: quorum enim esse non est simile, horũ nec generare est simile.* Ambrosius libro de Fide: *Audis Dei Filium, aut dele nomẽ, aut agnosce naturam. Audis vterum, agnosce generationis perspicua veritatem. Audis cor, Verbum intellige. Audis dexteram, agnosce virtutem. Audis os, agnosce Sapientiã. Non hæc sunt in Deo corporaliter æstimãda. Incomprehensibiliter generatur Filius, impaßibiliter generat Pater, & tamẽ ex se generauit, & ante omnem intellectum generauit Deus verus Deum verum.* Infrà: *Si igitur in Virgine visus defuit generationis humanæ, quemadmodum in Deo Patre propria generationis vsum requiris? Certè vsus in sexu est: quia sexus in carne est. Vbi ergo caro non est, quemadmodum carnis infirmitatem exigis?* Adde elegantissimam Cyrilli sententiam, qui lib. Thesauro. aduersus Arrianos hunc in modum ratiocinatur: *Sed si hominum propria, Diuinæ naturæ accommodantes non erubescunt, fabros etiam aliquos interrogens, si possent absque materia opus suum efficere: & si non posse respondebunt, inferant ex hoc, Deo etiam materia opus esse ad productionem vniuersi: & ita non erit Creator, si non ex nihilo, sed ex præsubiecto principio atque materia fecisse inueniatur, constructorq́ue magis erit, quàm Creator. Quòd si hoc sicut impium fugiunt; aut caussam afferant, quamobrem in generando nihil plusquàm homini Deo attribuũt: in creãdo verò non ita, sed super hominẽ Deum esse nõ negant; aut ita Deus Pater erit super hominem sicut & Creator.* Sed ille. Sicut ergo: *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu spiritus est:* ita homo hominem, & Deus Deũ generabit.

Patres.

Basil. lib. 2. aduersus Eunom. aliquã à medio. to. 1. circa finem.

Idem ibidem paulò post.

Greg. Nazia. orat. 17. paulò à medio, ante Operis dimid.

Quorum esse non est simile, horum nec generare est simile.

Ambr. lib. 1. de Fide cap. 5. paulò ante med. tom. 2. circa princ.

Psal. 109.

Psal. 44.

Psal. 97. & sæpè alias.

Cant. 1. & sæpè alib.

Idem ibidem aliquãto post.

Cyril. lib. 1. Thesau. c. 5. paulò à med. to. 2. init.

Arrius negans cõsubstantialem Dei generationem, perstringitur.

Ioan. 3.

Sed differt generatio Diuina ab Humana in quatuor. Primò, quia generatio Dei, perfecta est omnifariã, humana verò, imperfecta. Nam cùm propriè generatio actiua alicuius nihil sit aliud quàm cõmunicatio suæ essentiæ modo quodã naturali, quẽ fœcunditatẽ vocamus; & quia actio sequitur naturam operãtis: cùm Deus perfectissimus sit, etiã generatio perfectissima erit. At hominũ natura, quia multis defectibus

Diuina ab humana generatione differat in quibus. Primum discrimen.

fubiacent, generatio imperfecta eft, quia per mutationem, fuique feminis decifionem effentiam fuam cum diuifione communicat. Soboles enim hominū partes funt gignentium, quòd natura eius non fit fimplex, fed fluxa, & ex partib' coalefcat. Deus autem expers eft partium, ac impatibilis; ac proinde fine partitione, fiue patibilitate fui Filij Pater euadit. Non enim effluxio eft à re incorporea, aut in eam vlla influxio, vt accidit hominibus. Hinc Theodoret. cap. de Filio: *Verbum*, inquit, *impatibilem fuiffe generationem fignificat. Ne enim filium audientes, in humanas intelligentias & coniecturas incidamus, & vniuerforum opificem ita vt nos gentium effe putemus; eum Verbum appellauit, ea ratione docens* (Ioannes fcilicet Euangelifta) *illius generationem fuiffe ab omni affectione liberam. Neq; enim mens noftra fermonē parturiens, opus habet comunctione fœminæ; aut fectionem, fluxionemúe fuftinet, fed vt quæ perfecta ipfa eft, perfectum fermonem efficit.*

B. Theodor. lib. 5. diuin. decret. cap. 2. circa fin. tom. 2. inter med. & finem.

Ioan. 1. Verbum, non potius Filium Dei cur dixerit Euangelifta.

II. Difcrimen. Secundò differt generatio Diuina ab humana: quia in humana pars tantū effentiæ à generante datur genito filio; Pater verò omnē contulit Diuinitatis naturam, & plenitudinem, virtutifque æqualitatem. Alioqui fi partem dediffet, vterque effet imperfectus, nec effet plenitudo vel in Patre, vel in Filio: totam ergo dedit plenitudinem, & totam fibi retinuit.

III. Difcrimen. Tertiò, folet homo, ob virium infirmitatem, & defectum, non ftatim vt natus eft, generare fibi fimile, fed progreffu temporis ad procreandā prolem eget, & ex tempore gignit: at fempiternus, & infinitus Deus abfque temporis initio, & abfque virium defectu Filium fuum genuit: & quia erat impatibili, incorporea, & non defluente fubftantia, ipfum fine defluxu, atque decifione progenuit.

IV. Difcrimen. Quartò, hominis generatio extra generantem fit, quia generans genitum extra fe conftituit, & fic alium à fe feparatum procreat: in Diuinis autē Pater Filium intra fe fiftit, & conferuat; ita vt à fe inuicem diuellantur nunquam. Ex quo accipe loci illius intellectum: *Omnis fpiritus qui foluit Iefum, ex Deo nō eft.* Et propterea dicitur Filius effe in finu Patris, id eft, in fecreto penetrali Paterni pectoris, ita vt per carnis œconomiam ab eius intimo receffu nunquā difcefferit, nec pofsit effe folus qui in Patre eft, & in quo eft Pater. Quomodo enim extra Patrem erit, qui vbique eft, & qui infinitus, cœlumque ac terrā implet? Et vt mens verbum internum intra fe gignit, & de B. Virgine dixit Angelus: *Quod enim in ea natum eft, de Spiritu fancto eft*: ita Pater fudit Verbum penitiffimum. Sunt ergo in hac inenarrabili generatione Filij Dei omnia quæ in alijs generationibus cōtingunt, femotis tamen imperfectis.

1. Ioan. 4. Ioan. 1. Verbum effe in finu Patris, quid. Infrà 8. Ibidem. Infrà 16. & 17. & feq. Suprà 14. & fæpè alibi apud Ioan. Hierem. 23. Matth. 1.

Infinitas in Deo non repugnat generationi.

¶ Secundò difficultatem non modicam adfert Diuinæ generationi ipfa Dei infinitas: ea enim vt certa pofita, fuperflua videri poffet Perfonarum diftinctio, & pluralitas. Nam fiue Pater, fiue Filius ponatur, cùm vterque fit infinitus, vtpote verus Deus, fuperfluus videbitur alter, cùm vnus, vtpote infinitus, omnia contineat, & omnia impleat; nec poffit infinitum multiplicari, & pluralitas fine necefsitate ponenda non fit. Refpondendum eft ad hoc, infinitatem non folùm nō tollere vnitatem fubftantiæ, aut perfonarum diftinctionem, vt fine ea vel vnitas dicta, vel pluralitas falua nequeant confiftere. Idcirco namque in creaturis nulla natura poteft actu communis effe pluribus fuppofitis, quia non inuenitur in ea infinita fœcunditas, quæ in Deo eft, & ob quam nō folùm ratione, fed etiam re ipfa pluribus eft communis. Vnde Dionyfius cap. 1. de Diuin. nom. *Quocirca in omnibus fermè fanctis libris aduertimus, Diuinitatem fanctè prædicari, vt fingularem quidem, atque vnicam, ob fimplicitatem atq; vnitatem excellentis illius indiuidui, ex quo veluti vnifica virtute in vnum euadimus, diuiduiq; noftris alteritatibus fupra mundanum mundum conglobatis in diuinam monadem atq; vnionem Deum imitantem colligimur. Vt Trinitatem verò, propter Diuinæ fœcunditatis in tribus perfonis expreffionem, ex qua omnis paternitas in cœlo, & in terra eft, & nominatur.* Et idem cap. 13. eiufdem libri: *Idcirco & Trinitatis, & vnitatis appellatione celebratur, quæ eft fuper omnia Deitas, neq; vnitas, neq; Trinitas aut è nobis, aut à quouis alio cognita eft, verùm vt & ineffabilem ipfius vnionem: & Diuinam fœcunditatem celebremus, Trinitatis, atq; vnitatis facratiffima appellatione omne nomen excedentem appellamus, fubfiftentibusq; fupérfubftantialē nominamus.* Licet ergo quæuis perfona infinita fit, quia aliæ eadē funt infinitas; non tamen dantur plura infinita: nec fuperflua eft perfonarum pluralitas, quando ex plenitudine, & exuberantia Diuinæ bonitatis, & perfectionis oriri, & nafci deprehenditur. Quam fententiam egregiè his paucis verbis docet Nazianzenus oratione 23. *Creatrix*, inquit (natura) *in tribus maximè confiftit, caufa, opifice, & perficiente, Patre, inquam, Filio, ac Spiritu fancto, quæ quidem non ita inter fe funt diuerfa, vt natura*

II. Argum. aduerfus generationem Diuinam. Ioan. 17.

Solutio.

Areop. Dion.

Ephef. 3.

Infinitatum trium perfonarum eft vna tātum infinitas, eaque cur nec fuperflua, Solutio.

Greg. Nazian. in orat. ad eos qui in claffe ex Ægypto aduenerant, [illegible]. Creatrix natura (tefte Nazianzeno) tribus maximè confiftit.

incidi, nec ita coangustata, vt vna circumscribi possint persona: hoc enim Arriana est insania, illud autem impietatis Sabelliana. Verùm singulariora sunt, quàm ea quæ omninò diuidi possint; abundantiora autem, quàm quæ perfectè sunt vnita. Hęc ille, docens indicium copiæ exuperantis esse, diffusionem Diuinitatis in plures personas; sicut angustiæ esset indicium, si vna persona circumscriberetur.

Generatio in Deo non tollit vnitatem.

I. Argum. ¶ Tertiò, quemadmodum infinita Dei immensitas non tollit, sed stabilit potius Diuinam generationem, ita & Diuina generatio Diuinam statuit vnitatem, licèt contrarium videatur minus peritis, atque exercitatis ob sequẽtes rationes. Prima sit earum, quia sicut duo sunt homines Petrus & Ioannes filius eius, ita etiam Pater, & Filius, duo dij erunt. Et omninò quæuis creatura procedens ab alia, diuersa est numero, quãtum ad substantiam, ab ea, à qua procedit. Item, si idem essentia sunt Pater, & Filius, & nihil præter vnicam essentiam sit in vtroque, videretur genitum generare semetipsum, si genitus non esset alius Deus à genitore. Sed nihilominùs respondendũ est, verum esse in creaturis generantis naturam numero, non specie distingui ab ea geniti: quod ideò est, quia generans non de tota substantia filium gignit, sed ex parte, quæ quidem numero distincta est à remanente in patre natura. Non est autem sic de Deo Patre, quia cùm infinitæ fœcunditatis sit, & se communicet ex tota sua substantia, Filium gignit; ideò ipsam suam naturam Filio tradit, vt idem omninò secum Deus sit. Quare rectè August. super Psalm. 68. *Quæris quid sit Pater? Respondetur: Deus. Quæris quid sit Filius? Respondetur, Deus. De solo Patre interrogatus, Deum responde: de solo Filio interrogatus, Deum responde: de vtroq; interrogatus, non Deos, sed Deum responde. Non sicut in hominibus: Quæris quid sit Pater Abraham? Respondetur, homo, substantia eius respondetur. Quæris quid sit filius eius Isaac? Respondetur homo, eiusdem substantiæ Abraham, & Isaac. Quæris quid sit Abraham, & Isaac? Non respondetur homo, sed homines. Non sic in diuinis: tanta enim ibi est substantiæ societas, vt æqualitatem admittat, pluralitatem non admittat.* Idem lib. 1. de Trinit. *Qui putat eius potentiæ Deum, vt seipsum ipse genuerit, eo plus errat, quòd non solùm Deus ita non est, sed nec spiritalis, nec corporalis creatura. Nulla enim omninò res est, quæ se ipsam gignat vt sit.* Sic ille. Ergo vt Pater nõ generat Patrem, ita nec Deus generat se Deum, cùm Deus alius præter vnũ nõ sit, sed generat aliam personam: quę quia vna essentia secum est, alter ipse dici potest. Quamobrem Nazianz. lib. de Fide rectè docet, Homusion esse alium ipsum. Et sic intellige Doctores dicentes, Filium vel nõ alium esse à Patre, vel Patrem ipsum esse: nõ enim intelligunt, Patrem esse vnam personam cum Filio, sed vnã substantiam, vt Tertullianus, qui in Praxean scripsit: *Nunquam separatus est Filius à Patre, aut alius à Patre: quia Ego, & Pater vnũ sumus.* Non igitur pugnat pluralitas personarum cum vnitate essentiæ: imò hæc vnitas quia fœcunda est, & seipsam deriuat, & communicat, potius pluralitatem personarum inducit. Et sicut multæ creaturæ vnitatem potentiæ diuinæ ostendunt potius quàm vna, vel paucæ; ita vnicam essentiam plures personæ. Idcircò quidam ex Patribus docent, in personis nõ tria numerari entia absoluta & simpliciter perfecta, sed vnum ter, vt Athanasius libro de vnita Deitate: *Pater vnus Deus est, & Filius vnigenitus Deus est, & Spiritus sanctus vnus in Patre & Filio Deus est. Nomine vnitatis nomen ter designaui, ideò tres Deos potero confiteri? Absit. Vnde quamuis triplex sit dictum, vnum tamen tenet in Deitate Trinitatis nominis indicium: præsertim cùm nos vnitatem Deitatis vniter, nõ pluraliter in Trinitate consistere sciamus.* Et Nazianz. lib. contra Theolog. *Erat, erat, erat, sed vnum erat: Lux, lux, lux, sed vna lux, vnus Deus.* Et Mar. Victor. lib. de Trin. *Ideò dictũ est de vna substantia tres subsistentias esse, vt id ipsum quod est esse, subsistat tripliciter.* Sic ille. Dionys. Areop. vocat ἑνάδα τρισυπόστατον, id est, vnitatem tribus in suppositis subsistentem, vel tres hypostases continentem. Et Ambr. lib. de Spiritu sancto. *Quomodo enim pluralitatẽ recipit vnitas diuinitatis, cùm pluralitas numeri sit, numerũ autem nõ recipiat diuina natura?* Superius soluerat dicendo: *Si Deum personæ vnius, nõ vnius naturæ nomen putatis, aut duos Deos dicatis, aut Deum Filium denegatis.* Adde Boëtium, & Bernardum: priorẽ lib. 1. de Trin. c. 4. init. *Nulla igitur in Deo diuersitas, nulla ex diuersitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo, atq; idcircò nec numerus, &c.* Paulò pòst: *Vbi verò nulla est differentia, nulla est omninò pluralitas. Quare nec numerus. Igitur vnitas tantùm. Nam cùm tertiò repetitur Deus, cùm Pater, Filius, & Spiritus sanctus nuncupantur vnitates, non faciunt pluralitatem numeri in eo, quòd ipsa sunt. Si aduertamus ad res numerabiles, ac non ad ipsum numerum. Illic enim vnitatem repetitio numerum facit. Ergo in numero, quo numeramus, repetitio vnitatum facit pluralitatem: in rerum verò numero nõ facit pluralitatem vnitatum repetitio, &c.* Posteà subdit: *Hæc enim vnitatum repetitio, iteratio potius est, quàm numeratio. Repetitio rectè de eo-*

dem.

Respõsio. (left margin, beside "genitus non esset alius Deus à genitore")

Marginal notes (left): *Aug. conc. 1. inter medium fere, & initium, to. 8. exemplum Augustini. Idem cap. 1. de Trin sub initium, tom. circa princ.*

Marginal notes (right): *Nazian. circa finem operis.* Patres cum dicunt, Filium vel non alium esse à Patre, vel Patrem ipsum esse, quo tendant. *Tertull. paulò ante operis dimidium. Ioan. 10. D. Athan. lib. de Trin. ante med. ... vlt. ... paulò ante m. ... Greg. Nazian. lib. 5. Theol. propè init. Ioan. 1. Mar. Vict. lib. 2. de Trin. Dion. Areop. in proœm. lib. de myst. Theolog. & c. 3. de diuin. nom. Ambr. lib. 3. de Spir. sanct. cap. 14. in fin. tom. 2. sub finem. Boet. circa fin. operis. Idem.* In diuinis vera ratio numeri non est teste Boetio.

dem, quàm enumeratio diuersa videtur, cùm dicitur Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Atq; hæc Trinitas est vnus Deus: velut ensis atq; mucro, vnus gladius, velut Sol, Sol, Sol, vnus Sol. Non verò ita dicitur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, quasi multiuocum quiddam. Nā mucro, & ensis, & gladius, ipse est, & idem; Pater verò, ac Filius, & Spiritus sanctus idem equidem est, non verò ipse. Hæc ille, qui negat esse in Deo verum numerum, qui rerum, vel forma, vel quantitate differentium cōstat: est tamen impropriè multitudo persona rum, vel proprietatum, quarum vna nō est alia, licèt idem sit in essentia. Posterior est Bernard. lib. 5. de consider. ad Eugenium paulò à medio: *Quid ergo? Destruimus quod dictum est de vnitate, quia inducimus Trinitatem? Non, sed statuimus vnitatem. Dicimus Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritum sanctum: non tamen tres Deos, sed vnum.* Infrà: *O Eugeni, percurrat nunc consideratio multa vna, quo eminentia huius singularis vnius fiat euidentior. Est vnitas, quæ collectiua potest dici, cùm, verbi causa, multi lapides faciunt aceruum vnum. Est & vnitas constitutiua, cùm multa membra vnum corpus, vel multæ partes vnum quodcunq; totum constituunt. Est & cōiugatiua, qua fit vt duo iam non duo sint, sed vna caro. Et est natiua, qua anima vnus nascitur homo. Est vnitas potestatiua, qua homo virtutis non instabilis, non dissimilis, sed vnus sibimet semper nititur inueniri. Est consentanea, cùm per charitatem multorum hominum est cor vnum, & anima vna. Est & votiua, cùm anima votis omnibus adhærens Deo vnus spiritus est. Est & dignatiua vnitas, qua limus noster à Dei Verbo in vnam assumptus est personam. Verùm hæc omnia quid ad illud summum, atq; (vt ita dicam) vnicè vnum, vbi vnitatem consubstantialitas facit? Huic vni quoduis illorum si assimiles, erit quoquomodo vnum: si compares, nullum. Igitur inter omnia quæ rectè vnum dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis, qua tres personæ vna substantia sunt. Secundo loco illa præcellit, qua è conuerso tres substantiæ vna in Christo persona sunt.* Hactenus Bernardus.

Simile.

B. Bern. post operis dimid.

Modi vnius nouem ex Bernardo.

1. Cor. 12. Rom. 12. Matth. 19. & Gen. 2. Actor. 4. 1. Cor. 6.

Vnitas Trinitatis est incomparabilis, eodē auctore.

Generatio & spiratio simplicitati Dei non repugnant.

IV. Argum. Arrianorum contra generationem diuinam.

¶ Quarto loco, difficilè est capere, quomodo diuina generatio, & spiratio, simplicitati Dei non repugnent: quia nō capitur, quòd plures vnū sint, quin in illa plurium vnitate compositio interueniat: tùm etiam, quia cùm diuina essentia personis tribus communis sit, opus est aliquo sibi accedente, quo persona constituatur ac distinguatur, & ita quæuis persona composita erit ex essentia & proprietate quæ illi aduenit, vt personam constituat, & ita fiet, vt aliquid sit in vna persona, quod non sit in alia, & ea ratione auferetur æqualitas, & consubstantialitas diuinarum personarum. Sed ad hæc abdita explicanda, præmittendū est, summam esse in Deo simplicitatem, esto quod eius modis à nobis comprehendi nō possit. Hinc Gregorius Theologus, libro Theologiæ: *Age, nunc iam in hoc Theologiæ tractatu progrediamur, ante tamen in operis successum inuócatis his, de quibus sermo instituturus est, Patre videlicet, Filioq;, & Spiritu sancto: nimirùm vt disputanti faueat Pater, adsit Filius, Spiritus adspiret: imò verò vt ab vno Deo vnus quoq; defulgeat nobis splendor: qui quidem sic diuiditur, vt interim maneat simplex, sic in simplicitatē suam contrahitur, vt nihilominus sit diuiduus, quantumuis id inopinatum, & præter humani ingenij captum videtur.* Hæc ille.

Solutio.

Gregor. Nazianz. lib. 2. Theol. init.

Secundò præmittendum, tunc solùm plura vnum componere, cùm diuersæ naturæ finitæ sunt, ex quibus illud vnum constat, nec aliquid eorum quæ vnum id componunt, id ipsum quod componunt, est. Exemplum sit homo, qui ex animo & corpore constat, & domus quæ ex lignis, & lapidibus construitur, tertium quid sunt, & distinctum à quouis se componentium: nec enim anima vel corpus est homo, nec ligna vel lapides seorsum est domus. Non sic se habent diuinæ personæ ad essentiam, quia omnes simul vna essentia sunt, & quæuis illarum per se eadem est essentia: quia teste Gregorio Theologo in Epiphaniæ lumina, diuiditur indiuisibiliter, & coniungitur diuisibiliter: vnum enim in tribus Deitas, & tria, in quibus est Deitas; vel, vt exactiùs loquar, quæ est Deitas. Augustinus libro de Ciuitate Dei: *Neq; enim, inquit, propter hoc naturam istam boni simplicem dicimus, quia Pater in ea solus, aut solus filius, aut solus Spiritus sanctus. Nō enim sola est ista nominis Trinitas sine substantia personarum sicut Sabelliani hæretici putauerunt. Pater qui genuit, simplex est, & Filius qui genitus est, pariter simplex est: & hoc est illud, de quo genitus est. Sed ideò simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est: excepto quod relatiuè quæq; persona ad alteram dicitur. Nam vtiq; Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius. Et Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater. In quo ergo ad seipsum dicitur, non ad alterum, hoc est quod habet: sicut ad seipsum dicitur viuens, habendo vtiq; vitam, & eadem vita ipse est.* Cyrillus libro de Trinitate: *Simplex igitur & incomposita est summa natura, & subsistentiarum proprietatibus, personarumq;, & nominum dilatata differentijs, & in sanctam procedens Deitatem; verum tamen naturali vnitate, & inuariabili super omnia*

In sancta Trinitate cur nullus omnino sit compositioni locus.

Idem.

August. lib. 11. de ciuit. Dei, cap. 10. init. tom. 2.

Sabellianorū hæresis.

B. Cyrill. 7. de Trin. alias au... ed. tom. 2. ... ...

identi-

identitate, ad vnũ quoddã contendens Dei nomen ac rem, ita vt & vnaquaq; tota intelligatur natura, cum hoc quod adest ei etiam sua proprietas. Manifestum autem, quòd vnumquodq; secundùm hypostasim manet id quod est, vnione cum alijs naturali, quæ accipit in propria natura. Est enim Pater in Filio, & Spiritu sancto. Similiter autem & Filius in Patre, & in se mutuum. Adde Damascen. lib. 1. de fide, cap. 10. *Dicimus autem vnamquamq; trium* (personarum) *perfectam habere subsistentiam, vt non ex tribus imperfectis vnam compositam naturam perfectam intelligamus, sed in tribus perfectis personis vnã simplicem substantiam, superperfectam, & anteperfectam.* Hæc ille. Quia igitur tres personæ non ita vnum dicunt, quasi tres partes illius vnius, minimè ex hac parte compositionem in Trinitate faciant, sed tres simul, & quæuis illarum seorsum vna res simplicissima est, nempè diuina essentia. Certè Augustinus lib. 7. de Trinitat. cap. 6. probat, essentiam non se habere ad personas, vt vniuersale ad particularia, vel vt genus ad species, vel vt species ad indiuidua, vel vt totum ad partes: quia possent dici tres essentiæ, vt tres species, vel tria indiuidua, vt tres equi, vel tria animalia, ita tres essentiæ. Et lib. 3. contra Maximinum Arrianum, cap. 10. demonstrat, essentiam nõ se habere vt totum, personam, vt partem: quia vna persona tanta est, quantæ omnes simul, testante Alcuyno lib. 1. de Trinit. cap. 11. *Cùm itaq; tantus solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater, Filius, & Spiritus sanctus: nullo modo triplex dicendus est Deus, quia non est quo crescat illa perfectio summa Trinitatis.* Sic ille. Adde quòd personæ, quatenus personæ sunt, nõ sunt vnum, sed plura, ideò nihil possunt cõponere: quæ enim vnum componunt, vnum facere debent. Vt ergo diuinæ personæ nihil componunt, sed sunt vna simplicissima essentia, ita quæuis persona simplicissima est. Cùm enim Deus summè simplex sit, & iuxta ea quæ diximus, totam essentiam suam personæ à se productæ tradat, proculdubio ei suam communicat simplicitatem: ideò persona producta simplicissima erit. Et quamuis, vt persona constituatur, opus est, vt in essentia sit aliqua proprietas personalis, à proprietate alterius personæ producentis distincta, & modo quodam opposita: quia tamen proprietas illa eadem est cum diuina essentia, ideò sicut essentia, ita persona simplicissima est omninò. Quia verò pluralitas personarum in Deo esse nequit sine distinctione, & distinctio non est absque proprietate, cùm in Deo plures sint habentes diuinam naturam; oportebit proprietates, quibus distinguuntur, assignare. Nam Ecclesia agnoscens propria personarum, canit: *Vt in confessione vera, sempiternæq; Deitatis, & in personis proprietas, & in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas.*

[Margin: Damascen. operis; Aug. tom. 3.; Idem tom. 6. ca. finem.; Alcuyn.; Necessario in Trinitate plurium esse distinctionem personarum.]

¶ Quid sit autem proprietas personalis, dubium est. Quidam enim vt simplicitatem, & æqualitatem tuerentur personarum, senserunt, proprietatem personalem, esse relationem: qui Patrum auctoritati niti videntur. In primis enim producunt Augustinum, qui libro quinto de Trinitate, cap. 11. initio ait: *Quòd autem propria propriè singula in eadem Trinitate dicuntur, nullo modo ad seipsa, sed ad inuicem, aut ad creaturam dicuntur: & ideò relatiuè, non substantialiter ea dici manifestum est.* Et Cyrillum lib. 2. Thesauro. cap. 3. propè initium: *Cùm igitur non composita, sed simplex natura Deitatis sit, nunquàm in plures personas distingueretur, nisi quædam inueniretur differentia: non secundùm essentiam, sed secundùm relationem, & quasi extrinsecus intellecta, per quam vtriusq; persona in propria hypostasi constituitur, nec ab vnitate Deitatis propter identitatem naturalem potest excludi.* Sic ille, apertè tradens, personas constituit per relationem. Et lib. 7. cap. 1. circa medium. *Pater igitur Pater est, & Filius Verbum: nec tamen ideò natura diuersitas inducitur, quoniam sola diuersitate relationis, quæ diuersis nominib. significatur, nec alia re vlla distinguuntur.* Et Damascen. lib. 1. cap. 13. de Ingenito, Genito, & Procedẽte loquens, scribit: *Quæ non substantiæ sunt indicatiua, sed habitudinis ad inuicem, & modi subsistendi.* Adde Boëtium lib. 1. de Trinit. cap. 12. initio: *Si meminimus omnium in prioribus de Deo sententiarum, ita cogitemus processisse quidem ex Deo Patre Filium dictum, & ex vtroq; Spiritum sanctum: hos, quoniam incorporales sint, minimè locis distare; quoniam verò Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus; Deus verò, quoniam nullas habet differentias, quibus differat à Deo, à nullo eorum differt. Differentiæ verò vbi absunt, abest pluralitas: vbi abest pluralitas, adest vnitas. Nihil autem aliud gigni potuit ex Deo, nisi Deus, & in rebus numerabilibus repetitio vnitatum non facit modis omnibus pluralitatem. Trinum igitur idoneè constituta est vnitas. Sed quoniam nulla relatio ad seipsam referri potest, idcircò quòd ea secundùm seipsum est prædicatio quæ relatione caret. Facta quidem est Trinitatis numerositas in eo quod est prædicatio relationis, sed seruata est substãtiæ vnitas in eo quod est differentia, vel substantiæ, vel operationis, vel omninò eius quæ secundùm se dicitur prædicationis. Ita igitur substantia continet vnitatem* (ideò nomina substantialia in singulari communia sunt omnibus personis) *relatio multiplicat*

[Margin: Proprietas personalis quid sit.; I. Opinio.; B. Aug. tom. 3.; B. Cyrill. to. 3. initio.; B. Damascen.; Boetius.]

tiplicat Trinitatem: atq; ideò sola sigillatim proferuntur, atq; separatim quæ relationis sunt. Nam idem Pater, qui Filius non est, nec idem vterq;, qui Spiritus sanctus; idem tamen Deus est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: idem iustus, idem bonus, idem magnus, idem omnia quæ secundùm se poterunt prædicari. Sanè sciendum est, non semper talem esse relatiuam prædicationem, vt semper ad differens prædicetur, vt est seruus ad Dominum; differt enim. Nam omne æquale æquali æquale est, & simile simili simile est, & idem ei quod est idem, idem est. Et similis est in Trinitate relatio Patris ad Filium, & vtriusque ad Spiritum sanctum, vt eius quod est idem, ad id quod est idem. Quòd si in cunctis alijs rebus potest inueniri, facit cognata caducis rebus alteritas, nos verò nulla imaginatione deduci, sed simplici intellectu erigi, & vt quodq; intelligi potest, ita aggredi etiam intellectu oportet. Hæc ille. Item Patres docent, relationem, quæ accidens est, & inhærere alioqui deberet, essentiæ identificari; quatenus verò ad aliquid est, & propriè non aliquid, personam constituere, & ab alia secernere. Quod August. docet lib. 5. de Trinitat. cap. 5. *Quamobrem quamuis diuersum sit, Patrem esse, & Filium esse, non est tamen diuersa substantia, quia hæc nō secundùm substantiam dicuntur, sed secundùm relatiuum, quod tamen relatiuum non est accidens, quia non est mutabile.* Adde, nihil addere relationem ipsi subiecto, quia non est propriè aliquid, sed ad aliquid, testatur ipse Basil. lib. 2. aduersus Eunom. dicens: *Nō in eo quod ad aliquid quodammodò se habet, differentia Filio ad alia est, sed in essentiæ proprietate præeminentia Dei ad mortalia elucescit.* Hæc ille, relationem nihil addere Filio Dei docens: alioquin in illa ab alijs differret. Et Boëtius lib. 1. de Trinit. cap. 10. *Iamne patet quæ sit differentia prædicationum? & patet, quòd aliæ quidem quasi rem monstrent, aliæ verò quasi circumstantias rei. Quodq; illa, quæ ita prædicantur, vt esse aliquid rem ostendant: illa verò vt nō esse, sed potius extrinsecus aliquid quodammodò affingant.* Et cap. 11. initio: *Maximè enim hic non videntur* (relatiua) *secundùm se facere prædicationem, quæ perspicuè ex alieno aduentu constare perspiciuntur. Age enim quoniam Dominus, & seruus relatiua sunt, videamus, vtrumne ita sit, vt secundùm se sit prædicatio, an minimè. Atq; si auferas seruum, abstuleris quoq; Dominum: ac nō etiamsi auferas albedinem, abstuleris quoq; album. Sed interest quòd albedo accedit albo, qua sublata, perit omninò album. At in Domino si seruum auferas, perit vocabulum quo Dominus vocabatur. Sed non accedit seruus Domino, vt albedo albo, sed potestas quædam, qua seruus coercetur. Quæ quoniam sublato deperit seruo, constat nō eam per se Domino accedere, sed per seruorum quodammodo extrinsecum accessum. Non igitur dici potest per prædicationē relatiuam quicquam rei, de qua dicitur, secundùm se addere, vel minuere; quæ tota nō in eo quod est esse consistit, sed in eo quod est in comparatione aliquo modo se habere, nec semper ad aliud, sed aliquoties ad idem.* Et ponit exemplum de quodam homine, quo immoto per alterius motum fit ei dexter, & sinister, non vt albus per se, vel ex se, sed ex alio accedente sibi, & subdit: *Quare secundùm rei alicuius, quæ in eo quod ipsa est, proprietatem non faciunt, prædicationem nihil alternare, vel mutare queunt, nullamq; omninò essentiam variare. Quocirca si Pater ac Filius ad aliquid dicuntur, nihilq; aliud, vt dictum est, differt nisi sola relatione, relatio verò non prædicatur ad id de quo prædicatur, quasi ipsa sit, & secundùm rem, de qua dicitur, non faciet alteritatem rei de qua dicitur.* Sic ille. Quia ergo secundùm hos Patres relatio, qua accidens est, non differt ab essentia: & quatenus ad aliquid est, nihil illi addit: fit, vt si personæ per relationes constituantur, nulla in eis videatur compositio, vel inæqualitas. Si enim relationes nihil essentiæ addunt, cùm illa in omnibus personis æqualiter sit, personæ æquè simplices, & æquales erunt.

B. Aug. tom. 3 1. Sent. dist. 28 c. præterea. — *B. Basil. tom. 1 circa finem.* — *Boëtius.* — *Idem.* — Exemplum Boetij. — *Idem.*

Additur prætereà testimonium ex Concilio Toletano XI. in proœmio. *Hæc ergo sancta Trinitas, quæ vnus & verus est Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim personarū numerus cernitur, in diuinitatis verò substantia quid enumeratum sit, nō comprehenditur. Ergo hoc solo numerum insinuant, quòd ad inuicem sunt: & in hoc numero carent, quod in se sunt.* Hæc ibi. In Concil. Florent. habetur: *Pater omnia dedit Filio, præter esse Patrem.* Esse ergo Patrem, cōstituit personam: nam omnia alia absoluta, communia sunt Filio, & communiter à Patribus dicitur, omnia in Trinitate esse vnum, nisi obuiat relationis oppositio. Nō ergo est distinctio in absolutis, & hæc vt communis recepta est opinio, quam & B. Thomas sequitur.

Concil. Tolet. XI. Concil. tom. 2. inter init. & med. Numerus in diuinis vt sit. — *Synod. Flor. Matth. 11. & Ioan. 16. & 17.*

¶ Quia tamen nec ex Scriptura sacra, nec ex certa, & aperta vlla Ecclesiæ definitione decisum est hactenus, an proprietates personales, relationes sint, an verò absoluta, visum est quibusdam alijs Catholicis Patribus, personas minimè per relationes constitui: tùm primò, quia aliud est, personam diuinam esse hanc, id est atomam, & singularem, aliud verò, esse Patrem, vel Filium; quia hoc, personam iam esse ponit, nō constituit: præsertim cùm producere, & produci, non essentiæ sit, sed suppositi diuini. Tùm secundò, quia esse relationes secundùm se minutissimum est, quod præsu-

II. Opinio, negans personas diuinas per relationē constitui. — *Sco. qui pro ea sententia producit Okam, & B. Bonau. Linconiensis, Ioan. de Rip. & Lichetus eius interpret.* — Eius prima ratio. — II. Ratio.

B. Basilius.

imperfectione vix possit agnosci, vt ex Basilio,& alijs vidimus. Nō est ergo ei adscribenda diuinæ personæ subsistentia, cùm ea absolutissima existat:& infiniti sit roboris, & perfectionis.

III. Ratio.

Tùm tertiò, quòd Patrem esse, & Filium, vel producentem, & productum, vel Genitorem, & Genitum, etsi respectu eiusdem maximè aduersentur, nō tamen ita inuicē pugnant, vt distinctas personas necessariò constituant, cùm sępè contingat, eundē & Patrem, & Filium esse respectu diuersorum. Ad hæc spirans, & spiratum, etsi sint diuersæ relationes, non tamen cōstituunt diuersas personas pręter illas, quę priùs erant inter Patrem,& Filium, quibus congruit spiratio actiua.

Tria corollaria.

Ex quibus euincitur, Paternitatem,& Filiationem nō ita opponi, vt non se in vna persona simul compatiantur. Ex quo rursus fit, vt personæ non per eas constituantur, sed constitutæ potiùs supponantur. Non ergo relatio est realis, imò etiam vt diuina, & hypostatica, nouam constituit personam, sed iam constitutas consequitur. Vt liceat proinde ratiocinari similiter, in alijs personis relationem consequi, nō pręcedere, aut constituere personam. Vt interim missas faciam speculationes plusquam Metaphysicas, & ferè inexplicabiles,& mentis captū fugientes, quas adhibent, qui dogma illud de relationibus personas constituentibus tuentur: consulat, qui velit periculum facere, tùm Caietanum in 1. partem Thomæ, tùm Franciscum Ferrar. in summa eiusdem contra Gentiles. Ex quo tertiò elicitur, quòd si per relationes non constituantur: ergo per absoluta necessariò cōstituentur, & distinguentur inter se. Sed in hoc quidam à veritate deuiarunt, quòd illa absoluta, & veluti essentiam indiuiduantia, ab ea ex natura rei, seu formaliter distingui dixerunt. Quod si esset, neque Deus summè simplex esset, neque quicquid est in Deo, Deus esset: nam proprietas illa personam constituens, & ab essentia ex natura rei distincta, quia aliquid esset, & non maior Deo, quia illo nihil est maius; neque æqualis, quia plura essent summa bona: ergo minor Deo esset, & ita Diuina persona aliquo minore se constitueretur. Esset etiam aliquid absolutum, aliquaque perfectio in vna diuina persona, quæ in alia non esset, dicente B. Hieronymo Epistola ad Alipium, & Augustinum:

B. Hieron.

Sabellij hæresim declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus. Non enim nomina tantummodo, sed nominum etiam proprietates, id est, tres personas, vel, vt Græci exprimunt, hypostases, hoc est, subsistentias confitemur. Hæc ille. Si ergo per absoluta personas constitui asseramus, ea re ipsa omni nō eadem esse cum essentia debemus affirmare,& sola ratione ab ea distingui. Quemadmodum enim si fingeremus, in Deo esse essentiam suam, & tria absoluta principia essentiam indiuiduantia, vna esset essentia in tribus personis, quarum quęuis ex essentia, & sua proprietate absoluta constaret: ita in veritate quia diuina essentia, & essentia est, & ob suam infinitam virtutem tribus principijs, siue proprietatibus æquiualet, ea sola tres constant personæ æquè simplices sicut ipsa: quia in æquiualentibus vel æquipollentibus illud est ab omnibus confessum,& obseruatum, vt quicquid ex pluribus fieri potest, ex vno illis pluribus æquiualente fiat. Quemadmodum quod decem, vel vndecim argenteis nummis comparatur, vno aureo nummo illis æquipollente emitur.

Simile.

Quòd autem diuina essentia non tantùm tribus principijs dictis, siue proprietatibus, sed omni reali perfectioni æquiualeat, docent B. Dionysius, & B. Gregorius Nazianzenus. Ille quidem lib. de Diuin. nominib. cap. 13. siue postremo: *Hac nempè ratione sacra eloquia Diuinitatem totam, vt omnium causam, vnius appellatione concelebrant. & vnus Deus ac Pater, & vnus Dominus Iesus Christus, & vnus atq; idem Spiritus perexcellens totius diuinæ vnitatis indiuiduum, eminentemq; simplicitatem, in qua sunt omnia singulariter collecta, atq; coniuncta, & ante supersubstantialiter comprehensa. Quocirca & omnia ad ipsam iustè referuntur, atq; rediguntur, à qua, & ex qua, & per quam, & in qua, & ad quam omnia sunt, & constituta sunt, & permanent, & continentur, at implentur, atq; conuertuntur. Nihil denique, in his quæ sunt, inuenies, quod non vno, (secundùm quod omnis diuinitas supersubstantialiter nominatur) sit id quod est & perficiatur, atq; seruetur.* Nazian. verò orat. 11. *Ipsi autem vnicam, & eandem esse scimus Diuinitatis naturam, sine principio, & generatione, & processione cognitam, tanquam mente quæ in nobis est, & ratione, & spiritu, semper eandem, semper perfectam, sine qualitate, sine quantitate, sine tempore, increatam, incomprehensibilem, nunquam seipsam derelinquentem, nec derelictam: vitas, & vitam: lumina, & lumen: bona, & bonum: glorias, & gloriam: verum, & veritatem, necnon Spiritus veritatis: sancta, & sanctitatem ipsam, Deum vnumquemq;, licèt solùm contemplatione percipi possit, cùm mens separat inseparabilia. Deum Trinum inuicem se cognoscentem, cum eodem motu, & natura, nil supra seipsam relinquentem, aut in aliquo transcendentem.* Hæc ille, qui idcircò vocat Deitatem, gloriam, & vitam in singulari, & glorias, & vitas in

B. Areop. Dionys.

1. Cor. 8.

Encomium sanctæ Trinitatis ex beato Dionysio.

Greg. Nazian. orat. 11. de pace aliquanto à medio.

Diuinæ proprietates naturæ.

Deitatem Nazianzenus gloriam, & vitam in singulari numero & glorias, & vitas in plurali numero.

plurali, quia ipſamet eſſentia, & tres perſonarum proprietates idem omninò ſunt ob iam dictam æquiualentiam: ita vt Deus benedictus propter eam præcisè ſit nec plus, nec minus illis quib⁹ æquiualet. Deus enim totus æquiualet omnibus, ita vt ſit valor omnis valoris: vt obolus ſi valeret oēs monetas currentes, cuicunque monetæ æquiualeret. Poſita ergo æquiualentia, non ſolùm videtur Trinitatis ſimplicitas, & cuiuſuis diuinæ perſonæ, ſed etiam diuinarum perſonarum æqualitas: quia nil eſt in Deo niſi ſua ſimplex eſſentia.

Quo ſenſu omnia abſoluta communia tribus perſonis interdum dixerint Patres.

Quòd ſi Patres interdum omnia abſoluta communia tribus perſonis dixerunt, de abſolutis illis intellexerunt, quę cum eſſentia conuertuntur, & nō de proprietatibus. Et cùm per relationes perſonas conſtitui dicunt, vel ex opinione ſunt locuti, non ex fide: de qua per Concilia, aut Decreta non ita euidenter conſtat, vel relationes vt notas proprietatum conſtituentium perſonas accipiunt, quia alia nomina priora non occurrebant. Et quod habetur in Concilio Tolet. XI. nihil definit, ſed illud prouinciale Concil. XIX. Epiſcoporum exponit ſuum ſenſum, & intelligentiam de Myſterio Trinitatis, & nihil vt prius diſputatum, & cognitum ſancit tanquam de fide ab omnibus tenendum: quemadmodum etiam Concilium Florent. nihil ibi de eo articulo quaſi dubio & controuerſo tenendum definiuit, ſed obiter, & aliud agens illam ſententiam ſecutum eſt. Hinc alij Doctores, & priores, & poſteriores, aliter opinati ſunt. Ait enim Ruſticus lib. de Incarnat. in Acephalos: *Nos tres eſſe ſubſtantias ob hoc confitemur, eo quòd non in eo quod eſt eſſe ſecundùm naturam, ſed in eo quod æqualiter vnaquæq; perſona proprietatibus diſtinguatur. Id eſt, Pater genuit, & non genitus: Vnigenitus Filius, genitus eſt, & non genuit: Spiritus procedit, & nihil æternum ex eo.* Idem docuit ſuperiùs Hieronymus ad Alipium, & Auguſtinum, & Damaſcenus lib. 1. cap. 6. non ſolùm relationes, ſed etiam modos ſubſiſtendi docet nomine perſonarum ſignificari. Et inter hoc omnes Iuſtinus Martyr in expoſitione Fidei ſub initium: *Vnus reuera eſt vniuerſitatis huius Deus, qui in Patre, & Filio, & ſancto Spiritu cognoſcitur. Cùm namq; ex ſubſtantia ſua Pater Filium progenuerit, atq; ex eadem Spiritum produxerit, iure optimo quæ vnam, eandemq; participant eſſentiam, vna, eademq; dignantur diuinitate. Quomodò igitur, dicet aliquis, non differt id quod gignit, ab eo quod gignitur: & quod procedit, ab eo vnde procedit? Pater quippe ingenitus eſt, à quo & Filius genitus eſt, & Spiritus ſanctus proceſſit. Idcircò non idem cum Patre Filius, & Spiritus ſanctus. Ingenitum & Genitum, & Procedens, non eſſentiæ nomina ſunt, ſed exiſtentiæ modi, modusq; exiſtentiæ nominibus hiſce denotatur. Eſſentiæ autem ſignificatio nomine Dei deſignatur, ita vt ſit differentia Patri ad Filium, & Spiritum iuxta exiſtentiæ modum, vnitas autem ſiue identitas, iuxta eſſentiæ rationem. Nam ſi ea, quæ differentiæ ſunt contemplatione perſpicienda veniant; hic quidem eſſe ſuum obtinere dicitur, vt ingenitus, hic autem, vt genitus, hic verò, vt procedens. Sin autem hypoſtaſis, ſeu exiſtentiæ eius natura, & eſſentia ſit ſignificanda, communi Deitatis appellatione ea declaratur.* Et concludens ait: *Atq; hæc quidem ſufficiunt ad probandum, non eſſentiam ſignificari per Ingenitum, & Genitum, & Procedens, ſed exiſtentias ſecerni, præterquam quòd exiſtentiæ etiam denotant modum.* Sic ille, inſinuans per modos exiſtentiæ ſecerni perſonas inter ſe. Item ſecundùm aliquos, nomina Patris, & Filij, nō ſolùm relatiua ſunt, & ideò communia creaturis, atque appellatiua, ſicut cùm dicitur: *Quod eſt nomen eius, & quod nomen filij eius, ſi noſti?* Et, *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ*, ſed etiam ſubſtantiua, & propria nomina ſunt diuinarum perſonarum ab earum proprietatibus profecta, quæ ſunt generare, & generari: ideò abſolutè proferuntur. *Nam & Pater tales quærit: Ipſe Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro: Filius datus eſt nobis.* Vnde Cyrillus lib. de Spiritu ſancto, loquens de nominibus Dominationum, Poteſtatum, Virtutum, Thronorum, ait: *Nam talia nomina non ſubſtantias nominatorum commendant, ſignificant autem honoris ſingulorum menſuram. In ſancta autem Trinitate Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus nō eminentiam quandam manifeſtant, ſed quid ſit id quod nominatur, indicant.* Sic ille, nomina Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vt abſoluta accipiens, & diuinis perſonis propria. Et Auguſtinus libro 7. de Trinitat. initio: *Non enim aliud eſt Deo eſſe, aliud perſonam eſſe, ſed omninò idem.* Infrà: *In hac Trinitate cùm dicimus perſonam Patris, non aliud dicimus quàm ſubſtantiam Patris. Quocirca vt ſubſtantia Patris ipſa Pater eſt, non quo Pater eſt, ſed quod eſt: ita & perſona Patris non aliud quàm ipſe Pater eſt: ad ſe quippe dicitur perſona, non ad Filium, vel Spiritum ſanctum: ſicut ad ſe dicitur Deus, & magnus, & bonus, & iuſtus, & ſi quid aliud huiuſmodi. Et quemadmodū hoc illi eſt eſſe, quod Deum eſſe, quod magnum, quod bonum eſſe, ita hoc illi eſt eſſe, quod perſonam eſſe.* Hæc Auguſtinus, docens, perſonam ad ſe dici, & ſubſtantiam ſignificare, non relationem. Et hæc mihi probabiliter ediſſerta ſint pro hac ſententia, quam non ignoro à quibuſdam falſitatis, & erroris no-

Similis obiectio ex Concilio XI. Toletano diluitur.

Ruſticus.

B. Hieron.

B. Ioan. Damaſcen.

Iuſtin. Mart. tom. 3. init.

Eſſentia diuina per Genitū & Ingenitum, & Procedens cur minime ſignificetur, teſte Iuſtino.

Prouerb. 30.

Matth. 11.

Propria nomina diuinarum perſonarum vnde profiſciſcantur.

Ioan. 4.

Rom. 8.

B. Cyrill. tom. 2. circa fin.

Dominationū Poteſtatum, Virtutum, Thronorum, &c. nomina quid ſignificent.

B. Aug. tom. 2

Idem.

1. Sent. diſt. 13 cap.

Quod autem notandum.

ris no-

ris nota inuri. Ego tamen vt priorem Thomæ opinionem, vt admodum probabiliorem, amplector, ita in posteriori damnanda nō ita rigidè agerem, vt quidam faciunt, præsertim cùm hanc sententiam amplexati sint præclari quidam & illustres ex Doctoribus Scholasticis.

Generatio Verbi, & processio Spiritus sancti non repugnant Dei immutabilitati, & impaßibilitati.

V. Argum. prog. nerationedivina.

¶ Quinto loco demonstrandum, generationi Verbi, & Spiritus processioni non repugnare Dei immutabilitatem, vel impassibilitatem. Sed in primis præmittendum, paucos Arrianos Episcopos, qui Nicæno Concilio interfuerunt, non consensisse in vocem Homousij, siue consubstantialis, vt

Hist. Tripart. Arriani olim … nolebant … vocem reci- pere …

refert historia Tripartit. lib. 2. cap. 9. his verbis: *Quinq, verò solummodò non receperunt, Verbum consubstantialitatis reprehendentes, Eusebius Nicomediæ Præsul, Theognius Nicænus, Maris Chalcedonensis, Theonas Marmaricensis, Secundus Ptolemaidis, dicentes consubstantiale esse, quod ex aliquo est, aut ex partitione, aut ex decisione, aut explantatione quidem, sicut ex radice germen: ex decisione verò, sicut paterni filij: ex partitione autem, sicut ex massa aurea annuli duo, vel tres. Secundùm nullum autem horum, inquiunt, est Filius Dei.* Hæc illi. Quæ quidem si vera essent, vt illi dicebant, primùm mutatio esset in Deo, quam probare videntur. Filius enim, si productus est à Patre, eductus videtur de non esse ad esse. Et quia sine Patre, vel esse, vel agere non posset, eo egeret. Item, si generatus est Filius, passus est, & Patre imperfectior est: sicut passiuo præstat actiuum. Corruptibilis etiam videretur, quia quod generatur, etiam corrumpi potest.

Solutio.

Sed his non obstantibus, respondendum est, generationem Verbi sine aliqua mutatione esse. Nam Pater ipse immutabilis est. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur.* Filius etiam mutationis est expers, de quo Propheta: *Initio tu, Domine, terram fundasti, &c. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Solus enim Deus est idem, quē tempora non mutant, vt solent homines mutare, ex pueritia in adolescentiam, inde in virilem ætatem, inde in senium, &c.

Num. 23. Malach. 3. Quod nec Dei immutabilitati repugnet diuina generatio atque processio. Psalm. 101 & Hebr. 1.

His autem Scripturæ testimonijs consentit ratio. Nam vel sola infinitas Dei Patris & Filij non potuisse accidere mutationem in verbi generatione satis ostēdit: cùm enim Deus Pater infinitus sit, non potest partem suæ substantiæ abscindere, vel seipsum dilatare, neque sua substantia decurrere potest, vel fluere seu plantari. Hæc enim omnia corporum sunt finitorum. Filio etiam, vtpote infinito Pater nihil addere potest, quare nec mutatio accidere valet. Vnde Arrio probanti Dei mutationem, si ex sua substantia genuit: quia sic aut partem suæ substantiæ generando per deriuationem perdidit, aut diuisionis vitium perpessus est: respondet Athanasius in disputatione contra Arrium Laodiceæ habita coram Probo apud Vigilium: *Quid magis Catholicæ, & Apostolicæ veritati congruat, religiosa mentis intentione respicite. vtrùm fateri omnipotentem Deum impaßibiliter ex seipso Filium generasse, an illud potiùs opinari debeamus, ne paßionis vitio subiaceret, ex seipso, id est, ex sua substantia, Filium generare non potuisse, ego enim id astruo, id clarißima vocis professione assevero, quod sicuti Deus impaßibilis, ita & omnipotens est.* Infrà: *Volente igitur Deo, corruptibilis naturæ Virgo sine vllo pudoris damno Filium generauit, & ipse qui incomparabiliter cunctis naturis incorruptibilior permanet, hoc sibi præstare non potuit, vt de sua substantia Filium incorruptibiliter generare potuerit?* Et Nazianzenus lib. 3. Theolog. ante dimidium: *Missos facito istos tuos fluxus, istas diuisiones, istas sectiones. In primis autem peruersum disputandi studium de incorporea natura, perinde, ac de corporea, & statim aliquid diuina generatione dignum in mentem venerit.* Eugenius lib. de Fide ad Hunnericum: *Credentes ergo, Deum Patrem de sua substantia inseparabiliter Filium generasse, non dicimus ipsam substantiam, aut diuersam esse in Filio, aut diminutionem protulisse in Patre, & per hoc paßionis posse vitio subiacere. Absit enim à nobis, vt talia vel opinemur, vel cogitemus de Deo: quia nos perfectum Patrem perfectum Filium, sine sui diminutione, sine reliqua deriuatione, sine omni omninò paßionis infirmitate genuisse fideliter profitemur.* Cyrillus lib. Thesauror. 1. cap. 5. ante medium: *Peruersè, atq; indoctè, propria corporum substantiæ incorporeæ accommodatis. In corporibus enim paßio, incisio, & diuisio fieri dicitur: Deus verò cum incorporeus sit, nec incisus, nec diuisus generat.* Et cap. 7. in principio: *Nam si vt homo, cum paßione generat (Deus Pater) cur etiam vt homo, non creabit labore?* Et infrà proponit exemplum Solis, lucem & calorem sine passione producentis. Damascenus lib. 1. cap. 8. propè finem: *Quomodo ergo non similiter facit homo, atq; Deus? Non similiter sanè. Nam homo nihil ex non esse ad esse deducit, sed quodcunq; facit, ex materia (quam præiacere oportet) facit, non volens solùm, sed præcogitans, & mente præfigurans quod est faciendum, & deinde manibus opus moliens,*

B. Athanas. orat. vlt. ante dimidium.

Idem.

B. Gregor. Nazianzen.

Eugenius.

B. Cyrill. tom. 2. initio.

Idem.

Quid propriè generationis humanæ, quid verò diuinæ.

liens, labore d. sudans, & fatigatione, frequenter autem & alterans, cùm exercitium minimè procedat, vt optabat. Verùm Deus volens solùm ex nihilo ad esse cuncta perduxit. Similiquoque pacto, neque similiter generat Deus, & homo. Nam Deus cùm intemporalis sit, & sine principio, & impassibilis, indefluxaq; substantiæ, & incorporeus, & solus infinitus, intemporaliter, impassibiliter, & absq; vlla defluxione, decisioneq; substantia generat, & absq; commixtione: & neq; initium habet eius incomprehensibilis generatio, neq; finem. Sine quidem initio, propter immutabilitatem, & incorporalitatem. Sine commixtione etiam propter incorruptibilitatem, & propter vnum solum Deum, nullo indigens altero. Infinitè, & incessanter, propter id quod sine principio, & intemporalis, & infinitus, & semper eodem modo se habens. Quod enim sine principio est, sine fine est. Hæc ille. Ex quibus dilucidum redditur, Patrem propriùs esse Verbi sui Patrem, quàm homo sit Filij sui Pater: quod ille Verbo totam substantiam suam tradat; hic verò exiguam partem; & propterea hic fœmina indiget ad prolis procreationem, nó Deus: qui quia proprius Pater est, ex eo ad nos nomen Patris & Filij

Idē Damasc.

deriuatum est, vt cap. 9. idem Damascenus docet, & illud ex Paulo colligit, qui ait:

Ephes. 3.

Flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra. Etsi autem Filius

Filius Dei cur ex nihilo minime producitur.

producatur, non tamen prodijt de non esse ad esse: quia diuinus Dei intellectus, qui purus est actus, nunquam sine Verbo suo fuit, quod quia eandem cum Patre substantiam habet, ab omni egestate, & dependentia, vel potentialitate, sicut Pater ipse, alienum est. Quod Verbum tunc proculdubio Patre egeret, ab eoque penderet, quando ab eo actu existente ipse quasi in potentia existens prodiret: tunc etiam imperfectior

Quomodo Filius & Spiritus sanctus à Patre sint.

esset, & corrumpi posset. Hæc enim omnia accidunt ob materiam, siue potentiam passiuam, transmutationibus naturalibus obnoxiam, & quæ vnico actu, & forma quiescere nó potest. Hęc verò potentia non subest diuinæ generationi: non enim Filius est à Patre, vt actus à potentia, vel forma à materia, sed potius vt actus ab actu, & forma de forma, & lumen de lumine, seclusis imperfectionibus. Idcircò nec Patre imperfectior, nec corruptibilis est. Licèt enim sibi ipsi relinqueretur, non tenderet

Ioan. 5.

in nihilum, quia nec ex nihilo est: quia sicut Pater habet vitam in semetipso, id est, à nullo pendentem, ita etiam Filius & Spiritus sanctus. Quamquam autē Filium genitum, ob nostram imperfectionem passiuè concipiamus, & efferamus: nulla tamen in Diuina processione passio, vel potentia passiua est, sed actus purus. Pulchrè autem

Greg. Nazian.

Gregorius Nazianzenus lib. 3. Theologiæ sub initium loquitur: *Quin potiùs generationem eius & verbi inexplicabilem dicimus, & extra omnem temporis mensuram ponimus. Quam-*

Isai. 53. & Actor. 8.

quam verò temporis appellationem omnem hic effugere studeamus, tamen vt maximam vim verbis efferamus, nunquam efficiemus, vt illud quod supra omne est tempus, & temporis expers, à sermonis temporanei cōmercio vendicemus. Hactenus ille. Vt ergo æternam generationem non possumns sine verbis temporis explicare, ita eandem, licèt impassibilis existat, passiuis verbis necessariò efferimus, cùm Filium natum, vel genitum dicimus, licèt in re ipsa nulla passio, aut imperfectio interueniat.

Generatio & spiratio non repugnant æternitati.

VI. Argum. pro diuina Verbi generatione.

¶ Sextò, sicut generatio Dei, vel spiratio, immutabilitatem Dei non tollit, ita nec æternitatem: quod vox ipsa Homusion indicat, dicente Victorino libro secundo de

Mar. Victor.

Trinitate: *Homusion ergo non ex nihilo, vel ex non extantibus: nec erat quando non erat: & ita vno verbo perijt omne Arrij venenum, quia eandē substantiam, & æternitatem signat.* Hæc ille.

Lib. 2.

Scripturis & sententijs Patrum idem superiùs latè comprobatum reddidimus. Hîc tantùm quædam ex Patribus annotanda. Clemens enim Alexandrinus in Hortato-

Clem. Alex. operis init.

rio ad Gentes: *Nos autē sumus ante mundi constitutionē, qui eo quòd esse oporteret, in ipso priùs Deo sumus geniti. Dei Verbi sumus nos figmenta*

Quo modo nos simus ante mundi constitutionem, teste Clemente.

ratione prædita per quem prisci sumus, quoniam in principio erat Verbum. Alexander Alexandrinus anathematizauit Arrium negantem

Ephes. 1.

Verbi æternitatem: vt habetur in historia

Ioan. 1.

Tripart. lib. 1. c. 13. Basilius in illud: *In prin-*

Alex. Alex.

cipio erat Verbum. Si autem in principio erat,

B. Basil. tom. 16 paulò antè dim. tom. 1. paulò à med.

quando non erat? Et in oratione contra tres Deos dicentes nos colere: *Ne quæras quæ inueniri non possunt: quomodo enim inuenies?*

Idem eodem tomo.

Si enim quæsieris, à quo discere poteris? Hæc Magnus Basili. Nazianz. oratione 17. circa

Greg. Nazian. orat. de statu Episcopali, & dogmate.

medium: *At Filius, si quidem Patrem tanquam causam accipis, non est sine principio: Filij enim principium Pater tanquā causa. Si autem à tempore principium intelligis, sine principio est: non enim à tempore principium habuit temporū Dominus.* Et lib. 3. Theologiæ sub initium: *Si*

Idem.

ad tempus respicias, Filius, & Spiritus æquè atq;

Qua ratione Filius sit expers principij. *(sic, illeg.)*

Pater principij expertes erunt. Nam ex quibus tempus existit, ea profectò temporis rationi non subduntur. Ibidem paulò antè: *Si pergas quærere quando fuerit Pater? subijciam nunqua-*

non fuisse, vt & sic æterni sint, & Filius, & Spiritus sanctus. Victorinus lib. 2. de Trinitate: *Si in principio erat Λόγος, & Λόγος erat apud Deum, quoniam principium ante nihil habet: si enim habuerit, desinit esse principium, ex æterno Deus, & ex æterno Λόγος.* Idacius de Trinit. *Sacrilegium est dicere Patrem sine Filio, lucem sine splendore, aut fortem sine virtute, aut sapientem sine sapientia sua fuisse.* Et de Ætio Arriano lege Tripartitam lib.5 cap.13. Cyrillus lib.1. Thesaur. cap.5.in tio: *Is autem de quo dicitur. Qui est. Qui erat, & Qui venturus est, aeternus esse certè significatur.* Intrà: *Diuina Scriptura, erat, & qui est, & sum, & eram, cæteraq; huiusmodi voces, de Verbo solummodò dicunt, de creaturis autem non illas ponunt, sed potius olim & pridem, & antea, & fuit, & factum est, cæterasq; huiusmodi.* Significat porrò hæc Verbi æternitas ad Patrem, Patrem nunquam fuisse in potentia ad producere, & Verbum nunquam in potentia ad produci, sed actu ab æterno Patrem gignere Filium, & Filium ab æterno gigni à Patre. Quod mirum esse nō debet, si effectus in creaturis, coæuus est suæ causæ, vt calor igni, splendor luci, verbum menti, saltem Angelicæ. Adde historiam Tripartitam, lib.9. c.40. testantem quosdam Arrianos negantes, Patrem fuisse ante Filium; alios verò, extitisse Patrem nō extante Filio, & de his hactenus nobis sit dictum.

Mar. Victor. — Idacius. — Hist. Tripart. — B. Cyrill. tom. 2. in princ. — Apocal. 1. — Hist. Tripart.

Generatio & processio non repugnant beatitudini Dei, aut naturæ intellectuali præditæ libero arbitrio.

VII. Argum. Filius Dei generationem à Patre per intellectum, & nō per voluntatem esse demonstratur.

¶ Septimò, Diuina generatio, & spiratio passiua, quæ processio vocatur, sicut actiua spiratio, dicitur productio, non repugnat naturæ diuinæ intellectuali libero arbitrio præditæ, nec eius beatitudini. Cùm enim natura diuina sit maximè à materia separata, maximè intellectualis erit, & intellectualis fœcunditas, & eius proles ab intellectu prodibit, qui vt natura quædam fœcunda, Filij principium dicetur; quatenus verò intellectualis est, Verbum præferet. Adhæc ex humanis facultatibus solùm intellectus & voluntas Deo absque metaphora tribuuntur: cùm ergo intellectus prima facultas sit, eius operatio, siue functio erit Verbi generatio, quæ prima operatio intima est. Præterea in Angelo, & homine, qui Dei imago sunt, videmus operationē intellectus præcedere illā voluntatis: quemadmodum in brutis animantib' apprehensio præcedit appetitionem, & in sensu carentibus instinctus naturalis naturalem præcedit appetitionem. Ergo in Deo, cuius imago, vel vestigium sunt in creaturis impressa, prima operatio intellectus erit, id est, generatio Verbi: secunda operatio voluntatis, id est, Spiritus sancti productio. De quibus Clemens Alexand. lib.5. Stromat. circa princ. In Phædro autē Plato veritatē declarauit esse ideam. Idea autem, est Dei intelligentia, seu quod à mente diuina intelligitur, quod quidē Barbari (id est, Iudæi) dixerunt Λόγον Θεοῦ, id est, Dei Verbum, seu rationem. Et Victor. lib.3 dicit Deum Patrem se mouendo, & foris spectādo, id est, se intelligendo, geminum fieri, hoc est, Filium qui alter ipse est, generare. Et vt Arriani Filium creaturā facerent, dicebant eius productionem esse voluntariam, sicut aliarum creaturarum, hoc sophismate illusi, & illudentes: Aut nolens Pater Filium genuit, & sic coactus, & necessitate ductus; aut volens, & ita liberè, & contingenter genitus, & Filius voluntatis, ac per hoc creatura est. Vnde voluntate Patris electū dicebant, & per adoptionem Filium, vt testatur Tripart. hist. lib.1. cap.13. Sed in tali Sophismate latet æquiuocatio. Nō enim potest dici, quòd nolens genuit Filium Pater, quasi coactus, & necessitate constrictus: quinimò volens, & summè sibi complacens Filium generat. Quia enim esse, velle, & posse, in Deo idem sunt, quicquid est, vel esse potest in natura diuina ex his quę ad perfectionem eius pertinent, & vult Deus voluntate cōcomitantiæ, & necessariò in ea est. Idcircò nō ita volens vel est, vel generat Deus quasi ex consilio, vel contingenti voluntate, quà à principio præcedente Verbi generationem, vel suum esse, sicut præcedit mundi creationē, sic vel generet; ideò nec hoc modo voluntatis genitus est Christus. Non ergo coactè, nec egens Pater generat, sed volens voluntate complacentiæ. Hinc Nazianzen. lib.3. Theol. init. de Platone loquens: *Quamquam autem quidam ex his, qui inter Græcos sapientiæ opinione floruit, arcanum hoc ineffabile profusam diuinæ bonitatis abundantiam ausus est nominare: siquidem vbi de prima & secunda causis disserit, apertè sic loquitur: velut patera supersufo liquore effluit: nos tamen ne decori Deitatis obliti, quasi coactam generationem, & velut naturæ superfluam abundantiam, quæ contineri non posit, Deo tribuamus, tale aliquid nō audemus.* Hilar. lib. de Synod. *Nō enim coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, cùm nollet, genuit Filium: sed mox, vt voluit, sine tempore, & impassibiliter ex se eum genitū demonstrauit.* Ambros. lib.3. de Spiritu sancto, c.1. ante med. *Pater quod dedit mihi, maius omnibus est: ex istis ipsis verbis* dem[...]

Gen. 1. & 2. — Clem. Alex. tom. 2. — Plato Idea quid secundum Platonem. — Mar. Victor. — Arrianorum sophisma delusum. — Hist. Tripart. — D. Greg. Naz. Platonis [...] diuina g[...] tione [...] tiam [...] xenus quam reiciat. — B. Hilar. [...] de Synod. [...] exempla [...] Syrmi[...] Orienta[...]

de quibus calumniam struunt (Ariani) vnitas diuinitatis aduertitur, non indigentia largitatis. Deus est Pater per generationem, non per adoptionem. Deus quasi id quod esset in ipso diuino iure natura, nō quasi liberalitatis gratia quod deesset.

Ioan. 10.

B. Cyrill. tom. 2. init.

Cyrillus lib. 1. Thesaur. cap. 8. à medio. *Omnia hæc Filius Patri est, Consilium, Voluntas, Verbum, Sapientia.* Et lib. 2. Dialog. de Trin. propè fin. *Est enim non absq; voluntate, quæ est naturaliter, cùm voluntas cum natura eius simul currat, vt si qua est.*

Idem eodem tom. 2. à med.

Idem.

Paulò post: *Dico, debere nos animabus nostris de Deo sententiam optimam includere, & cogitare, quod nihil quidem præcesserit Filij natiuitatem, neq; prius orta sit voluntas quàm is qui genuit: fuerit autem simul Pater Deus, & volens, vt esset Pater. Est enim non sine voluntate quod est, neq; necessariam in hoc sustinet voluntatem.*

Eadem veritas Patrum testimonio confirmatur.

Quòd autem non contingenter, nec præuio consilio, & voluntate sicut creaturam, sed naturaliter, & necessariò Filium produxerit, asserunt etiam Patres.

B. Athan. to. 1. inter princ. ac med.

Athanas. serm. 4. contra Arrianos, propè finem. *Vt enim bonus esse, non ex voluntate incepit, cùm tamen non inuitus, nolensq; bonus sit: nam hoc ipsum quod est, cum voluntate sua est: ita quoq; quod Filius ille sit, etiamsi non voluntate principium ductum est, non tamen inuito illo, & præter sententiam Filius extitit. Sicut enim volens, cupitorq; est suæ essentiæ, ita quoq; Filius, qui illi ex substantia proprius est, non est illi inuito superinductus.*

Naz. Gregor.

Item Nazianz. lib. 3. Theolog. circa princ. *Non igitur quod à voluntate proficiscitur, statim erit voluntati tribuendum (neq; enim fuerit hoc omninò consentaneum, vt nec genitum generationi, nec audiendi facultate perceptum, ipsi sono adscribendum est, sed ipsi volenti, generanti, & loquenti)* Sic ille, docens, Christum non esse Filium voluntatis, sicut auditio soni, vel genitus generationis.

August. tom. 3. 1. Sent. dist. 6. c. 1. & c. prædicta tamen.

August. lib. 15. de Trinit. *Astutè sane quidam, respondit hæretico versutissimè interroganti, vtrum Deus Filium volens, an nolens genuerit: vt si diceret, nolens, absurdissima Dei miseria sequeretur: si autem volens, continuò quod intendebat, velut inuicta ratione concluderet, non naturæ esse Filium, sed voluntatis.*

Catholici cuiusdam ad quendam Arrianum acuta responsio.

At ille vigilantissimè vicissim quæsiuit ab eo, vtrum Deus Pater volens, an nolens sit Deus, vt si responderet, nolens, sequeretur illa miseria, quam de Deo credere, magna insania est. si autem diceret, volens, responderet ei, Ergo & ipse Deus est sua voluntate, non natura. Quid ergo restabat, nisi vt obmutesceret, & sua interrogatione obligatum insolubili vinculo se videret?

Cyrill. tom. 1. init.

Cyrillus lib. 1. Thesaur. cap. 8. paulò ante dimidium: *Si ergo voluntas creaturæ præcedit, quamuis opificium ad voluntatem Dei sequatur, non est Filius creatura, per quem omnia facta sunt.*

Ioan. 1.

Quare nec voluntas generationi eius præintelligitur, sicut in creatione creaturarum. Non ergo voluntate (vt creatura) factus est; sed erat, & est consilium Patris, in Patre, vt proprium paternæ essentiæ germen.

Idem.

Infrà: *Nam sicut bonus, & omnipotens est (Pater) quæ quamuis non habeat præcedente voluntate, ac electione consilij, non tamen inuitus hæc habet, vult enim id esse quod est: sic licèt non ex voluntate genuerit Filium, non tamen inuitus habet eum, sed diligit, vt scriptum est.*

Ioan. 5.

Et sicut hypostasis Patris est, non quia ipsam esse voluit, sed quia est, nec ipsam esse non vult: sic & Filius ex Patre non inuito nascitur, nec tamen voluntas generationem eius præcedit.

Idē eod. tom.

Rursus lib. 2. Dialogor. de Trinit. sub finem: *At si Deus ac Pater non habet verè naturam generatiuam, volitione autem mouetur ad hoc vt possit gignere, tunc iam dicendum quodammodò, quod ipse demonstretur suam fecisse naturam generatiuam, & inductus in hoc quod non erat.*

B. Damascen.

Generatio à creatione quid differat.

Damascenus lib. 1. cap. 8. sub finem: *Generatio quidem sine principio, & æterna, naturæ opus est, & ex substantia eius: ita vt is qui generat, mutationem non habeat vllam, & vt non Deus, primus & posterior sit, atq; additionem signet: Creatio verò à Deo, cùm voluntatis opus sit, non coæterna Deo est: quandoquidem suapte natura capax non sit, quod de non esse ad esse deducitur, coæternum illi esse, qui sine principio, atq; aliquid sempiternum esse.*

Argumenta quæ fiunt contra Trinitatem, soluuntur.

Quæ contra Trinitatem fiunt argumenta referuntur.

I. Argum.

¶ Octauo loco ac postremo soluenda quædam argumenta, quæ contra Trinitatem fiunt. Ac primò quidem argumentantur ex eo, quòd persona est ens vnum completum per se subsistens, & rationale, & cui actiones tribuuntur: & quia essentia est ens vnum, quo Deus in se subsistit, & à creaturis distinguitur, ideò cùm hæc essentia in Patre sit, nō videtur quomodo sit in Filio, quia non esset vnum indiuiduationis principium, quia esset commune alijs.

Secundum.

Ioan. 10.

Secundò, quia Pater & Filius cum in vna essentia sint, vnum & idē inter se erunt: Quia quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadē inter se.

Tertium.

Tertiò, Syllogismus contexitur expositorius; Essentia diuina est Pater, eadem quoque est Filius: ergo Filius Pater erit; & ita erit vna persona.

Quartum.

Quartò, non videtur quomodo Pater eandem essentiam tradat Filio, & illam non amittat.

V. Argum.

Quintò, processio Verbi à Patre, vel Spiritus sancti ab vtroque, derogat primi principij rationi: nam si Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnum principium sunt, quomodo productus Filius, & Spiritus sanctus, qui ab alio sunt, & ab alio procedunt, primū principium esse

Sextum.

poterunt? Sextò, videtur superfluum ponere in Deo plures personas, cùm æquè vna persona perfectus sit Deus, & infinitus, ac si essent duæ, vel plures personæ: quid ergo opus ponere numerum tot personarum?

Septimum. Generationis quinam finis.

Septimò, videtur superfluum ponere in Deo generationem, quã natura ad hoc instituit, vt indiuidua, quæ in seipsis nõ possunt subsistere, saltẽ ministerio generationis in specie permaneant. Vnde & illa, quæ incorruptibilia sunt, & in seipsis semper permanentia, nõ generant, vt Angeli alios Angelos nõ producunt, neq; cœli qui æterni sunt, alios cœlos. Cum ergo Deus æternus sit, & perpetuitate gaudeat, non est cur illi tribuamus generationẽ, & fœcunditatẽ.

Soluuntur argumenta proposita. Persona duobus modis accipitur. Aug. lib. 6. de Trin. c. 6. init. tom. 3. Dionys. lib. de diuin. nomin. cap. 1. sub initium ac sæpè deinceps. Personæ cur plures in Deo.

Ad primum dicendum, personam sumi posse dupliciter: vel pro re, quæ per se subsistit, & ab alia distinguitur: atque ita sicut vnus tantum est Deus, ita vna persona, & vnicum suppositum. Vnde Augustinus: *Nõ aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem.* Et Dionys. lib. de diuin. nomin. vnum & indiuiduum Deum nominat: pro quo personæ nomine accepto, Deus vnica tantùm persona est, atque eodem modo Philosophi, & Infideles, nomine personæ vsi sunt. Et ita argumentũ demonstrat; Deum vnicam tantùm esse personam, & Diuinam essentiam vnum indiuiduationis principium, reliquis minimè cõmunicabile. Quia tamen illa eadẽ essentia communis est tribus personis, ob suam infinitam fœcunditatem, ob quam etiam easdem constituit; ideircò [illegible] patitur personarum pluralitatem, nomine personæ magis propriè accepto, nempè pro rationali indiuiduo per se subsistente, & nulla ratione pluribus communicabili: iuxta quam significationem nec Deus vna persona est, nec essentia vt talis vnum indiuiduationis principium, sed tribus potiùs quasi indiuiduationis principijs æquiualens, & tres personas propriè sumptas constituens. Hinc Tertull. libro in Praxean, exponens id: *Ego, & Pater vnum sumus,* ait: *Vnum dicit neutrali verbo, quod non pertinet ad singularitatem, sed ad vnitatem, ad similitudinem, & coniunctionem,* & reliqua. Ita quidam respondent ad hoc argumentum.

Ioan. 10. Tertull. paulò ante operis initium. Cur dictum in neutro genere: Ego, & Pater vnum sumus.

Sed quia hæc solutio videretur admittere quartam subsistentiam communem tribus personis, vt Deus vnus sit vltra tres alias, quæ singulis personis distinctis tribuuntur; ideò verior, ac solidior responsio est si negetur minor: nec enim essentia subsistit in vna subsistentia communi tribus personis, quæ non est, sed tantum subsistit in tribus subsistentijs trium personarum.

Illud Axioma:

Ad secundum dicendum, axioma illud: Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, rectè esse intelligendum, vt Aristoteles lib. 3. Physicor. tradit, tunc rerum quæcunque essent eadem vni tertio, non tantum re, sed etiam ratione; at relationes eadem sunt cum essentia Diuina reipsa, non tamen ratione: ideò non sunt eadem inter se. Sicut, verbi gratia, non valet ista consequentia: Motus est actio, & motus est passio: ergo idẽ est actio & passio: nam reipsa quidẽ sunt vnum & idem, nõ tamen ratione: quia motus est actio qua [illegible], & motus est passio ea ratione, qua patitur, & recipit. Deinde axioma illud in his tantùm locum habet, quæ [illegible] constituuntur, & nõ in alijs: neque enim quia rationale, & irrationale idem sunt cum animali, ideò rationale, & irrationale idem erunt. Quia enim essentia communis est, & Pater, & Filius singularis, non valet in illis argumentum. Sic ergo Pater, & Filius eo modo quo sunt vnum & idẽ cum essentia, nempe vnitate essentiæ, eodem modo sine ambiguitate, & æquiuocatione sunt vnum & idem inter se, quia in vna essentia conueniunt.

Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, quomodo intelligendum.

Ad tertium de Syllogismo expositorio dicendum, latêre in eo accidentis fallaciam. Neque enim sequitur, demonstrato homine aliquo, hoc est musicum, & hoc est album, ergo musicum est album: sed ita demonstrato, valet sequela, hoc est album, & hoc est dulce, ergo album est dulce: sed inferendũ est, ne fallaris, in primo quidem: Ergo aliquid quod est musicum, est album; in secundo verò: Ergo aliquid quod est album, est dulce: Et ita rectè infertur in materia proposita: Ergo aliquid quod est Pater, est Filius: quia essentia Diuina est Pater, & eadem est Filius.

Ad quartum, quomodo possit Pater communicare Filio naturam suam, & illam eandẽ sibi retinere, dicendũ est, illud Deum posse, si nos possumus cõceptum nostrum alteri communicare, illum nobis ipsis retinendo, & Sol radios lucis, quos [illegible] communicat; & si Deus omnia alia sua dona nobis cõmunicat: ita vt eorũ dominium penes se retineat. Ait enim Eusebius lib. de Præparat. Euangelica, ex Numenij Philosophi doctrina: *Res quidem humanæ (inquit ille) ab eo qui dat, ad accipientem transeunt: diuinæ verò à Deo dantur, & ab eo non absunt: quale quid scientia est, quam qui accipit, [illegible] factus est; qui autem dedit, nihil amisit. Lucerna etiam ab alia lucerna si accenditur, vt prima non extinguatur. Materia enim alterius ab igne alterius accenditur. Sic & scientia non recedit à dante, & tamen in accipientem transit, cuius causa humana non est. Sic [illegible]*

Quomodo Pater communicet Filio naturam suam, & illam retineat. Euseb. lib. de præparat. Euang. ... Numenius Philosophus.

[illegible]ientiam

sedentiam habet, idem est apud Deum d antem & [illegible] incipientem Christiano digna Philosophi sententia. Hilarius lib. de Trinitat. *Pater vniuerso potius quæ sua sunt sine damno impartientis indulsit.* Ex Cyrillus asserit Patrem ita genito Filio dedisse virtutem creandi, vt eam ipse non amiserit.

B. Hilar. lib. 7. de Trinit. circa finem.
B. Cyrill. lib. 1 Thesaur. ca. 7 prope fin. to. 2. in prin.

Ad quintum respondemus, derogare processionem vnius ex ab altera ratione principij, si productum haberet distinctum esse à producente: tunc enim productum primum principium non esset: at autem cum Filius, & Spiritus sanctus per productioné eandem naturam quam Pater habet, possideant, fit, vt nō obst inte processione vnius ab altero, primum principium esse possit. Et ita quidam vocant Patrem, Principium principians, & imprincipiatū: Filium verò, Principium principiatum, & principians: Spiritum vero sanctum, Principium principiatum, sed non principians, quia ab eo nulla diuina Persona sumit originem.

Qua ratione Filius & Spiritus sanctus cum à Patre procedant, ratione habere primi Principij queant.

Ad sextum dicendum, verum esse vnam personam à que esse perfectam, ac duas, vel tres, quæ tamen propterea non sunt superfluæ, quia habent eandem Deitatem; & superfluum in rebus, non in personis est reprehendendum. Ideo superfluum est ponere plures Deos; qui essent, si vna persona ab alia non procederet. Sed processu posito, vna persona accipit eandem Deitatem ab alia. Ergo in Deo numerus personarum ponitur, vt perfecta sit felicitas, & beatitudo in societate, & consortio mutuo: non autem numerus rerum, quia talium numerus diuisionem vel aggregationem, quæ defectū arguit, implicaret. Cùm ergo ab Augustino dicitur: *Res, quibus fruendum est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus est.* Intellige res posuisse pro personis.

Aug. lib. 1. de doctrina christ. ca. 5. to. 3. [illegible]
Quomodo accipiendum verbum Augustini. Res quibus fruendum est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus est.

Ad septimum dicimus, Angelos, & cœlos non producere sibi simile, quod non sint omnium [illegible] autores, & conditores, quemadmodum de Deo fatemur, qui omnia [illegible] produxit; & [illegible] nobilissimum est quam [illegible] perfectionē quę est in creaturis [illegible] modo in illo existere. Et [illegible] quædā est æternitas, [illegible] perpetuitas, quam Angeli, & cœli possident, Deo tribuenda est. Et quia in [illegible] generādi [illegible] perfectio [illegible] defectus propter [illegible] perfectio in Deo est asserenda, vt [illegible] æternus æternū generat verbum, sine vllo tamen defectu, vel corruptione, id est, [illegible] sine motu, sine tempore, & [illegible] defectibus [illegible], qui [illegible] [illegible]. Vnde ipse vēdicans sibi hāc

Cur Angeli, & cœli non generent.

[illegible] ait: *Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et alibi: *Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo sterilis ero?* Etsi ergo Angeli non generēt, quod sint incorruptibiles; non tamē rectè infertur: ergo nec Deus generat, qui extra omnem corruptionem, & mortalitatem positus est: quia Deus, & hominis, & Angeli perfectiones, semotis vtriusq; imperfectis, possidere debet. Angeli verò q a spiritualis naturæ, quæ est indiuisibilis, non possunt decidere naturæ suę partē, vt homo facit. Dices similiter; Deus est indiuisibilis, & spiritualis naturę, ergo nec generabit. Sed Deus est spiritualis naturæ, & infinitæ, ob quam se totam in alterum potest communicare: secus Angelus, qui limitatæ, & finitæ naturæ existit. Et homo generat, vt conseruetur in specie, quia in indiuiduo non potest, quia hoc est proprium naturæ lapsæ post peccatum; quæ ob id morti adiudicata est. Et tamen prius non existente peccato, & nulla ex stente morte generare potuisset. Et ita in Diuinis non est generatio vt Deus cōseruetur in specie, sed ob infinitam naturæ diuinæ fœcunditatem, quę est summa perfectio. Multa alia argumenta poterant produci, quæ Arriani in tā inuictam Fidei veritatem obiectabant, quia mendacium multiforme est, & fœcundū, sed non existimaui operæpretium ea recitare, cùm ex dictis facilè omnia resolui queant, & in Commentariorum horum progressu commodiùs, si quæ fuerint, expedientur. Deum, Dominumq; nostrum, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum deprecemur, vt pro sua ingenita bonitate omnes Iudæos, & Gentes ad huius Fidei lumē vocare, & perducere dignetur, vt suo die ex credentibus reddat intelligentes, & ex malis discipulis magistros & doctores aliorum efficiat; & in Fidei, & intelligentiæ suæ præmium beatam sui ipsius visionem & fruitionem æternis seculis duraturam nobis largiter conferat. Amen.

Psal. 2. & Heb. 1. & 5
Isai. 66.

Qua ratione cum Deus sit indiuisibilis, gignere possit.

Homo cur generet.

Gen. 3.
Deus cur generet.

Mendacij natura.

TRACTATVS XIII.

IN Quo exponitur illa sententia:

Omnia per ipsum facta sunt.

VBi per superiores propositiones B. Euangelista eminentius de Deo locutus est, nunc ab æterna, & arcana generatione ad exteriorem eius fœcunditatem deuoluitur. Prius enim verba fecit de Deo

Ratio connexionis.

vt Deus est; nunc verò de Deo vt Creatore dicere aggreditur. Fuit enim Deus ab æterno Deus; non tamen ab æterno actu Creator, quandoquidem nihil ab æterno creauit. Est etiam Dei, quàm Creatoris absolutior, & eminentior appellatio. Cùm ergo hactenùs declarauerit, quid Moyses per Elohim intellexerit, modò declarat quod dixit: *Creauit cælum, & terram*. Deinde pulchrè est explicatum esse Verbi ex æternitate, habitatione in sinu Patris, Deitate, origine, distinctione, coæternitate cum Patre: nunc eius exponit virtutem, & potentiam, dicendo: *Omnia per ipsum facta sunt*. Egit hactenùs de Verbo per comparationem ad Deum Patrem, nunc quomodo se habeat respectu creaturarum omnium in genere, & deinde ad eos qui inter Creaturas præcipui sunt, homines scilicet. Ad cuius sententiæ explicationem, primò omnium examinanda, & scrutanda est litera. Secundò, exclusis, & reiectis alijs, sensus verus & germanus est tradendus. Tertiò ostendédum, Verbum mundum fecisse, ita vt ipsum nequaquàm factum fuerit. Quartò & vltimò Fides, & charitas, & boni ac studiosi mores ex hac sententia ædificandi sunt.

Gen. 1. Ibidem.

Propositio.

Ad primum igitur, volunt quidam claritatis gratia, ad ambiguitatem tollendam, melius fuisse interpretari per illud, vel per idem, quàm per ipsum, ne fortè possit ad Patrē referri. Sed certè scrupulosa est ista reiectio verborum: nam cùm institutus sit sermo de Verbo, relatiuum, per ipsum, ad aliam personam non poterat referri, quàm ad personam Verbi.

Propositæ sententiæ, Omnia per ipsum, &c. litteralis sententia quorundam reijcitur.

Secundò considera, Verbum, Facta, accipi pro, creata, non quidem ex vi vocabuli, quasi creare, sit ex nihilo producere; facere verò, ex materia præiacenti: nam hunc rigorem verborum nó obseruat Scriptura, qua asserit Deum creasse hominé ex limo terræ, & creasse Deum cete grādia, cùm tamen ex materia creauerit; præcessit enim: *Producant aquæ reptile animæ viuentis*. Contra verò dicitur facere ex nulla materia subiecta, vt hîc, & in Symbolo Niceno in Ecclesia decantato affirmamus: *Credo in vnū Deū Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, visibilium omniū, & inuisibilium*. & tamen idē est cum eo quod in Symbolo Apostolico dicimus: *Credo in Deum Patrem omnipotentē, creatorem cæli & terræ*. Et quod dictum est in Genesi. *In principio creauit Deus cælum, & terram*, Septuaginta verterunt: *In principio fecit*, id est, fecit. Ergo neque creare, neque facere, ex vi vocabuli habet, vt significet productionem ex nihilo: maximè cùm nomines ex placito, & voluntate imposue-

Facere, & creare quid differant.

Gen. 2. supra. 1.

Ibidem. Nomina.

rint homines ad significandum. Et productio ex nihilo non omnibus erat illis cognita, ideò non erat probabile, vt actionem ignotam lumini naturæ aliquo verbo repræsentare vellent. Vtrumque tamen, & creare, & facere, sumitur pro productione ex nihilo, ex circumstantijs locorum Scripturæ, vt hîc, cùm dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt*. Si omnia, ergo ipsa materia, ex qua cuncta constat; ac proinde ex nihilo producta sunt. Et verbum, Creare, in illo loco, *In principio creauit Deus cælum, & terram*, accipitur pro productione ex nihilo: quia ante cœlum, & terrā, quæ sunt primæ partes mundi, nihil erat.

Creare, & facere, quando accipiantur pro productione ex nihilo. [illegible]

Tertiò aduerte præpositionem illam, per, vel Græcè διὰ non significare inferiorem aliquē gradum, vel ministerium, quemadmodum Arriani cęcutientes asserebant: contédebant enim hac ratione se Verbum Patre inferius effecisse. Sed certè falsi sunt, & fallere alios volebant: & hic error initium accepit ab Origine, qui tomo 2. in Ioannē ex his verbis colligit, Patrem maiorem esse & superiorē quàm sit Verbum. Nam hęc præpositio *Per*, in Scripturis sanctis & Patri, & Filio, & Spiritui sancto sine discrimine attribuitur. Vnde licèt Basilius libro de Spiritu sancto consideret, quod Philosophes particulam, *à quo*, tribuit artifici; *per quod*, instrumento; *ex quo*, materiæ, *propter quod*, fini; *ad quod*, vel *iuxta quod*, exemplari, *in quo*, loco, & tempori: Scriptura tamen his particulis non ita semper cum tanto rigore vti cōsueuit. Vt enim Spiritui sancto non est tempus, nec locus, cui particulam *in quo*, tribuamus: & Pater, cui accómodatur, *ex quo*, non est materia: ita & Filius, cui attribuitur *per quod*, non est instrumētum, & illi tribuitur *in quo*: *In quo*, inquit, Paulus, *condita sunt vniuersa*; &, *Nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Et de solo Patre intelligenda est sententia Apostoli: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, secundùm Victorinum lib. 1. de Trin. Basilius verò lib. de Spiritu sancto, & Ambros. libr. 4. de Fide, ad Filium solum illum locum referédum existimant: quamuis Augustinus lib. 1. de Trin. interpretetur aptādo singulas particulas ad singulas personas Trinitatis, ex ipso Patre, per ipsum Filium, & in ipso Spiritu sancto. Ambros. verò lib. 2. de Spiritu sancto ostēdit, illas tres particulas communes esse toti Trinitati, & singulis eius personis: & ita Pauli dictum interpretatur, vt totum conueniat Christo: deinde vt totum conueniat Patri: tertiò vt totum conueniat Spiritui sancto. Et idem constanter docet lib.

Particula Per in Scripturis nō semper instrumentum seu ministerium, sed [illegible] sæpè significat contra Arrianos.

Orig. par. 2.

Basil. c. 2. & 4. [illegible]

Col. 1. Heb. 1. Ephes. 1.

Victorin. Basil. lib. 1. [illegible] Ambros. [illegible] Augustin. [illegible]

Ambr. lib. 2. de Spir. sancto. c. 10. [illegible]

lib. 3. de Spiritu sancto. *Nihil igitur eumuere possunt Arriani ex hoc loco: Omnia per ipsum facta sunt, vbi, Per, tribuitur Filio, cùm alibi tribuatur ipsi Patri, & Spiritui sancto. Dicitur enim 1 Corinth. 1. Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei.* Infrà: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filij eius. Et ad Hebr. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, autorem salutis eorum, per passionem consummare. Vbi sermo est de Patre, quia consummare, actiuum est, sicut Graecè* τελειῶσαι, *& non consummari.* Et iterum in eâdem Epist. *Deus iurauit per semetipsum.* Et ad Galat. *Quod si filius; & haeres per Deum.*

Idem cap. 12. Particulam Per, Patri, & Filio, & Spiritui sancto apud Paulum accommodari. 1. Cor. 1. Ibidem. Hebr. 2. Heb. 6. & Gen. 12. & 17. & 22. Gal. 4.

Datur etiam particula, Per, Spiritui sancto. Vnde Acto. 1. *Per Spiritum sanctum quos elegit assumptus est.* Et iterum: *Corroborari per Spiritum in interiori homine.* Item: *Reuelauit per Spiritum suum.*

Act. 1. Ephes. 3. 1. Cor. 2.

Rursus particula, *Ex quo*, quam Haeretici attribuunt Patri, & *Per*, Filio (vt colligũt ex 1. Corinth. 8. vbi dicitur: *Nobis tamen vnus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illo: Et vnus Dominus, Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*) tribuitur etiam Christo. Vnde ad Ephes. dicitur: *Crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum, &c.* Et ad Coloss. *Non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum, & constructum, crescit in augmentum Dei.*

Dictionem Ex quo, singulis personis ab eodem alligari. Infra 8. Ephes. 4. Col. 2.

In quo, etiam attribui solet Spiritui sancto, datur tamen plerunque Patri: *In Deo*, Dauid inquit, *faciemus virtutem. In Deo meo transgrediar murum: In voluntate Dei veniendi ad vos. Venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Tribuitur etiã sine scrupulo frequenter Christo: *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui: Ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Et alibi: *In nomine Domini nostri Iesu Christi.* Quod factum est, vt docti innotauit Chrysostomus, ad insinuandam Diuinae substantiae, & essentiae in tribus Personis vnitatem, non autem aliquam in aequalitatem. Quanquã, ne quid dissimulemus, trium personarum proprietate aptissimè exprimuntur his tribus, *A quo, Per quem, In quo:* nimirum Principio, Medio, & Fine. Nam *à quo*, principium est totius motus, siue exterioris, siue interioris, diuinae scilicet propagationis: *Per quem*, medium vtriusque perfectionis, ac foecunditatis; *In quo* verò, finem, statum, & complementum vtriusque propagationis, ac foecunditatis explicat. Principium in diuinis, primaque Deitatis persona, est Pater, à quo omnis & interna, & extrinseca lux sui motus (teste Dionysio) [illegible] sumit: medium verò i

Particulam In quo, Patri, & Filio, & Spiritui sancto etiam adaptari. Psalm. 59. Psal. 17. Rom. 1. Ioan. 3. 1 Cor. 5. Ephes. 5. 1. Cor. 5. [illegible] hom. 4 in 2. ad [illegible] 3 [illegible]. Haec particulae, A quo, Per quem, In quo, quod apte di[illegible] personarum proprietates exprimunt. Dion. [illegible] c. diuin. [illegible]

Deo, ac secunda Dei emersio, Filius est, per quem omnis Dei processus & interiùs, & exterius procedit. Finis verò in Deo, supremaq; Dei appellatio Spiritus est, in quo & extrinsecus, & intrinsecus sistitur motus. Meritò ergo dicit Euãgelista: *Omnia per ipsum facta sunt.* Nam omnia facta sunt à Patre per Filium in Spiritu sancto, & non magis, aut minùs ab vna persona, quàm ab altera. Omnis namq; creatura cùm sit opus Dei, aequaliter est opus Patris, & Filij, & Spiritus sancti: sicut Deus, aequaliter dicitur de Patre, Filio, & Spiritu sancto. Et hactenus de litera.

Quod ad secundum verò spectat, nõ est sensus verus, quòd vel Filius, vel Spiritus sanctus à Verbo sint facti: quia cũ hic sermo sit de Verbo, ipsum Verbũ fecisset seipsum; & ita fuisset antequã esset; & quia sequitur: *Sine ipso factũ est nihil. Quod factũ est, &c.* vbi intẽdit excludere nõ facta, cuiusmodi sunt personae diuinae. Quanquàm Origenes in Ioan. dicat: *Haec autẽ multũ, ac diu probata sunt ijs, qui planiùs & apertiùs videre velint, si omnia per ipsum facta sunt, Spiritum etiã per Verbũ factum esse, qui vnà rerum omnium, inferior eo, per quem factus est, intelligatur, etiamsi verba quaedam nos in contrariã partem trahere videantur.* Haec ille. Sed hoc dogma Arrianum, & Macedonianum est. Intellige ergo, omnia, scil. creata, vel facta distributione accõmoda, ne fortè Patrẽ, & Spiritũ sanctum per Verbum factos accipiamus, vel omnia alia à se.

Improbatur hic sensus ac damnatur: Omnia, id est Filius, & Spiritus sanctus, per Verbum facta sunt. Origen. tom. 2. in Ioan. inter med. & init. Contra Origenem Adimantium.

Secundò, non est sensus, quod omnia signa, & miracula per ipsum facta sint. Nam, vt benè ait Chrysostomus, non est sermo de signis, sed de creaturis: vnde sequitur, Mundus per ipsum factus est. Ergo, *per omnia*, vniuersę veniũt creaturę, siue perfectę, siue imperfectae; siue visibiles, siue inuisibiles; siue spirituales, siue corporeae, siue mixtae, & mediae, quae ad varietatẽ, & pulchritudinem, ac decorem vniuersi spectãt. Et ad tantum, ac tale Verbum spectabat tãta & talia dicere. Deinde quod dicitur, *per ipsum*, non ita intelligendum est, tanquàm Verbum Patrẽ mouerit, seu virtutem donauerit ad creandum, quemadmodũ iudex operatur per Regem, siue in potẽtia, & virtute Regis, & Valentinus haereticus, vt testis est Origenes, mẽtiebatur, perinde ac si Verbum Creatori caussam praestiterit mũdanae creationis. Nam scriptũ est: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, & nõ ob caussam aliquam extrinsecam: & tunc omnia dicerentur à Verbo per Patrem facta, & nõ à Patre per Verbum, quod falsum est. Nam verbum à Patre generatur, & accipit esse, non autem Pater à Filio.

II. sensus. Chrys. super. ioc. Omnia per Verbum quomodo facta sint. I. sensus. Origin. to. 2. in Ioan. Prou. 16.

c conclusio. Deinde, *per ipsum*, non intelligas tanquàm per ministrum quendam, quéadmodum Rex guberna: per ministros, & dominus operatur per famulum: quia æquale est, & æternum Verbum Patri: nec Particula, *per*, id semper significat, vt demonstratum est.

Tertius. Tertiò, *Per ipsum*, nó intelligas tanquàm per instrumentum, ob easdem caussas: quia Verbum esset ignobilius ipsis creaturis: quemadmodum per serram, & asciam fabrefacta nobiliora sunt ipsa serra, & ascia.

Quartus. Quartò, *Per ipsum*, nó intelligas tanquàm per artem alienam, quæ non sit in Patre; cú Pater eadem sit sibi sapiétia, & ars, & idea, quæ Filius. Nihil enim prima persona accipit à secunda: è contrario autem quicquid habet secunda, accipit à prima. Non ergo Pater eget arte Filij, quasi aliena, vt eam respiciat ad operandú. Accepit Cyrillus præpositioné *per*, pro altera, id est, a, vt sit sensus. *Omnia ab ipso facta sunt*. Sed etsi verus sit sensus, non tamen est plenus, & conueniés. Voluit enim Ioannes insinuare, Verbum illud, de quo loquitur, illud idem esse Verbum, per quod obscurè Moyses significauit vniuersa Deum fecisse: de quo Psalmista *Verbo Domini cæli firmati sunt*: & Apostolus: *Per quem fecit & secula*: quod dictum est perinde ac si dixisset, homo operatur per sapientiam, & artem suam, quæ est ipsius Patris. Syriacum Euangelium habet: *Omnia per manum eius fuêre*; alludens ad eius poté-tiam, & sapientiam, quam bellatores, & artifices manibus prodere soliti sunt. Quæ lectio bonum habet sensum: quia Christum appellat Apostolus Dei virtutem, & Dei sapientiam.

(Margin: Cyrillus lib. 1. in Ioan. c. 5. 10. 1. initio. — Gen. 1. — Psal. 32. — Hebr. 1. — 1. Cor. 1.)

V. sensus verus atque germanus. Exclusis ergo omnibus falsis sensibus, sensus germanus, & Catholicus proponendus est. Per ipsum ergo omnia facta sunt, tanquam per filium origine Patrem consequentem, & omnia quæ Pater facit, vt dicitur apud eundem Ioannem, faciétem: quia sicut à Patre omnia, sic per Filiú omnia. Et ratio est: quia virtus operandi vnica numero est, quæ primò est in Patre à nullo communicata: deinde est in Filio à Patre naturaliter concessa, quasi eâdem manu operarentur: & quia vnica ars, & sapiétia, quæ est Verbum, primò quidem est Patris, deinde vero Filij. ¶ Habes ergo in primis ex his verbis societatem Patris cú Verbo, quibus nó repugnat factio, aut creatio. Dicit enim Salomon in persona Christi: *Cum eo eram cuncta componens* Et Ioannes: *Quæcunq; Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit*. Secundò significatur autoritas originis in Patre: quia enim Pater dat Filio omnia, etiá potent à creandi, ii. et ita dicitur omnia Patrem condidisse per Filiú. Tertiò, insinuatur æqualitas potentię in Patre, & in Filio: quæ cú ad creandum necessariò requiratur, & infinita plura esse nó possint, meritò vna & eadem infinita potétia quæ est in Patre, inuenitur & in Filio, sicut & eadem essentia. Vt ergo Deus omnia creauit à principio, vt testatur Moyses, ita etiam Verbum omnia cum eo condidit.

(Margin: Ioan. 5. — Ex eo quod omnia per Verbum à Patre facta esse dicuntur, nouem veritates eliciuntur. — Prou. 8. — Ioan. 5. — II. conclusio. — III. conclusio. — Gen. 1.)

Quartò, verbum toties repetitum apud Moysen, népè, *Dixit Deus, Fiat hoc*, vel, *Fiat illud*, interpretatur Ioannes illud, explicádo fuisse Verbum per appropriationem.

(Margin: IV. conclusio. Ibidem. & seq.)

Quintò, omnia per ipsum facta dicútur, vt per artem, siue ideam, quæ Filij appropriatum est, nó proprium, vt Theologi loquuntur. Vnde Christus apud Paulum dicitur Dei virtus, & Dei Sapiétia: & Dauid: *Omnia in Sapientia fecisti*: & Moyses; *In principio creauit Deus*, hoc est, in Filio, vt Catholici nonnulli Patres interpretantur.

(Margin: V. conclusio. — 1. Cor. 1. — Psal. 103. — Gen. 1.)

Sextò, his verbis exprimitur Verbú verus Deus, & consubstátialis Patri. Nam, vt Chrysostomus in Ioann. doctè annotauit, Prophetæ ad ostendendam veram diuinitatem, & ad idolorum, simulacrorumque gloriam tollendam, signum creationis cœli, & terræ, siue mundi apponere solebant. Vt cùm apud Hieremiá dicitur: *Dij qui cælos, & terram non fecerunt, pereant de terra & de his quæ sub cælo sunt*. Et Dauid, *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum, & terram*. Et rursus Hieremias: *Qui fecit terrá in fortitudine sua, & præparauit orbem in sapiétia sua, & prudentia sua extendit cælos*. Propria ergo nota, & certum argumentum Diuinitatis est mundi creatio. Si ergo omnia per ipsum facta sunt, igitur ipsum Dei Verbum factum non est: nisi dicas per aliud Verbú, vel per seipsum factum fuisse: quorum vtrumque absurdissimum, & falsum est.

(Margin: VI. conclusio. — Chrysost. hom. 3. in ... — Hiere. 10. — Psal. 123. — Hiere. 51. — Prou. 8. — Múdi creatio propria ... ta Diuinitatis est nota.)

Septimò, indicatur Verbi cum Patre coæternitas, vt docet Hilarius: nam si omnia per ipsum facta sunt, ergo etiam tempora ipsa, & secula: nam ad Hebræos 1. dicitur: *Per quem fecit & secula*. Ergo non est factus, sed verus Deus, & Patri coæternus.

(Margin: VII. conclusio. — B. Hilar. ... de Trin. circa ... — Heb. 1.)

Octauò, his verbis etsi non insinuatur modus creandi, nam in principio seculorú cœlum Empyreum innumeris Angelorú exercitibus ornatum simul cum materia prima condidit; reliqua verò in sex diebus naturalibus operatus est: ex modo tamen dicendi, quod per Verbum facta sunt, quasi dicto suo, & imperio crearet, insinuatur, quod quietè, faciliter, sapienter, & liberè creauit: & quod omnia creata certo modo vocalia sunt, Deum ipsum creato-

(Margin: VIII. conclusio. — Gen. 1 — Quo pacto Deus mundum condiderit.)

Ibidem. & ſeq.

creatorem laudantia. Et quæ faciliora ſunt in creatione, magis declarauit Moſes, qualia ſunt quæ per ſingulos dies operatus eſt. quæ à Ioanne ſunt omiſſa: quæ verò difficiliora ſunt, hæc vt Elohim, minus Moyſes, magis, & apertiùs explicauit Ioannes.

IX. & vltima concluſio.

Nonò, ex hac veritate tam expreſſa confunduntur primò negantes Deum creaſſe omnia, ſed Angelos tantùm, quorum miniſterio reliqua operatus eſt: vel duo eſſe principia, vnum bonum, & alterum malum, vt dogmatizabant Manichæi: & ex priori aſſerebant omnia ſpiritualia orta; ex poſteriori verò principio omnia corporea. Sed certè hoc eſt contra verbum expreſſum à Spiritu ſancto, & contra rationem. Dicit enim per Scripturas Spiritus ſanctus, Deum omnia condidiſſe: *In principio*, inquit, *creauit Deus cælum.* Et Paulus: *In ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra,* vt tam viſibiles, quam inuiſibiles creaturas comprehenderet. Et Salomon in Prouerbijs: *Cum eo eram cuncta componens.* Et in libro Sapientiæ; *Deus, qui feciſti omnia verbo tuo.* Et in Eccleſiaſtico; *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* Et in Epiſtola ad Hebræos: *Qui autem omnia creauit, Deus eſt.* Eſt etiam contra rationem, quia creare, cùm ex nihilo ſit producere, & virtutem infinitam ponat, creaturæ competere nequaquàm poteſt.

Aduerſus Manichæos duo creationis conſtituentes principia.

Gen. 1.
Col. 1.
Prou. 8.
Sap. 9.
Eccl. 18.
Heb. 3.

Ad creandum vis infinita requiritur.

Secundò, confunduntur Manichæi aſſerentes, creaturas corporeas ex ſe malas eſſe; cùm tamen de ſingulis Scriptura dicat: *Vidit Deus quòd eſſet bonum:* Et de omnibus ſimul: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat; & erant valdè bona.* Et Paulus: *Omnis creatura Dei bona eſt.* Et, *Non poteſt arbor bona malos fructus facere.* Dicitur etiam Deus creaturas diligere, quæ ſi malæ eſſent, à tam ſapiente cõditore non diligerentur. *Diligis* (inquit Salomon ad Deum) *omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid cõſtituiſti, aut feciſti.* Vnde natura humana non eſt per ſe mala, ſed pars inferior, dumtendit in obiecta ſibi conuenientia, ſuperiori tamen animæ parti propter peccatum originis à gratia Dei derelictæ non conueniẽtia, neque illam decentia: quare dum illa appetit pars ſuperior, declinat, & à ſua nobilitate degenerat. Cibi etiam non prohibentur in lege Euangelica, vt ſuapte natura mali, neque vt ſigna futurorum, quemadmodum in lege Veteri; ſed vt minùs accommodati ad carnis macerationem, quã Eccleſia per indictum ciborum delectum intendit. Tertiò, confunduntur, qui æternitatem adſcribunt vel mundo, vel materiæ primæ, vel motui, vel tempori; cùm

Corpoream creaturam ex ſe bonam eſſe, oſtenditur cõtra Manichæos.

Gen. 1. & ſeq.
1. Tim. 4.
Matth. 7.
Sap. 11.

Humana natura quatenus mala.

Cibi quatenus in noua lege prohibiti.

Leuit. 11. & ſeq. & Deut. 14.

In eos, qui mundo, materiæ primæ, motui vel tẽpori tribuunt æternitatem.

ita omnia & tempore à Deo creata ſint. Et quanquàm probandæ ſint rationes Ariſtotelis, probantis hæc non fuiſſe generata per motum, nec per tempus, nec ex materia: ſimpliciter tamen falſum eſt, aſſerere illa à Deo non eſſe condita ſine motu, ſine tempore, & ſine materia. Et hactenus de ſecundo.

Ariſt.

Quantum ad tertium, Arriani peruersè tractantes Scripturas, multos locos adferebant, in quibus creatus, aut factus dicitur Filius Dei. Dicitur enim Prouerbiorum 8. iuxta verſionem Septuaginta Interpretũ: *Dominus creauit me principium viæ ſuæ in opera ſua.* Vbi nos habemus: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Thargum Chaldæa vertit: אקנא ברא id eſt, Deus creauit me. Et Eccleſiaſtici 1. *Prior omnium creata eſt ſapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo.* Et rurſus: *Ipſe creauit illam in Spiritu ſancto.* Et Eccleſiaſtici 24. *Ab initio & ante ſecula creata ſum, & vſque ad futurum ſeculum non deſinam; & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui.* Et ad Hebræos 3. vt legit Hilarius: *Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum, qui fidelis eſt ei, qui creauit illum.* Vbi nos habemus: *Qui fidelis eſt ei qui præfecit illum.* Et Petrus in Actis Apoſtolorum: *Certiſſimè*, inquit, *ſciat omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus.* Et Ioannes Baptiſta: *Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt.* Reſpondemus, in his omnibus locis verbum facere, vel creare non ſumi propriè pro ea productione, qua aliquid ex nihilo fit, quemadmodum ſuperius annotauimus, ſed etiam prout extenditur ad productionem ex interna ſubſtantia, vel ex ſubiecta materia. Quòd ſi contendas, propriè eſſe accipienda illa vocabula pro productione ex nihilo, tunc non ad Diuinam naturam, ſed ad Humanam ſunt referenda. Vbi ergo dicitur, *Fidelis ei qui creauit illum*, vel qui fecit illum, vt Græcè dicitur, Ποιήσαντι αὐτῷ, non eſt ſermo ſimpliciter de creatione, ſed de creatione, & aſſumptione ad Pontificatũ; hoc eſt, de prælatione Chriſti hominis, qui in alio loco dicitur ante Ioannem factus, hoc eſt, illi præpoſitus, & prælatus. Ideò Ambroſius libro de Fide: *Poſt me*, inquit, *venit, qui ante me factus eſt, hoc eſt, ſupra meritum meum factus, ſupra meam gratiam, tempore carnis poſterior, diuinitatis honore venerabilis. Poſt me enim venit, temporis eſt: prior me erat, æternitatis. Ante me factus eſt, honoris eſt, quia etiam incarnationis myſterium ſupra humanam eſt gratiam.*

Vnde nam Arriani creaturam eſſe Dei Filium ineptè colligerent.

Prou. 8.
Eccl. 1.
Ibidem.
Eccl. 24.
Hebr. 3.
Num. 11.
Hilar. lib. 12. de Trinit.
Cyril. quoque lib. 9. Theſaur. c. 2. & 3. 10. 11.
Actor. 2.
Ioan. 1.

Quod dicitur à Paulo Chriſtus factus fidelis ei, qui creauit illum, qua ratione accipiendum ſit ſecundum Hilarium.

Ambroſ. lib. 3. de Fide, c. 5. ſub. init. to. 2.

Quid illud Præcurſoris de Chriſto: Ante me factus eſt, &c. ſecundum Ambroſium.

Ad id quod dicitur in Prouerbijs: *Dominus creauit me:* reſpondeo, quòd vel non eſt

ita le-

Quomodo accipiendum videatur id, iuxta Septuaginta interpretes Dominus creauit me, &c. Prou. 8.

Basil. lib. 2. aduersus Eunom. paulò à med. tom. 1. à med.

Eccl. 24.

ita legendum, sed *Dominus possedit me*, vt Hebræa veritas habet, & Basil. libro in Eunomium annotauit; vel si ita legatur, ad Humanitatem esse referendum, in qua Deus se ostēdit creaturam; vel abusiuè creatio pro generatione capitur. Vnde, postquā dixit: *Dominus creauit me initium viarū suarum*, subdit: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram* Et rursus: *Ante omnes colles ego parturiebar*, vt intelligas, eam creationem esse accipiendam, quæ non repugnet cōceptioni, & partui. Et in libro Ecclesiastici, vbi dicitur: *Ab initio, & ante secula creata sum*, præcesserat: *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam*. Vbi prodire ex ore, & esse primogenitam, naturalem generationem declarat. Quare Ambrosius libro De Spiritu sancto: *Denique ipsa Sapientia secundùm suscepti locuta corporis Sacramentum*, ait: *Dominus creauit me. Quamuis ventura prophetaret, tamen quia prædest natus erat Domini Saluatoris aduentus, non dixit, Creat me, sed, creauit me; ne frequenter, sed semel crederent ex Virgine Maria Iesus corpus esse generandum*. Et Augustinus libro de Trinitate docet Sapientiam secundùm se genitam esse; dici verò creatam, vel factam secundùm donum suum, quo homines illustrat. In quo sensu etiam Deus Pater fieri vel factus dicitur (vt notat Cyrillus, vt: *Esto mihi in Deum protectorem*: & rursus: *Factus est mihi in salutem*) vel secundùm Humanitatem, cui Verbum hypostaticè vnitur. Gregorius Nazianzenus libro de Fide tradit Sapientiam condi, vel creari, non secundùm se, sed secundùm progressum, quem ad creandum facit: quæ quidem creatio creata est. Ideò addidit, *Initio viarum suarum*, vel, *in opera Dei*; vt potiùs secundùm effectum, quàm in se creare intelligatur. Basilius libro aduersus Eunomium testatur, abusiuè dictum verbum, *Creauit me*, & quod semel in tota Scriptura vsurpatum est, & in libro Prouerbiorum admodum obscuro. Hilarius verò libro De Synodis asserit, Sapientiam dici genitam, & creatam: Genitam quidem, quia eiusdem est cum Patre substantiæ; creatam verò, quia sine mutatione aliqua à Patre procedit. Eius hæc sunt verba: *Atque ita perfectā natiuitatis intelligentiam, creationis, & generationis attulit sermo, cùm alterum sine demutatione, alterum in proprietate naturæ est*. Cyrillus libro Thesaurorum, ita scribit: *Nihil possunt verba rebus derogare, quando Scriptura ipsis abutitur*. Et dat regulam generalem, quòd cū dicitur Christus creatus, vel factus: vel intelligendum est quantum ad Humanitatē, quod statim declarat ipsum Euangelium: *Verbum caro*

Ambr. lib. 1. de Spiritu sancto, c. 7. sub initium, tom. 2. circa finem.

Cur dictum de præterito, Dominus creauit me; non autē de præsenti, Creat me. secundum Ambrosium.

August. lib. 7. de Trin. ca. 3. tom. 3.

Cyril. lib. 8. Thesaur. c. 2. inter init. & med. tom. 2.

Psal. 70.

Exod. 15.

Greg. Nazian.

Basil. loco supra citato.

Hila. circa dimidiū operis.

Sapiētia quomodo sit genita, & creata teste Cyrillo.

Cyril. lib. 9. Thesaur. c. 1. tom. 10. 2.

Ioan. 1.

factum est. Et Paulus: *Qui factus est ei ex semine Dauid secundū carnē*. Et rursus: *Misit Deus Filiū suum factū ex muliere, factum sub lege*, vt ita Scriptura Scripturam exponat; vel Verbum vt impropriè dictum, & vsurpatum asserendum est. Et subdit Cyrillus: *Si ergo de hominibus sic loquitur plerumque Scriptura, vt verbis abutatur, neque idcircò rerum natura læditur; necessarium certè est multò magis in diuinis abuti. Non est enim possibile, increata natura, verba sumpta de creaturis propriè accommodare: nec veritas vllo modo læditur, cum res ipsa rectè intelligatur*. Et infra: *Quando enim Pontifex incarnationis nostræ factus est? quando Apostolus? quando fidelis illi, qui fecit eum? Tunc videlicet, quando pro nobis factus est homo. &, vt Ioannes scribit, quando Verbum caro factum est*. Eusebius Cæsariensis in hoc oraculo: *Dominus creauit* ἔκτισε *me*, verbum illud ἔκτισε ait esse positum pro verbo ἔταξε, ἢ κατέστησεν, ordinauit, aut constituit, vt ipse scripsit ad Marcellum, & Socrates de eo refert, & Nicephorus in Ecclesiastica historia. Epiphanius in hæresin Ariomanitarum, primò ait, ex hoc loco Arrium amaritudinis suæ radicem plantare cœpisse: Deinde librum Prouerbiorum omnia prouerbialiter tradere, & plures esse Sapientiæ præter increatam species. Adhæc exponit: *Dominus creauit me*, id est, ædificauit me in vtero Mariæ, iuxta illud: *Sapientia ædificauit sibi domum*. Postremò tradit Aquilæ versionem: *Dominus possedit me*, & Hebræa lingua haberi: Adonai Canani, hoc est, possedit me, vel instar pulli exclusit me: quis autem pullus non ex natura genitoris gignitur? Sic ille, quocunque se vertens, ne illa verba de Christi diuinitate intelligantur, vt Catholici Doctoris erat. Contemnenda lectio Rabbinorum, qui legunt: *Dominus mercatus est me*, vel redemit me: nam quæso quis fuit venditor Sapientiæ, cùm ante conditum mundum nullus esset, à quo emere posset?

Nec te offendat verbū possidendi: quod ea quæ possideri dicuntur, in potestate sunt & dominio possidētis, vt eis pro suo arbitrio vtatur: non ergo Sapiētia quæ possidetur, erit sui iuris, aut libero arbitrio prædita, & domina suorū actuum: quia etiā quę libero constāt arbitrio, possideri dicuntur. Eua dixit de Cain filio suo: *Possedi hominem per Deū*. & Salomon, *Possedi seruos, & ancillas*, & liber Ecclesiastici: *Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem*: & de amico idē ait; *Si possides amicum, in tentatione posside eum*. Hæc ergo omnia in potestate sunt possidentis, et amici ratione, & libero arbitrio prædita: ita etiam Sapientia diuina in potestate Patris

Rom. 1.

Gal. 4.

Idem ibidem

Idem cap. 8. & 3. initio.

Hebr. 3.

Ioan. 1.

Euseb. lib. 3. ad Marcell.

Socrat. lib. 1. c. 20.

Niceph. lib. 8. c. 13.

Epiphan. in hæresin. 69.

Vnde nam Arrius primū amaritudinis suæ radicem plantare cœperit teste Epiphanio.

Prou. 9.

Aquila. Ponticus.

Rabbinorum huius loci, Dominus possedit me, mala & ridicula versio improbatur.

Quod conueniat ei sensus à quo possidetur, Deo Patre scilicet Diuina Sapientia.

Gen. 4.

Eccl. 2.

Eccl. 36.

Supra 6.

Illud de Diuina Sapientia: & in habitatione sancta coram ipso ministraui, quo sit accipiendū modo.

Quod verò dicitur in Ecclesiastico: *Et in habitatione sancta coram ipso ministraui*: vel de ministerio in humanitate à Christo Deo Patri impenso intelligitur, vel de tali ministerio in cōdendo mundo Patri exhibito, quod Filio ipso neque esse æqualem Patri, neque naturalem dignitatem Filij adimit: atque ita antiqui Patres loquebantur. Clemens enim lib. Constit. Apost. ait, Filiū Patri in condenda rerum vniuersitate ministrasse. Iustinus Dialogo in Tryphonem Iudæum, opera Filij Patri suo cooperantes vocat ministeria. Et Irenæus lib. aduersus Hæreses: *Omnia*, inquit, *Filius administrans Patri perficit ab initio vsque in finem.* Et infrà: *Ministrat ei progenies & figuratio sua*, id est, Filius, & Spiritus sanctus. Sed vt diximus, & vt Cyrillus tradit in lib. Thesau. eiusmodi ministerium, neque dignitatem Filij naturalem, neque æqualitatem eum Patre tollit. Ita etiam Spiritus sanctus administer est Patris & Filij; sed, salua consubstantialis & æqualis cum illis ratione, vt Nicephorus docet. Et hæc de tertio.

Clem. lib. 5. const. Apostol. *Iustin. Martyr tom. 2.* *Irenæ. lib. 4. cap. 14.* *cap. 17.*

Cyril. lib. 10. Thesau. c. 8. Qua ratione Spiritus sanctus administer dicatur Patris & Filij. *Niceph. lib. 11. c. 30.*

Ex eo quod per Verbum omnia facta sunt, tripliciter Fides ædificatur.

Quod ad quartum verò, ex hac veritate mundi per Verbum conditi, in primis ędificatur fides Deitatis Verbi diuini. Nam ex eo quòd omnia etiam secula cōdidit, Deus ęternus esse intelligitur. Deinde fides summæ potentiæ Verbi ex nihilo cuncta in instanti producentis: quod infinitam arguit virtutem. Ex qua potentiæ fide oritur etiam fides promissionum Dei, & quòd potens est depositum seruare, & promissa omnia complere. Oritur magnanimitas in petendo, ita vt dum orationem ac preces fundimus, pudeat parua aut vilia petere: adeò vt Christus dixerit: *Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo.* Oritur similiter omnium obiectionum, quæ contra Fidem fiunt, resolutio: quid enim tantæ potentiæ difficile erit, ne dicam impossibile? *Quia non erit*, inquit Angelus, *impossibile apud Deum omne verbum.* Nascitur in aduersis confidentia, in prosperis humilitas, in arduis aggrediendis fortitudo. Oritur denique terror superborum, & humilium cōsolatio. Tertiò ædificatur Fides Sapientiæ Verbi librū creaturarum per mundi cōstitutionem dicentis & componentis. Vnde dicitur: *Omnia in Sapientia fecisti*: & alibi: *Effudit sapientiam super omnia opera sua*, maximè etiam super spiritus rationales, & intelligendi virtute præditos excellenti, propter quos potissimùm conditus est mundus. Ex huius Verbi Sapientiæ Fide, plurimæ & magnæ virtutes proficisci possunt & debēt, vt, circumspectio in omnibus operibus nostris: Spes liberationis ab omni ignorantia in omnem scientiam, se extendens, & omnem inordinatum timorem errandi pellens; timor curiosè scrutandi & carpendi diuina opera: cognitio propriæ ignorationis: delectatio in ijs omnibus quæ quotidie accidere solent; quies in diuinis iudicijs: attentio & collectio spiritus in precatione. Quartò ædificatur Fides bonitatis Verbi Dei: quia cùm nulla præcesserint merita, nullæ preces, ex bonitate tamen sua & amore potissimū hominis inter omnia creata, ita se liberaliter & amplè communicauit per creationem. Ex quo elicere possumus amorem, spem, consolationem, securitatem, & in omnibus quæ eueniunt, gaudium. Secundò, ex hac veritate mundi conditi per Verbum, ędificatur Spes: quia si ita se Verbum diffudit pro arrha salutis per creationem naturalium donorum, & gratuitorum, quid erit in gloria? Et quis est qui melius sciat, aut possit, aut velit creaturas perficere ipso Creatore? Ideò tuti & securi in illo permanere debemus, quoniam omnia creata illi ad nutum obediūt, etiam ad miracula vsque. Tertiò, ædificatur charitas hominis & amor in Deum, qui illum ad imaginem & similitudinem suam condidit, illique simul dedit, vt præsit cunctis animantibus terræ, volatilibus cœli, ac piscibus maris. Postremò ædificantur boni mores: Humilitas quidem, cognita subiectione, qua quælibet creatura suo in loco à Verbo præscripto permanet: Obedientia, videndo, quòd præceptum posuit, & non præteribit: Diligētia, quia creaturæ nō tardant in opere suo: Compositio interioris & exterioris hominis, quam accipere possumus ex mundi harmonia & ornatu: Mutua subuentio & cura boni cōmunis, etiam cedēdo proprio: Amor vincendi cōtraria, nimirum peccata, quæ solum nobis cōtraria sunt. Postremò docemur, vtēdum esse, non abutendum, neq; fruendum creaturis, vt confundatur omnis idololatria, siue materialis, siue spiritualis, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit gloria, honor & imperium in secula seculorum, Amen.

Heb. 1. II. modus. *2. Tim. 1.* *Ioan. 16.* *Luc. 1.* III. modus. *Psalm. 103.* *Eccles. 1.*

Virtutes ex Fide Sapientiæ Verbi diuini quarnam ædificari valeant.

IV. modus. Ex eadem veritate creationis rerum per Verbum quomodo ædificetur Spes. Quo etiam modo charitas Dei. *Ioan. 1.* *Gen. 1.* *Ibidem.* Boni mores cōponuntur. *Psal. 148.* Idololatriæ omnis tam spiritualis, quam corporalis occasio est creaturarū abusus.

TRACTATVS XIV.

In quo explicatur illa sententia: Et sine ipso factum est nihil.

PROPOSITIO hæc cōsequens est præcedentis: nam si omnia per Dei Verbum facta sunt, vtique necesse est sine ipso Dei Verbo factum esse nihil: videlicet nullam

Ratio cōnexionis huius sententiæ cū præcedenti.

lam citra ipsum emersisse adesse creaturã: vniuersum quippe Dei opus tam sub coniunctione, quam sub trium personarum distinctione sumptum, ad Deum ipsum referendum est. Est enim vniuersum, & opus Dei, & opus nihilominus trium personarũ, & non magis, vel minus processit ab vna, quam ab alia, : quamquam in eadem creatione singulæ personæ proprietates suas congrue seruauerint. Pater quidem, vt principium, & à quo: Filius vt medium, & per quod: Spiritus verò sanctus, vt finis, & in quo. Ad huius igitur propositę sentētię explicationem, primò proponemus varias lectiones: secundò excludētur falsi sensus: tertiò producendus verus, & germanus sensus: postremò quædam ad ædificationē spectantia proponenda erunt.

Trium in mũdo condendo personarum proprietates seruatæ.

Circa primum, duplex lectio hic producitur à Patribus: altera communis, & quam Latini sequuntur, & Hieronymus, & Augustinus, & Hilarius, & Gregorius Nazianzenus, & Cyrillus, nempè: Et sine ipso factum est nihil: & ibi puncto posito, legunt: Quod factũ est, in ipso vita erat. Ambrosius li. 3. de Fide ca. 3. hanc lectionem amplectitur. Et ait: *Nec illud verendum est, quod solent Arriani sana interpretatione componere, dicentes factũ esse, Dei Verbũ, quia scriptũ est, inquiunt: Quod factum est in ipso vita erat. Primũ intelligant, si ad substantiã diuinã referant quod factum est, Manichæorum se quæstionibus implicari. Obijciunt enim Manichæi: Si quod in ipso factum est, vita est, est ergo aliquid quod in ipso factum non sit, & mors sit, vt duo impij inducant principia. Sed hoc damnat Ecclesia. Deinde, vnde possunt docere sic pronuntiasse Euangelistã? Plerique enim docti, & fideles sic pronuntiant; alij si.. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est. Deinde quod factum est pronuntiant & subiungunt. In ipso hoc est, Quicquid autem factum est in ipso. Quid est, In ipso? Apostolus docet, dicens; In ipso sumus, & viuimus, & mouemur, &c.* Vbi vides varias huius loci lectiones. Altera verò lectio est codicum, qui nunc extant, Græcorum, quam sequitur Irenęus libr. 3. cap. 11. Theophylactus, Euthymius, & Chrysostomus in Ioan. qui tanta contētione priorem lectionem persequuntur, vt eam omninò reijciant, quasi Hæreticorum figmentum. Macedoniani enim, Spiritum esse creaturam contendentes, iuxta morem nostrum distinguentes, per id quod factum est, Spiritum sanctum intelligebant. Ista tamen Hæreticorum peruersitas nostræ distinctioni obesse non poterit, si rectè, & Catholicè secundum eam textus exponatur, quemadmodũ fecerunt & Gręci, & Latini Patres. Ridiculum autē est quod

August. tract. 1. in Ioan. to. 9. initio.
Hilar. li. 2. de Trinit. paullo ante med.
Greg. Nazian. lib. de Fide in fine.
Cyril. lib. 1. in Ioan. c. 5. 1. initio.
Act. 17.
Theophylact. in Ioan.
Euthym. ibid.
Chrys hom. 4 in Ioan. to. 3. initio.
De Spiritu sancto impiè quid senserint Macedoniani.
In id & sine ipso factum

Caietanus ex Græco legendum putauit: *Et sine ipso factum est, neq; vnum quod factum est:* quia Gręcè sit οὐδὲ ἕν: quasi vero οὐδὲν, & οὐδὲ ἕν, non pro eodem accipi consueuerit. Et mirũ est, quod ipse linguæ Gręcæ aut nihil, aut parum eruditus id potuerit inuenire, quod præstantissimi, & doctissimi Patres in sua patria lingua nō intellexerint. Tamen asserit, clarè cessasse omnes difficulates, quę sunt circa interpunctionem, siue terminationem sententiæ. Sed certè Patres sensum egregium sunt assecuti, legendo *Nihil*, cum neque vnum idem sit quod nihil. Deinde boni interpretis est, verbũ verbo non semper reddere, iuxta illud Horatij:

Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres.

Nos igitur in expositione nostra vtramque lectionem sensibus Catholicis prosequemur.

est nihil in ... ra obseruatio Caietani.
Boni interpretis proprium quid.
Horat. in Ar...

Circa secundum, vt testatur B. Augustinus libro de natura boni, hæc verba Ioannis prauè intellecta, multis errãdi occasionem præbuerunt. Nam inprimis Valentinus triginta posuit æonas, siue secula ante Christum, quæ sine Christo facta fuisse asserebat. Contra quã sententiam facit præcedens clausula: *Omnia per ipsum facta sunt*, & verbum Apostoli ad Hebr. 1. *Per quem fecit æonas*, siue, *& secula*. Secundò si æonas dicuntur nihil, quia non comprehenduntur in se vel in voce omnia, etiam Deus ipse diceretur nihil: nam ob sui excellentiã atque eminentiam à nobis minimè cognoscitur, vt dici possit comprehensus. Tertiò, *Nihil*, pro re purè negatiua capitur, non autē pro re existenti, maximè præstantissima. Deinde lapsus est Manichæus asserens, sine Verbo factum nihil, id est, corporea omnia, & corruptibilia, quia parum habēt (vt ita dicam) de entitate, & in nihilum tendunt; & comparatione spiritualium quę excellunt, nihil sunt. Contra quod est, primò, quia Verbum fecit cœlum, Solem, & Lunã terrã, plantas, animalia, homines, quę corpora sunt, & bona dicuntur. Secundò, quia ens, & bonum cum sint ex numero transcendētium, ad se inuicem confunduntur: & quęlibet res tantum habet de bonitate, quantũ de entitate, vt loquuntur Philosophi. Tertiò, creaturæ corporeæ ad spirituales referuntur, vt inferiora, ignobilioraque ad res superiores, nobilioresq; item reducuntur. Ab vno ergo, eodemq; principio tam visibiles quam inuisibiles creaturæ profectæ sunt. Tertiò turpiter errauit Origenes exponendo, *Nihil*, videlicet dæmonem, sine Verbo factum: quia dæmon totus natura malus est: quam expositionē illi impingit

August. lib. de nat. boni. ca. 25 tom. 6.
Hæres. ... factum ... plex ... genua.
Primus ... Valent... æonas ante Christum ... condi... Hebr. 1.
Alter Manichæorũ ... rum ... conde... bo neg... Gen. 1.
Tertius Origenis ... o. 2 ... med. ... initium.

Hieronymus,& impugnat super c.2. Mich. ¶ Sed in hunc errorem est in primis verbũ Dei: nam Iob 40. dicitur: *Ecce, Beemoth, quẽ feci tecum.* Et infrà: *Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum.* Vbi sub figura elephantis est sermo de dæmone, quem conditum ait inter primas creaturas. Secundò, si esset totus natura malus, seipsum destrueret; quia malum non potest per se esse, nisi existat in bono. Tertiò dæmon non semper fuit malus, qui ante casũ bonus erat: sed ille in veritate non stetit, vt ait Dominus.

Hierony to.c. Etiam dæmonem à Verbo factum ostenditur. Iob.40. Ioan.8.

Exclusis ergo falsis sensibus, verus & legitimus est subiungendus. Et primò quidem hæc verba nihil noui præcedenti sententiæ addunt, sed acris est & vehemens quædam repetitio eorum, quæ dixerat: id quod in Moyse frequentissimum est, & in Psalmis. Vnde Augustinus libro de Natu. boni contra Manichæos ita interpretatur, *Sine ipso factum est nihil*, tãtummodo valere, ac si dicas, Quicquid factum est, non absq; eo factum est. Deinde declarat, in illa dictione, *Omnia*, inclusas esse inuisibiles creaturas, ne putares tantũ intelligi de creaturis expresse, & apertè in Genesi dictis; & spatio sex dierum conditis: sed significat omnes creaturas siue antè, siue post sex illos dies quouis modo, & tempore factas. Omnia ergo, etiam Angeli; Principatus, Dominationes, vt dicitur ad Coloss. 1. Quia enim vniuersales, & affirmatiuæ enuntiationes quandoque non solent in tanto rigore accipi, vt sonant, sed satis est quod vt plurimum ita sit, atque contingat, vt enuntiatur: idcircò adiecta sunt hæc verba, vt per omnia intelligamus, nihil omninò esse exclusum eorum quæ creata sunt, ne quis putet, Patrem, & Spiritum sanctum per Verbum facta esse. Sic & Paulus cum dixisset, *Omnia subiecit sub pedibus, præter eum qui subiecit sibi omnia.*

Quartus sensus verus nempe atque legitimus. August. li. de Nat. boni. c. 25. to 6. paulo à med. Gen.1. & seq. Quid: Omnia per Verbum facta sunt. Coloss.1. 1.Cor.15. Psal.8.

Miraberis fortasse, cur Moyses Angelorum creationem non descripserit? Respondent autem ex Patribus quidam, prudenter factum fuisse, ne rudibus Iudæis idololatrandi ansa porrigeretur: quibusdam verò probabilius videtur oppositum. Nam si describerentur à Deo conditi, & creati, potius non adorarentur. Moyses item non tantum rudibus Iudæis illis & imperitis scribebat, sed etiam viris doctissimis, qui omni tempore futuri erant. Intellige ergo eorum creationem ad literam, vel in verbo illo, *Fiat lux*, vt non semel dixit Augustinus, vel in alio, *Cælum*, inclusam fuisse quod est probabilius, vt per metonymiam intelligantur incolæ & habitatores cœli. In principio creauit ergo Deus cęlũ, Angelos nempe cœli incolas, qui per metonymiã, in qua continens pro contento ponitur, dicuntur cœli, sicut cum Scriptura loquitur ad Hierusalem, vel ad Babylonẽ: qui Hierusalem, vel Babylonẽ habitabant, intelliguntur. Et in hoc sensu vsurpant diuinæ literæ verbum *Cælum*, in alijs locis, vt cum aiunt: *Aduocauit cælum desursum, & terram discernere populum suum.* Et alibi: *Lætentur cæli, & exultet terra.* Rursus: *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Siquidem ad iudicium minimè aduocantur cœli materia constantes, verum spirituales, Angeli scilicet, & homines terræ nomine significati. Nec in CHRISTI aduentu ad redimendum hominem vlla lætitia perfusi sunt cœli materia prædıti, sed Angeli ipsi, qui præ lætitia in eius natiuitate cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra, pax hominibus, &c.* Atque ita euacuata fit de creatione Angelorum, ac separatarum intelligentiarum difficultas, à Mose expressa ne sit, nec ne.

Angelorum creationem cur Moyses minime descripserit. Angeli quando conditi ac creati. Gen. 1. Augu. Angeli per cælos designantur. Psal.49. Psal.95. Deut. 32. Luc.2.

Tertiò his verbis, *Sine ipso factum est nihil*, insinuatur Verbum in condendo mundum, non solum fuisse, sed socios tam gloriosi operis habuisse, nimirum Patrem, ac Spiritum sanctum. Mundi ergo productio sine ipso facta non est, & cum eo facta sunt omnia. Vnde alibi ait: *Cum eo* (nempe Patre) *Eram cuncta componens:* & de Spiritu sancto dicitur, quod ferebatur super aquas, vel incubabat aquis, quia vt gallina incubat ouis, vt ex illis pullos educat, ita benignissimus ille Spiritus materiam illam informem, quæ nomine aquarũ exprimitur, & à Gentibus dicitur Chaos, suo veluti calore fouebat, vt ex ea hunc pulcherrimũ & ornatissimum mundum, & plantarum, animalium, & hominum differentijs distinctum, veluti pullum quendam educeret, atque produceret: sensus ergo est secũdum Hilarium: *Sine ipso factum est nihil*: id est, non est ipse solus, per quem facta sunt omnia, sed vnus eorum, per quos facta sunt omnia. Quartò exponitur hic locus ab Augustino & Origene in hunc modum: *Sine ipso factum est nihil*: hoc est sine Verbo factum est peccatum, siue diabolus malitiæ seminarium. Verba Augustini tractatu 1. in Ioannem hęc sunt: *Solent multi male intelligentes, Sine ipso factum est nihil, putare aliquid esse nihil. Peccatum quidem non per ipsum factum est, & manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines, cum peccant. Et idolum non per Verbum factum est. Habet quidem formam quandam humanam, sed ipse homo per Verbum factum est: nam forma hominis in idolo, non per Verbum facta est: & scriptum est:*

Verbum simulcũ Patre, & Spiritu sancto condidit vniuersa. Prouerb.8 Gen.1. Quid quod Spiritus Domini ferebatur super aquas. Hilar. li. 11. de Trin. Illud: sine Verbo factum est nihil. quomodo Aug. & Orig. accipiat. Aug. tract. 1. in Ioã. to. 9. Orig. vbi supr. In eos qui peccatum aliquid esse putant.

1. Corint. 8.

Scimus quia nihil est idolum, ergo ista non sunt facta per Verbum. Hæc ille. Quanquam Erasmus Sophisticum hoc magis putat quam Theologicum: tamen reuera sensus quadrat, quia *nihil*, purè negatiuè accipitur. Deinde est ad propositũ: cum enim dixisset per Verbum omnia facta, ne etiam putares, peccatum per illud factum fuisse, subdit, *nihil*, id est, peccatum sine eo factum. Nam error qui plerunque contingit, in operibus quæ ex arte fiunt, non arti ipsi, sed voluntati, vel ignorantiæ artificis artis regulis perperam vtentis tribuẽdus est. Ideò diuinum Verbum, quod ars est perfectissima, & omnibus rationibus plena, mali culpæ, peccati videlicet, caussa esse nullo modo potest: quod quidem peccatum nihil esse dicitur, propterea quod pura priuatio rectitudinis debitę inesse actui humano sit, & peccatorem nihilum facit, quemadmodum ait Propheta: *ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus*, & alius Propheta de insigni quodam peccatore dixit: *Nihil factus es, & non eris in perpetuum.* Seruit huic sensui quod sequitur, *In ipso vita erat*, quia cum inuidia diaboli peccatum & mors introisset in mundum, quæ nihil sunt, subdit, in Verbo vitam fuisse, qua ad vitam amissam per peccatum mundus restitueretur per Christum. Quod ergo Deus non valeat peccatum, vt peccatum est, efficere, quemadmodum impiè senserunt Marcion, Cerdon, ac Simon Magus, & Manichæorum schola, ex multis liquidum fit. Primò quidem, quia Deus cum summè ad se conuersus sit, auersionem, & odium suimet non potest efficere: peccatum autem, aliud nihil est, quam auersio ab incommutabili modo, & conuersio ad creaturam. Deinde, Deus ęternus nulli subditus est legi, vt ab illa deficiens peccare possit, cum eius sola voluntas, & præceptum lex sit omnibus creaturis. Vt ergo creaturæ possunt peccare, cum superioris legi subiectæ sint, ita Deus, qui nulli subest, peccare nequaquam potest. Tertiò, si Deus ad peccatum hominis ęfficienter concurreret, tunc potius Deum peccare, quam hominem, dicendum esset. Quemadmodum enim magis homo peccat, quam ensis, quo cædes hominis efficitur: ita Deus princeps agens magis quam homo, qui vt instrumentum motum operatur, meritò putandus esset peccare. Quinimò homo dum Deo peccando obediret, magis mereri, quam peccare, optimo iure esset censendus: quod tamen valdè est absurdũ. Quartò, in sacris literis Deus plerunq; se peccati hostem protestatur, atque à peccandi voluntate longe alienum. Hinc Vates diuinus ait: *Non Deus volẽs iniquitatẽ tu es: Odio sunt Deo, impius, & impietas eius: Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendaciũ: Non dixeris, per Deum abest quæ enim odit, ne feceris. Non dicas, ille me implanauit: non enim necessarij sunt ei homines impij:* & B. Iacobus: *Deus intentator malorum est, ipse aũt neminem tentat.* Quod intelligatur de tentatione præcipitãte in peccatum: nam aliàs dicitur Deus tentasse Abrahã, & Propheta ait ad Deũ. *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.* Quintò, peccata in Scripturis dicuntur nostra: liberatio ab illis Deo tribuitur. Vnde Oseas, *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum: iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum*, ait Isaias: *Dimitte nobis debita nostra*: quod alius Euangelista interpretatur peccata nostra: *Peccatum meum contra me est semper*; item: *Auerte faciẽ tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Sextò, multò peius sensisse videtur Lutherus, quam Manichæus: nam hic in nobis carnem malã esse asserebat, animam verò bonam: contra Lutherus, vtramque suapte natura malam, etiam sub gratia, & Euangelio constituere nõ erubescit. Rursus Manichæus principium malum, seu Deum malum, autorem, & caussam nostri peccati faciebat. Lutherus verò Deum sanctum, & natura optimum, peccati caussam esse contendit, quæ horrenda est blasphemia: atque ita vides hæreticos organa Satanæ semper proficere in peius, vt Apostolus ait. Septimò, affirmare Deum caussam esse peccati, Deum ipsum de medio tollere est. Primò quidem, quia facit Deum malum, qui delectatur peccatis nostris. Secundò mendacem, cum in diuinis Scripturis illa se odisse, atq; acerrimè insectari pronũtiet, si ex alia parte ad illa efficiẽda cooperaretur. Tertiò, stultum, & insipientẽ reddit, qui homini aliquid præcipiat impossibile: quis enim nisi stultè homini imperet volare, aut non mori? Simile est, si pręcipiat nõ admittere peccatum, cuius ipse est efficiens & author. Quartò, iniustum facit: quomodo enim Deus iudicaret mundum, aut quomodo non iniustus esset ipse faciens iniusta. Quintò, crudelem reddit, qui peccatum punit, quod ipse facit: quod perinde est, ac si quis ligaret compedibus seruũ, & percuteret eum, quod cursum à se præceptum non perficeret. Ergo sine Verbo factum est peccatum. Imò etiam propriè homo non dicitur facere peccatum, sed facere actum, in quo est peccatum, id est, defectus & priuatio boni: defectus autem non habet caussam efficientem, sed deficien-

Pro sensu illo Augustini cõtra Erasmum Roderodamũ.

Peccatum cur nihil sit, & dicatur.

Psalm. 14. Ezech. 28.

Sap. 2.

Quod Deus peccatum vt peccatũ est nullo modo possit efficere.

Peccatum quid. Secunda ratio

Tertia.

Simile

Quarta.

Psalm. 5. Sap. 14. Psalm. 5. Ecclesi. 15. Iacob. 1.

Illud Apost. Deus neminem tentat quomodo verum.

Gen. 1. 22. Psalm. 20. Quinta ratio. Oseæ 13. Matth. 6. Isai. 59. Matth. 6. Luc. 11. Psalm. 50. Ibidem. Sexta.

Deum totius bonitatis fontem, caussam esse peccati, dicere autus est impudentissimus mortalium Lutherus.

Hæretici semper proficiunt in peius teste Apostolo 2. Timoth. 3.

Septima. Deum e medio tollere dicitur, qui asserit Deum caussam esse peccati, & cur ita.

Simile.

Defectus non est ab integra caussa, sed deficiente tantum modo. Peccatum cur Deus permittit.

defic. e. em. Quod si obijcias, folium arboris non moueri sine Patre nostro cœlesti. vt Christus dixit, ergo nec peccatum fit sine eo. Respondetur, non sequi: ergo Deus vult peccatum, vel facit, vel fieri præcipit: sed sequitur quod permittit solum, & ipse rumque tolerat in pœnam peccantis, quanquam ex misericordia sua interdum posuit, & sciat, & velit elicere bonum, tum gloriæ suæ remittentis peccatum, tum ipsius peccatoris, qui ex peccato interdum surgit cautior, humilior, & feruentior. Quod si dicas; Deus concurrit vt prima caussa ad omnem actionem humanam: ergo & ad peccatum: neganda est consequentia: etsi enim ad substantiã actus furti, vel homicid. j, sicut ad omnes alias etiã actiones, quæ bonæ sunt, concurrat, non tamen ad deformitatem, siue formam peccati. Quod si rursus vrgeas, posse Deum obuiã ire nostro peccato, ac impedire quominus fiat. Respondemus, multa Deum posse, quæ nõ facit, nec decet facere: auferre enim facilè potest peccandi potestatem à creatura rationis participe: sed iam hunc gradũ creaturarum, quę ad bonum & malum suapte natura verti possunt, de vniuerso tollere videretur, quẽ tamen eximia sapientia ab initio constituit. Sed certè Dei non est rerũ violare naturas, sed suauiter omnia disponere, & vnicuique creaturæ iuxta modum naturæ suæ cooperari: nunquam peccandi verò potestatem, ac vim, & vt ita dicã, impeccantiam, in æternæ præmium beatitudinis, atque felicitatis Angelis, & hominibus conferre voluit.

Qua ratione Deus ad peccatũ concurrat.

Propriũ quid humanæ prouidentiæ.

Sap. 8.

Nunquam posse peccare, soli concessũ beatis duntaxat.

Circa secundum lectionem, quam codices Græci, qui nunc extant, & codex Syriacus, & Theophilactus, atque Chrysostomus, Epiphaniusq; in hæresin LXV. magis probant, dicendum esset: *Sine ipso factum est nihil quod factum est.* Per quod primò significatur excludi personas nõ factas, hoc est, nihil eorum quę facta sunt, siue id sub sensum, siue sub intellectũ cadit, Verbum cõditorem euadit, ac fugit. Excluditur autẽ Spiritus sanctus, quia etsi procedere dicatur, & spirari, nunquã tamen dicitur factus, vt contendebat Arrius, & eius discipulus Macedonius. Ille namq; infectus, & increatus est, sicut Pater, & Filius. Vnde Gregorius Nazianz. in opere de Spiritu sancto sic reijcit hæreticos, vt dicat huc locum accipiendum de ijs quæ facta sunt, ita vt ad Filium, ac Spiritum sanctum nequeat accommodari: maximè cum ius interpretãdi scripturas penes Ecclesiam sit. Secundo significatur per hæc verba, omnia etiam naturalia, à Verbo Dei pendere, & conseruari, ita

Theophyl. Chrysost. hom. 4. in Ioan. 10. 3. inst. Epiphan.

Quid significet. Sine ipso factum est nihil quod factũ est. 1. sensus

Greg. Nazian.

Penes Ecclesiã tantum ius est interpretandi scripturas.

vt sine Verbo sustentante, & quasi manutenente omnia in nihilũ redirent, iuxta illud Apostoli: *Portans omnia Verbo virtutis suæ:* & alibi, *In ipso viuimus, mouemur & sumus:* & Propheta, *Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem reuertentur.* Hoc ergo pulchro & illustri intellectu significatur, non tantùm Verbum omnia condidisse, verùm etiam per illud omnia conseruari & gubernari in esse suo, & prouidentia ipsius ad fines suos cuncta perduci. Ex quo sensu debet homo subditus esse Deo: omnia prospera & aduersa illi tribuere: ab eo omninò pendere, nõ modò in naturalibus, verùm etiam gratuitis donis, pretioso Christi sanguine emptis. Decebat præterea Deum amare, quòd ita continuet per Verbum suum creationem semel factam, & creationẽ alteram, seu redemptionem eiusdẽ Christi sanguine, morteque peractã: continuaturus etiam in omnem æternitatem in cœlesti regno. Quid enim medico vitam diutius producenti, & in dies continuanti non deberemus? Tertiò, diligentiam adhibeat quisque, ne Dei ipsius per se, vel per alias creaturas gubernationem in eius bonum frustretur: maximè quia tempus non est eius. Quartò, gaudere debet, ac delectari suauissima Dei sapientia singulis creaturis varios fines, a. cõmodataque & suauia adiumenta atq; prę sidia præstituente. Vnde Dauid in Diuinæ consideratione prouidentiæ defixus, atq; ob id attonitus atque obstupefactus inde recedens, ac quodammodo suspensus, in hæc verba prorupit: *Quia delectasti me Domine,* inquit, *in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quàm magnificata sunt opera tua Domine: nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.* Vtinam aperiantur aliquando à Deo oculi nostri, vt hæc dignè admirari, & eorũ conditorem pro meritis laudare possimus, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui sit gloria & imperium, & honor in secula seculorum, Amen.

Secundus.

Hebr. 1. Act. 17. Psalm. 103

Sap. 8. Moralis intelligentia continens documenta quatuor.

Psalm. 91.

TRACTATVS XV.

In quo exponuntur illa verba: Quod factum est, in ipso vita erat.

QVemadmodum in superiori sententia duplicem lectionẽ propter varios codices Græcos, & propter varias Patrum sententias assignauimus: ita præsens quoq;

Duplex lectio huius loci, Latina, & Græca

vt Deus est, nunc verò de Deo vt Creatore dicere aggreditur. Fuit enim Deus ab æterno Deus; non tamen ab æterno actu Creator, quandoquidem nihil ab æterno creatur. Est etiam Dei, quàm Creatoris absolutior, & eminentior appellatio. Cùm ergo hactenùs declarauerit, quid Moyses per Elohim intellexerit, modò declarat quod dixit. *Creauit cælum, & terram.* Deinde pulchrè est explicatum esse Verbi ex æternitate, habitatione in sinu Patris, Deitate, origine, distinctione, coæternitate cum Patre: nunc eius exponit virtutem, & potentiam, dicendo: *Omnia per ipsum facta sunt.* Egit hactenùs de Verbo per comparationem ad Deum Patrem, nunc quomodo se habeat respectu creaturarum omnium in genere, & deinde ad eos qui inter Creaturas præcipui sunt, homines scilicet. Ad cuius sententiæ explicationem, primò omnium examinanda, & scrutanda est litera. Secundò, exclusis, & reiectis alijs, sensus verus & germanus est tradendus. Tertiò ostendendum, Verbum mundum fecisse, ita vt ipsum nequaquàm factum fuerit. Quarto & vltimò Fides, & charitas, & boni ac studiosi mores ex hac sentent. aædificandi sunt.

Gen. 1. Ibidem. Propositio.

Ad primum igitur, volunt quidam claritatis gratia, ad ambiguitatem tollendam, existimus fuisse interpretari per illud, vel per idem, quàm per ipsum, ne forte possit ad Patrem referri. Sed certè scrupulosa est ista relatio verborum: nam cùm institutus sit sermo de Verbo, relatiuum, per ipsum, ad aliam personam non poterat referri, quàm ad personam Verbi.

Propositæ sententiæ, Omnia per ipsum, &c. ab alijs sensus quorundam reijcitur.

Secundò considera, Verbum, Facta, accipi pro, creata, non quidem ex vi vocabuli, quasi creare, sit ex nihilo producere, facere verò, ex materia præiacenti: nam hunc rigorem verborum nō obseruat Scriptura, quæ asserit Deum creasse hominē ex limo terræ, & creasse Deum cete grandia, cùm tamen ex materia creauerit; præcessit enim: *Producant aquæ reptile animæ viuentis.* Contra verò dicitur facere ex nulla materia subiecta, vt hîc, & in Symbolo Niceno in Ecclesia decantato affirmamus: *Credo in vnū Deū Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, visibilium omniū, & inuisibilium:* & tamen idē est cum eo quod in Symbolo Apostolico dicimus: *Credo in Deum Patrem omnipotentē, creatorem cæli & terræ.* Et quod dictum est in Genesi: *In principio creauit Deus cælum, & terram,* Septuaginta verterunt: *In principio* [illegible] id est, fecit. Ergo neque creare, neque facere, ex vi vocabuli habet, vt significet productionem ex nihilo: maximè cùm nomines ex placito, & voluntate imposuerint nomina ad significandū. Et productionem ex nihilo non omninò erat illis cognita, ideò non erat probabile, vt actionem ignotam lumini naturæ aliquo verbo repræsentare vellent. Vtrumque tamen, & creare, & facere, sumitur pro productione ex nihilo, ex circumstantijs locorum Scripturæ: vt hîc, cùm dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt.* Si omnia, ergo ipsa materia, ex qua cuncta constat; ac proinde ex nihilo producta sunt. Et verbum, Creare, in illo loco, *In principio creauit Deus cælum, & terram,* accipitur pro productione ex nihilo: quia ante cœlum, & terrā, quæ sunt primæ partes mundi, nihil erat.

Facere, & creare quid differant. Gen. 1. Supra. 1. Ibidem. Nomina

Creare, & facere, quandoque idem significant in Scriptura.

Tertiò aduerte præpositionem illam, per, vel Græcè διὰ, non significare inferiorem aliquē gradum, vel ministeriū, quemadmodum Arriani cęcutientes asserebant: contēdebant enim hac ratione se Verbum Patre inferius effecisse. Sed certè falsi sunt, & fallere alios volebant: & hic error initiū accepit ab Origene, qui tomo 2. in Ioannē ex his verbis colligit, Patrem maiorem esse & superiorē quàm sit Verbum. Nam hæc præpositio *Per*, in Scripturis sanctis & Patri, & Filio, & Spiritui sancto sine discrimine attribuitur. Vnde licèt Basilius libro de Spiritu sancto consideret, apud Philosophos particulam, *à quo*, tribui artifici; *per quod*, instrumento; *ex quo* materiæ, *propter quod*, fini; *ad quod*, vel *iuxta quod*, exemplari, *in quo*, loco, & tempori: Scriptura tamen his particulis non ita semper cum tanto rigore vti cōsueuit. Vt enim Spiritus sanctus non est tempus, nec locus, cui particulam *in quo*, tribuamus: & Pater, cui accōmodatur, *ex quo*, non est materia: ita & Filius, cui attribuitur *per quod*, non est instrumētum, & illi tribuitur *in quo*: *In quo*, inquit, Paulus, *condita sunt vniuersa*; &, *Nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et de solo Patre intelligenda est sententia Apostoli: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia,* secundum Victorinum lib. 1. de Trin. Basilius verò lib. de Spiritu sancto, & Ambros. libr. 4. de Fide, ad Filium solum illum locum referēdum existimant: quamuis Augustinus lib. 1. de Trin. interpretetur aptādo singulas particulas ad singulas personas Trinitatis, nempè, ex ipso Patre, per ipsum Filium, & in ipso Spiritu sancto. Ambros. verò lib. 2. de Spiritu sancto ostēdit, illas tres particulas cōmunes esse toti Trinitati, & singulis eius personis: & ita Pauli dictum interpretatur, vt totum conueniat Christo: deinde vt totum conueniat Patri: tertiò vt totum conueniat Spiritui sancto. Et idem consequenter docet

Particulam Per, in Scripturis nō semper instrumentum seu ministerium, sed etiam efficientem causam sæpe significare contra Arrianos.

Orig. par. 2.

Basil. c. 3. & 4. to. 1. propè finem.

Particulas A quo, Per quod, in quo, ac similes tribui singulis diuinis personis in Scriptura accommodat.

Col. 1. Heb. 1. Ephes. 1.

Victorin. Basil. ca. 5. lib. 1. propè finem. Ambr. lib. 4. 10. August. lib. 1. c. 6. 10. 3.

Ambr. lib. 2. de Spiritu sancto c. 10. 10. 1.

Idem cap. 12. Particulam Per, Patri & Filio, & Spiritui sancto apud Paulum accommodari. *1. Cor. 1. Ibidem. Hebr. 2.*

lib. 3. de Spiritu sancto. *Nihil igitur cuimere possunt Arriani ex hoc loco: Omnia per ipsum facta sunt, vbi, Per, tribuitur Filio, cùm alibi tribuatur ipsi Patri, & Spiritui sancto. Dicitur enim 1 Corinth. 1. Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei.* Infrà: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filij eius. Et ad Hebr. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, autorem salutis eorum, per passionem consummare. Vbi sermo est de Patre, quia consummare, actiuum est, sicut Graecè τελειῶσαι, & non consummari.* Et iterum in eâdem Epist. *Deus iurauit per semetipsum.* Et ad Galat. *Quod si filius; & hares per Deum.*

Heb. 6. & Gen. 12. & 17. & 22. Gal. 4. Act. 1. Ephes. 3. 2. Cor. 2.

Datur etiam particula, Per, Spiritui sancto. Vnde Acto. 1. *Per Spiritum sanctum quos elegit assumptus est.* Et iterum: *Corroborari per Spiritum in interiori homine.* Item: *Reuelauit per Spiritum suum.*

Dictionem Ex quo singulis personis ab eodem assignari. *Infra 8. Ephes. 4. Col. 2.*

Rursus particula, *Ex quo*, quam Hæretici attribuunt Patri, & *Per*, Filio (vt colligũt ex 1. Corinth. 8. vbi dicitur: *Nobis tamen vnus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illo: Et vnus Dominus, Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*) tribuitur etiam Christo. Vnde ad Ephes. dicitur: *Crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum, &c.* Et ad Coloss. *Non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum, & constructum, crescit in augmentum Dei.*

Particulam In quo, Patri, & Filio, & Spiritui sancto etiam adaptari. *Psalm. 59. Psal. 17. Rom. 1. Ioan. 3. 1 Co. 5. Ephes. 5. 1. Co. 5.* [illegible]

In quo, etiam attribui solet Spiritui sancto, datur tamen plerunque Patri: *In Deo*, Dauid inquit, *faciemus virtutem. In Deo meo transgrediar murum: In voluntate Dei veniendi ad vos: Venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Tribuitur etiã sine scrupulo frequenter Christo: *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui: Ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Et alibi: *In nomine Domini nostri Iesu Christi.* Quod factum est, vt docte annotauit Chrysostomus, ad insinuandam Diuinæ substantiæ, & essentiæ in tribus Personis vnitatem, non autem aliquam inæqualitatem. Quanquã, ne quid dissimulemus, trium personarum proprietates aptissimè exprimuntur his tribus, *A quo, Per quem, In quo*: nimirum Principio, Medio, & Fine. Nam *à quo*, principium est totius motus, siue exterioris, siue interioris, diuinæ scilicet propagationis: *Per quem*, medium vtriusque perfectionis, ac fœcunditatis; *In quo* verò, finem, statum, & complementum vtriusque propagationis, ac fœcunditatis explicat. Principium in diuinis, primaque deitatis persona, est Pater, à quo omnis & arcana, & extrinseca lux sui motus (teste Dionysio) initium sumit: medium verò in Deo, ac secunda Dei emersio, Filius est, per quem omnis Dei processus & interiùs, & exterius procedit. Finis vero in Deo, supremaq; Dei appellatio Spiritus est, in quo & extrinsecus, & intrinsecus sistitur motus. Meritò ergo dicit Euãgelista: *Omnia per ipsum facta sunt.* Nam omnia facta sunt à Patre per Filium in Spiritu sancto, & non magis, aut minùs ab vna persona, quàm ab altera. Omnis namq; creatura cùm sit opus Dei, æqualiter est opus Patris, & Filij, & Spiritus sancti: sicut Deus, æqualiter dicitur de Patre, Filio, & Spiritu sancto. Et hactenus de litera.

Hæc particula, quo, Per, in quo, quod apte distinctum personarum proprietates explicantur. *Dion. Areop. c. diuin. c. 2.* [illegible]

Improbatur hic sensus ac damnatur: Omnia, id est Filius, & Spiritus sanctus, per Verbum facta sunt. *Origen. tom. 2. in Ioan. inter med. & init.* Contra Origenem Adimantium.

Quod ad secundum verò spectat, nõ est sensus verus, quòd vel Filius, vel Spiritus sanctus à Verbo sint facti: quia cũ hic sermo sit de Verbo, ipsum Verbũ fecisset seipsum; & ita fuisset antequã esset; & quia sequitur: *Sine ipso factũ est nihil. Quod factũ est, &c.* vbi intẽdit excludere nõ facta, cuiusmodi sunt personæ diuinæ. Quanquàm Origenes in Ioan. dicat: *Hæc autẽ multũ, ac diu probata sunt ijs, qui planiùs & apertiùs videre velint, si omnia per ipsum facta sunt, Spiritum etiã per Verbũ factum esse, qui vnà rerum omnium, inferior eo, per quem factus est, intelligatur, etiamsi verba quædam nos in contrariã partem trahere videantur.* Hæc ille. Sed hoc dogma Arrianum, & Macedonianum est. Intellige ergo, omnia, scil. creata, vel facta distributione accõmoda, ne fortè Patrẽ, & Spiritũ sanctum per Verbum factos accipiamus, vel omnia alia à se.

II. sensus. *Chrys. superiori loco.*

Secundò, non est sensus, quod omnia signa, & miracula per ipsum facta sint. Nam, vt benè ait Chrysostomus, non est sermo de signis, sed de creaturis: vnde sequitur, Mundus per ipsum factus est. Ergo, *per omnia*, vniuersæ veniũt creaturæ, siue perfectæ, siue imperfectæ; siue visibiles, siue inuisibiles; siue spirituales, siue corporeæ, siue mixtæ, & mediæ, quæ ad varietatẽ, & pulchritudinem, ac decôrem vniuersi spectãt. Et ad tantum, ac tale Verbum spectabat tãta & talia dicere. Deinde quod dicitur, *per ipsum*, non ita intelligendum est, tanquàm Verbum Patrẽ mouerit, seu virtutem donauerit ad creandum, quemadmodũ iudex operatur per Regem, siue in potẽtia, & virtute Regis, & Valentinus hæreticus, vt testis est Origenes, mẽtiebatur, perinde ac si Verbum Creatori caussam præstiterit mũdanæ creationis. Nam scriptũ est: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, & nõ ob caussam aliquam extrinsecam: & tunc omnia dicerentur à Verbo per Patrem facta & nõ à Patre per Verbum, quod falsum est. Nam verbum à Patre generatur, & accipit esse, non autem Pater à Filio.

Omnia per Verbum quomodo facta sint. I. sensus. *Origin. to. 2. in Ioan. Prou. 16.*

c cundus. Deinde, *per ipsum*, non intelligas tanquàm per ministrum quendam, quéadmodum Rex gubernat per ministros, & dominus operatur per famulum: quia æquale est, & æternum Verbum Patri: nec Particula, *per*, id semper significat, vt demonstratum est.

Tertius. Tertiò, *Per ipsum*, nó intelligas tanquàm per instrumentum, ob easdem caussas: quia Verbum esset ignobilius ipsis creaturis: quemadmodum per serram, & asciam fabre facta nobiliora sunt ipsa serra, & ascia.

Quartus. Quartò, *Per ipsum*, nó intelligas tanquàm per artem alienam, quæ non sit in Patre; cû Pater eadem sit sibi sapiétia, & ars, & idea, quæ Filius. Nihil enim prima persona accipit à secunda: è contrario autem quicquid habet secunda, accipit à prima. Non ergo Pater eget arte Filij, quasi aliena, vt eam respiciat ad operandû. Accepit Cyrillus præpositioné *per*, pro altera, id est, a, vt sit sensus. *Omnia ab ipso facta sunt*. Sed etsi verus sit sensus, non tamen est plenus, & conueniés. Voluit enim Ioannes insinuare, Verbum illud, de quo loquitur, illud idem esse Verbum, per quod obscurè Moyses significauit vniuersa Deum fecisse: de quo Psalmista *Verbo Domini cæli firmati sunt*: & Apostolus: *Per quem fecit & secula*: quod dictum est, perinde ac si dixisset, homo operatur per sapientiam, & artem suam, quæ est ipsius Patris. Syriacum Euangelium habet: *Omnia per manum eius fuère*; alludens ad eius poté tiam, & sapientiam, quam bellatores, & artifices manibus prodere soliti sunt. Quæ lectio bonum habet sensum: quia Christum appellat Apostolus Dei virtutem, & Dei sapientiam.

Cyrillus lib. 1. in Ioan. c. 5. 10. l. initio. *Gen. 1.* *Psal. 32.* *Hebr. 1.* *1. Cor. 1.*

V. sensus verus atque germanus. Exclusis ergo omnibus falsis sensibus, sensus germanus, & Catholicus proponendus est. Per ipsum ergo omnia facta sunt, tanquam per filium origine Patrem consequentem, & omnia quæ Pater facit, vt dicitur apud eundem Ioannem, faciétem: quia sicut à Patre omnia, sic per Filiû omnia. Et ratio est: quia virtus operandi vnica numero est, quæ primò est in Patre à nullo communicata: deinde est in Filio à Patre naturaliter concessa, quasi eâdem manu operarentur: & quia vnica ars, & sapiétia, quæ est Verbum, primò quidem est Patris, deinde vero Filij. ¶ Habes ergo in primis ex his verbis societatem Patris cû Verbo, quibus nó repugnat factio, aut creatio. Dicit enim Salomon in persona Christi: *Cum eo eram cuncta componens* Et Ioannes: *Quæcunq; Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit*. Secundò significatur autoritas originis in Patre: quia enim Pater dat Filio omnia, etiá potentiã creandi, merito dicitur omnia Patrem condidisse per Filiû. Tertiò, insinuatur æqualitas potentię in Patre, & in Filio: quæ cû ad creandum necessariò requiratur, & infinita plura esse nó possint, meritò vna & eadem infinita potétia quæ est in Patre, inuenitur & in Filio, sicut & eadem essentia. Vt ergo Deus omnia creauit à principio, vt testatur Moyses, ita etiam Verbum omnia cum eo condidit.

Ioan. 5. *Ex eo quod omnia per Verbum à Patre facta esse dicuntur, nouem veritates eliciuntur.* *Prou. 8.* *Ioan. 5.* *II. conclusio.* *III. conclusio.* *Gen. 1.*

Quartò, verbum toties repetitum apud Moysen, népè, *Dixit Deus, Fiat hoc*, vel, *Fiat illud*, interpretatur Ioannes illud, explicãdo fuisse Verbum per appropriationem.

IV. conclusio. *Ibidem. & seq.*

Quintò, omnia per ipsum facta dicûtur, vt per artem, siue ideam, quæ Filij appropriatum est, nó proprium, vt Theologi loquuntur. Vnde Christus apud Paulum dicitur Dei virtus, & Dei Sapiétia: & Dauid: *Omnia in Sapientia fecisti*: & Moyses; *In principio creauit Deus*, hoc est, in Filio, vt Catholici nonnulli Patres interpretantur.

V. conclusio. *1. Cor. 1.* *Psal. 103.* *Gen. 1.*

Sextò, his verbis exprimitur Verbû verus Deus, & consubstãtialis Patri. Nam, vt Chrysostomus in Ioann. doctè annotauit, Prophetæ ad ostendendam veram diuinitatem, & ad idolorum, simulacrorumque gloriam tollendam, signum creationis cœli, & terræ, siue mundi apponere solebant. Vt cùm apud Hieremiã dicitur: *Dij qui cælos, & terram non fecerunt, pereant de terra & de his quæ sub cælo sunt*. Et Dauid, *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum, & terram*. Et rursus Hieremias: *Qui fecit terrã in fortitudine sua, & præparauit orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cælos*. Propria ergo nota, & certum argumentum Diuinitatis est mundi creatio. Si ergo omnia per ipsum facta sunt, igitur ipsum Dei Verbum factum non est: nisi dicas per aliud Verbû, vel per seipsum factum fuisse: quorum vtrumque absurdissimum, & falsum est.

VI. conclusio. *Chrysost. homil. 3. in Ioan. tom. 3 in Mora Prophetarum.* *Hiere. 10.* *Psal. 123.* *Hiere. 5.* *Prou. 8.* *Mûdi creatio propria, & certa Diuinitatis est nota.*

Septimò, indicatur Verbi cum Patre coæternitas, vt docet Hilarius: nam si omnia per ipsum facta sunt, ergo etiam tempora ipsa, & secula: nam ad Hebræos 1. dicitur: *Per quem fecit & secula*. Ergo non est factus, sed verus Deus, & Patri coæternus.

VII. conclusio. *B. Hilar. lib. 2. de Trin. circa med.* *Heb 1.*

Octauò, his verbis etsi non insinuatur modus creandi, nam in principio sæculorû cœlum Empyreum innumeris Angelorû exercitibus ornatum simul cum materia prima condidit; reliqua verò in sex diebus naturalibus operatus est: ex modo tamen dicendi, quod per Verbum facta sunt, quasi dicto suo, & imperio crearet, insinuatur, quod quietè, faciliter, sapienter, & liberè creauit: & quod omnia creata certo modo vocalia sunt, Deum ipsum

VIII. conclusio. *Gen. 1.* *Qua ratione Deus omnia condiderit.*

creato-

Ibidem. & seq.

creatorem laudantia. Et quæ faciliora sunt in creatione, magis declarauit Moses, qualia sunt quæ per singulos dies operatus est, quæ à Ioanne sunt omissa: quæ verò difficiliora sunt, hæc vt Elohim, minus Moyses, magis, & apertiùs explicauit Ioannes.

IX. & vltima conclusio.

Aduersus Manichæos duo creationis constituentes principia.

Nonò, ex hac veritate tam expressa confunduntur primò negantes Deum creasse omnia, sed Angelos tantùm, quorum ministerio reliqua operatus est: vel duo esse principia, vnum bonum, & alterum malum, vt dogmatizabant Manichæi: & ex priori asserebant omnia spiritualia orta; ex posteriori verò principio omnia corporea. Sed certè hoc est contra verbum expressum à Spiritu sancto, & contra rationem. Dicit enim per Scripturas Spiritus sanctus, Deum omnia condidisse: *In principio*, inquit, *creauit Deus cælum.* Et Paulus: *In ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra,* vt tam visibiles, quam inuisibiles creaturas comprehenderet. Et Salomon in Prouerbijs: *Cum eo eram cuncta componens.* Et in libro Sapientiæ; *Deus, qui fecisti omnia verbo tuo.* Et in Ecclesiastico; *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Et in Epistola ad Hebræos: *Qui autem omnia creauit, Deus est.* Est etiam contra rationem, quia creare, cùm ex nihilo sit producere, & virtutem infinitam ponat, creaturæ competere nequaquàm potest.

Gen. 1. Col. 1. Prou. 8. Sap. 9. Eccl. 18. Heb. 3.

Ad creandum vis infinita requiritur.

Secundò, confunduntur Manichæi asserentes, creaturas corporeas ex se malas esse; cùm tamen de singulis Scriptura dicat: *Vidit Deus quòd esset bonum:* Et de omnibus simul: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat; & erant valdè bona:* Et Paulus: *Omnis creatura Dei bona est.* Et, *Non potest arbor bona malos fructus facere.* Dicitur etiam Deus creaturas diligere, quæ si malæ essent, à tam sapiente cõditore non diligerentur. *Diligis* (inquit Salomon ad Deum) *omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odiens aliquid cõstituisti, aut fecisti.* Vnde natura humana non est per se mala, sed pars inferior, dumtendit in obiecta sibi conuenientia, superiori tamen animæ parti propter peccatum originis à gratia Dei derelictæ non conueniẽtia, neque illam decentia: quare dum illa appetit pars superior, declinat, & à sua nobilitate degenerat. Cibi etiam non prohibentur in lege Euangelica, vt suapte natura mali, neque vt signa futurorum, quemadmodum in lege Veteri; sed vt minùs accommodati ad carnis macerationem, quã Ecclesia per indictum ciborum delectum intendit. Tertio, confunduntur, qui æternitatem adscribunt vel mundo, vel materiæ primæ, vel motui, vel tempori; cùm

Corpoream creaturam ex se bonam esse, ostenditur cõtra Manichæos.

Gen. 1. & seq. 1. Tim. 4. Matth. 7. Sap. 11.

Humana natura quatenus mala.

Cibi quatenus in noua lege prohibiti.

Leuit. 11. & seq. & Deut. 14.

In eos, qui mundo, materiæ primæ, motui vel tempori tribuunt æternitatem.

illa omnia & tempore à Deo creata sint. Etsi quanquàm probandæ sint rationes Aristotelis, probantis hæc non fuisse generata per motum, nec per tempus, nec ex materia: simpliciter tamen falsum est, asserere illa à Deo non esse condita sine motu, sine tempore, & sine materia. Et hactenus de secundo.

Arist.

Quantum ad tertium, Arriani peruersè tractantes Scripturas, multos locos adferebant, In quibus creatus, aut factus dicitur Filius Dei. Dicitur enim Prouerbiorum 8. iuxta versionem Septuaginta Interpretũ: *Dominus creauit me principium viæ suæ in opera sua.* Vbi nos habemus: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Thargum Chaldæa vertit: אקנא מראבר id est, Deus creauit me. Et Ecclesiastici 1. *Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo.* Et rursus: *Ipse creauit illam in Spiritu sancto.* Et Ecclesiastici 24. *Ab initio & ante secula creata sum, & vsque ad futurum seculum non desinam; & in habitatione sancta coram ipso ministraui.* Et ad Hebræos 3. vt legit Hilarius: *Considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ Iesum, qui fidelis est ei, qui creauit illum.* Vbi nos habemus: *Qui fidelis est ei qui præfecit illum.* Et Petrus in Actis Apostolorum: *Certissimè*, inquit, *sciat omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus.* Et Ioannes Baptista: *Ipse est qui post me venturus est, ante me factus est.* Respondemus, in his omnibus locis verbum facere, vel creare non sumi propriè pro ea productione, qua aliquid ex nihilo fit, quemadmodum superius annotauimus, sed etiam prout extenditur ad productionem ex interna substantia, vel ex subiecta materia. Quòd si contendas, propriè esse accipienda illa vocabula pro productione ex nihilo, tunc non ad Diuinam naturam, sed ad Humanam sunt referenda. Vbi ergo dicitur, *Fidelis ei qui creauit illum*, vel qui fecit illum, vt Græcè dicitur, Ποιήσαντι, non est sermo simpliciter de creatione, sed de creatione, & assumptione ad Pontificatũ; hoc est, de prælatione Christi hominis, qui in alio loco dicitur ante Ioannem factus, hoc est, illi præpositus, & prælatus. Ideò Ambrosius libro de Fide: *Post me*, inquit, *venit, qui ante me factus est, hoc est, supra meritum meum factus, supra meam gratiam, tempore carnis posterior, diuinitatis honore venerabilis. Post me enim venit, temporis est: prior me erat, æternitatis. Ante me factus est, honoris est, quia etiam incarnationis mysterium supra humanam est gratiam.*

Vnde nam Arriani creaturam esse Dei Filium ineptè colligerent.

Prou. 8. Eccl. 1. Ibidem. Eccl. 24. Hebr. 3. Num. 11. Hilar. lib. 12. de Trinit. Cyril. quoque lib. 9. Thesau. c. 2. & 3. 10. 11. Actor. 2. Ioan. 1.

Quod dicitur à Paulo Christus fidelis ei, qui creauit illum, qua ratione accipiendum sit secundum Hilarium.

Ambros. lib. 3. de Fide, c. 5. sub initi. to. 2.

Ad id quod dicitur in Prouerbijs: *Dominus creauit me:* respondeo, quòd vel non est

Quid illud præcursoris de Christo: Ante me factus est, sit secundum Ambrosium.

Quomodo accipiendum vt dicatur id, iuxta Septuaginta interpretes Dominus creauit me, &c.

Prou. 8. Basil. lib. 2. aduersus Eunom. paullò à med. tom. 1. a med. Eccl. 24.

ita legêdum, sed *Dominus possedit me*, vt Hebræa veritas habet, & Basil. libro in Eunomium annotauit; vel si ita legatur, ad Humanitatem esse referendum, in qua Deus se ostēdit creaturam; vel abusiuè creatio pro generatione capitur. Vnde, postquā dixit: *Dominus creauit me initium viarū suarum*, subdit: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram* Et rursus: *Ante omnes colles ego parturiebar*, vt intelligas, eam creationem esse accipiendam, quæ non repugnet cōceptioni, & partui. Et in libro Ecclesiastici, vbi dicitur: *Ab initio, & ante secula creata sum*, præcesserat: *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Vbi prodire ex ore, & esse primogenitam, naturalem generationem declarat. Quare Ambrosius libro De Spiritu sancto: *Denique ipsa Sapientia secundùm suscepti locuta corporis Sacramentum, ait: Dominus creauit me. Quamuis ventura prophetaret, tamen quia prædestinatus erat Domini Saluatoris aduentus, non dixit, Creat me, sed, creauit me; ne frequenter, sed semel crederent ex Virgine Maria Iesu corpus esse generandum.* Et Augustinus libro de Trinitate docet Sapientiam secundùm se genitam esse; dici verò creatam, vel factam secundùm donum suum, quo homines illustrat. In quo sensu etiam Deus Pater fieri vel factus dicitur (vt notat Cyrillus, vt: *Esto mihi in Deum protectorem*: & rursus: *Factus est mihi in salutem*) vel secundùm Humanitatem, cui Verbum hypostaticè vnitur. Gregorius Nazianzenus libro de Fide tradit Sapientiam condi, vel creari, non secundùm se, sed secundùm progressum, quem ad creandum facit: quæ quidem creatio creata est. Ideò addidit, *Initio viarum suarum*, vel, *in opera Dei*; vt potiùs secundùm effectum, quàm in se creare intelligatur. Basilius libro aduersus Eunomium testatur, abusiuè dictum verbum, *Creauit me*, & quod semel in tota Scriptura vsurpatum est, & in libro Prouerbiorum admodum obscuro. Hilarius verò libro De Synodis asserit, Sapientiam dici genitam, & creatam: Genitam quidem, quia eiusdem est cum Patre substantiæ; creatam verò, quia sine mutatione aliqua à Patre procedit. Eius hæc sunt verba: *Atque ita perfectæ natiuitatis intelligentiam, creationis, & generationis attulit sermo, cùm alterum sine demutatione, alterum in proprietate naturæ est.* Cyrillus libro Thesaurorum, ita scribit: *Nihil possunt verba rebus derogare, quando Scriptura ipsis abutitur.* Et dat regulam generalem, quòd cū dicitur Christus creatus, vel factus: vel intelligendum est quantum ad Humanitaté, quod statim declarat ipsum Euangelium: *Verbum caro factum est.* Et Paulus: *Qui factus est ei ex semine Dauid secundū carnē.* Et rursus: *Misit Deus Filiū suum factū ex muliere, factum sub lege*, vt ita Scriptura Scripturam exponat; vel Verbum vt impropriè dictum, & vsurpatum asserendum est. Et subdit Cyrillus: *Si ergo de hominibus sic loquitur plerumque Scriptura, vt verbis abutatur, neque idcircò rerum natura læditur; necessarium certè est multò magis in diuinis abuti. Non est enim possibile, increata natura, verba sumpta de creaturis propriè accommodare: nec veritas vllo modo læditur, cum res ipsa rectè intelligatur.* Et infra: *Quando enim Pontifex incarnationis nostræ factus est? quando Apostolus? quando fidelis illi, qui fecit eum? Tunc videlicet, quando pro nobis factus est homo, &, vt Ioannes scribit, quando Verbum caro factum est.* Eusebius Cæsariensis in hoc oraculo: *Dominus creauit* ἔκτισε *me*, verbum illud ἔκτισε ait esse positum pro verbo ἔταξεν, ἢ κατέστησεν, ordinauit, aut constituit, vt ipse scripsit ad Marcellum, & Socrates de eo refert, & Nicephorus in Ecclesiastica historia. Epiphanius in hæresin Ariomanitarum, primò ait, ex hoc loco Arrium amaritudinis suæ radicem plantare cœpisse: Deinde librum Prouerbiorum omnia prouerbialiter tradere, & plures esse Sapientias præter increatam species. Adhæc exponit: *Dominus creauit me*, id est, ædificauit me in vtero Mariæ, iuxta illud: *Sapientia ædificauit sibi domum.* Postremò tradit Aquilæ versionem: *Dominus possedit me*, & Hebræa lingua haberi: Adonai Canani, hoc est, possedit me, vel instar pulli exclusit me: quis autem pullus non ex natura genitoris gignitur? Sic ille, quocunque se vertens, ne illa verba de Christi diuinitate intelligantur, vt Catholici Doctoris erat. Contemnenda lectio Rabbinorum, qui legunt: *Dominus mercatus est me*, vel redemit me: nam quæso quis fuit venditor Sapientiæ, cùm ante conditum mundum nullus esset, à quo emere posset?

Ambr. lib. 2. de Spiritu sancto, c. 7. sub initium, tom. 2. circa finem.

Cur dictum de præterito, Dominus creauit me; non autē de præsenti, Creat me, secundum Ambrosium.

August. lib. 7. de Trin. ca. 3. tom. 3. Cyril. lib. 8. Thesaur. c. 2. inter init. & med. tom. 2. Psal. 70. Exod. 15. Greg. Nazian. Basil. loco suprà citato. Hila. circa dimidiū operis.

Sapiētia quomodo sit genita, & creata secundum Cyrillum.

Cyril. lib. 9. Thesaur. c. 1. tom. 2. Ioan. 1. Rom. 1. Gal. 4. Idem ibidem. Idem cap. 8. & 3. initio. Hebr. 3. Euseb. lib. 3 ad Marcell. Socrat. lib. 2. c. 20. Niceph. lib. c. 13. Epiph. in hæresi 69.

Vnde nam Arrius primā amaritudinis suæ radicem plantare cœperit teste Epiphanio.

Prou. 9. Aquil. Prou. Rabbinorum huius loci Dominus possedit me, mercatus & ridicula versio improbatur.

Nec te offendat verbū possidendi: quod ea quæ possideri dicuntur, in potestate sunt & dominio possidētis, vt eis ꝑ suo arbitrio vtatur: non ergo Sapiētia quæ possidetur, erit sui iuris, aut libero arbitrio prædita, & domina suorū actuum: quia etiā quę libero constāt arbitrio, possideri dicūtur. Eua dixit de Cain filio suo: *Possedi hominem per Deū.* & Salomon, *Possedi seruos, & ancillas*, & liber Ecclesiastici: *Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem:* & de amico idē ait; *Si possides amicum, in tentatione posside eum.* Hæc ergo omnia in potestate sunt possidentis, et amici ratione, & libero arbitrio prædita: ita etiam Sapientia diuina in potestate Patris

Quod non deceat inferior à quo possidetur, Deo Patri scilicet Diuinæ Sapientiæ.

Gen. 4. Eccl. 2. Eccl. 36. Supra 6.

Quod

Illud de Diuina Sapientia: & in habitatione sancta coram ipso ministraui, quomodo sit accipiendum.

Quod verò dicitur in Ecclesiastico: *Et in habitatione sancta coram ipso ministraui:* vel de ministerio in humanitate à Christo Deo Patri impenso intelligitur, vel de tali ministerio in cōdendo mundo Patri exhibito, quod Filio ipso neque esse æqualem Patri, neque naturalem dignitatem Filij adimit: atque ita antiqui Patres loquebantur. Clemens enim lib. Constit. Apost. ait, Filiū Patri in condenda rerum vniuersitate ministrasse. Iustinus Dialogo in Tryphonem Iudæum, opera Filij Patri suo cooperantes vocat ministeria. Et Irenæus lib. aduersus Hæreses: *Omnia,* inquit, *Filius administrans Patri perficit ab initio vsque in finem.* Et infrà: *Ministrat ei progenies & figuratio sua,* id est, Filius, & Spiritus sanctus. Sed vt diximus, & vt Cyrillus tradit in lib. Thesau. eiusmodi ministerium, neque dignitatem Filij naturalem, neque æqualitatem eum Patre tollit. Ita etiam Spiritus sanctus administer est Patris & Filij; sed, salua consubstantialis & æqualis cum illis ratione, vt Nicephorus docet. Et hæc de tertio.

Clem. lib. 5. const. Apostol. Iustin. Martyr tom. 2. Irenæ. lib. 4. cap. 14. cap. 17.

Cyril. lib. 10. Thesau. c. 8. Qua ratione Spiritus sanctus administer dicatur Patris & Filij. Niceph. lib. 11. c. 30.

Ex eo quod per Verbum omnia facta sunt, tripliciter Fides ædificatur.

Quod ad quartum verò, ex hac veritate mundi per Verbum conditi, in primis ędificatur fides Deitatis Verbi diuini. Nam ex eo quòd omnia etiam secula cōdidit, Deus ęternus esse intelligitur. Deinde fides summæ potentiæ Verbi ex nihilo cuncta in instanti producentis: quod infinitam arguit virtutem. Ex qua potentiæ fide oritur etiam fides promissionum Dei, & quòd potens est depositum seruare, & promissa omnia complere. Oritur magnanimitas in petendo, ita vt dum orationem ac preces fundimus, pudeat parua aut vilia petere: adeò vt Christus dixerit: *Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo.* Oritur similiter omnium obiectionum, quæ contra Fidem fiunt, resolutio: quid enim tantæ potentiæ difficile erit, ne dicam impossibile? *Quia non erit,* inquit Angelus, *impossibile apud Deum omne verbum.* Nascitur in aduersis confidentia, in prosperis humilitas, in arduis aggrediendis fortitudo. Oritur denique terror superborum, & humilium cōsolatio. Tertiò ædificatur Fides Sapientiæ Verbi librū creaturarum per mundi cōstitutionem dicentis & componentis. Vnde dicitur: *Omnia in Sapientia fecisti:* & alibi: *Effudit sapientiam super omnia opera sua,* maximè etiam super spiritus rationales, & intelligendi virtute præditos excellenti, propter quos potissimùm conditus est mundus. Ex huius Verbi Sapientiæ Fide, plurimæ & magnæ virtutes proficisci possunt & debēt, vt, circumspectio in omnibus operibus nostris: Spes liberationis ab omni ignorantia inordinata, mnem scientiam, se extendens, & omnem inordinatum timorem errandi pellens; timor curiosè scrutandi & carpendi diuina opera: cognitio propriæ ignorationis: delectatio in ijs omnibus quæ quotidie accidere solent; quies in diuinis iudicijs: attentio & collectio spiritus in precatione. Quartò ædificatur Fides bonitatis Verbi Dei: quia cùm nulla præcesserint merita, nullæ preces, ex bonitate tamen sua & amore potissimū hominis inter omnia creata, ita se liberaliter & amplè communicauit per creationem. Ex quo elicere possumus amorem, spem, consolationem, securitatem, & in omnibus quæ eueniunt, gaudium. Secundò, ex hac veritate mundi conditi per Verbum, ędificatur Spes: quia si ita se Verbum diffudit pro arrha salutis per creationem naturalium donorum, & gratuitorum, quid erit in gloria? Et quis est qui melius sciat, aut possit, aut velit creaturas perficere ipso Creatore? Ideò tuti & securi in illo permanere debemus, quoniam omnia creata illi ad nutum obediūt, etiam ad miracula vsque. Tertiò, ædificatur charitas hominis & amor in Deum, qui illum ad imaginem & similitudinem suam condidit, illique simul dedit, vt prælit cunctis animantibus terræ, volatilibus cœli, ac piscibus maris. Postremò ædificantur boni mores: Humilitas quidem, cognita subiectione, qua quælibet creatura suo in loco à Verbo præscripto permanet: Obedientia, videndo, quòd præceptum posuit, & non præteribit: Diligētia, quia creaturæ nō tardant in opere suo: Compositio interioris & exterioris hominis, quam accipere possumus ex mundi harmonia & ornatu: Mutua subuentio & cura boni cōmunis, etiam cedēdo proprio: Amor vincendi cōtraria, nimirum peccata, quæ solum nobis cōtraria sunt. Postremò docemur, vtēdum esse, non abutendum, neq; fruendum creaturis, vt confundatur omnis idololatria, siue materialis, siue spiritualis, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit gloria, honor & imperium in secula seculorum, Amen.

Heb. 1. II. modus. 2. Tim. 1. Ioan. 16. Luc. 1. III. modus. Psalm. 103. Eccles. 1. Virtutes ex Fide Sapientiæ Verbi diuini quenam ædificari valeant.

IV. modus. Ex eadem veritate creationis rerum per Verbum quomodo ædificetur Spes; Quo etiam modo charitas Dei. Ioan. 1. Gen. 1. Ibidem. Boni mores cōponuntur. Psal. 148. Idololatriæ omnis tam spiritualis, quam corporalis occasio est creaturarū abusus.

TRACTATVS XIV.

In quo explicatur illa sententia: Et sine ipso factum est nihil.

PROPOSITIO hæc cōsequens est præcedentis: nam si omnia per Dei Verbum facta sunt, vtique necesse est sine ipso Dei Verbo factum esse nihil: videlicet nullam

Ratio cōnexionis huius sententiæ cū præcedenti.

Iam citra ipsum emersisse adesse creaturã: vniuersum quippe Dei opus tam sub coniunctione, quam sub trium personarum distinctione sumptum, ad Deum ipsum referendum est. Est enim vniuersum, & opus Dei, & opus nihilominus trium personarũ, & non magis, vel minus processit ab vna, quam ab alia, : quamquam in eadem creatione singulæ personæ proprietates suas congrue seruauerint. Pater quidem, vt principium, & à quo: Filius vt medium, & per quod: Spiritus verò sanctus, vt finis, & in quo. Ad huius igitur propositę senté tię explicationem, primò proponemus varias lectiones: secundò excludẽtur falsi sensus: tertiò producendus verus, & germanus sensus: postremò quædam ad ædificationẽ spectantia proponenda erunt.

Trium in mũdo condendo personarum proprietates seruatæ.

Circa primum, duplex lectio hic producitur à Patribus: altera communis, & quam Latini sequuntur, & Hieronymus, & Augustinus, & Hilarius, & Gregorius Nazianzenus, & Cyrillus, nempè: Et sine ipso factum est nihil: & ibi puncto posito, legunt: Quod factũ est, in ipso vita erat. Ambrosius li. 3. de Fide ca. 3. hanc lectionem amplectitur. Et ait: *Nec illud verendum est, quod solent Arriani sana interpretatione componere, dicentes factũ esse, Dei Verbũ, quia scriptũ est, inquiunt: Quod factum est in ipso vita erat. Primũ intelligant, si ad substantiã diuinã referant quod factum est, Manichæorum se quæstionibus implicari. Obijciunt enim Manichæi: Si quod in ipso factum est, vita est, est ergo aliquid quod in ipso factum non sit, & mors sit, vt duo impij inducant principia. Sed hoc damnat Ecclesia. Deinde, vnde possunt docere sic pronuntiasse Euangelistã? Plerique enim docti, & fideles sic pronuntiant; alij si. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est. Deinde quod factum est pronuntiant & subiungunt. In ipso hoc est, Quicquid autem factum est in ipso. Quid est, In ipso? Apostolus docet, dicens; In ipso sumus, & viuimus, & mouemur, &c.* Vbi vides varias huius loci lectiones.

August. tract. 1. in Ioan. to. 9. initio.
Hilar. li. 2. de Trinit. paullo ante med.
Greg. Nazian. lib. de Fide in fine.
Cyril. lib. 1. in Ioan. c. 5. 1. initio.
Act. 17.

Altera verò lectio est codicum, qui nunc extant, Græcorum, quam sequitur Irenęus libr. 3. cap. 11. Theophylactus, Euthymius, & Chrysostomus in Ioan. qui tanta contétione priorem lectionem persequuntur, vt eam omninò reijciant, quasi Hæreticorum figmentum. Macedoniani enim, Spiritum esse creaturam contendentes, iuxta morem nostrum distinguentes, per id quod factum est, Spiritum sanctum intelligebant. Ista tamen Hæreticorum peruersitas nostræ distinctioni obesse non poterit, si recte, & Catholicè secundum eam textus exponatur, quemadmodú fecerunt & Gręci, & Latini Patres. Ridiculum autẽ est quod Caietanus ex Græco legendum putauit: *Et sine ipso factum est neq; vnum quod factum est*: quia Gręcè sit οὐδὲ ἕν: quasi verò οὐδέν, & οὐδὲ ἕν, non pro eodem accipi consueuerit. Et mirũ est, quod ipse linguæ Gręcæ aut nihil, aut parum eruditus id potuerit inuenire, quod præstantissimi, & doctissimi Patres in sua patria lingua nõ intellexerint. Tamen asserit, clarè cessasse omnes difficulates, quę fiunt circa interpunctionem, siue terminationem sententiæ. Sed certe Patres sensum egregium sunt assecuti, legendo *Nihil*, cum neque vnum idem sit quod nihil. Deinde boni interpretis est, verbũ verbo non semper reddere, iuxta illud Horatij:

Theophylact. in Ioan.
Euthym. ibid.
Chrys. hom. 4 in Ioan. to. 3. initio.
De Spiritu sancto impiè quid senserint Macedoniani.
In id & sine ipso factum
est nihil in... ta obiectio Caietani.
Boni interpretis proprium quid.
Horat. in Arte...

> *Nec verbum verbo curabit reddere fidus*
> *Interpres.*

Nos igitur in expositione nostra vtramque lectionem sensibus Catholicis prosequemur.

Circa secundum, vt testatur B. Augustinus libro de natura boni, hæc verba Ioãnis prauè intellecta, multis errãdi occasionem prabuerunt. Nam inprimis Valentinus triginta posuit æonas, siue secula ante Christum, quæ sine Christo facta fuisse asserebat. Contra quã sententiam facit præcedens clausula: *Omnia per ipsum facta sunt*, & verbum Apostoli ad Hebr. 1. *Per quem fecit æonas, siue, & secula.* Secundò si æonas dicuntur nihil, quia non comprehenduntur in se vel in voce omnia, etiam Deus ipse diceretur nihil: nam ob sui excellentiã atque eminentiam à nobis minimè cognoscitur, vt dici possit comprehensus. Tertiò, *Nihil*, pro re purè negatiua capitur, non autẽ pro re existenti, maximè præstantissima. Dede lapsus est Manichæus asserens, sine Verbo factum nihil, id est, corporea omnia, & corruptibilia, quia parum habẽt (vt ita dicam) de entitate, & in nihilum tendunt; & comparatione spiritualium quę excellunt, nihil sunt. Contra quod est, primò, quia Verbum fecit cœlum, Solem, & Lunã terrã, plantas, animalia, homines, quę corpora sunt, & bona dicuntur. Secundò, quia ens, & bonum cum sint ex numero transcendẽtium, ad se inuicem confunduntur: & quęlibet res tantum habet de bonitate, quantũ de entitate, vt loquuntur Philosophi. Tertiò, creaturæ corporeæ ad spirituales referuntur, vt inferiora, ignobilioraque ad res superiores, nobilioresq; item reducuntur. Ab vno ergo, eodemq; principio tam visibiles quam inuisibiles creaturæ profectæ sunt. Tertiò turpiter errauit Origenes exponendo, *Nihil*, videlicet dæmonem, sine Verbo factum: quia dæmon totus natura malus est: quam expositionẽ illi impingit

August lib de natu. boni. c. 25 tom. 6.
Huius loci Sine ipso factum ... triplex interpretatio.
Primus ... Valentini ... nas ante Christum ... consti...
Hebr. 1.
Alter Manichæorũ ... condi à Verbo ne...
Gen. 1.
Tertius Origenis ...

Hieronymus, & impugnat super c.2. Mich. ¶ Sed in hunc errorem est in primis verbũ Dei: nam Iob 40. dicitur: *Ecce, Beemoth, quẽ feci tecum.* Et infrà: *Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum.* Vbi sub figura elephantis est sermo de dæmone, quem conditum ait inter primas creaturas. Secundò, si esset totus natura malus, seipsum destrueret; quia malum non potest per se esse, nisi existat in bono. Tertio dæmon non semper fuit malus, qui ante casũ bonus erat: sed ille in veritate non stetit, vt ait Dominus.

Hierony. 10. c. Etiam dæmonem à Verbo factum ostenditur. *Iob. 40.* *Ioan. 8.*

Exclusis ergo falsis sensibus, verus & legitimus est subiungendus. Et primò quidem hæc verba nihil noui præcedenti sententiæ addunt, sed acris est & vehemens quædam repetitio eorum, quæ dixerat: id quod in Moyse frequentissimum est, & in Psalmis. Vnde Augustinus libro de Natu. boni contra Manichæos ita interpretatur, *Sine ipso factum est nihil*, tãtummodo valere, ac si dicas, Quicquid factum est, non absq; eo factum est. Deinde declarat, in illa dictione, *Omnia*, inclusas esse inuisibiles creaturas, ne putares tantũ intelligi de creaturis expresse, & apertè in Genesi dictis; & spatio sex dierum conditis: sed significat omnes creaturas siue antè, siue post sex illos dies quouis modo, & tempore factas. Omnia ergo, etiam Angeli; Principatus, Dominationes, vt dicitur ad Coloss. 1. Quia enim vniuersales, & affirmatiuæ enuntiationes quandoque non solent in tanto rigore accipi, vt sonant, sed satis est quod vt plurimum ita sit, atque contingat, vt enuntiatur: idcircò adiecta sunt hæc verba, vt per omnia intelligamus, nihil omninò esse exclusum eorum quæ creata sunt, ne quis putet, Patrem, & Spiritum sanctum per Verbum facta esse. Sic & Paulus cum dixisset, *Omnia subiecit sub pedibus, præter eum qui subiecit sibi omnia.*

Quartus sensus verus nempe atque legitimus. *August. li. de Natu. boni. c. 25. 10. 6. paulo à med.* *Gen. 1. & seq.* Quid: Omnia per Verbum facta sunt. *Coloss. 1.* *1. Cor. 15.* *Psal. 8.*

Miraberis fortasse, cur Moyses Angelorum creationem non descripserit? Respondent autem ex Patribus quidam, prudenter factum fuisse, ne rudibus Iudæis idololatrandi ansa porrigeretur: quibusdam verò probabilius videtur oppositum. Nam si describerentur à Deo conditi, & creati, potius non adorarentur. Moyses item non tantum rudibus Iudæis illis & imperitis scribebat, sed etiam viris doctissimis, qui omni tempore futuri erant. Intellige ergo eorum creationem ad literam, vel in verbo illo, *Fiat lux,* vt non semel dixit Augustinus, vel in alio, *Cælum*, inclusam fuisse quod est probabilius, vt per metonymiam intelligantur incolæ & habitatores cœli. In principio creauit ergo Deus cęlũ, Angelos nempe cœli incolas, qui per metonymiã, in qua continens pro contento ponitur, dicuntur cœli, sicut cum Scriptura loquitur ad Hierusalem, vel ad Babylonẽ: qui Hierusalem, vel Babylonẽ habitabant, intelliguntur. Et in hoc sensu vsurpant diuinæ literæ verbum *Cælum*, in alijs locis, vt cum aiunt: *Aduocauit cælum desursum, & terram discernere populum suum.* Et alibi: *Latentur cæli, & exultet terra.* Rursus: *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Siquidem ad iudicium minimè aduocantur cœli materia constantes, verum spirituales, Angeli scilicet, & homines terræ nomine significati. Nec in CHRISTI aduentu ad redimendum hominem vlla lætitia perfusi sunt cœli materia præditi, sed Angeli ipsi, qui præ lætitia in eius natiuitate cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra, pax hominibus, &c.* Atque ita euacuata sit de creatione Angelorum, ac separatarum intelligentiarum difficultas, à Mose expressa ne sit, nec ne.

Angelorum creationem cur Moyses minime descripserit. Angeli quando conditi ac creati. *Gen. 1.* *August.* Angeli per cælos designantur. *Psal. 49.* *Psal. 95.* *Deut. 32.* *Luc. 2.*

Tertiò his verbis, *Sine ipso factum est nihil,* insinuatur Verbum in condendo mundum, non solum fuisse, sed socios tam gloriosi operis habuisse, nimirum Patrem, ac Spiritum sanctum. Mundi ergo productio sine ipso facta non est, & cum eo facta sunt omnia. Vnde alibi ait: *Cum eo* (nempe Patre) *Eram cuncta componens:* & de Spiritu sancto dicitur, quod ferebatur super aquas, vel incubabat aquis, quia vt gallina incubat ouis, vt ex illis pullos educat, ita benignissimus ille Spiritus materiam illam informem, quæ nomine aquarũ exprimitur, & à Gentibus dicitur Chaos, suo veluti calore foueбat, vt ex ea hunc pulcherrimũ & ornatissimum mundum, & plantarum, animalium, & hominum differentijs distinctum, veluti pullum quendam educeret, atque produceret: sensus ergo est secũdum Hilarium: *Sine ipso factum est nihil:* id est, non est ipse solus, per quem facta sunt omnia, sed vnus eorum, per quos facta sunt omnia. Quartò exponitur hic locus ab Augustino & Origene in hunc modum: *Sine ipso factum est nihil:* hoc est sine Verbo factum est peccatum, siue diabolus malitiæ seminarium. Verba Augustini tractatu 1. in Ioannem hęc sunt: *Solent multi male intelligentes, Sine ipso factum est nihil, putare aliquid esse nihil. Peccatum quidem non per ipsum factum est, & manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines, cum peccant. Et idolum non per Verbum factum est. Habet quidem formam quandam humanam, sed ipse homo per Verbum factum est: nam forma hominis in idolo, non per Verbum facta est: & scriptum est:*

Verum simul cũ Patre, & Spiritu sancto condidit vniuersa. *Prouerb. 8* *Gen. 1.* Quid quod Spiritus Domini ferebatur super aquas. *Hilar. li. 11. de Trin.* Illud: Sine Verbo factum est nihil, quomodo Aug. & Orig. accipiat. *Aug. tract. 1. in Ioã. to. 9.* *init. Orig. vbi supr.* In eos qui peccatum aliquid esse putant.

Defectus non est ab integra caussa, sed deficiente tantū modo.

Peccatū cur Deus permittat.

deficientem. Quod si objicias, folium arboris non moueri sine Patre nostro cœlesti, vt Christus dixit, ergo nec peccatum fit sine eo. Respondetur, non sequi: ergo Deus vult peccatum, vel facit, vel fieri præcipit: sed sequitur quod permittit solum, & ipse rumque tolerat in pœnam peccantis, quandoquidem ex misericordia sua interdum possit, & sciat, & velit elicere bonum, tum gloriæ suæ remittentis peccatum, tum ipsius peccatoris, qui ex peccato interdum surgit cautior, humilior, & feruentior. Quod si dicas; Deus concurrit vt prima caussa ad omnem actionem humanam : ergo & ad peccatum: neganda est consequentia: etsi enim ad substantiā actus furti, vel homicidij, sicut ad omnes alias etiā actiones, quæ bonæ sunt, concurrat, non tamen ad deformitatem, siue formam peccati. Quod si rursus vrgeas, posse Deum obuiā ire nostro peccato, ac impedire quominus fiat. Respondemus, multa Deum posse, quæ nō facit, nec decet facere: auferre enim facile potest peccandi potestatem à creatura rationis participe : sed iam hunc gradū creaturarum, quę ad bonum & malum suapte natura verti possunt, de vniuerso tollere videretur, quē tamen eximia sapientia ab initio constituit. Sed certe Dei non est rerū violare naturas, sed suauiter omnia disponere, & vnicuique creaturæ iuxta modum naturæ suæ cooperari: nunquam peccandi verò potestatem, ac vim, & vt ita dicā, impeccantiam, in æternæ præmium beatitudinis, atque felicitatis Angelis, & hominibus conferre voluit.

Qua ratione Deus ad peccatū concurrat.

Propriū quid diuinæ prouidentiæ.

Sap. 8.

Nunquam posse peccare, soli concessū beatis duntaxat.

Theophyl. Chrysost. hom. 4. in Ioan. 10. 3. tom. Epiphan.

Quid significet, Sine ipso factum est nihil quod factū est.

1. sensus

Greg. Nazian.

Penes Ecclesiā tantum ius est interpretandi scripturas.

Circa secundum lectionem, quam codices Græci, qui nunc extant, & codex Syriacus, & Theophilactus, atque Chrysostomus, Epiphaniusq; in hæresin LXV. magis probant, dicendum esset: *Sine ipso factum est nihil quod factum est.* Per quod primo significatur excludi personas nō factas, hoc est, nihil eorum quę facta sunt, siue id sub sensum, siue sub intellectū cadit, Verbum cōditorem euadit, ac fugit. Excluditur autē Spiritus sanctus, quia etsi procedere dicatur, & spirari, nunquā tamen dicitur factus, vt contendebat Arrius, & eius discipulus Macedonius. Ille namq; infectus, & increatus est, sicut Pater, & Filius. Vnde Gregorius Nazianz. in opere de Spiritu sancto sic reijcit hæreticos, vt dicat hunc locum accipiendum de ijs quæ facta sunt, ita vt ad Filium, ac Spiritum sanctum nequeat accommodari: maxime cum ius interpretādi scripturas penes Ecclesiam sit. Secundo significatur per hæc verba, omnia etiam naturalia, à Verbo Dei pendere, & conseruari, ita vt sine Verbo sustentante, & quasi manutenente omnia in nihilū redirent, iuxta illud Apostoli : *Portans omnia Verbo virtutis suæ:* & alibi, *In ipso viuimus, mouemur & sumus:* & Propheta, *Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem reuertentur.* Hoc ergo pulchro & illustri intellectu significatur, non tantùm Verbum omnia condidisse, verùm etiam per illud omnia conseruari & gubernari in esse suo, & prouidentia ipsius ad fines suos cuncta perduci. Ex quo sensu debet homo subditus esse Deo: omnia prospera & aduersa illi tribuere: ab eo omninò pendere, nō modò in naturalibus, verùm etiam gratuitis donis, pretioso Christi sanguine emptis. Decebat præterea Deum amare, quòd ita continuet per Verbum suum creationem semel factam, & creationē alteram, seu redemptionem eiusdē Christi sanguine, morteque peractā: continuaturus etiam in omnem æternitatem in cœlesti regno. Quid enim medico vitam diutius producenti, & indies continuanti non deberemus? Tertiò, diligentiam adhibeat quisque, ne Dei ipsius per se, vel per alias creaturas gubernationem in eius bonum frustretur: maximè quia tempus non est eius. Quartò, gaudere debet, ac delectari suauissima Dei sapientia singulis creaturis varios fines, ac cōmodataque & suauia adiumenta atq; pręsidia præstituente. Vnde Dauid in Diuinæ consideratione prouidentiæ defixus, atq; ob id attonitus atque obstupefactus inde recedens, ac quodammodo suspensus, in hæc verba prorupit: *Quia delectasti me Domine,* inquit, *in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quàm magnificata sunt opera tua Domine: nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.* Vtinam aperiantur aliquando à Deo oculi nostri, vt hæc dignè admirari, & eorū conditorem pro meritis laudare possimus, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui sit gloria & imperium, & honor in secula seculorum, Amen.

Secundus.

Hebr. 1. Act 17. Psalm. 103

Sap. 8.

Moralis intelligentia continens documenta quatuor.

Psalm. 91.

TRACTATVS XV.

In quo exponuntur illa verba : Quod factum est, in ipso vita erat.

Duplex lectio huius loci, Latina, & Græca

QVemadmodum in superiori sententia duplicem lectionē propter varios codices Græcos, & propter varias Patrum sententias assignauimus: ita præsens quoq; senten-

Vita præstantior.

sentẽtia dupliciter legitur. Latini enim legunt, *Quod factum est, in ipso vita erat*: Græci verò, *In ipso vita erat*; Quanquam autem vtraque lectio sit probanda, & exponẽda, videtur tamen Latina hæc & communis præstare: quia consueuit Ioannes nouã clausulam inchoare à verbo vltimo pręcedentis, quemadmodum constat ex primis verbis, cum ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Idẽ constat ex sequentibus, ait enim: *Quod factũ est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominũ: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Vbi semper vltimum verbum pręcedentis, initium est sequentis clausulæ.

Ioan. 1.

Latinæ lectionis duplex distinctio.

Deinde considerandum est, hanc nostram lectionem variè distingui: nam Hilarius libro 2. de Trinit. ad hunc modum vult legi: *Quod factum est in ipso*, & ibi distinctione constituta, sequatur, *Vita erat*. Huius etiam distinctionis meminit Theophylactus, nec eam refellit, quamuis Chrysostomus, & Theodoretus eam vt hęreticã, & ab Arrio & Macedonio profectam insectatur: quod Arrius asserebat Spiritum sanctum factum in ipso Verbo, quasi minorem Filio. Sed certè Hilar. ad bonum & Catholicum sensum illam interpungẽdi rationem secutus est. Augustinus deinde admonet, Manichæos eam distinguẽdi rationem seruasse, sed ad malum, atq; hæreticum sensum. Sed purior, ac germanior distinctio est, vt ita legamus: *Quod factum est*, & apposito puncto, sequatur, *In ipso vita erat*. Deinde considerenda est connexio horum verborum cum pręcedentibus: nam hactenus quidem de Verbo vt conditore disseruit, nũc verò de creaturis tractat, quatenus in esse suo sunt, ratione Verbi.

Hilarius.

Theoph. Chrys. vbi suprà. Theodor. in Dialog.

Aug. tract. 1. in Ioan. to. 9. in princ.

Ratio connexionis eiusdẽ sententiæ cũ superiori duplex assignatur.

Dici etiam potest, quod cum ostenderit per Verbum ęternum, & ante Mariam eius matrem existens, omnia in tempore fuisse condita, posset Hęreticus quispiam objcere, aliquam in Deo mutationẽ fuisse, quoniam incipit velle, quod anteà nolebat; vel incepit facere, quę anteà non faciebat. Hęc Hydrę Lerneæ capita quasi renascẽtia succidit noster Ioannes, dicendo: *Quod factum est, in ipso vita erat*, quasi dicat, Hoc non est nouum consilium Dei, neque mutatio aliqua in eius natura, cum scriptum sit: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Et Salomon: *Et cum sit vna* (scilicet Sapientia) *omnia potest: & in se permanens, omnia innouat.* Sed ab æterno hoc voluit, & decreuit, pro tempore, scilicet creare. Vnde Ecclesia. 23. dicitur: *Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt cognita: sic & post perfectum respicit omnia.* Quod factum est ergo, in ipso vita erat: id est omne creatum in verbo vitaliter, & intellectualiter ab æterno fuit per rationem exemplarem siue idealem, vt Theologi loquuntur. Vt enim Aristoteles lib. 7. primæ philosophiæ docet, Domus & sanitas, quæ sunt in materia subiecta, à domo & sanitate, quæ præexistunt in intellectu, proficiscuntur. Viuebãt ergo omnia in Dei præscientia, sapientia, & voluntate. Mundus enim antequam fieret, in mente Dei erat.

Iacob. 1. Sap. 7.

Eccl. 23.

Philosoph.

Sed vt hęc melius valeas apprehendere, finge, obsecro, plura signa, siue instãtia rationis secundum nostrum intelligendi modum. In primo Deus cum suis attributis esse cogitatur: in secundo instanti à nemine productus Pater intelligitur constitutus, & esse tantum à seipso habere: in tertio Pater intelligit seipsum, & omnes creaturas, vt possibilis simplicis notitia intelligentiæ, vt est ab omnibus illis imitabilis, si enim diuina essentia earum omnium est idea: in quarto genitum Verbum esse concipitur, vt est expressa, & viua imago, & exemplar omniũ creaturarum, de quibus dixit: *Quod factum est, in ipso vita erat*: In quinto instanti Pater cum Filio spirant, siue producunt Spiritum sanctum: in sexto omnes creaturas efficaciter vult, atque in eis sibi complacuit pro suis temporibus, & durationibus: in septimo autem instanti cognouit omnes creaturas scientia visionis iam in suo oculo existentes. Ex quo Augustinus id explicãs, ait: *Quæ Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia: hinc quæ fiunt per ipsam arte, non continuò vita sunt, sed quicquid factum est, vita in illo est. Terram vides, est in arte terra. Cœlum vides, est in arte cœlum. Solem, & Lunam vides, sunt & ista in arte: sed foris corpora sunt, in arte vita sunt.* Hæc ille, etsi putant quidam Augustinum Platonizare.

Imaginari procedere [illegible] Deo, septem assignatur.

Aug. tract. 1. super Ioan. [illegible] to. [illegible] in princ.

Ex his omnibus primò euincitur error Procli Platonici, & Simplicij, & Auicennæ Peripatetici asserentium creaturas à Deo procedere tanquã à principio quodam per modum simplicis emanationis, id est, ex necessitate naturæ: sicut à Sole lux, à luce splendor, ab igne color, riuus à fonte procedunt. Deus enim creator per voluntatem & liberum arbitrium omnia condidit. Hinc ad Ephes. 1. dicitur: *Qui operatur omnia secundum consiliũ voluntatis suæ*: & apud Mosen dicitur, *Fiat lux*, vel, *Fiat firmamentũ*: quod est actus voluntatis ab agente libero profectus.

Ex hoc loco Ioannis Quod factum est, in ipso [illegible] erat impia dogmata quat[illegible] confutantur Procli [illegible] Simplicij & Auicennæ.

Ephes. 1. Gen. 1.

Secundò eliditur error constituentium mundum æternum, ne cogerentur Deum asserere mutatũ à voluntate nõ condendi,

II error Philosophorum.

ad

ad voluntatem condendi. Nam reuera vel mundus non est capax productionis æternæ, vel licet Deus potuerit condere, vt alij volunt, non tamen voluit. In primis, ne putares Deum ex necessitate naturæ creasse. Secundò, vt magis agnosceres beneficium Dei condentis, & quòd sis creatura æternitatis minimè capax, & quòd æternitas ad solũ Deum suo iure spectet. Tertiò, ne creatura ratione prædita in antiquitate duratione que superbiret, atque Deo se faceret æqualem. Quartò, quia posito mũdo æterno, necessario confiteretur animas infinitas necessario actu dari posse, vel animas infinities conuersas in corpora, ne darentur actu infinitæ; & quòd homo infinities esset idem. Quintò, per infinitũ tẽpus animæ iustæ sine vllo beatitudinis sibi debitæ præmio remanerent, & animæ impiæ absq; peccatorum retributionibus atq; impunitæ: id quod esset tacitè diuinam prouidentiam, iustitiamq; redarguere & suggillare.

Deus mundũ creauit in tempore quinque de causis.

III. error Manichæorum.

Tertiò, error Manichæi ex mala interpunctione elicientis, quòd omnes creaturę viuerent, reuincitur. Ita enim illi legebãt: *Quod factũ est in ipso*, & ibi posito pũcto subiungebant, *Vita erat*, quasi omnia quæ facta sunt per Verbũ, viuant. Sed hæc distinctio meritò est ab August. reiecta. Nam primò nihil propriè in ipso Verbo. Deinde experimur ipsa elementa & metalla, & saxa, & similia, haud viuere, cùm propriè dicãtur illa viuere, quæ habent in se principiũ motus. Praua ergò est ac peruersa ratio illa distinguendi, quam Manichæi sequebantur. Etsi Hilar. lib. 2. de Trinit. illam sequatur, qui ait: *Hoc igitur non sine eo quod in eo factum est: nam & id quod in eo factum est, etiã per eum factum est.* Hæc ille, qui etsi similiter cum Manichæis distinguat, nõ tamen idem sentit cum illis.

August. loco citato.

Huius distinctionis incommodi, Sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso, vita erat.

Hilar. operis citati.

IV. error.

Quartò non est existimandum, quouis modo creaturas secundùm suũ esse formale in Deo extitisse, quasi in eo partes diuinę substantiæ, cùm de anima ratione vigente, quæ à Moyse dicitur Spiraculũ vitæ, id minimè verum sit. Flatus. n. non est de substãtia animalis. Deinde creaturæ omnes factę sunt: Deus aũt non facit substantiam suam. Adhęc, esse Dei infinitum est & indiuisum: essent ergò omnes creaturæ infinitæ, atque diuisionis expertes, ac per hoc ipse Deus: quicquid. n. in essentia diuina est, Deus est.

Genes. 2.

Quintò igitur omnia esse dicuntur in Deo Patre & Filio, & Spiritu sancto secundùm eminẽtiam virtutis & æquiualẽtiam: nam essentia diuina pelagus est infinitarũ perfectionum, & in ea omnes eminenter præexistunt: sicut multitudo radiorum efficiẽter, & virtute in Sole, & infinitæ lineæ in puncto cẽtri: in semine infiniti fructus: in vnitate omnes numeri: in Papa omnes potestates Ecclesiasticæ: in rationali anima eminenti ratione est & sentiens, & vegetãs vita: in nummo aureo multi argentei Iulij. Sunt ergo omnia in Patre, quasi in causa efficienti: omnia in Spiritu sancto, vt in ratione causæ finalis; nã omnia ad ipsum, velut ad finem vltimum referuntur. Rursus sunt omnia in Filio, quasi in ratione caussæ exemplaris, & idealis secũdùm esse cognitum, id est, quatenus Deus seipsum cognoscit, vt ab ente creata participabilis & imitabilis existit. Ex quo August. serm. 38. de Verbis Domini ait: *Verbum Dei est forma quædam: forma nõ formata, sed forma omnium formatorum.* Hæc ille, significans, vt exponit D. Thomas, non esse formam, quæ sit pars compositi, sed formam exemplarem & idealem. Nam illa essentia Dei in esse cognito, per æquipollentiam infinitis ideis ęquiualet. Et quẽadmodum quo perfectior intellectus est qui cognoscit per pauciores species: ita Deus per se solum, quia perfectissimus intellectus est, intelliget. Ad hunc ergò modum quæcunq; creata sunt, in Verbo Dei secundùm esse cognitum habent esse increatum exemplare ideale, vitale, imò veriùs dicũtur, & sunt vita, idea, lux. Dicuntur etiam non viuentia in Deo viuere: quia idea essentia Dei est, & nihil non viuum in Deo. Et rectè vt sunt in mente, vita dicuntur: quia intelligentia maximè viuunt, vt dicitur secundo de Anima, & tanto magis, quanto intelligere in Deo est ipsum esse, quod solùm in Deo inuenitur.

Sensus verus atq; germanus huius loci traditur.

August. to. 9.

B. Thom. 1. p. q. 3. art. 8. ad 2. tom. 10.

Quæ maximè viuant secundum Philosophum.

Arylos.

Considera etiam, quòd vita nihil aliud sit, quàm natura ipsa ad aliquam operationem sese agens: impropriè verò dicitur, ipsa operatio naturæ. Quamobrem quæ talem operationem perfectius ex se habent, perfectiùs viuere dicuntur. Et quoniam plantæ formam & finem à natura habent, executionem verò operis tantùm à se, imperfectè viuunt: & sunt in vltimo gradu viuentium, qui dicitur vegetatiuus. Quæ verò solum finem à natura habent, & non formam, perfectius quàm plantæ viuunt, & dicitur gradus sensitiuus. Rationis autem compotes creaturæ, quæ à se finem habent & formam, cùm libero arbitrio præditæ sint, adhuc perfectius viuunt: sed quoniam vltimum finem, & formam primorum principiorum à natura habent, non omninò perfectè viuunt. Deus verò perfectissimam possidet vitã, quia nihil ex

Quid sit vita.

Vita Dei quæ sit.

his, quę naturaliter habet, ab alio habet, sed tantùm à seipso. Et quia eius vita est intelligere; intelligere autem, & intellectus, & res intellecta, & species qua intelligit, sunt idem. Omnia in Deo non solùm viuunt, sed sunt ipsa vita: atque ita creaturæ perfectius esse habent in Deo, quàm in propria natura; tamen secundùm peopriam rationem, qua materiam includunt, verius esse habent in seipsis.

Sextò, considera delicias & iocunditatem sanctissimæ Trinitatis, vt meditatus est Rupertus. Perinde enim est dicere: *In ipso vita erat*, ac dicere, *Delectabar per singulos dies, ludens in orbe terrarum*: &, *Deliciæ meæ, esse cum filijs hominum*. Ludus enim iste nihil est aliud, quàm diuinæ bonitatis iocunditas ineffabilis, qua iam Creator antequam quicquam faceret, delectabatur in Verbo suo: Quemadmodum musicus instrumenta varia componit, & antequam componat, adest in mente eius ludēs musica. Quid enim aliud nos sumus nisi instrumenta & organa Dei? Vnde in citharis & organis, quæ corda nostra & corpora sunt, Deum laudare iubemur. Christus etiam maxima & ordinatissima cithara est, de qua scriptū est: *Exurge gloria mea, exurge Psalterium & cithara*. Totus mundus diuinæ laudis instrumentum est, quanquam in chordis rationalis & Angelicæ creaturæ solùm personat, sed non sine alijs creaturis, quæ sunt vt lignum organi.

Prouer. 8. Ludus Dei in orbe terrarum iuxta Salomonem quid mystice.

Simile.

Psal. 56.

Totus mūdus diuinæ laudis instrumentū est.

Septimò considera, omnia quæ in ipso vita erant, in seipsis deficere & mori: non enim satiant, neque implent hominis mentem, & sæpè occidunt habentem: quare ille solus amandus est, in quo omnia viuunt: & longè absunt à morte.

Ioan. 1. Act. 17.

Octauò, meditare etiam Deum & Verbum ex æquiualentia ditissimum esse, cùm omnia in se contineat & ambiat. Similiter qui eum hic habet per gratiam, ditissimus habendus est. Ex quo patere potest insignis hominum stultitia, Deum pro creaturis derelinquentium, quod cum tanta verborū emphasi Propheta nobis exprobrat, cùm ait: *Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*. In Deo enim est, ô homo, omne quod petis, omne quod amas, & omne quod quæris: Quòd si habere Deum per gloriam tibi aliquando contingat: quid tibi vel ad delicias, vel ad diuitias, vel ad potentiam & honorem, vel ad felicitatem deesse poterit? Vnde magnis viris Deus seipsum in præmium pollicetur. Hinc ad Abraham dixit: *Ego protector tuus sum, & merces magna nimis*. Dauid nulla alia mercede contentus esse volens, dicebat: *Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram?* Subdit: *Pars mea Deus in æternum*.

Hierem. 2.

Deus perfectissimum hominis bonum

Gen. 15.

Psal. 72.

Postremò meditare: Si omne quod factum, in ipso vita erat, curandum ne degeneres ab idea tua, nimirū à deitate illa simplicissima, per quam participatione es Deus. Deinde cura, vt sis simplex, hoc est, omnis doli ac fraudis expers. Da etiam operam, vt qui in Deo vitam intelligentia & ratione præditam possides, in te ipso non viuas more bestiarum. Permulti enim sunt, qui nomen habent, quòd viuant, & tamen mortui sunt. Et hactenus de prima lectione.

Apoc. 3.

Secunda lectio Græcorum codicum, & quam sequitur Chrysostomus, habet: *In ipso vita erat*. Et quia vitæ non præponitur articulus, posset ad creaturam referri, in hunc sensum; Verbum nō solùm est exemplar & caussa, quòd omnia sint, & esse ipsum participent: sed etiam fons & caussa indeficiens vitæ omnium: ideò post producta omnia ista, remanet virtus ad alia producenda. Deinde in ipso vita erat, gubernans, prouidens, & ministrans vitam; imò & mortuos per peccatum ad vitam gratiæ reuocans: quod insinuare videtur verbum subiunctum, & vita erat lux hominum.

Chrys. hom. 5. in Ioan. circa med. to. 3.

Tertiò, de patre intelligi potest, de quo Ioannis capite quinto dicitur: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*. Atque hæc vita, re non est distincta ab essentia, cùm sit vita per essentiam. Et dicitur vita, quatenus est sui ipsius, & omnium in se cognitio: quæ enim intelligunt, maximè viuunt intellecta, quatenus intellecta, à Deo vitam participant: & intellectio Dei non solùm est vita æterna ipsius Dei, sed aliorum etiam vita: *Hæc est*, inquit, *vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*. Atque ita, postquam explicuit esse Verbi, explicat eius viuere, ratione cuius (quia viuere, est intelligere) conuenit ei prouidentia mundi. Quare Paulus ait: *Viuus est sermo Dei, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti*, & cætera quæ sequuntur. De hac vita diuus Dionysius libro de Diuinis nominibus, capite sexto initio, hoc profert testimonium: *Vita omnis, ac vitalis modus, ex illa vita ducitur, quæ est supra omnem vitam, & omne totius vitæ principium. Ex ipsa, & animæ immortalitatem habent, & animantes omnes, & plantæ iuxta extremam vitæ harmoniam, vt viuant, acceperunt, qua sublata iuxta eloquium omnis deficit*

Ioan. 17.

Viuere est intelligere.

Heb. 4.

B. Dionys. Qualis sit vita diuina.

deficit vita, & ad quam ipsa quoque, quæ participanda ipsius infirmitate defecerunt, si rursus conuertantur, rediuiua fiunt. Hæc ille de diuina & absolutissima vita. Quæ vt magis intelligantur, animaduertimus, vitam dupliciter dici, aut Physicè, aut Theologicè, vt interim missam faciamus vitam Angeli & animæ, à corpore seiunctæ, quæ suas habent considerationes. Vita Physica naturalisq; æmula est animæ, qua corpus sensibiliter ab illa fouetur, ac viuum efficitur: quo pacto vita tribus tantùm entibus competit, vt plantis, mutis animantibus, & hominibus, quæ tria duntaxat sunt animæ participia. Vt enim trina est anima, vegetans, sentiens & intelligens, ita & vitam naturalem oportet esse triplicem, plantarum, animalium, & hominum: quæ tria entium genera ex corpore & anima conflata sunt. Nam quæ sub plantis, aut super hominum genus entia relinquuntur, vt mineralia, & Angelicæ mentes, Physicæ vitæ sunt expertia. Sunt enim mineralia, simplicia corpora anima carentia: Angeli verò simplices animæ, sine corpore, & secretæ ab omni concretione mortali. Quæ verò simul coniuncta sunt, naturalem vitam sortiuntur: nam anima actus est vitæ, corpus autem vitalis animæ organum est. Corpus ergo sine anima, non habet, vnde vitam accipiat: anima verò absque corpore, cui vitam largiatur, non habet, in quo vitalem operationem exerceat. Quo fit, vt ratione vigentes animæ à corpore abiunctæ, naturalis vitę munia (vt vitam, sensum & ratiocinationem) mox exercere desinát. Et cùm nequeat naturalis vitæ potestas æuo perpetuo torpere, proprijsve actibus spoliari: ideò animę, quę ex suorum corporum claustris pręter naturam migrarunt, necessariò suis iterum corporibus sociandæ sunt, ne detur aliquod violentum perpetuum, & ne frustrà sit illud desiderium in anima repetendi corpus; ideò mors perpetua non erit, sed temporalis, de medioque tolletur, iuxta illud: *Ero mors tua, ô mors:* & rursus: *Præcipitabo mortem in sempiternum.* Et Ioannes in Apocalyp. *Et mors vltra non erit, neq; luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà; quæ prima abierunt, & non erunt amplius.* Theologica autem vita potissima est, & ex se tota immortalis, & hæc in tribus tantùm entibus reperitur, in Deo, in Angelo, in homine: nam hæc tria tantùm diuinitùs, & sunt & viuũt, & sapiunt. Deus tamen, vtpote æternus & increatus, primus habet esse. Vnde de seipso dixit: *Ego sum, qui sum.* Ipse est vita viuens, & Sapientia intelligens. Angelis verò & hominibus verior quàm vllis creaturis, & essentia, & vita, & sapientia competit, non quidem simpliciter, sed ex participatione Dei, quibus illud est mors, à diuina veritate & pace separari. Vt enim ramusculus quamdiu propriæ radici inhæret, tamdiu emori nequit, vt qui semper vitalem humorem ex radice manãtem accipiat: ita & Angelica humanaque substantia, quamdiu per firmissimum ad diuina consensum permanserit, nequaquam morietur. Vbi verò propriæ voluntati innitentes à Deo secedunt, mox velut rami à radice præcisi vitali humore, omnisq; sanctæ vitæ officio priuantur. Vnde Scriptura ait: *Ego sum vitis, & vos palmites: sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: ita & vos, nisi in me manseritis.* Constat ergò ex his, siue Physicam, siue Theologicam vitam (nam hæc animarum & spirituũ, illa verò corporum vita est) esse quandam plurium rerum vnitatem & pacem, omnem verò mortem esse quandam diuulsionem & litem. Physica siquidem vita est, naturalium corporum suis animabus insitio, mors verò Physica est, qua corpora ab anima naturali vinculo dirimuntur: at Theologica vita est, qua Angelicæ humanæque mentes in Deo totius vitæ fonte, & à quo vitam trahunt, inserũtur: mors autem Theologica earũdem, est mẽtium à diuina vnitate voluntarium dissidium. Ex quo fit, vt omnis vita sit vnitrina, vna, inquam, in Deo infinita, increata, minimè participata, trina verò in creaturis, finita, creata, participata. Prima in Angelis. Secunda in animantibus. Tertia in corporibus, in quibus vltimum vitæ relucet vestigium. Sicut ergò Filius Dei, Verbum appellari non sine magnis rationibus voluit, ita & vitam dici & appellari iustis de caussis voluisse exploratum est. Nam, vt prætercam multa alia, vnam tantùm rationem producam, quod attinet ad appropriata ipsarum personarum. Dictum est enim, vniuersum, & quamlibet eius partem, opus esse trium personarum, ita tamen, vt vna vniuersi pars magis similis sit Patri, alia Filio, alia Spiritui sancto: necesse est enim in ipsa imagine relucere, atque apparere eius veritatem. Elicimus ergo ex his instar Dei, trinum esse vniuersum. Etenim quicquid est aut cognitionis vi prędítũ est, aut vitã habet, aut substantiam tantũ. Elementis mixtis imperfectis & mineralibus adest simplex essentia, à vita & à cognitiõe separata: plantis vitã cõiuncta quidẽ priori essentia, sed à cognitione separata, cõpetit: omni verò potiori & præstãtiori substãtiæ cognitio cæteris eminẽtior adest, vt brutis animan-

Marginalia: Duplex vita, Physica, seu naturalis, & diuina, seu Theologica. — Triplex anima — Caussa reditus animarum in corpora. — Osee 13. & 1. Cor. 15. — Isai. 25. — Apoc. 21. — Quænam verè viuant. — Exod. 3. — Simile. — Ioan. 15. — Physica vita & mors quid. — Theologica item vita, & mors quid. — Dei Filius cur vita dici voluerit. — Ioan. 1. & 14. — Trinum esse vniuersum, vnde constet.

animantibus, hominibus, Angelis, ac Deo. Ex his ergò tribus, essentia, vita & cognitione (quæ substantiarum omnium proprietates ac differentiæ sunt) ad tres personas contemplandas quoquo pacto assurgere par est, primam essentiã Patri, mediam vitam Filio, supremam cognitionem Spiritui sancto congruè aptando. Sicut enim Pater est primum & per se esse, quod adest & Filio, ambo verò, Pater ac Filius, ipsi Spiritui sancto esse largiuntur: ita & in cunctis rebus prima est, & per se essentia: ex essentia vero vita ipsa profluit ac pullulat: post vtramque verò, & aliquo modo ex vtraque succedit vltima cognitio. Non immeritò ergò secunda Dei persona vitæ nomine insignitur, censeturque & diuina vita, & vniuersorũ eminentissima vitæ caussa. Et quamquam hæc ita se habeant, præsentem tamen propositionem non de absoluta illa & increata vita (quæ est Dei Filius) & quæ facta non est, sed de vniuersorum & singulorum vita, quæ ab ipso profluxit & emersit, & de qua dicitur: *Quod factum est, in ipso vita erat*, satius intelligere licebit. Debemus ergo ad hanc vitam Verbi increatam, quæ in cœlo maximè detegitur, anhelare: deinde per gratiam illam participare. Vt sicut ille feliciter viuit, se & aliàs omnia à se in seipso cognoscẽdo: ita nos Deũ ipsũ, atq; adeò nos ipsos cognoscẽdo, & cętera omnia in nobis, perfectã, & quantum viatoribus concedi potest, beatam vitam agamus, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui sit gloria, & honor, & imperium in secula seculorum, Amen.

De qua vita sit sermo, cùm dicitur: In ipso vita erat.

TRACTATVS XVI.

In quo explicantur illa verba: Et vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Cuius rei gratia potissimũ conscriptum sit Ioannis Euangelium.

HActenus Euangelista de Verbo omnium conditore sermonem habuit, & quomodo creaturæ relatiuè se habeant ad Verbum: nam in eo omnia viuebant, seu vita erant, etiam antequam essent in seipsis: nunc explicare intendit, quomodo se habeat Verbum respectu hominis, cuius gratia potissimùm conscriptum est Euangelium. Ait ergò quòd vita erat lux hominum. Vbi in primis notandum, vitæ Græci poni articulum ad significandum, quòd non loquitur de eadem vita, quæ præcessit, quæ & facta dicitur, & sine articulo dicta est vita. Sed quod de suprema & increata vita, quę & vita per essentiam dicitur, sermonem facit, de qua Propheta loquitur: *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen:* vbi Propheta vitam cum luce coniunxit; quemadmodum hoc loci fecit Euãgelista. Vita ergo, videlicet Verbum increatum, & per essentiam viuens, & omnium viuentium principium, erat lux hominum. Vbi distinctè quatuor attributa vitę huius enũtiat. Primò enim dicitur lux. Secundò, lux hominum. Tertiò dicitur lucere in tenebris. Quartò dicitur ab eis non comprehendi, vel non apprehendi, vt alij vertunt. Sed ante omnia considera, quid Origen. tomo 3. in Ioannem circa finem, hæc verba interpretans dicat: *Quoniam hoc loco Seruator simpliciter lux dicitur, in Catholica verò ipsius Ioannis epistola, Deus lux esse dicitur: aliàs quidem putat hic Patrem non esse à Filio essentia distinctum: sed qui diligentius obseruabit, & rectiùs locutus fuerit, dicet, natura non esse lucem, quæ in tenebris lucet, ab ipsis tenebris non apprehensa, & lux, in qua nullo modo modo sunt tenebræ:* & infrà: *Dicitur hæc lux, lux vera, quia Pater veritatis amplior est Verbo, & maior quàm veritas. Et quia Pater est sapientia, melior est atq; præstantior ipsa sapientia.* Hæc ille in sensu, quæ prorsus Arrij spiritum sapiunt. Nisi Origenis defensor dicat, Patrem, nõ quidem essentia, sed principij dignitate, & autoritate generationis maiorẽ esse Filio: quemadmodum docent Veteres Patres, interpretantes illũ locum: *Pater maior me est*, vt Cyril. lib. 2. Thesaur. cap. 3. & Chrysost. hom. 74. in Ioan. & Hilar. lib. 9. de Trin. ita B. Thom. lib. aduersus errores Græcorum notat dixisse Basilium, filiũ dignitate esse à Patre secundum, & Spiritum sanctum dignitate à filio secũdum, hoc est, hypostaseos dignitate, non naturæ. Hæc ille in sensu. In primis igitur hoc Verbũ per essentiam viuens (& quod vita nominatur) lux dicitur. Primò, quia non est vita tenebrosa, quemadmodum est vita plantæ, quę propterea quòd non cognoscit, tenebræ meritò dici potest. Secũdò ordinatè ab esse progressus est ad vitam, & à vita progreditur ad lucem intelligibilem: itaque idem sunt in Deo esse, viuere, & intelligere: & vna res simplicissima sunt Verbum, vita, lux. Formaliter autem, vt Philosophi loqui consueuerunt, Verbum habet esse, viuere, & intelligere, eminenter verò, sentire & vegetare. Tertiò dicitur lux, vt significetur perfectum exemplar omnium quæ facta sunt, præhabens in se non solùm esse, & viuere, sed & intelligere: & facta ab eo esse, nõ solùm quatenus sunt, & viuunt, sed etiam quatenus intelligunt. Quartò dicitur lux, nõ quod Pater & Spiritus sanctus

Quænam hæc vita, quæ erat lux hominũ.

Psal. 35.

Origen. par. 2.

1. Ioan. 1.

Ioan. 14.

Cyril. tom. 2. init.

Chrys. tom. 3.

Hilar.

B. Tho. opusc. 1. c. 2. 10. 1?.

Basil. lib. 1. in Euno. aliquanto ante fi. to 1. à med.

Quomodo intelligitur cùm dicitur, quod Filius sit secundus à Patre, & Spiritus sanctus sit tertius iuxta B. Tho.

Verbum cur lux dicatur.

Ioan.1. *1.Tim.16.* *Coloss.1.* *Ioan.14.* *Heb.1.*

non sint lux, cùm alibi de Deo dicatur: *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* Et Paulus: *Qui lucem habitat inaccessibilem,* quẽ nullus hominum vidit, sed nec videre potest: & de Spiritu sancto cantat Ecclesia: *Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.* Sed quia adscribitur Verbo, quemadmodum imago, similitudo, splendor, & quia etiam per Verbũ fit omnis manifestatio & cognitio, sicut omne quod manifestatur, per lumen est, vt dixit Apostolus.

Ephes.5. *Gen.1.*

Quintò dicitur lux, quia nobilissimum corpus inter omnia cõdita à Deo lumen est, ac proinde prima die factum, & præ cæteris creaturis (vt testatur Dionys.) Deum maximè repræsentans.

Lucis proprietates.

Nam lux generalis & cõmunis est omnibus: in instanti ab Oriente in Occidentẽ diffunditur, simplicissima, & sine sui diminutione, omnib. & singulis, quatenus possunt esse capacia, se communicans.

Deum inter corporea lux maxime repræsentat.

Ad hunc modum Deus cõmune quoddam bonum est, & generaliter in omnia suam virtutem influit: punctò tẽporis operatur: simplicissimus est, sine vlla compositione, & nihil illi perit, eò quòd se omnibus communicet, & variè pro ratione captus cuiuscunq; creaturæ, ad suam sapientiam commendandam se solet cõmunicare.

Verbum cur dicatur lux hominum.

Secundò dicitur lux hominum: cuius verbi duplex esse potest intellectus. Alter quidem de illuminatione hominum, quod ad naturã & opera naturalia spectat: & ita lux hominũ dicitur in primis, ad differentiam lucis corporeæ, communis brutis animantibus, & quæ vita cœlorum est: hæc autẽ est hominum vita, qua homines, videlicet ratione prediti sunt. Secundò, nõ dicit, Angelorum, sed hominum, quòd Euangelium non ob Angelos, verùm ob homines literis consignatum sit. Et quia hic agitur de Verbo, quatenus humani generis Saluator & assertor est, reparans à tenebris peccati & ignorantiæ, & quia cùm homo inter creaturas intelligẽdi vi præditas, infimum locum sortitus sit, si suprema lux attingit infimam creaturam, Angelicam etiam quę media est attinget. Denique vt ostendat, quòd lux suprema possit se infimã communicare, nullis medijs, quod Auicẽna magnus Philosophus Peripateticus non intellexit.

Auicenna supremam lucẽ infimæ in cõmunicabilem falso sensit.

Tertiò dicitur lux hominũ, non bonorum aut malorũ, non Iudæorum, aut Gentilium tãtùm, sed absolutè hominum omnium. Nam tam boni quàm mali, in hoc lucent & illuminantur, quòd ratione donati sunt. Etsi autem homo malus peccãdo obtenebretur, & tenebrarum fiat filius: nõ tamen illã, qua iumentis præcellit, rationis lucem amittit.

Peccator peccando similitudinem Dei amittat, non tamen imaginem.

Peccator enim licèt peccando, similitudine Dei priuetur, non tamen imagine. Lux ergò hominũ dicitur, quòd sub hominum tantùm aspectum cadat, & quia per sapientiam Filio Dei attributam, quicquid verum est, cõspicitur. Hæc enim in omnibus Dei operibus adest, & contemplationi nostri se ipsam obijcit, & inquiri gaudet, & inuenta beatos homines reddit.

Eccles.15.& Sap.16.

Quanquam ergo Verbum Dei sit lux, tam naturæ quàm gratiæ & gloriæ: hic tamẽ de illustratione naturali loqui videtur, quam per legem inditam, & simul cum ratione creatam homines sortiantur, de qua quidã intelligunt verbum illud Prophetæ: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Postea verò de illustratione facta per legem Moysi subdit: *Et lux in tenebris lucet,* lucebat enim in natura nostra tenebrosa ex se, & finita, dando lumen naturæ, nec cessando ab illustratione. Deinde de illorum ingrati animi vitio subiungit: *Et tenebræ eam non comprehenderunt,* id est, humanæ mentes ex se quidem obscuræ atque finitæ, illam nõ potuerunt apprehendere: nam quid vel quale sit Verbũ, & an sit Deus, & an ab eo lumen acciperet, non agnorunt.

Psal.4.

Quid quod diuinam lucẽ tenebræ non comprehenderunt.

Hic est primus sensus, verus & Catholicus. Alter verò intellectus siue secundus sensus magis placet. Nam sicut descripsit Verbum, vt in se est, & deinde vt caussa est omnium creaturarũ, ita primò descripsit vitam, vt in ipso erat, dicendo: *In ipso vita erat.* Deinde verò vt vita increata caussa est omnium viuentium, quod explicat dicẽdo: *Vita erat lux hominũ.* Nam homines sunt qui naturale lumen habẽt, quod per creationẽ acceperunt, de qua dixit: *Omnia per ipsum facta sunt.*

De qua luce minimè comprehensa hic loquitur Ioannes.

Ideo hoc loco de supernaturali & diuina luce, & vita gratiæ loqui videtur: nã sicut prius de communicatione esse naturalis, & conseruatione locutus fuerat, dicendo: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:* ita hoc loco tam de communicatione esse diuini & supernaturalis, atq; de eius conseruatione verba facit, dicendo: *Vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet.* Atq; huic sensui seruit missio Ioãnis ad manifestandã lucẽ. Erat ergò lux hominum in Dei prædestinatione (nam, *Erat*, æternitatem significat) quæ naturã nostram vt lucernam, volebat incarnatione, & olei gratię infusioni accẽdere: eò siquidem verba tendunt, *Et deliciæ meæ, esse cum filijs hominum.*

Prouer.8.

Erat etiam lux hominum, quando instruxit primum hominẽ de rebus supra naturam existẽtibus, & induit eum luce gratiæ & sapientiæ rerum diuinarum, & amore Dei, calefecit: sed quia primi parentes à dignitate illa ceciderunt, & lumen diuinum perdiderunt,

Gen.3.

& facti

& facti sunt tenebræ, atque adeò cognito peccato erubuerunt, & Dominum se vocantem audire noluerũt; ideò subdit: *Et lux in tenebris lucet*; vt sciamus, lucem illam defuisse nemini, quæ sese omnibus obijcit, vt apprehẽdatur, & quod inexcusabilis est omnis homo, meritò subiungit, quòd lux in tenebris lucet, id est, in peccatoribus. Mũdum enim originalis delicti caligine inuolutum, & criminum personalium tenebris obsitum, tenebras vocat, more Hebræorũ, qui substantiua ponunt pro adiectis nominibus. Ita etiam Paulus dixit: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Tenebræ ergo sunt peccatores ignorantiæ, peccatique tenebras amãtes, de quibus Domini vox illa est: *Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Diligentes etiam tenebras, ac societatem dæmonum; de quibus Paulus: *Quæ societas luci ad tenebras?* id est, ad dæmones rectores tenebrarum harum, vt idem alibi dixit.

Quid per tenebras, quib. lux verbum illuxit.
I. sensus verus ac congruus.
Substantiua pro adiectis nominibus non raro vsurpant Hebræi.
Ioan. 3
2. Cor. 6.
Ephes. vlt.
Contra Caietanum.

Ridiculus autem sensus est Caietani, exponentis per tenebras, sensibilia lumine rationis carentia: quę tenebrę non apprehenderunt Verbum. Sed certè vilis est sensus, & indignus Spiritu Apostolico: nec dixisset Euangelista, non comprehenderunt, verum, non valuerunt comprehendere. Et insensibilia magis sunt tenebræ, quam sensibilia: lapides enim, & metalla minus intelligunt, quam pecora, aut iumenta, &c. Secundò, non rectè intelliges per tenebras, dæmones, in hoc loco: quia etsi olim illis illuxerit ante casum, postquam tamen suo peccato facti sunt tenebræ, & lucis hostes capitales, illos non amplius illuminat, nec possunt, etiamsi maximè velint, lucem apprehendere. Tertiò, non rectè interpretaberis per tenebras, peccata: quia etsi maximè vocentur tenebrę, illis tamen non illuxit, neque illucet Verbum, sed maximè obscuratur, quatenus ad naturam peccati attinet: tametsi crimina nostra Deo non possint obesse. Illud tamen negandum non est, in peccatis remittẽdis, condonandisq; maximè Verbi gloriam, ac munificentiam illustrari: sed id ex eius bonitate procedit, nõ ex peccatoris malignitate, sed natura peccati. Quartò Theophylactus post Chrysostomũ, intelligit per tenebras mortẽ, & errorem: quia in morte sua illuxit, mortem & suam, & nostram destruendo: & in Gentilium errore fulsit, illum suæ prædicationis luce dissipando. Quę expositio paullò est violentior, nec videtur quomodò error, aut mors potuerit illam lucẽ comprehendere. Superest ergò vt nomine tenebrarum intelligamus peccatores, siue mentes hominum peccatis obtenebratas.

Alter sensus.
Tertius
Quartus.
Theophyl.
Chrys. hom. 9. in Ioan. to. 3.

Augustinus Epistola ad Honoratum, & tractat. 1. in Ioann. exponens hæc verba: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderũt*, ait: *Quomodo homo positus in sole cæcus, præsens est illi Sol, sed ipse Soli absens est: sic omnis stultus, omnis iniquus; sic omnis impius, cæcus est in corde. Præsens est illi Sapientia, sed cum cæco præsens est, oculis eius absens est: non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est.* Hęc ille, cui haud dissimilia docet Rupertus enarrans hunc locum: & ante eum B. Gregorius Nazianzenus libr. de Fide exponit, dicens, *Et lux lucet in tenebris, id est, Christus in sæculo, & tenebræ eum non sunt assecutæ. Hi scilicet homines, quorum ignorantiæ tenebris obcæcatũ cor, Christum Deum, & verum Dei Filium non agnouit. Sed ipse Dominus dicit: Ego sum* (inquit) *lux mundi: qui me secutus fuerit, in tenebris non ibit, sed habebit lumen vitæ.* Hæc ille, per tenebras intelligens peccatores, quibus Verbum dupliciter illuxit. Primò quidem in statu legis naturalis ante Mosem, & post peccatũ, super Abel, Noe, & Iob, qui in Verbum crediderũt: & super Sapientes, & Philosophos, quibus lumen dedit, vt ex creaturis inuisibilia Dei intelligerent: Sed magna eorum pars non apprehenderunt, quia dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & euanuerunt in cogitationibus suis: qui cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Apprehenditur autem lux ista; cum ipsa nota amatur, possidetur, magnificatur, & colitur. Apprehenditur per Fidem, & Charitatem, & Sacramenta, per quę illam nobis propriam reddimus, & applicamus: aliàs enim, vt Paulus ait: *Veritatem Dei in iniustitia detinemus.* Secundò illuxit in tenebris hęc lux in statu legis Moysi. Nam DEVS illum populum docuit, & instruxit per lucernam legis, per columnam nubis, & ignis, per luminaria Prophetarum, per signa continua, quæ maiestatis diuinę præsentiam ad illum populum attestabantur: per typos, vmbras, figuras, sacrificia: denique per se ipsam incarnata lux apparuit: & per Apostolos se amplius exeruit, atque manifestauit. Sed illi cum diligerent magis tenebras, quam lucem, & gloriam hominum magis, quam gloriam Dei; & viderunt, & oderunt Iesum, & Patrem eius, & dixerunt: *Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatẽ.* Et rursus: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nobis locum, & gentem.* Vnde missa cohorte comprehenderunt Iesum ad mortem, quẽ comprehendere debebant ad vitam per fidem viuam, vt par erat. Ideò lucifugæ obcæcati

August. epist. 120. c. 3. Idem tom. 9. initio.
Rupert. Tuicien.
Greg. Nazian.
Ioan. 8.
Verbum quomodo fuerit lux Gentium.
Genes. 4.
Infra 6.
Iob 1.
Roman. 1.
Ibidem.
Lux Dei quomodo comprehendatur.
Roman. 1.
Quomodo hæc lux Iudæis illuxerit.
Ioan. 12.
Ibidem.
Infra 15.
Matth. 21.
Ioan. 11.
Infra 18.
Psalm. 18.

2.Cor.3. Ephes.5.

cæcati sunt, vt nihil videant: & firmamentum Apostolorum Dei gloriam annuntiãs, & opera manuum eius persecuti sunt; & velamine posito ante oculos, clausus est illis liber. Qui autem per fidem apprehẽderint, non sunt tenebræ, sed lux in Domino. Nec te moueat quod Grecè dicitur in singulari σκοτία, id est tenebra: quia apud Latinos caret singulari. Ideò rectè interpres vertit per plurale, tenebras: maximè quia singulare interdũ sumitur pro plurali, more Hebręo. Verbum autem κατέλαβον, melius vertitur, comprehenderũt, quam, vt Erasmus vertit, apprehenderunt. Est enim propriè καταλαμβάνειν, assequi, seu compertum habere, seu intelligere; quod & comprehendere Cicero dicit, non in eo significatu, in quo Philosophi, & Theologi accipiunt, vt comprehendere, sit eatenus aliquid intelligere, quatenus intelligibile est: qua ratione dicimus Deũ à se solo comprehendi: sed hic significatus ignotus fuit classicis autoribus linguæ Latinæ. Tertiò, hæc lux non tantum hominibus in lege naturæ, vel in lege Moysi, sed etiam Christianis in Euangelio perpetuò illucet. Quare deberemus esse lux in Domino; & tamẽ per peccatum, maximè idololatriæ, superstitionis & hæreseos obtenebramur. Nec tamen proptereà Verbum sua luce nos priuat, misericorditer exspectans ad pœnitentiam, vt apprehendamus eam. Ex hac autem sententia, si vita est lux hominum, summè à nobis diligenda est, etiam super Angelos, quos non apprehendit. Ista ergo quasi lucerna posita est super candelabrum Ecclesiæ, vt luceat omnib. qui in domo humanę naturæ sunt. Nec abscondenda est vlla falsa, vel angusta doctrina de prædestinatione, siue de iustificatione, vt hæretici faciunt: neque rursus scelerata & peruersa vita, & moribus contaminatis, vt Catholici plerunque faciunt. Deinde disce, peccatorem tenebram esse: nam sponte vult esse cæcus, & tenebrosus: claudit fenestrã cordis sui soli iustitię Christo, ideò ambulãs in tenebris, nescit quò vadat; nescit quid faciat, quid amet, quid loquatur. Peccator enim occidit seipsum, rẽque carè emptam, vendit vilissimo pretio: seruit dæmoni perpetuas pœnas infligenti: pellit Deum de domo sua: ex cordis sui tẽplo facit stabulum ad excipiendos immundos spiritus. Postremò reddit sese hostem omnis creaturę, quę extremo iudicij die, vt aia Salomon, pugnabit contra insensatos. Tertiò, discat Christianis vitam suam ita componere, ac si coram luce ageret: vt scilicet nihil erubescat facere, quod nolit in publicum prodire, neq; quęrat, vt Adam, latibula: nec obseruet caliginem, vt facit oculus adulteri: sed agnoscat vocem Pauli: *Spectaculũ facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Et Christi vocem dicentis: *Qui autẽ facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestetur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Nos ergo ad tantam lucem spectandam, purgemus cordium nostrorum oculos collyrio pœnitentiæ, lacrimis peccatorum, aqua dulci deuotionis: præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto exhibeatur omnis honor, magnificentia, & gloria in secula seculorum, Amen.

Comprehendere hoc loco quid. Erasmus. Cicero. Eadem lux Verbũ Christianis illuxit. Matth.5. Hæc lux quomodo obscuretur, & extinguatur. Ioan.12. Christi lucis iactura quantum malum. Sap.5. Vita Christiani qualis esse debeat. Gen.3. 1.Corint. Ioan.3 Apocal.3.

TRACTATVS XVII.

In quo explicatur, quomodo Verbum fuerit lux Iudæorum.

Præsentis digressionis ordo.

VT hæc vltima sententia maioris veritatis luce perfundatur, & apud omnes liquidò constare possit, Verbum ad salutem omnium hominum procurãdam, omnibus seculis hominum generi illuxisse; operępretium esse arbitratus sum, nominatim ostendere, primò, qua ratione Iudæis illuxerit Verbum Dei. Deinde, quomodo illuxerit Gentibus, etiam ante legem Moysi, & tempore legis, vsque ad Christi aduentũ. Hanc quippe meditationem non mediocriter conducibilẽ esse existimauimus ad persuadendum hominibus, nullum ob defectũ lucis huius hominẽ perditũ, sed tantummodo peccatis suis atque sceleribus obicem diuino lumini nostram ad salutem vrgenti, posuisse. In hoc ergo præsenti tractatu de Iudæorum illuminatione sermo erit; in sequenti verò, de admirabili diuinę lucis prouidentia ad illuminandos, atq; sanandos Gentiles. ¶ Quemadmodum in obscuris, ac tenebrosis speluncis latitantes, atque in summis tenebris vitam infelicẽ degentes, non stãtim ad meridianum Solem contuendum deducuntur, ne lucis nimio splendore offendantur, atq; à videndi functione arceantur: ita sanè mundus cum immensis ignorantiæ tenebris, & idololatriæ, aliorumq; flagitiorum caligine penè obrutus, & absorptus esset, non debuit statim increata illa hominum Lux ad eũ venire, ne gratis, & frustra venire voluisse, iudicari posset. Quis enim in tãto scelerũ barathro constitutus, & in dęmonũ (qui tenebrę sũt) societate positus, vel Verbum Dei cognoscere, vel opera eius admiranda, quippe diuina, & Filium Dei contestantia, dignoscere potuisset? Quemadmodum ergo Solis ortum præcedit aurora, paullatim oculos disponens ad spectandum, & aspiciendum

Comparatio.

Christi aduentum lex Moysi quomodo præparauerit. Sapi. 5. & Malach. 4. Rom. 3. & 7.

Solem: principum quoque magnorum aduentum præeunt satellites, nobiles atque illustres viri: ad hunc modũ profectò Christi iustitiæ Solis aduentum Moysi lex quasi aurora quædam ex parte illuminans, non tamen frigus omninò expellens, sapienter præiuit. Per legem enim cognitio peccati, non autem eis abolitio, quæ ad Verbum carne indutum spectabat. Præcesserunt etiã Regem Regum Christum Patriarchæ, Prophetæ, & omnes iusti, quasi anteambulones & ministri, de eius aduentu, doctrina, & vita non verbis tantum testificantes, verum etiam sanctissimæ vitæ exemplo, gestisque planè illustribus & heroicis eius sacrosancta mysteria, singulariaque & planè diuina opera delineantes, & præfigurantes. Quæ vt exemplis aliquot illustrentur, præuidebat olim Deus futurum, vt Filius suus vnigenitus, ac sibi per omnia æqualis, aliquando incarnaretur, & in homine assumpto diuina oracula hominibus funderet. Ac ne quis Iudæorum hoc incredibile putaret, prius voluit huius rei veluti lineas primas ducere ex rubo, ex nube, ex propitiatorio ad Moysen loquendo. Qui enim ex locis inanimis, & insensibilibus verba facere non dedignabatur; quid ni in humanitate assumpta, quæ & animata est, & intellectu prædita, loqui dignaretur? Quia prædicandum erat, Verbum ex fœmina sine opera, & materia viri concipiendum: voluit prius virgam Aaron vllo absque humore reflorescere, ac germinare. Quia mundo proponendum erat virginitatis, & integritatis Matris Dei mysterium, quæ & ante partum, & in partu, & post partum hoc tãto priuilegio decorata est, ne quis illud, vt incredibile reijceret; voluit ante præludere, & portam quandam clausam esse apud Ezechielẽ ostendit, quæ non aperiretur, & vir nõ transiret per eam, quoniam Dominus Deus Israel per eam fuisset ingressus. Quoniam prædicandum erat, Christũ cruci affixum, oculis fidei conspectum, sanare omnia spiritualia vulnera, peccata videlicet; voluit multò ante erigi serpentem æneum in deserto, qui conspectus à filijs Israel, morsus eorum venenatos quos à serpentibus ignitis acceperãt, sanaret. ¶ Quoniam Christus per crucem mũdi Saluator omnibus proponendus erat; præmisit Noe Patriarcham, qui mundũ aquis diluuij pereuntẽ, arca seruaret. ¶ Quoniam annuntiandus erat tantus Patris erga mundum amor, vt pro eo vnigenitũ Filiũ suum daret, & Filio suo proprio non parceret: præmisit Patriarcham Abraham, qui in Deum tanto amore flagrauit, vt pro eo filiũ suũ, quem diligebat, Isaac in mortẽ tradere, & proprijs etiam manibus immolare non dubitauerit. ¶ Quia prædicanda Christi signa talia & tanta, vt etiam vita defunctos à morte suscitauerit; præmisit Heliam, & Helisæum insignes Prophetas, qui inter alia admirãda opera, etiam mortuos reuocarunt ad vitam. Quoniam Messiæ post triduum mortis gloriosa resurrectio euangelizãda erat, voluit tot retro seculis prophetam Ionam à cete deuoratum, die tertia in littus euomi, & ad priorem vitã reuocari. ¶ Quandoquidem admirabilis Messiæ in cœlos Ascensio liberè erat promulganda, vt liberè etiam reciperetur: Heliã præmittere voluit, qui quidem viuus curru igneo in cœlum subuectus est. Ne miraremur de sonitu grandi, ac strepitu vehementi, quo lex Euangelica in die Pentecostes lata est, voluit priorem legem filijs Israel tradi nõ sine sonitu buccinæ vehementius perstrepentis; nec sine fumo, & turbine. ¶ Quia Spiritus sanctus tribuendus erat Apostolis à Christo Domino, ad Ecclesiam Dei gubernandam regendamque simul, & ad euãgelizandum; voluit olim de spiritu Moysi accipi, & in Septuaginta seniores illius ad populi regimẽ delectos, distribui. Ne quis incredibilẽ existimaret abolitionem Mosaicæ legis, & nouæ, atque Euangelicæ introductionem, voluit Deus primas legis tabulas ad radicem montis confringi, & alias rursus idem continẽtes, quod priores, scripto tradi: nam reuera quæ Euangelium docet, eadem omninò sunt, & cohærent cum ijs, quæ Lex ipsa in spiritu, ac medulla continet. ¶ Quia item prædicandus Christi Baptismus, omnia hominum peccata abluens; voluit prius in lege aquas lustrationis præcedere, quæ omnes in templum ingressuros à maculis & violationibus legis & irregularitatibus (vt sic dicam) sanctificaret. Voluit & piscinam præire, cuius aqua per Angelum turbata, primus qui in eam descenderet, sanaretur à quacunque detinebatur infirmitate. ¶ Quod etiam prædicandus panis vitæ de cœlo descendens, ad spirituum nostrorum sustentationem, dum viuimus, sumendus; voluit anteire manna, ac de cœlo descendere ad pascendos filios Israel, & per annos quadraginta vsque ad ingressum Terræ promissæ dispensari. ¶ Quoniam Apostoli in orbẽ vniuersum destinandi erãt ad munus Euangelicũ obeundum, in quibus Spiritus sanctus & loqueretur & operaretur; decreuit prius prophetas præmitti, qui olim à Deo, & ad Iudæos, & ad Gentes destinabantur, & per quos Deus responsa & monita salutis vniuersis interrogantibus præstabat. ¶ Quia Christi nouum Sacerdotium,

Margin notes (left): Eiusdem mysteria in quibus præfigurata. Exod. 3. Infrà 19. & 20. & alias. — Partus ex Virgine. Isai. 7. & Matth. 1. Numer. 17. — Ezech. 44. — Christi passio salutaris. Num. 21. Ioan. 3. — Eiusdem incarnationis beneficium. Gen. 6. & seq. Infra 6. & seqq. Ioan. 3. Roman. 8. Gene. 22.

Margin notes (right): Christi miracula eiusque resurrectio. Matth. 9. Luc. 7. Ioan. 11. 3. Reg. 17. 4. Reg. 4. Matth. 12. & 27. Ionæ 2. — Ascensio. Marc. vlt. & Act. 1. 4. Reg. 2. — Act. 2. Exo. 19. & 20. — Missio Spiritus sancti. Act. 2. Num. 11. — Lex Euangelica. Exod. 32. Infra 34. — Baptismus. Matth. 3. & Marc. vlt. Num. 8. & sæpe alias. Ioan. 5. — Eucharistia. Infra 6. Exod. 16. Ibidem. — Missio Apostolorum. Psalm. 18. Marc. vlt. & Act. 13. — Nouum Sacerdotium.

Matth.25. tium, exploso illo veteri Aaron, instituendum erat, & sacrificium in pane, & vino offerendum, delibauit, præmitti Sacerdotiũ *Gen.14.* Regis & Pontificis Melchisedech, quod in litando pane & vino ad gratiarum actionẽ *Vetus cultus.* positum erat. ¶ Quoniam destruenda erat, ac funditus euertenda idololatria per Euãgelicam predicationem, statuit longè antè lapidem præcisum de monte sine manibus, *Dan.2.* qui percutiens statuam Nabuchodonosor Regis in pedibus, aurum, argentum, æs, ferrum, & terram comminuit; & contriuit. ¶ Quod ædificanda erat Ecclesia ex Genti- *Ecclesiæ ex Iudæis & Gentib. cõstructio.* bus, sub Iudęis tamen Apostolis, & Christi discipulis, tanquam operis præfectis: proptereà longè ante voluit præludere in Sa- *3. Reg.4.* lomone Christi typo; qui templũ Domino ita construxit, vt omnes operarij, siue artifices, cæsores lapidum, & lignorũ essent Gẽtiles; præfecti verò operum, Iudęi fuerint.

Habes igitur omnium ferè Christi mysteriorum quasi viuorum quorundã colorum primas lineas ductas fuisse in lege, & Prophetis. Ad hæc lex illa mirabiliter ad *Lex Mosis tripliciter se pręparauit ad Christum.* Christum lucem ducebat, non solum ritib. typicis, & cęremonijs innumeris futura ad- *Act.15.* umbrantibus, verum etiam onere suo graui, atque minimè ferendo; premendo, & peccati cognitionem efficacem tribuendo, & desiderium medici ad sanãdum venturi imprimendo. Nam in primis Lex illa tan- *Galat.3.* to præceptorum numero (maximè non exhibita gratia ad id pręstandum) grauabat valde, ac velut pædagogus quidã, qui pueris solet esse molestus, Iudæos reprimebat. Et quia *Nitimur in vetitũ semper, cupimusq; ne- Ouid.* *gata*; eos peccantes castigabat. Atq; in hunc modum Moyses prædagogus noster fuit in *Roman.7.* Christo, vt docet Paulus. Præterea peccatũ dupliciter vt agnosceretur, faciebat: tũ reuelando Adæ inobedientiam, cuius reatũ, sicut & culpam omnes participamus: atq; huius rei ignoratione omnes Gentiles detinebuntur. Tum deniq; multa præcipiẽdo, quæ cum se præstare minimè posse Iudæi animaduerterent, cogitare facilè poterant, *Psalm.10.* & debebant, Deum, vtpotè iustum, iustitiasq; diligentem, nequaquam illis imperaturum fuisse, nisi iusta caussa imperãdi subesset, ac per hoc imbecillitatem suam, viriumq; debilitatem agnoscere cogerentur: seq; peccatores atq; impotentes ad legẽ Dei pręstandã manifesta experientia deprehẽderent. Quo quidem priuilegio haud gaudebant Gentiles in lege Naturę, deteriorisq; conditionis inueniebantur, cum notitia *Cur Iudæis promissus Messias.* peccati carerent, quam Lex pręstabat. Ne autem in lege existẽtes, agnito peccato suo desperarent; de Christo Medico venturo promissiones acceperunt, qui infirmitatẽ illã, gratię magnitudine peruinceret, & spiritu suo communicato ad præstanda legis officia potentes redderet. Ex quo Paulus ad Roman. dixit: *Nam quod impoßibile erat* *Roman 8.* *legi in quo infirmabatur per carnem; Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnẽ ambulamus, sed secundum spiritũ.* Quemadmo- *Legis & Prophetarum ad Christum dispositio qualis.* dũ autem sagax, ac peritus Medicus, efficacẽ ac potentem medicinam, nisi præmissis potionibus ad iustam humorum depulsionẽ disponentibus non solet conferre: ita profectò Christus medicus, & archiater, infinita, & vera lux hominum, nisi pręmissa lege & Prophetis, quasi sirupis ac potionibus quibusdam corda nostra ad Euangelium præparantibus, ad nos venire sapientissimè noluit. Erat ergo Verbũ lux hominum. Iudęorum quidẽ, per Mosen dum vixit, eos illuminans: nã ob id vultu lucido, & glorificato ad eos de monte descendit: & *Exod.34.* per legẽ non solũ viuus, sed etiam mortuus *& 2. Cor.3.* de fine hominis, & ratione ad illũ perueniendi illustrando atq; docendo. Siquidẽ Dei Verbum, & lex ipsa, lucerna quædã est: ait namq; Dauid: *Lucerna pedibus meis verbũ tuũ, & lumen semitis meis*; & Salomon in Prouer. *Psalm.118.* *Quia mandatum lucerna est, & lex lux.* Et Baruch c.3. aperte prędixit: *Hic est Deus noster,* *Prouerb.6.* *& non æstimabitur alius aduersus eum.* Hic adinuenit omnẽ viã disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Prius ergo dicitur adinuenisse, *Baruch 3.* & tradidisse viã disciplinę, quã in terris per incarnationẽ apparuerit: non secus atque Sol non oritur nobis, nisi præmissa aurora ad Solẽ contuendũ præparante. Per Prophetas verò, Dei seruos; & per Sacerdotes, *Prophetæ, & Legisperiti, cur dati Iudæis.* Legisperitos, Scribas, & Pharisæos, quos semper mittebat, eorũ cæcitatem illustrando, & ad se venturum, quatenus ad se quidẽ attinebat, deducendo, aduẽtus sui tempus pręscribẽs; natiuitatis quoq; locũ; opera, & venturi signa Messię, doctrinã, discipulos, mortẽ, mortisq; genus omniũ crudelissimũ & atrocissimũ, & à morte resurrectionẽ, cęteras demum omnes minutas explicans circumstantias, ne quouis modo in eo dignoscendo errare, nisi volentes, & scientes possent. Hęc autẽ, quę à me dicta sunt, eleganter sane, ac doctè ab Eusebio Cęsarien. in Proœmio li.8. de demonst. Euang. con- *Euseb. tom. 1.* firmãtur his verbis: *Cæterũ cur nõ prius, sed nũc duntaxat in hisce extremis temporib. post longũ, multumq; æuum Christus videndum seipsum in vita præbuerit, causa quidẽ antea quoq; dictæ sunt,* *Cur Christus non statim à mundi exordio, verum in.*

emporis plenitudine iuxta Apostolum, humanam carnem assumpserit.

Veruntamen etiã nunc paucis, atq; in summa repetentur. Cum multus esset quondam, qui humanas animas obtenebraret, impietatis & amentiæ squalor, & grauis quadam à Deo alienatio omnẽ vitam hominum subegisset, atque occupasset, adeò vt ab agrestibus, & immitibus feris nihil differre homines viderentur: tum neq; ciuitates, neq; respublicas, neq; leges, neq; honestũ quicquam, aut vitæ conducibile nouerant: neq; vero scientias vllas, aut artes animo complectebãtur: virtutis autem, aut philosophiæ ne minimam quidẽ notionẽ tenebant: sed in solis desertis locis, in montibus, ac speluncis & vicis & degentes versabantur, & latronum instar, eos, qui propius accessissent, inuadebant, nec aliundè sibi victum quærebant, quam ex eorum oppressione, quos imbecilliores nacti essent. Idem porrò neq; supremum Deum, neq; vllũ religionis veræ modum nouerant, sed solis quibusdã naturalibus notionibus instincti, existere quidem in rebus diuinam quandam vim, Deumq; esse ac nominari, & eam salutarem ac beneficam sentire appellationem, naturali quadam doctrina fatebantur: vt verò non aliud quicquam putarent,

Roman. 1.

quam eum qui est suprà omnẽ quæ cernitur naturam, nequaquam adduci poterant. Proinde nonnulli quidem eorum cultum suum tribuerunt, ac seruierũt creaturæ potius, quam creatori, alij verò euanuerunt in cogitationibus suis. & reliq. infrà: *Qui igitur fieri potuisset, vt in tali statu vitæ degentibus, atq; in tanta profunditate malitiæ versantibus sapientissimum, atq; omnem virtutẽ in se continens Christi verbum, dum summã perfectamq; nuntiat philosophiam, accommodaretur? Quapropter illos diuina, omniaq; curans iustitia, quasi agrestem, & nocentissimam syluam*

Gen. 7 & seq.
Infra 19.

attondens, atq; amputans, nunc quidem diluuijs, nunc autem incendijs castigabat: interdũ verò eosdem mutuis bellis, & cædibus, & obsidionibus as

Varius cultus deorum dissidere facit homines, inquit Eusebius.

siduis tradebat: quippe quos ipsi dæmones, ipsi inquã, illi deos suos censebant in furores bellorum, quibus contra se inuicem grassarentur, inflammarent. Ex quo fiebat, vt nullos inter se aditus haberent finitimi, sed impermixta, incommunicabilisq; hominũ esset illis temporibus vita: paucos autẽ quosdã, vt in eiusmodi statu, & facilè numerabiles, quorũ sacra apud Hebræos oracula meminerunt, Dei studiosos, amicosq; nacta, hos ipsos & responsis alloquebatur, & ad diuinas visiones admittebat, eosdẽq; interim quasi manu captãs, curabat, & legibus, quas Moses fixerat, cultiores reddebat. Sed vbi iam ex legibus, quæ his ipsis datæ fuerant, atq; ex Propheticis post hæc disciplinis, in oẽs hoẽs fragrãtiæ cuiusdã instar profusis, quod superat, multorũ animi mansuetiores euaserant, multisq; gentibus & ciuiles mores, & legũ institutiones constabant, virtutisq; ac philosophiæ nomen apud multos audiebatur, quasi prisca illa feritate desinẽte, & agresti, immaniq; victu, in mitiorẽ iam tum commutato, ipse iã temporis opportunitatem nactus, ipse inquam, perfectorum, cælestiumq; institutorum, disciplinarumq; perfectus cælestisq; magister, veraq; Dei notitiæ introductor Deus Verbum se ipsum exhibuit. Hactenus ille. Ex cuius verbis facilè intelligi potest, cur distulerit Deus incarnationis mysterium: & quomodo prius per Legẽ & Prophetas mundũ disponere voluerit, vt Messiam pura fide ac reuerenter (vt par erat) exciperent. Postremus verò inter omnes Prophetas fuit Ioãnes Baptista, de quo Dominus: *Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem.* Hũc Verbum æternum, & lux illa immensa, sapiẽtiæ lumine induit, & ita indutum ad Iudæos misit, vt testimonium perhiberet de lumine. Et de eodem Domini vox illa est honorifica: *Ille*, inquit, *erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.* Et hactenus quidem de Iudęorum illuminatione sit dictum. Modus autem illuminandi suauis in sole isto corporeo intelligi potest. Nam quemadmodũ hic per auroram Solis prænũtiam in diem claram tendit, atque inde meridiem constituit, & rursus ad occasum declinat: ita lux illa Verbi immensa illuxit in Lege naturæ quasi in aurora paucis quidem & tenuiter; in lege verò Moysi, quasi in die clara, pluribus, & quidem apertiùs: in Euangelio verò, quasi in meridie, eius immensa charitas sapientiaq; toti mundo detecta est & explicata: in fine aũt occumbere lucẽ hãc dicimus, quando implebitur verbum Domini: *Cùm venerit filius hominis, num putas fidem inueniet in terra?* Postremò quia immotus erit hic Sol, nec ampliùs in circulos suos reuertetur, perpetuum diem electis & beatis in cœlesti gloria efficiet: perpetuã verò & tenebrosã reprobis noctem, & in infernum relegatis. Vnde Ioan. *Ciuitas*, inquit, *eius non eget Sole, neq; Luna, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus.* Demus igitur operam, vt omnia opera tenebrarũ & peccata declinemus: induamur verò armis lucis, vt ad illã dilectam & illuminatã ciuitatem peruenire possimus: Præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto reddatur omnis honor, imperium, & magnificentia in secula seculorum, Amen.

Luc. 16
Ioan. 1
Infrà 5.
Qualis verbi illuminatio fuerit quam suauis.
Simile.
Apocal. 21.
Roman. 13

TRACTATVS XVIII.

In quo explicatur, quomodo Verbum etiam, antequam carnem indueret, fuerit lux Gentilium.

SECVNDO loco agendum, qua ratione Verbum, & lux illa hominũ illuxerit Gentilibus, antequã carnem assumeret. Siquidem omne lumen ad salutẽ, æternamq;

vitam faciens, quocunq; tempore, & loco, illud homines acceperint, Verbo huic, atq; luci increatæ acceptum ferendum est. Modus verò suauissimus simul ac sapientissimus extitit: nec enim vna, eademq; ratione se ipsam omnibus prodidit, & aspiciendam sese obtulit hæc lux. Superioribus enim & maioribus tanquã columnis aliorũ declarauit se Deum, & hominẽ, ac mundi mediatorẽ, per quem omnes salutem consequerentur: inferioribus autẽ, & minoribus tanteq; lucis minimè capacibus, eatenus se patefecit, quatenus Deus est, & quatenus requirentium se remunerator sit. Quos quidē articulos, seu membra, vel etiam nullo ministro externo docente, natura ipsa prædicat, & ratio homini indita, si non sit magnis illa sceleribus, atq; flagitijs offuscata. Non tamen ita intelligimus naturam illos duos articulos prædicare, vt satis sit per se ad ingenerandam fidẽ, sed docemus necessariã fuisse fidem infusam à Deo, quę & articulos illos quos natura prædicat, firmiter apprehendat, & quę salutis ęternę sit promotrix. In his autem articulis, vt rectè B. Thomas non semel philosophatur, fides implicita sanctissimę Trinitatis, & incarnationis Verbi Dei continetur. Qui enim credit Deum esse, similiter credit illũ esse, sicuti est. Porrò ille non aliter, quam in Trinitate personarum. Qui ergo credit Deum esse, implicitè in personarum Trinitatẽ credit. Rursus, qui credit Deum esse remuneratorem, implicitè fidem habet in mysterium incarnationis; quia Deo non aliter placuit remunerare inquirentes se, quam per Verbũ humana carne vestitum. Qui igitur Deum credit remuneratorem, implicitè credit incarnationis sacramentum. Non ignoro quosdam subtiliter disputasse, an in huiusmodi duabus propositionibus mysteria Trinitatis, & incarnationis contineantur: nihil tamen puto eos effecisse, qui hoc contentiosè negauerunt. Nam reuera, illud lumen fidei diuinę, quo cognoscit illa duo mysteria à natura proposita, sufficiens est ad credenda alia omnia mysteria, quę magisterio prædicantiũ, vel Ecclesiæ proponentur: & ob id fides illorum duorũ articulorũ explicita, omnium aliorũ implicita Fides habẽda est. Et vt in genere continentur species, & in vniuersali indiuidua: ita & in Fide vnius Dei existentis, implicitè existentia eius in Trinitate personarum cõtinetur, & in Dei fide remunerantis eos qui se inquirunt, remunerandi per Christum modus simpliciter creditur ab ijs, quibus nondum explicitè reuelata erant, & magna, & altissima Sacramenta, tanquã ad salutem necessaria: &

Hebr. 11.

D. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. & 8. & *in commẽtarijs suis ad Hebra.* 2. 10. 1. & *tom.* 16.

Quod in his duobus naturæ principijs: Deus est, & inquirentibus se remunerator est, Trinitatis, & incarnationis mysteria comprehendantur.

semper regula illa ab Apostolo Philippensibus tradita, locũ debet habere. Ait enim: *Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus; & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelauit veruntamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, in eadem maneamus regula.* Ex cuius verbis accipitur, tantum esse credendum, & fide publica in Ecclesia profitendũ, quantũ Deus reuelare nobis dignatus est. Quod verò Apostolus dicit credendum, Deum esse remuneratorem, non tantum in hac vita illum prouidentia sua remunerare credendũ est. Nam plerumque in hac vita id minimè contingit, cũ frequenter videamus impios & sceleratos homines hic florere opibus, honoribus & diuitijs circumfluere, atq; omnia illis feliciter, ac prospere euenire; pios verò ex aduerso, sanctosq; Dei cultores hic sæpè vexari, miserijs, atq; calamitatib. innumeris premi, calumnijs, infamięq; videmus expositos, & miseram atq; infelicem agere vitam. Ex quo Paulus in eorum persona dixit: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus; miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Præterea exigua admodũ esset, paruiq; momenti Dei remuneratio, si tã paruo tempore bona merita, & in morte pro ipso sustinenda patientiam retribueret. Ergo maximè credimus Deum remuneratorem post hanc vitam. Hinc apud Gentiles quædã quasi fides de campis Elisijs ad pios excipiendos; & de Tartareo lacu, Cocytoq; fluuio, Cerbero, Sysyphi, Ixionisq; tormẽtis, ad impios dignè puniendos. Hinc fides inexorabilium iudicum, Aeaci, Rhadamanti, Minois, Hinc apud Platonẽ Pamphyli cuiusdam decem post dies mortui reditus ad vitã, Dei prouidentiã, & bonorum pręmia meritorum quę iusti operantur, reuelãtis: & malorum quoq; tormenta, atq; supplicia, quę post hanc vitã manent peccatores, denunciantis. Quam quidem historiam Origenes contra Celsum Philosophũ, & Eusebius de præparatione Euangelica, & Theodoritus in li. de Græcanicis affectionibus citant. Aristoteles etiam libro decimo Ethicorum, prouidentiam DEI etiam in alia vita non obscure indicat his verbis: *Qui verò muneribus fungitur menti consentaneis, & hanc colit, estq; optimè animo affectus, eũ probabile est Deo charissimum esse. Nã si dij immortales curam habent aliquã rerum humanarum, quemadmodum verisimile est; illud quoque probabile fuerit, eos re omnium optima, sibiq; maximè cognata delectari (hæc autẽ mens fuerit) ijsq; qui hãc maximè diligunt, & plurimi faciunt, præmia persoluere, gratiamq; referre, vt eorum, quæ ipsis chara sunt, curam habentibus, rectasq; atq; honestas actiones obeuntibus atque exercentibus.*

Philip. 3.

Tantum quid credendum nobis, & fide publica in Ecclesia profitendum sit.
Deum non tantum in præsenti vita, seu etiam futura remuneratorẽ esse credendũ.

1. *Cor.* 15.

De hac re Ethnicorũ cõmunis opinio.

Virg. lib. 6 *Aeneid.*

Plato lib. 10. *de Rep.*

Orig. lib. 2. *contra Celsum inter med. & in* 1. *tom.* 2. *à medio.*
Euseb li. 11. *de præpar. Euang. ca.* 8. *tom.* 1.
Theod. lib. 11. *de Græcarum affect. cura.* *art.* 2.
Arist c. 9. *in fin.*
Dionysio Lambino interprete, seu iuxta iam versionẽ Bernardini videlicet

Feliciani ca. 8. prope finem.

Philosophi Stagiritæ de Diuina prouidentia illustre testimonium Bonorum, malorumq; æterna retributio probatur ab animi immortalitate.

Nobilissimi quique Philosophi, atque integerrimi immortalitatem animorũ asseruerunt

Hæc autem omnia in sapiente inesse maximè, non est obscurum. Est igitur Deo charissimus. Eundem autem etiam beatissimum esse verisimile est. Hactenus ille. Ad hanc fidem diuinę prouidẽtiæ, atque remunerationis post hanc vitam confirmandam facit communis omniũ hominum notio, ac fides de animæ immortalitate. Nam hoc posito, quod anima immortalis sit, remuneratione quoque Dei æternam cogimur confiteri. Quod si qui ex Philosophis animi immortalitatem in dubiũ vocauerunt; nõ sunt audiendi, quia non nisi impij, & scelerati quidam hoc senserunt: neque verò isti cum nobilissimis multis alijs Philosophis, & cum innumerabili hominum multitudine conferendi sunt, qui vt primum instituendæ vitę principium, animi immortalitatem esse existimabant, ponebantque. Vt ergo vnde digressa est, eò nostra reuertatur oratio, duobus in illis articulis fide implicita exceptis, alij quoq; de Trinitate, incarnationeque creduntur articuli. Cęterum id quod inferioribus deerat, quod attinet ad explicitam atq; expressam fidem de Trinitate, atq; incarnatione, supplebant maiores: non enim pro se ipsis tantum, sed pro omnibus etiam minoribus sui temporis credebant. Atque hęc communicatio quorundam Sanctorum pro alijs, vel superiorum pro inferioribus, in propositione Fidei intelligitur, Apostolico symbolo contenta, quo nimirum sanctam Ecclesiam Catholicam, & Sanctorũ communionẽ profitemur. Fuit enim, & est, & erit omni tempore, & statu, & legę vel naturæ, vel Moysis, vel Christi etiam Sanctorum communio necessaria. Etenim maiores, & viri docti in Lege, etiam Euangelica, fidem idiotarum, rusticorum, ac rudium hominum, & simplicium muliercularum implicitam, sua ampliori, magisq; explicita fide supplere intelliguntur: dum ipsi in corpore Ecclesię parati sunt ad reddendam rationem de his etiam, quæ implicite creduntur ab idiotis. Quemadmodum Abrahæ fides Patris omnium credentium, omnib. iustis communis fuit tanquam filijs: quia parentum est thesaurizare filijs, vt Apostolus ait. Petri etiam Apostolorum Principis fides à Christo Domino commendata, ad omnes in cathedra sua legitimos successores extẽdi intelligenda est. Et fides illa excellentissima, & laudata B. Virginis Matris Dei assẽsum ad incarnationis mysteriũ Angelo Dei præbentis, ad omnes pręteritos, præsentes, & futuros electos, & fideles, qui ratum habent, & gratum illud mysterium, protenditur, atq; emanat; vt meritò cunctorum per fidem Deo viuentium mater vocanda sit:

Quod omni tempore, statu, & lege necessaria fuerit Sanctorum communio.

Gen. 17. Roman. 4

2. Cor. 12. Matth. 16. Luc. 1.

Maria Virgo cunctorum per fidem viuẽtiũ mater est. Gen. 3.

designata in priore illa Eua, vera morientiũ potius, quam viuentium matre. Hæc etiam communicatio fidei maiorum pro minoribus, pulchrè in Lege adumbrata fuit. Præcipitur enim vt in agno manducando, si minor est numerus, quam vt sufficere ad edendum agnum non possit; assumat quisq; vicinum suũ, qui coniunctus est domui suę, iuxta numerum animarũ, quę sufficere possunt ad esum agni. Quæ enim de Christo explicito, quasi agno edendo, quidam credere fide explicita non valent, vtpotè minores, quibus vel reuelatum non est, vel eorum articulorum meditationi, propter intelligentię tenuitatem vacare non licet; tunc alij vicini, maiores vtpotè, & superiores, aduocandi sunt, quorum apertiori & illustriori fide, inferiorum fides adiuuanda est. Sic Christus Dominus, videns illorum, qui ad se paralyticum deferebant, fidem, inuitatus fuit ad sanitatem in vtroq; homine conferendã. Quod si adhuc residui aliquid ex agno remaneret, illud igni exurẽdũ; nimirũ Spiritui sancto committẽdum, qui adiuuat infirmitatem nostram; & capit quod nos non capimus; & supplet quod orationibus nostris haud intelligimus, postulatq; pro nobis gemitib. inenarrabilibus

Exod. 12. Matth. 9. Roman. 8. Ibidem

His vtcunq; explicatis, asserimus Christum Dominum lucem esse omniũ hominum: tum in statu innocentiæ, & ante peccatum; tum post peccatum, & ante legem per Mosen datam; tum denique Gentiliũ omnium, etiam post legẽ latam vsque ad Christum: Quę omnia sigillatim declarãda sunt, & exemplis illustranda. In primis enim in statu innocẽtiæ illuminauit hęc lux primos parentes nostros, creando eos in gratia, & sanctitate: quod satis innuitur, cum dicitur homo factus ad imaginem, & similitudinẽ Dei, siue, vt Salomon ait, ad imaginẽ similitudinis suæ. Deinde, quia Deo reuelante, Adam nouit mysteriũ incarnationis, prout ordinẽ habebat ad consummationẽ glorię, atque ideò nouit Christũ venturũ, sed nõ eũ moriturũ, sicut nec se peccaturũ: quẽadmodũ & Angeli per eũ seruati, vt quidã tradũt, Christũ passurũ, vel eius mortẽ nõ cognouerunt. Hoc aũt docet B. Tho. in 2. 2. & Paulus insinuare videtur, cum ait: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suã, & adhærebit vxori suæ, & erũt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est: Ego autẽ dico in Christo, & in Ecclesia.* Et confirmatur autoritate Ecclesiastici, vbi habetur: *Posuit oculum suum super corda illorũ ostendere illis magnalia operum suorum, vt nomen sanctificationis collaudent.* Hæc ibi. Quæ sunt alia magnalia operumDei, quam mysterium Incarnationis?

Gen. 1. & 2. Exod. 19. & 20. & seqq. & Ioan. 1.

Qua ratione primi parentes ante lapsum suum diuinam Verbi lucem acceperint.

Sap. 2.

Eosdem Incarnationis mysterium agnouisse, & quatenus, vnde constet.

B. Thom. 2. 2. q. 2. ar. 7. 10.

Ephes. 5. Gen. 2. Matth. 19.

Eccl. 17.

Quæ sint magnalia operum Dei, & nomen sanctificationis, iuxta Salomonem.

& quod

& quod est aliud nomen nos sanctificans, quàm nomen Iesu? Fides ergò naturæ, siue integræ, siue lapsæ, eiusdem prorsus rationis est: sed illa integræ naturæ limpidior atque constantior, vbi nulla futura fuisset vacillatio ob perfectionem & incorruptionem status; & quia non fuissent ita difficiles articuli ad credendū propositi, quéadmodum nunc proponitur Christi passio & mors, & virtus Sacramentorū quorundam quę in illo statu minimè fuissent. Deus etiā & Angeli illo tempore cum hominibus familiarius versati fuissent; atque ita lympidiori ac fortiori fide mysteriū Incarnationis apprehendissent. Deinde cōstat, lucem illam Gentibus ante Mosis legē illuxisse.

Quòd idem mysterium incarnationis videlicet, post peccatum etiā ante scriptam legem Gentibus innotuerit

Nam post peccatum à primis parentib. admissum, illos tametsi ingratos & immeritos, promisso mulieris semine, quod caput serpentis aliquando cōtereret, Deus consolari voluit. Ad hæc Adam longa pœnitētia remissionem peccati sui obtinuit, & à delicto eductus fuit, vt liber Sapiētiæ testatur: at pœnitētia sine Christi fide saltem implicita, ad peccati remissionem nō valet. Præterea Abel fide obtulit sacrificium pinguius; quod signo ignis illud deuorātis comprobauit Deus. Seth verò positus pro Abel, filium habuit Enos, qui cœpit inuocare nomen Domini, id est publicè profiteri cultū veri Dei & Domini Iesu, per quē homines salutem consequerentur. Sic enim cap. 10. ad Rom. & alibi intelligitur nomen Domini, vt Iesum comprehēdat. Henoch verò amic⁹ Dei dicitur, & placuisse Deo scribitur, & rapt⁹ est, nec apparuit. De Noe verò sapientissimi viri iustitia & perfectione Scriptura egregium profert testimonium: & Petrus Apostolus Noe vocat iustitię prę conem, temporeq; suo prædicatā fuisse lenitatē & patientiā, dum fabricaretur arca. Melchisedec illo seculo illustris fuit Dei veri & Christi cultor, & Sacerdos Altissimi, qui non obscurè Christi Sacerdotium indicauit, & quo ritu, quibusve hostijs De⁹ esset placandus. Quod Dionys. Areop. expendit lib. de cœl. Hierarch. c. 9. his verbis: *Considerare libet Melchisedech illum Pontificem charissimū Deo, qui nequaquam inanium deorū, sed Altissimi æternīq; Dei Sacerdos fuit. Non .n. sine ratione, sapiētia diuina illustres viri, Melchisedech non modò amicum Dei, verumetiā Sacerdotem Dei appellarunt: siue vt prudentioribus apertè indicarent, nō modò ipsum ad verū ac sempiternum Deum esse conuersum, verùm & cæteris ad veram & solā supremamq; Deitatem prouehendis, autoremq; ducemq; fuisse.* Hæc ille, docens illo tempore veri cultus Dei fuisse notitiā, extitisseq; homines, qui publicè talem

Gen 3. Ibidem. Sap 10.

Sine Christi fide, saltem implicita, non est peccati remissio.

Gen. 4. Heb. 11. Gen. 4. Ibidem.

Seth filius Enos quomodo inuocauerit nomen Domini.

Infrà 5. Eccles. 44. Heb. 11. Gen 6. & seq & Eccl. 44. 2. Pet. 2.

Elegans Christi typus Melchisedech. Gen. 14 Heb. 7.

Dionys. Areopag.

Melchisedech cur dictus Dei amicus, Deiq; Sacerdos altissimi, teste Dionysio.

cultum salutis aliorum promouēdæ gratia profiterētur. Cōsecutus est illos Abraham, cui repromissio seminis facta est, & cœpit in eo fides expressior esse, & explicatior de diuino Verbo, & Pater credentiū appellatus est. Floruit eius seculo Abimelech Philisthæus, qui se metu Dei à coniuge abstinuit Abrahæ. Quid dicam de Isaac & Iacob & Moyse legislatore? Quid de Iob alienigena, ab Esau originē ducente? nonne & hic apertam venturi Redemptoris, & resurrectionis nouissima die per illū præstandę, fidē habuit? *Scio*, inquit, *quòd Redemptor meus viuit, & in nouißimo die de terra surrecturus sum, & rursum circūdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, &c.* Quid dicam de Iethro Madianita socero Moysi? Quid de Hiram Tirio, & Nahaman Syro, atq; alijs? ex quib. manifestū euadit, Verbum Gentibus ante Moysis legem, vel illa currente, illuxisse.

Gen. 12. 15. 18. & 22. & Rom. 4.

Gen 17. Infrà 20. & seq.

Iob alienigenę viri sanctissimi, de aduentu Redemptoris & resurrectionis nouissima die testimonium lōgè clarissimum.

Iob 19. Exod. 18. 3. Reg. 5. 4. Reg. 5.

Quòd verò lege lata Gentes omninò non deseruerit, etiāsi peculiarib. & excellentioribus beneficijs populū illum ex Ægypto eductum propter Patres eorū foueret, maioriq; Euangelij venturi luce perfunderet, puto me multis & magnis quidē illis argumētis demōstrare posse. In primis .n. agam Pauli verbis: *An Iudæorū Deus tantū? nonne & Gentium? Imò & Gentiū. Quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Hæc ille. Quādo autem cœpit Deus esse Gentium? certè ab initio, & ex quo illa gens peccādo Deum deseruit, & iustificatione eguit. Esse autem Deum alicuius gentis vel nationis nihil est aliud quā habere illius prouidētiam, vt ad finē suum, nempe ad salutē æternam & vitam immortalem perducat. Vnde ad Dei prouidentiā spectare ostēdit iustificationem Gentium per fidem. Et alibi dicitur: *Deus noster, Deus saluos faciendi.* Et rursus: *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et iterum: *Deus nō vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Et in alio loco: *Viuo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impij, vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Et Petrus: *In veritate comperi, quia non est personarū acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deū, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Si ergò veritas harum sentētiarum falsis glossis, & violentis interpretationibus nō torqueatur, dicēdum est, Deum quod ad se attinet, Gentibus illo seculo illuxisse: maioribus quidem per apertam & explicitam fidem; minoribus verò per implicitam duorū articulorum fidē, nempe *Quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Et semper superiores inferiorum fidem supplebant per illā propositionē, qua Sanctorū profitemur com-

Rom. 3.

Quando cœperit Deus esse Gentiū Deus.

Psal. 67. 1. Tim. 2. 2. Pet. 3. Ezech. 33. & 18. Act. 10.

Heb. 11.

munionem. Et fortè non tantùm erat prædicta communio Sanctorum inter maiores ex Gentibus, & minores Gentiles, sed ouilis etiam Iudæorum cum ouili Gentilium: præsertim cùm lex Mosis etiam nota & diuulgata, Gẽtiles ad eam suscipiendam minimè cogeret, quanquam volentes ex Gentibus ad religionem eorum transire, & fieri eorũ proselyti, liberè id possent. Deinde confirmantur hæc omnia ex his, quæ superiori libro de Christo disseruimus. Nam occisus dicitur ab origine mundi: Et, *Ipse heri & hodie, & in secula*: & Euangelium eius æternum, nimirum quòd pro omnib. omnium seculorũ hominibus seipsum immolare, sanguinemque suum profundere voluerit: & per omnes status, leges, tempora & gradus hominum salutem & sanctificationem operari dignatus fuerit. Quamobrem & à B. Paulo Saluator omnium hominum, maximè fidelium vocatur: quem locum & Clemens Alexandrinus, & Ambrosius in eum sensum interpretantur, vt per fideles intelligant eos, qui fide explicita, & aperta Messiæ mysteria cognouerunt; per omnes homines verò, illos qui fide explicita Messiæ destituti, implicitam tantùm illam ac tacitam duorum articulorum fidem, de qua superius diximus, habuerunt: atque hi quidem aliorum comparatione, fideles ægrè & vix dici possunt: quemadmodum enim Paulus ad Galatas venisse scribit fidem in Nouum Testamentum; ita loquens, quasi antè in Veteri Testamento nulla inueniretur fides, quòd falsum esset: & ad hoc vnum Paulus inspexisse videri potest, quòd fides de Christo, atque eius mysterijs in Veteri Testamento, cùm obscura esset, velata & implicita, vix fidei nomen & appellationem, si cùm nostra conferatur, promereretur: ita sanè fidem duorum articulorum, *Quia est, & Quia remunerator est*, habentes, si cum fidelibus expressam fidem de Messia, eiusque mysterijs accipientibus cõferantur, dici haud merentur fideles. Ac proinde rectè Apostolus asseruit, Christum Saluatorem esse omnium hominum, maximè fidelium: quamquam non ignorem, aliter interpretatos esse alios Patres illum locum. In hunc autem sensum intelligenda puto Pauli verba ad Lystrenses habita, qui sacrificis & diuinos honores, cùm sibi & Barnabæ offerrent, exclamarunt, ac dixerunt: *Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt: Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* Hæc ibi. Dicitur autem Deus dimisisse omnes Gentes ingredi vias suas: quòd præ Iudæorum cura & prouidentia, quæ legem illis dedit, & Prophetas quotidie misit, videatur Gentes neglexisse: cùm tamen eius prouidentia Gentibus quoque non defuerit, illuminando eas quantum sat erat, ad confirmationem naturalis illius instinctus, qui suadebat Dei prouidentiam & remunerationem alterius etiam vitæ, & ad salutem adipiscendam ex se omnibus volentibus certa præsidia præparando: verùm non talia ac tanta beneficia atque adiumenta offerendo, qualia & quanta Iudæis semper præstabat. Ex quo dixit Propheta: *Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit eis*: Ponderat autem Clemens Alexandrinus, Prophetam non simpliciter dixisse: *Non fecit*; sed non fecit taliter. Sicut alibi dicitur, *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris*. Atque hunc quidem sensum Pauli verba confirmant, quia post prædicta subiungit: *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens, de cœlo dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum*. Vides qua ratione deseruit Gentes; non quidem subtrahendo generalia & communia beneficia. Vt ergò illa, quæ corporeæ & humanæ vitæ necessaria sunt, diuina prouidentia non abstulit: ita profectò spiritualia quidem, communia tamen, & ad omnes spectantia remedia non subtraxit ille salutis humanæ sitientissimus & prouidentissimus Deus, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: nisi gratis dicamus, Deum humanæ istius, & animalis vitæ maiorem rationem habuisse, quam spiritualis, & æternæ, atque hoc modo deseruisse Deum Gentes, asserendũ est: quanquam & alio modo dici possit. Ne quis autem existimet, hoc meum esse commentũ, audiat, quid B. Ambrosius, siue potius Prosper Aquitanus Episcopus, libro 2. de vocatione Gentium, cap. 1. iuxta finem dicat: *Sicut enim ista gratiæ largitas, quæ in omnes Gentes nouissime effluxit, non euacuat eam, quæ super vnum Israel sub lege rorauit, nec præsentes diuitiæ fidem præterita abrogant parcitati: ita nec de illa cura Dei, quæ Patriarcharum filijs propriè præsidebat, conijciendum est, gubernacula diuinæ misericordiæ cæteris hominibus fuisse subtracta: qui quidem in comparatione electorum videntur abiecti, sed nunquam sunt manifestis, occultisque beneficijs abdicati. Legimus enim in Actibus Apostolorum, Paulum, & Barnabam Apostolos, Lycaonijs dicere,*

Viri,

Marginalia: Legem Mosis etiam diuulgatam Gentes suscipere minime arctabantur. — Exod. 12. — Apoc. 13. — Heb. vlt. — 1. Tim. 4. — Clem. Alex. li. 7. Strom. — Ambr. lib. 2. de vocat. Gẽt. c. vlt. tom. 2. prope init. — Gal. 3. — Heb. 11. — Act. 14. — Gen. 1. & seq. — Psal. 154. — Apoc. 14. — Quoniam Apostolus sensu dixerit, Dimisisse Deum in præteritis generibus omnes Gentes ingredi vias suas. — Psalm. 147. — Clem. Alex. lib. 6. Strom. tom. 2. — Deut. 4. — Act. 14. — 1. Tim. 6. — B. Ambros. tom. 2. initio. — Act. 14.

Viri, quid hac facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, &c. vsque ad: Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda vestra. Quod est autem hoc testimonium, quod semper Domino deseruiuit, & nunquam de eius bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius diues & inordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulis præbebantur, vt in paginis elementorum, ac voluminibus temporum communis & publica diuinæ institutionis doctrina legeretur? Hæc ille. In quibus quæ superiùs docuimus, apertè traduntur. Quia enim Gentilium plerique internam illam persuasionem & prædicationem, quam ipsa natura hominis & ratio indita facit, spernebant, non mirum est, si à Deo dimissi sunt ingredi vias suas: non est enim Dei, rerum violare naturas. Credidit illis Deus naturalis luminis talentum, quo Deum poterant cognoscere, & illa notitia benè vtentes, ampliora poterant consequi beneficia, iuxta illud: *Omni habenti dabitur, & abundabit* Nec excusari possunt ab austeritate Domini, quòd videatur velle metere fidem, vbi verbum fidei nec per se, nec per alios homines seminauit. Nam hoc est serere, vt Dominus declarat, cùm ait: *Exijt, qui seminat seminare semen suum.* Sed illi benè à Domino confutati sunt: dedissent enim talentum suum nummularijs, vt saltem per ipsos, quod per se non poterant, lucrarentur. Hi sunt Angeli, qui orationes & bona opera portant ad Dominum, & veniunt cum fœnore reddentes lucrum. Talis bonus nummularius erat, qui dixit Cornelio Centurioni: *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Et, *Nunc mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus.* Ecce incrementum & vsuram. Bonus item ille nummularius, qui dixit Tobiæ: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te. Et nunc misit me Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem.* Vides hic etiam talentum cum vsura redditum, & quòd omni habenti, id est, rectè habitis vtenti, etiam dabitur: non habenti autem, id est, non rectè vtenti habitis ad Dei gloriam, etiam quod habet, auferetur ab eo; meretur enim talento & gratia spoliari. Atque ita inexcusabiles redditi sunt isti, & traditi in reprobum sensum, quia cognoscentes Deum, nō sicut Deum glorificauerunt. Sic traduntur vt talentum in fouea sub terra abscondentes, quatenus talento abusi sunt ad suas immunditias, & idololatriam, vt essent sine Deo in hoc mundo.

Quinam inter Gentes tantùmodo dimissi sunt ingredi vias suas. Non est Dei, rerum violare naturas. — Matth. 25. — Suprà 13. — Infrà 25. — Act. 10. — Tob. 12. — Rom. 1.

Quod verò dicitur ad Ephes. 2. de Gentibus: *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israel, & hospites testamentorum promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo:* non est intelligendum, quòd omninò Deus destituisset eos à principio; sed peccatis suis id promeruisse, vt à Deo desererentur. Licèt enim cum illis colloquium vel testamētum, aut commercium nullum habuerit, sed soli Dei misericordiæ relinquebantur; & ita esse sine Deo, non erat sine omni penitùs prouidētia eius, cùm Gentes Deum prius dimiserint, quem potuissent benè talento suo vtentes retinere: sed quia illa peculiari Dei prouidentia, quam Israelitis declarabat apertiùs, erant destituti.

Ephes. 2. Illud Apostoli ad Ephesios: Eratis illo in tempore sine Christo, &c. & sine Deo: quomodo intelligendum sit.

Tertiò idem confirmatur ex Angelorum ad nos missorum ministerio. Constat enim ex Pauli doctrina, omnes esse administratorios Spiritus in ministeriū missos, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis: siquidem communis Patrum consensus est, vnumquemque suum Angelum habere custodem, qui eius saluti ac tutelæ, partim quidem precibus, partim verò persuasionibus, & internis illustrationibus inuigilet: qui etiam, si opus est, ab aduersarijs & malignis potestatibus hominem protegat. Cùm ergò omni genti & nationi hoc beneficium generaliter sit concessum, quis ausit affirmare vllum Gētilium post Moysen, atque ante Christi aduentum potuisse per fidem Christi tacitam atque latentem non fieri saluum? Etenim in sacris voluminibus Angelum Principem regni Persarum, & Regni Iudæorum Principem Michaelem legimus, quòd eorū populorum Regna protegerent. Quare Dionysius in libro cœlestis Hierarchiæ testatur, multos ex Gentibus Angelorum ministerio ad Deum verum agnoscendum & colendum perductos: ita enim scribit: *Nempè enim & alijs Gentibus, ex quibus & nos ad immensum & infinitum diuini luminis pelagus, quod paratum semper est, & patet omnibus ad participandum, ex præteriti erroris cæcitate respirauimus, nunquam præfuerunt alieni aliqui dij, sed vnum illud omnium, ac singulare principium. Ad quod sanè obsequentes ducebant Angeli præfecti singulis Gentibus.* Hæc ille: & infrà ostendit, quod

Tertia ratio ab Angelorum custodia. Heb. 1. — Dan. 10. Infrà 12. Dionys. de cælesti hierar. cap. 9. paulò à med. — Ibidem propè finem.

quòd vna illa quidem Altissimi in cunctis prouidentia mortales omnes in salutem, Angelorum ductibus ad se peruehendas distribuerit: quanquam Israeliticum populum maiori quadam & magis peculiari prouidentia promeruit. Cornelius Centurio in Actis Apostol. de religione & eleemosynis & orationibus commendatus est, etiam antequam Christum agnosceret, vel fidem eius audisset: quis autem dubitet, illum, qui tãtum testimonium habet ab Angelo, vt eius orationes atque eleemosynas ad Deum intellexerit ascendisse, vel iustificatum coram Deo fuisse, vel æternam salutem assequi non potuisse, si, antequam à Petro illi fuisset euangelizatum, cessisset è vita? Gentilibus ergò integrum erat, & lumen iustificationi sufficiens, & ad salutem consequendã præsidia necessaria per Verbum accipere. Vnde & Clemens Alexand. libro Stromatum de Philosophis agens, qui sunt verè Israelitæ, & mundi corde, ait Christum dixisse: *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: Quæ, inquit, alio ouili, & mansione pro proportione fidei sunt dignatæ. Meæ autem oues meam vocem audiunt, ex cognitione mea mandata intelligentes.* Iustinus Martyr in præfatione in orationem pro Christianis ad Antoninum Pium, ita docet: *Christũ primogenitum Dei esse instituti sumus: & rationem atque Verbum esse, cuius vniuersum hominum genus est particeps, antea ostẽdimus. Et quicunque cum ratione & Verbo vixêre, Christiani sunt, quamuis ἄθεοι, & nullius numinis cultores habiti sint. Quales inter Græcos fuêre Socrates, & Heraclitus, atque ijs similes: inter barbaros autem Abraham, & Ananias, & Azarias, & Misael, & Helias, & alij complures: quorum facta simul & nomina in præsentia recensere, quia longum esse scimus supersedemus.* Idem confirmatur authoritate Chrysostomi, qui in Epistolam ad Romanos, super id: *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco,* ita scribit: *Quem Iudæum hic dicit? aut de quibus Græcis loquitur? De illis videlicet, qui Christi aduentum præcesserunt. Nondum enim sermo in tempora gratiæ progressus est, sed adhuc in seculis retrò lapsis immoratur, eminùs primùm euentilans, & tollens interpositam inter Iudæos & Græcos differentiam; vt cùm illud de gratia differens fecerit, non videatur tum nouum quid & graue struere. Si enim prioribus temporibus, quando tantus gratiæ splendor nondum illuxerat, quando Iudæorum apud omnes adhuc erat opinio honesta, celebris & splendida, nihil fuisse inter Iudæum & Græcum discriminis conuincitur; qua quæso ratione post tantam gratiæ declarationem Iudæus tergiuersari poterit? Proptereà idipsum hic Paulus magno studio destruit.*

Act.10.

Clem. Alex. li.6. Strom. inter med. & finem.

Ioan.10.

Iustin. martyr orat.1. circa med. tom.1. initio.

Socrates, Heraclitus, & his alij similes Christiani, teste Iustino, fuere.

Dan. 3.

Chrysost. ser.5 in epist. ad Roman. to.4.

Rom 2.

Qui sint illi Iudæi, atque Græci, quibus bonum operantibus gloriam esse, & honorem, & pacem, Apostolus inquit.

Cùm enim auditor id lapsis retrò temporibus fuisse habuisse didicerit, multò magis susceptæ fidei non reluctabitur. Græcos verò hic, non idololatras, sed Deum colentes intelligit, qui legi naturæ videlicet obtemperantes, quæ ad pietatem attinet, etiam ante Iudaicas obseruationes seruabant omnia, quales erant qui viuebant cum Melchisedec, qualis erat Iob, quales Niniuitæ, qualis denique erat Cornelius. Hæc ille pereleganter, & doctè.

Iob 1.

Act.10.

Quartò consideranda est Iudæorum ante Christi aduentum, per omnes gentes dispersio, de qua in Actis Apostolicis cap.2. habetur. De hac autem dispersione, atque eius caussa sic testatur Tobias: *Confitemini Domino filij Israel, & in conspectu Gentium laudate eum: quoniam ideò dispersit vos inter Gentes quæ ignorant eum; vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum.* Hæc ibi. Voluit ergo Deus Iudæos, & per Salmanasar, & per Nabuchodonosor, & per Antiochum inter Gentes dispergi; vt Iudæis in fide veri Dei instructis, & de aduentu Messiæ ad salutem mundi venturi admonitis nequaquã quasi de noua re, admiratæ fuerint Gentes, cum Apostoli proponerent Euangeliũ, de quo iã aliquam famam, & opinionẽ, ex auditu Iudæorum percepissent. Neque enim, nisi per Messiam, verus, & omnipotẽs Deus cognoscitur: nam, vt ait Ioannes Apostolus, *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.*

IV. ratio.

Tob. 13.

Iudæorum dispersionis inter Gentes quæ caussa extiterit.

Ioan.1.

Quintò, lex ipsa à Deo primum profecta, & per Mosen, vt ministrum, promulgata, non solum Iudæorum, sed Gentium quoque tenebras expulit: namque ab illa, Gẽtilium Legislatores sanè permulta ad vitam rectè instituẽdam mutuati sunt, vt hac ratione non tam Iudæis, quam Gentibus salutaris illa lex inueniatur. Docet hoc Eusebius Cæsariensis his verbis: *Quæ tamen lex* (scilicet Moysi) *cùm velut initium quoddam luminis mundo huic affulsisset, & odoris sui fragrantia mare ac terras longè latèq; complesset, atque ex ipsa diuersis in orbis partibus nidorem quendam prudentiores quiq; capientes, legislatores vel philosophi modesta quæque, & verecundiora præcepta, atque honestatis, & iustitiæ consecta, auditoribus suis paullatim tradere, atque insinuare cœpissent, & agrestes ac feros hominum mores ad decora, atq; honesta instituta reuocare, tunc amicitijs coire inter se viros, & concordiæ subire, fœdera docuerunt: tunc iuuare se inuicem homines, & vsum rerum discunt habere communem, donec instituti prudentioris docilis humana mens, & societatis adinuicè patiens redderetur; vt huiuscemodi cõsuetudinis prælusione præmissa, apti iam & parati etiam ad diuina fierent instituta,*

Quinta ratio.

Exod.20.

Euseb. lib. 1. Eccles. hist. paullo ante med.

Vetus lex præparatio ad nouam.

Quoniam Dei contio ut ita ctum, vt diuina volumina longe ante Christum in Græcū fuerint sermone trāslata.

tuta, patrumq; omnium Dei scientia capaces existerent. Hactenus ille. Atque hanc potissimùm rationem voluit Deus sacros Veteris Testamenti codices per trecentos ferè ante Christi aduentum annos tempore Ptolemæi Philadelphi ex Hebræo in Græcum sermonem cōuerti; vt lingua illa communne inter Gentes promulgati, & magis prodesse Gentibus possent, & ad sanctiorem vitæ instructionem pertraheret;&ad Messiam excipiendum magis disponerent, ac præpararent.

Ratio sexta.

Sextò,non solùm illa lex vsui Gentibus fuit, verumetiam ipsi quoq; veri Dei prophetæ Gētes de vero Deo, & cultu illi impendendo illustrabant,tum cum de populis finitimis Gentilium prophetabant, vt de Tyro & Sydone,Moab,Idumęa,Amō, Aegypto,Babylone, vt habes apud Isaiam &reliquos Prophetas:tum etiam cum filijs Israel in Babylonem trāslatis, ac per Gentes terra marique dispersis, quibus cum & Prophetæ vaticinantes proficiscebantur, vt de Ezechiele ac Daniele in Babylonia constat,& de Hieremia in Aegypto futura prædicentibus,qui quidem vnà & Iudæos & Gentiles instruebant. Nam de falso idolorum cultu abijciendo, & de verò Israel Deo erudiuit Daniel Nabuchodonosor Regem.per quem edictum est publicatum vt Deus Israel à Babylonijs coleretur. Tū denique quod Prophetæ Dei ad Ethnicos &Gentiles populos à peccatis reuocandos, & ad salutarem pœnitentiam excitandos, destinabantur, vt vel sic cognitio,& veri Dei fides propagaretur. Nam & Ionas ad Niniue ciuitatem magnam,& Assyriorum metropolim ,vt prædicaret pœnitentiam, missus est: & Helias ad Sarepthanam viduam,Gentilem,à Deo legatus est: & Helisæus beneficium salutis potiùs Nahaman Syro impendit, qui ab eo tempore Deum verum Israel cognouit. Achior etiam Gentilis ab Holoferne malè tractatus est,quòd verum Deum Israelitarum prędicaret: vnde ab eo dimissus,intra ciuitatem Bethulię missus est, & in Iudæorum familiam insitus,vt liber Iudith docet. Voluit etiam Deus, vt in Templo Salomonis locus esset Gentibus ad orandum, & adorandum Deum Israel, ad templum venientibus accommodatus; vt sic Gentiles ad Israelitarum Dei cultum paulatim traducerentur, atque ita ad Euangelium disponerentur.

Dan.3. Iona 3. Matth. 12. 3.Reg.17. 4.Reg.5.& Luc.4. Iudith.6. Ibid.& seq. Infrà 14. 3.Reg.8.

Septima ratio. Philosophia Gentibus a Deo cur tradita.

Septimò considerandum est, Philosophiam à Deo Optim. Maxim. communicatam Gentilibus ob id maximè fuisse;quo animi hominum efferatis, & barbaris moribus prędιti,ad officia virtutum,honestatemque amplectendam sensim assuescerēt, atque ad Euangelicam doctrinam , non secùs ac Iudæi lege duce se compararent. Sic enim Clemens Alexand.lib. Stromat.docet his verbis: *Minimè errabimus,si dicamus, ipsam quoq; philosophiam Græcis veluti propriū datam esse testamentum,vt quæ sit fundamētum Christianæ Philosophiæ, etiā si qui ex Græcis philosophantur, ad veritatem sua sponte obsurdescant.* Et aliquantò ante:*Sed vt in tempore nūc venit prædicatio, ita in tempore data quidem est Lex & Prophetæ barbaris(Iudæis)philosophia autem Græcis , aures assuefaciens ad prædicationem.* Et rursus ponderans verba ex libro qui inscribitur prædicatio Petri desumpta : *Quare vos quoque sanctè & iustè quæ vobis tradimus discentes,seruate,nouè Deum per Christum colentes. Inuenimus enim in Scripturis,sicut dicit Dominus:Ecce facio vobis Testamentum Nouum,nō vt feci Patribus vestris in monte Choreb.Nouum dedit nobis Testamentum.Quæ enim sunt Iudæorum & Græcorum,sunt vetera. Nos autem qui nouè ipsum tertio genere colimus, sumus Christiani. Apertè enim,vt arbitror,ostendit vnum & solum Deum, à Græcis quidem Gentiliter;à Iudæis autem Iudaicè, nouè autem à nobis cognosci & spiritaliter. Præterea autem ostendit,quòd idem Deus suppeditauit vtrumque Testamentum,qui etiam Græcis dedit Græcam philosophiam,per quam Omnipotens à Græcis gloria afficitur. Nam quomodo Iudæos Deus saluos esse voluit,dans eis Prophetas,ita etiam Græcorum spectatissimos propria sua lingua Prophetas excitatos , prout poterant capere Dei beneficentiam à vulgo secreuit.* Et infra paulo post: *Propterea dicit Petrus Dominum dixisse Apostolis: Si quis ergò velit ex Israel duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in Deum ; remittentur ei peccata.Post duodecim annos egredimini in mundum; ne quis dicat: Non audiuimus.* Hactenus Clemens,qui philosophiam vocat donum à Deo datum Gentibus , & per illam dispositos fuisse Græcos ad Euangelium suscipiendum, fuisseque illis instar Veteris Testamenti,ac Mosaicæ legis. De qua Paulus ad Romanos ait:*Cùm enim Gentes quæ legem non habent,naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*;hoc est,natura docente;illuminante,& officium legis præstante, quod attinet ad virtutis officia, moresque probè instituendos.Quòd si quis dicat, Philosophiam potuisse quidem iuuare ad vitam bonam,& mores rectè componendos;non autem fidem de Verbo carne vestiendo Græcis præstare valuisse. Respondemus dupliciter. Primò, honestam vitā præparare eos voluisse ad illarum duarū propositionum fidē,quas ipsa natura porrigit,ac fidem

Clem. Alexand.li. Stromat.6. inter med. & princip.

Idem. Exod.19. & 20.& seqq.

Idem.

Græcorum spectatissimos Deus, propter suæ linguæ Prophetas excitatos a vulgo secreuit.

Idem.

Petri Apostoli traditio.

Philosophia Græcorū quasi Vetus Testamentum fuit teste Clemēte.

Rom.2.

Philosophia non solum ad bene,honesteque viuendum,verum ad futuri etiam Messiæ

mysteria fide suscipienda Gentes dispofuit ac præparauit.
Octaua ratio.

fidem maiorum suorum expressam, sicut magni Prophetæ in ouili Iudæorũ fidem aliorum imperfectam atque inuolutam, vt sæpè diximus, supplebant. Quòd verò inter Paganos & Græcos non defuerint, qui Christi mysteria diuinitùs nosse potuerint vel reuera nouerint, amplissimum Sibyllę nobis reddere poterunt testimonium: de quibus octauo loco differẽdum erit. Namque illas Christum agnouisse, eiusque opera, passionem, mortem, cæteraque religionis Christianæ mysteria longè antè præcinuisse, atq; mundo manifestasse, notius est, quàm vt longiori sermone sit demonstrandum. Quòd si denuò obijcias verbum Apostolicum ad Rom. vlt. *Mysterium Incarnationis temporibus æternis tacitum, quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum secundùm præceptum æterni Dei ad obeditionem fidei in cunctis Gentibus cogniti.* Et rursus ad Ephes. 3. *In ministerio Christi, quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu.* Dicendum est, in posteriori hac sententia Paulum ipsum apertè declarare, mysterium illud fuisse, Gẽtes esse cohæredes & concorporales, & comparticipes eius promissionis in Christo per Euangelium. Erat enim arcanum magnum, Iudæos & Gentiles aliquando in vnũ corpus & in vnum populum, atq; in vnam Rempubl. esse coalituros. Si verò sermo sit de Incarnationis mysterio vtroq; in loco; dicendum est, nõ simpliciter fuisse ignotum vel Angelis, qui ministri fuerunt in eo reuelando; vel Prophetis ac Sibyllis, quibus tanquã administris Spiritus sanctus in hoc mysterio declarando est vsus, sed tantùm filijs hominum, videlicet mundanis & secularibus hominibus spiritu Dei carenti bus, de quibus Apostolus ait: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* tales siquidem in Scripturis dicuntur homines, & filij hominum, quemadmodum B. Hieronymus in illa verba Matthæi: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* exponit. Sunt enim filij Dei, ad quos sermo Dei factus est, id est ad eos quibus tantùm mysterium patefactum est. Atq; vtinam nos de illorum simus numero, quibus hoc magnum Dei arcanum est detectum: nam propter nos homines, & propter nostram salutem esse factum, nemo debet ambigere. Solùm nobis illud metuendum est, ne à proposito tantæ humilitatis mysterio oculos auertamus, & tenebras nostras diligamus. Ergò demus operam, vt puris mẽtis oculis illud vnum frequenter spectemus, & ad perfectam vitæ, morumque nostrorũ normam instituendam in id acrius intueamur, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto omnis gloria, laus, honor, imperium sit in secula seculorum, Amen.

Quod alijs generationib nõ est agnitum filijs hominũ, teste Paulo, quodnam illud mysterium sit.

Ephes. 2.

Mysterium Incarnationis fuerit quibus tantùm incognitum.

Filij hominũ in Scripturis qui dicantur.

1. Cor. 2.

B. Hieron. in Matth. 16. c. tom. 9.
Filij Dei qui. Ioan. 10.

TRACTATVS XIX.

In quo explicatur, quomodo Verbum Gentibus per Sibyllas illuxerit.

QVONIAM in superioribus tractatibus de Sibyllarum oraculis nonnullus incidit sermo, operæpretium me facturum esse existimaui, si ea, quæ ex veterum Patrum lectione & meditatione de Sibyllis consecutus sum, hóc loco aperuero. Res est meo quidem iudicio non inutilis, & quę acre alioqui iudicium, & accuratam, dicam etiam curiosam Patrum lectionem requireret. Explicabo igitur in primis quid nomine & re sit Sibylla. Secundò, de illarum numero. Tertiò, qua ratione olim tantam authoritatem assecutæ sint. Quartò, quantum momenti ac ponderis habeant ad confutandos Gentiles earum scripta. Quintò, cur inter paganos fœminæ prophetauerint, viri verò vt plurimum inter Iudæos. Sextò, quid vnaquæque illarum de Christo prædixerit. Septimò, quid commune habeant cum Sibyllis Prophetę, vel rursus Sibyllæ cum Prophetis: & quid rursus proprium habeant Prophetæ, & quid propriũ item Sibyllæ.

De Sybillis præsens institutus sermo.

Digressionis ordo.

Ad primum, Lactantius ex M. Varrone, Sibyllam nominatam dicit, quasi Dei consilium: *σιοὺς enim, inquit, Deos, non θεοὺς, & consilium non βουλὴν, sed βουλὰν appellabant Aeolico genere sermonis.* Suidas dictionem Romanã esse dicit, & interpretari propheтam. Sunt ergò Sibyllæ quasi conscię diuini consilij, prædicantes de Christo apud Gentes, vt prophetę apud Iudęos, vt priores expectarẽt, pręsentes reciperẽt, posteriores crederẽt. Vnde Diodorus Sicul. in Bibliotheca: *Sibyllæ sunt, inquit, mulieres vates, Deo plenæ.*

Quid nomine & re sit Sibylla.
Lactan. lib. 1. c. 6. diuinar. institut. ante med.
M. Varro.
Suidas.
Diodor. Sicul. li. 5. Biblioth.

Circa secundũ, Martianus Capella duas tantùm Sibyllas ponit, nempe Herophilen Troianam, Marmesi filiam, quam putat esse Phrygiam, & cum ea alteram Symmachiam Hyporensis filiã, quæ Erythres nata, etiam Cumis vaticinata est. Plinius verò author est, trium Sibyllarum statuas iuxta rostra fuisse positas: vnam quam Pacuuius Taurus Aedilis plebis instituit; duas, quas M. Messala Solinus nominat Cumanam, Delphicam, & Erythræam Herophilem. Aelianus in varia historia quatuor ponit,

Sibyllæ quot numero extiterint.
Martian. Capella.
Plin. lib. 34. c. 5. in fine.
Aelian. de varia histo. lib. 13. cap. 35.

nempe

nempè Erythræam, Samiam, Ægyptiam, & Sardianam: quibus alij duas alias adiungunt, nempè Iudæam, & Cumeam. M. Varro in libris rerum diuinarum ad C. Cæsarem Pontif. Maxim. alias quatuor adiungit. Atque ita sunt decem: quam sententiam, quod ad numerum earum attinet, sequitur Hieronymus libro aduersus Iouinianum: qui quidē refert Sibyllam Erythræam, & Cumanam, atq; reliquas octo. Nam Varro decem fuisse autumat: quarum insigne, virginitas est, & virginitatis premium diuinatio. Quòd si Aeolico genere sermonis Sibylla [illegible] appellatur; rectè consilium Dei sola scribitur nosse virginitas. Cassandram quoq;, & Chrysen vates Appollinis, ac Iunonis, virgines legimus. Sic Hieronymus. Lactantius quoq; ex eiusdem Varronis sententia, decem numero Sibyllas esse tradit. Idem lib. de ira Dei: *Sibyllas multas fuisse plurimi, & maximi autores tradiderunt: Græcorum, Aristochius, & Apollodorus Erythræus; nostrorum, Varro, & Fenestella.* Idem confirmatur autoritate Clementis Alexandrini, qui in libro Stromatum ait: *Heraclitus autem Ponticus nō humanitùs, sed diuinitus potius dicit apparuisse Sibyllam.* Et paullo pòst asserit Sibyllā Orpheo antiquiorem; deinde ponit turbā Sibyllarum, Samiam, Colophoniam, Cumanam, Erythræam, Pythoniam, Tharaxandiam, Macetin, Thessalam, Tesoprotin. Hæc ille: qui etsi nouem recitare videatur tantum nihil refert. Alij præter illas decē addunt alias, nempè Rhodiam, Sardicam, Siculam, Cymmeriā, Europæam, & Agrippam: de quibus quia non meminerunt Varro, Lactantius, & Augustinus, non tantam habent autoritatem. Confirmat hanc sententiā Suidas, dicens: *Sibyllæ diuersis & locis, & temporibus fuerūt decem. Prima Chaldæa seu Persica siue Hebræa, suo nomine dicta Sambetha, ab eo [illegible] Noe oriunda, de Alexandro Macedone vaticinata est, cuius meminit Nicanor: hæc & de Domino Christo, & eius aduentu plurima prædixit. Sed & reliquæ [illegible] consentiunt; nisi quòd & libri sunt viginti quatuor de gente qualibet, atq; regione agentes. Altera Libica, tertia Delphica, Delphis nata: quarta Italica, quæ Cumis in Italia fuit: quinta Erythræa, quæ ante bellum Troianum diuinauit: sexta Samia suo nomine dicta Pytho, de qua scripsit Eratosthenes: septima Cumana, quæ Amalthæa, & Herophile [illegible] octaua Hellespontia, quæ nata in pago Marmesso iuxta oppidulu Gergitiū, quæ aliquando Troianæ dictionis fuerunt temporibus Solonis, & Cyri: nona Phrygia: decima, Tyburtina, dicta Albunea.* Hæc ille [illegible]. ¶ Circa tertium vero, meritò in magna olim authoritate Sibyllæ habitæ sunt, cum apud Platonem, & Heraclitum, tum apud Plutarchum, M. Varronem, & apud Græcos, & Romanos: adeò, vt certæ & constantis veritatis haberentur, quæcunque illæ dixissent, vt, ille veluti quodam prouerbio dixerit:

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ

Nam, vt Varro docet, solebant in palmarum folijs oracula scribere: quod et à Virgilius lib. Aeneidos confitetur. Tum quia multa prædicebāt, quæ euentu ipso cōprobabantur; tū quia virginitate, & sanctitate vitæ erant illustres; tum quia fundebant oracula heroico carmine composita: cuius quidem artis, ac scientiæ cùm illæ essent ignaræ, non poterat mūdus non tribuere Deo earum vaticiniū. Tum demùm, quia Deus Opt. Max. qui illas ad prædicendum inspirabat, atque impellebat, fidem apud homines eis, & authoritatem conciliabat, ne frustrà eas misisse videretur: vnde non humanitus, sed diuinitus apparuisse Sibyllam, asserit Ponticus Heraclitus. Plutarchus in libro, Cur desierat Pythia metricè respondere, ait: *Quòd si fabulosa putas, quæ de Sibyllarum vaticinijs prædicantur: at vaticinijs attestantur plurimæ euersiones vrbium Græcarum, aut migrationes: plurimi barbarorum exercituum aduentus, cædesq; clarorum virorum. Sed etenim istas nouas, recentesq; calamitates circa Cumam, & Puteolos prædictas, decātatasq; carminibus Sibyllarum, nonne tempus velut debitor reddidit? Scissiones mōtani ignis, marinasq; ebullitiones scopulorum, flammarumq; à ventis incēdia, interitus tot, tantarumq; vrbiū, vt qui interdiù superuenirent, ita regione confusa, quo in loco vrbes hæ fuissent habitatæ, scire nō possent: quæ sine diuinitate prædici non potuerunt.* Strabo libro suæ Geographiæ ita scribit: *Cùm multa à nobis de Ammone dicta sint, hoc etiam addendum videtur, quòd antiqui & diuinationem, & oracula plurimum venerabantur: nunc earū rerum maxima negligentia est. Nam Romanis Sibyllæ responsa satisfaciunt, & Hetrusca diuinatio per augusta per exta, & louis sina. Quapropter Ammonis oraculum quasi ex toto defecit; prius in honore maximo habebatur.* Hæc ille. Hermas Platonicus super Phędro Platonis scribēs, ait; *De Sibylla adeò mira sunt quæ ferūtur, vt penè pro fabulis habeantur. Sed tamen multæ Sibyllæ fuerunt, eodem genere vitæ omnes: omnesq; forsan rationabili de caussa Sibyllas a semetipsis appellatas, Sicut fertur Trismegistus sæpe in Ægypto versatus, sui met mentionem fecisse: tertio quoque Hermetem appellatū: tres quoq; apud Thraces Orphei extitisse dicuntur. Fortasse igitur & hæ propter aliquam inter ipsas communicationem ac commemorationem has appellationes delegerunt: quandoquidem & ipsa Sibylla Erythræa de qua nunc loquitur Plato, ante Herophile vocabatur.*

M. Varro.

Hiero. lib. 1. aduersus Iouinianum. procul a fine, to. 2. init.

Lactan. vbi supra.

Idem lib. de ira Dei, c. 22. circa med.

Clem. Alex. lib. 1. Strom. a medio.

Sibyllarum nomina recēsentur.

Suidas.

Nicanor.

Qua ratione Sibyllæ olim tantam sibi autoritatem cōparauerint.

M. Varro.

Virg. lib. 6. Aeneid. sub initium.

Sibyllæ in palmarum folijs fundebant oracula.

Sibyllam non humanitus, sed diuinitus apparuisse, asserit Ponticus Heraclitus.

Plutarch.

Strabo lib. 17. Geographiæ circa me[illegible]

Antiqui & diuinationem, & oracula plurimum venerabantur.

Hetrusca diuinatio qualis.

Hermias Platonicus.

Hermes Trismegistus [illegible] ipsi non [illegible] dedisse fertur

Erythræa [illegible]

tur. Ferunt autem cùm continuo addita esset, appellasse vnũquemq; proprio nomine, versusq; numerosos elocutam. breuique in hominis perfectã speciem euasisse. Hæc ille. ¶ Dubium autem est, quęnam, & quo loco, & quo tempore vaticinatæ sint: & confunduntur sæpè nomina, & tempora, & loca, & carmina, ita vt illa à se inuicem discernere, nó sit cuiuis facile. ¶ Ad quartum, quã vim scilicet ad confutandum Gentiles habeant earum Sibyllarũ oracula, dicendum est, tãtum ferè habuisse virium roboris ad reuincendos Gentiles, quantum ad Iudæos refellendos Prophetæ. Quod facile probatur: tum ratione finis, cuius gratia missæ à Deo sunt; tum etiam autoritate antiquorum Patrũ, & sanctorum. Namque constat in primis, Sibyllas haud potuisse tam distinctè de Christi mysterijs vaticinari, nisi fuissent afflatę diuinitus. Deinde magna illas autoritate apud Gentiles fuisse constat. Frustrà verò hęc omnia fuissent, nisi ad conuincendos Paganos Christi Euangelium refutãtes valerent; dum ostenditur per ipsorum Gentiliũ Prophetas idẽ de Christo apertè scriptum fuisse, quod & in Euangelio traditur. Deinde Ecclesia earũ vaticinia videtur acceptasse, dum alludens ad Sibyllam Erythræam, quę de aduẽtu Christi ad iudiciũ, carmine mirabili vaticinata est, ait:

> *Dies iræ, dies illa,*
> *Quam resoluet in fauilla,*
> *Teste Dauid cum Sibylla.*

Sibyllarum vaticinia ad Gentiles reuincendos quam vim habent.

Vbi si non æquari, saltem coniungi Dauidi Vati, Sibyllæ videtur oraculum. Tertiò fortius sententijs Patrum hęc confirmantur. Etenim Paulus Apostolus ad libros Sibyllinos legendos Paganos adhortabatur, vt testatur Clemens Alexand. his verbis: *Nã quomodo Iudæos Deus saluos esse voluit, dans eis Prophetas; ita etiam Græcorum spectatissimos propria sua lingua Prophetas excitatos; prout poterant capere Dei beneficentiã, à vulgo secreuit: præter Petri prædicationem, declarauit Paulus Apostolus, dicens: Libros quoq; Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo vnũ Deum significet; & ea quæ sunt futura: & Hystaspem sumite, & legite: & inuenietis Dei Filiũ multò clariùs, & apertius esse Christum.* Sic ille, qui in Adhortatorio ad Gentes, testimonia ex Sibyllinis libris producit. Clemens itẽ alter Romanus libro de cõstitutionibus Apostolicis, agẽs de resurrectione, ita inquit: *Quòd si Græci derident nos, non credentes nostris Scripturis, saltem fidem habeãt Vati suæ Sibyllæ, quæ ad verbum ita inquit:*

Clem. Alex. lib. 6. Strom. inter medium & initium.

Sibyllinorum lectionem librorum Apostolus Gentibus suadebat teste Clemente.

Actor. 2.

Idem operis in initio.

Clem. Rom. lib. 5. Constit. Apost c. 8. ante med.

> *Atq; vbi cuncta cinis fuerint, tenuisq; fauilla:*
> *Atq; idem Deus extinguet quem incenderat ignem:*
> *Ossaq; restituet virorum, cineresq; sepultos,*
> *Et genus omne hominum vt fuerat, Deus ipse reponet,*
> *Tunc graue iudicium veniet, quo iudicet orbẽ*
> *Ipse iterum Deus, hosq; iterum iam terra recondet:*
> *Sed quoscunque pios, viuos suscipiet Orbis*
> *Inspirante Deo vitam, gratumq; fauorem,*
> *Mutuaq; inter se cumulabunt gaudia læti.*

Eyech. D-[illegible]

Deinde Iustinus Martyr in oratione ad Gręcos, siue Gentiles, multa de Sibyllæ Cumææ parentibus, domo, & modo prophetandi tradit, & de his qui excipiebant prophetãtis Sibyllæ oracula: quorum plurimi ob ignorantiã artis metricę multis locis exorbitarunt, multos versus melura debita priuantes. Et tandem in fine cõcludit: *Itaq; viri Græci, si falsam de ijs, qui non fuerũt, [illegible] imaginationem salute vestra antiquorum [illegible] betis; credite, sicut dixi, antiquißimæ, & per[illegible] admodum Sibyllæ, cuius libri in vniuerso extant orbe, de eis, qui dicuntur, non sunt autem, [illegible] mirifico quodam præpotentis Numinis afflatu [illegible]tibus vos datis docenti; de futuro autem seruatoris nostri Iesu Christi aduentu, ac de rebus ab eo gerendis, liquidò, & apertè vaticinanti. [illegible] namq; rerum cognitio pernecessaria fuerit, sacrorum virorum prædictiones antecedes præmeditatio.* Hactenus ille; qui rursus in oratione ad Antoninũ Pium pro Christianis, ita scribit: *Opera autem, & instinctu malorum dæmonum, mortis supplicium aduersus librorum Hydaspis, aut Sibyllæ, aut Prophetarum lectores constitutum est, vt per timorem homines ab illis [illegible]minùs scripta ea legentes, rerũ bonarũ notitiam percipiant, sed in seruitute eorũ retineantur, absterrerentur: quod certe quidem efficere, & ad finem suũ perducere nequiuerunt.* Sic ille. Quia verò tam Clemens citatus, quàm Iustinus, Patres antiquissimi, mentionẽ faciunt Hydaspis, vt Scriptoris, & Vatis, & Prophetis nostris suffragantis, adijciam ex Lactantij libro Diuinarum institutionum hæc verba: *Hydaspes quoque, qui fuit Medorum Rex antiquißimus, à quo amnis quoq; nomen accepit, qui nunc Hydaspes dicitur, admirabile [illegible] sub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam posteris tradidit, sublatum iri ex orbe Imperium, nomenq; Romanum, multò ante præfatus quàm illa Traiano gens conderetur.* Idem prætereà in eodem libro multa signa ex his, quæ fecit Iesus: multa etiam tormenta quę passus est, ex Sibyllinis libris euincit, & de mortis triduo, & resurrectione. D. Augustinus contra Faustum scribit: *Sibylla porrò vel Sibyllæ, & Orpheus, & nescio quis Hermes, & si qui alij Vates, vel Theologi, vel Sapientes, vel Philosophi gentium de Filio Dei, aut de Patre Deo vera prædixisse, seu dixisse perhibentur,*

Iustin. orat. ad Græcos.

Per[illegible] Græcos [illegible]

Idem [illegible]

Lactan. lib. [illegible]

Idem lib. [illegible]

Aug. lib. [illegible] contra Faustum Manich. c. [illegible]

valet

valet quidem aliquid ad Paganorum vanitatem reuincendam, non tamen ad istorum authoritatem amplectendam, cùm illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos congentiles populos ad Idola, & Dæmonia colenda partim docere ausi sunt, partim prohibere ausi nō sunt. Idem Augustinus in cōcione ad Catechumenos contra Paganos, & Iudæos, & Arrianos, ex versibus Sibyllinis argumentatur de Christi natiuitate, passione & resurrectione, & secundo aduentu ad iudiciū. Et capita versuū, seu ἀκροστιχίδα, facientia Ἰησοῦς Χριστὸς υἱὸς Θεοῦ σωτὴρ, σταυρός. Hoc est, *Iesus Christus* Dei *Filius, Seruator, Crux:* & suo gladio ait se confodere frontes Paganorum, & Iudæorum. Eosdem etiam versus, nempè viginti septem, citat Augustinus libro de ciuitate Dei. Cōstantinus Magnus in oratione, quam habuit ad Gentiles, vt Eusebius tradit libro de vita Constantini, adiūgit Marcum Tullium Ciceronem, cùm in hæc carmina acrostichia incidisset, delectatum poematis artificio, idipsum Latinis auribus donasse, & inter cæteras suas elucubrationes annumerasse. Rursus Augustinus in expositione epistolę ad Romanos, initiò sic ait: *Fuerunt & Prophetæ non ipsius, in quibus etiam aliqua inueniuntur, quæ de Christo audita cecinerunt; sicut etiam de Sibylla dicitur: quod non facilè crederem, nisi quòd Poetarum quidā in Romana lingua nobilissimus, antequàm diceret ea de innouatione seculi, quæ in Domini nostri Iesu Christi regnum satis concinere, & conuenire videantur, præposuit versum dicens:*

Idem tom. 6. prope initium.

Idem lib. 18. de ciuit. Dei c. 23. to. 5.

Euseb. lib. 5. Vitæ Constantini in finem, tom. 1.

Aug. tom. 4. propè finem.

Vltima Cumæi iam venit carminis ætas:

Cumæum autem carmen, Sibyllinum esse nemo dubitauerit. Et vt Homerus ex Sibylla Delphica in suam poesim transtulit, ita Virgilius ex Cumana Augusto regnante. Eusebius quoque Cæsariensis libro quarto de vita Constantini, id ipsum carmē sub persona Constantini Imperatoris eodem modo exposuit, & quæ sequuntur:

Virg. Eclog. 4

Euseb. prædicto loco.

Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna;
Iam noua progenies cælo demittitur alto.

In fine huius libri adhortatur Gentiles credere Sibyllæ de Christo vaticinanti, & deorum multitudinem tollenti. Lactantius quoque ex libris Sibyllarum contra Gētiles in prædicto loco egregiè pugnat, quē admodum & ante eum Arnobius libro primo contra gentes, & post eum Augustinus. Postremò D. Catharina in congressione illa cum quinquaginta Sapientibus, & Oratoribus coram Maxentio Imperatore habita, vt locupletissimus testis est Simeon Metaphrastes in eius vita, contra obiectionem, quod Iesum crucifixum, rem nouam, & ignotam prioribus seculis, colendū doceret, respondit, producens testimonium Sibyllæ, & oraculum Apollinis. Ita enim præcinuisse Sibyllam docet: *Vix tandem autē veniet quidā in hanc multifidam terram & absq; lapsu fiet caro. Indefessis autem terminis Diuinitatis soluet corruptionem affectionum immedicabilium. Et ei erit inuidia in incredulo populo: & in alto suspendetur tāquàm reus mortis. Hæc autē omnia leuiter patietur.* Et subdit: *Vide quoque vatem à mendacio alienum Apollinem, oblitum solitæ suæ obscuritatis, & obliquitatis, & nudam, etiamsi nolit, edentem veritatem. Vnus, inquit, me cogit cælestis, qui est lux tripliciter refulgens. Qui verò passus est Deus, non passa est autem ipsa Diuinitas. Ambo est enim, & mortali corpore, & alienus à corruptione. Ipse iam Deus est vir, omnia ferens immortalibus, crucem, contumeliā, sepulturam. Qui etiam ex superciliјs calidas aliquando fudit lacrymas. Qui quinq; millia impleuit frumēto. Velle enim est diuina potentia. Christus est meus Deus, qui in ligno fuit extensus, qui mortuus, qui ex sepultura in cælum est sublatus.* His duobus testimonijs Virgo illa sapientissima obturauit ora sapientium illorum, qui secum disputabant, & ad fidem Christi potenter traduxit. ¶Ad quintum, etsi dici possit, Deum ad prophetandum viros tantùm inter Iudæos delegisse, & mulieres inter Gentiles, quòd ita vtrumque sexū honorare, & munere prophetandi æquiparare voluerit: potest tamen addi, viros quia suapte natura sapiētiores sunt, mulieres autem non item tanta sapiētia, & ratione prędiditas, voluit fœminas inter Gentiles ad vaticinandū deligere, vt maiori essent in admiratione. Et quidem voluit etiā Deus Incarnationis mysteriū à mulieribus prędici, quasi carnis infirmitas in Christo, ab infirmiori sexu prædicaretur. Deinde, si virgines erant, vt Hieron. tradit, ad cōmendandam virginitatem vim futura diuinandi illis Deum tribuisse. Deinde quia de Christo virgine, & eius matre item Virgine, virgineam, & nouam vitam in mundum introducturis vaticinabantur Sibyllæ.

Lactan. in loco allato.

Aug. lib. 18. de ciuit. Dei cap. 23.

Simeon Metaphrast.

Cur inter Paganos fœminæ prophetauerint, viri verò vt plurimum inter Iudæos.

Hieron. vbi suprà.

Ad sextum, quid vnaquæque Sibylla de Christo prædixerit, facile est ex multis, qui earum sententias, & oracula, & Græcè, & Latinè collegerunt, intelligere. Nā præter multa vaticinia de vno Deo, & personarū Trinitate, mundi creatione, mortuorum ad vitam reuocatione, futura in æternum felicitate, quæ, reclamante Philosophorū communi sententia, docuerunt: multa etiam de Christo expressa oracula ediderunt, de eius matre, vita, morte, miraculis, & resurrectione, quæ Gentiles putabant fabulosos esse sermones. In primis igitur

Quid vnaquæque Sibylla de Christo prædixerit.

Straton Ep. Cumanus. *Virg. Eclog. 4.* *Isa. 1.* *Xistus Bethuleius.*

Cumęa Sibylla, cuius subiecta in Collectaneis Stratonici Episcopi Cumani extant oracula, de summa temporum tranquillitate in Christi aduentu, ab his, quæ Virgilius ex Cumæis oraculis transtulit, & maximè quæ Isaias de pacifico aduentu Messiæ est vaticinatus, sic dixit. Dicā Latinè, ne Græcè dicendo longior sim: & quæ Xistus Bethuleius ex antiquo quodam Codice se scribit accepisse:

Cùm Deus ab alto Regem demittet Olympo
In terram omnipotens, fruges mortalibus agris
Reddet inexhaustas frumenti, vini, oleiq́;
Dulcia tunc mellis diffundent pocula cœli,
Et niueo latices erumpent lacte suaues,
Oppida plena bonis, & pinguia culta vigebunt.
Nec gladios metuet; nec bellis terra tumultus;
Verùm pax terris florebit omnibus alta;
Cumq́; Lupis agni per montes gramina carpēt,
Pernustiq́; simul parui pascentur & hœdi;
Cum vitulis vrsi degent, armenta sequentes
Carniuorumq́; Leo præsepia carpet vt bos;
Cum pueris capiēt somnos in nocte Dracones,
Nec ladent: quoniam Domini manus proteget illos.

Sibylla Cumana vnde oriunda, quibus nominibus dicta sit.

¶ Secunda verò Sibylla Cumana, Cumis (quæ Prouinciæ Ioniæ vrbs est) genita, & educata, sicut præcedens Cumæa dicta est à ciuitate Campanię in Italia, in qua etiam oracula edidit, filia Berosi illius qui Chaldaicam scripsit historiā, Amalthęa, Herophile, & Demophile nominatur. Hæc multos libros diuinationum scripsit, de quibus Lactantius ex Varronis testimonio refert eam nouem libros attulisse ad Tarquiniū Priscum; ac pro eis trecētos Philippeos postulasse: & Regem aspernatū pretij magnitudinem, derisisse mulieris insaniam. Illam verò in conspectu Regis tres libros cōbussisse, ac pro reliquis idem pretium postulasse. Tarquinium multò magis mulierem insanire putasse: quę denuò tribus alijs exustis, cùm in eodē pretio perseueraret, motum esse Regem, ac residuos trecētis aureis redemisse. Plinius tres libros ad Regem allatos, non nouem ponit; ac duobus combustis, tertium superfuisse, quem tanto pretio redemit. Suidas tamen nomen libros attulisse refert peculiariū oraculorum, hoc est ad certum aliquem populum spectantium; sed combustos tantùm duos. Aul. Gellius, & Seruius, non Tarquinio Prisco, sed Tarquinio Superbo oblatos libros referūt. Sed hæc differentia parui est momenti, & facilè conciliari posset, si esset operępretium. Solinus historicus huius Sibyllæ sepulchrū in Sicilia spectari dixit. Extat huius Sibyllę de Incarnatione Filij Dei, & sanctissimo eius nomine oraculū tale, Græcum, & Latinū.

Lactan. lib. 1. c. 6. circa medium. *Plin. lib. 13. natur. hist. c. 13. in fine.* *Suidas.* *Aul. Gell. lib. 1. cap. 19.* *Seruius.* *Solin. cap. 8. Polyhist. aliquanto ante medium.*

Tunc ad mortales veniet mortalibus ipsis
In terris similis; natus Patris omnipotentis,
Corpore vestitus, vocales quatuor autem
Fert, non vocalesq́; duos, binūm genorum:
Sed quæ sit numeri totius summa docebo.
Namq́; octo monades, totidem decadas super ista,
Atq́; hecantontadas octo infidis significauit
Nominibus nomen, tu verò mente teneto.

Hactenùs Sibylla, quæ, sicut in Apocalypsi Ioannes numerum literarum Antichristi describit, dicēs: Qui habet intellectum, computet numerū bestiæ. Numerus enim hominis est; & numerus eius sexcenti sexaginta sex. Ita ergo hic ex Sibylla, nomen Iesu, quod Græcè dicitur Ἰησοῦς, cōstat quatuor vocalibus Græcè, & duabus cōsonantibus, nempè duplici sigma; à quibus incipiunt nomina duorum principalium Angelorum, boni scilicet, quem plerique Sathaelem vocant, & mali, qui Satanas appellatur. Numerus autem eius est iste, qui ex elementis Grecis colligitur

Ι	10
η	8
σ	200
ο	70
υ	400
ς	200

Beda libro 1. Comm. in Lucam, explicat hoc Sibyllę oraculum, adiecto numero septuagenario, qui in Græcis codicibus deerat, & ait: Cuius sacrosancti nominis non tantùm etymologia, sed & ipse quem literis comprehendit numerus, perpetuę nostrę salutis mysteria redolet. Sex quippe literis, apud Grecos scribitur Ἰησοῦς, videlicet ι, & η, & σ, & ο, & υ, & ς, quarum numeri sunt X, & VIII. & CC. & LXX. & CCCC. & CC. qui fiunt simul DCCCLXXXVIII. Qui profectò numerus quia figuræ Resurrectionis adgaudeat, satis est supra tractatum. Et paulò antè inquit: *Octauum autem numerum resurrectionis gloria conuenire, penè omnibus claret. Nam & Dominus octaua die, hoc est post septimam Sabbati resurrexit, & ipsi post sex huius seculi ætates, & septimam Sabbati & animarum, quæ nūc interim in alia vita geritur, quasi octauo tēpore surgemus.* Hæc ille. Ex hac eadem Sibylla Cumana profert Bethuleius alterum oraculum, quod sic habet:

Iam mea certa manent, & vera nouissima verba,
Vltima venturi quæ erunt oracula Regis,
Qui toti veniens mundo, cum place placebit,
Vt voluit nostra vestitus carne decenter.
In cunctis humilis, castam pro matre puellam
Deliget: hæc alias forma præcesserit omnes.

Apoc. 13. *Sacratissimum nomen Iesu a Sibylla enuntiatur...* *Beda lib. 1. ... expos. ...* *Idem ... Octauum ... Matt. ... Aliud ... oraculum ... Bethuleio.*

Sibylla Persica, quid prædixerit. *Lactan. vbi suprà. Nicanor.*

¶ Tertia Sibylla Persica, ex Perside fuit, teste Lactantio, cuius facit mentionem Nicanor, scriptor rerum Alexandri Magni: quæ de prædicatione, & baptismo Ioannis Præcursoris prædixit:

Matth. 3. Ioan. 1. Isa. 40.

Tunc quadam veniet vox per deserta locorũ,
Nuntia, mortales miseros quæ clamat ad omnes,
Vt rectos faciant calles, animosq; repurgent
A vitijs, & aquis lustrentur corpora mundis.

Aliud eiusdem vaticinium ex eodē Bethul.

De hac eàdem Sibylla profertur aliud oraculũ à Sixto Bethuleio, quod sic habet:

Matth. 21. Zachar. 9.

Virgine matre satus pando residebit asello
Iocundus princeps, vnus qui ferre salutem
Ritè queat lapsis. Tamen illis fortè diebus
Multi multa ferent immensi fata laboris,
Solo sed satis est oracula pandere verbo.
Ille Deus casta veniet de Virgine magnus.

Hactenùs illa.

Isa. 7. Matt. 1. Luc. 1.

¶ Quarta Sibylla, est Hellespontica, in agro Troiano nata, prope agrum Gergiticum, quam Heraclitus Pôticus scribit fuisse tẽporibus Cyri Imperatoris: quæ de Christi doctrina prophetauit:

Sibylla Hellespontica vbi, & quando nata, quid prædixerit. *Heraclitus Pontic. Matth. 5.*

Ille Dei Legem complebit, non violabit:
Persimilem formam referens, & cuncta docebit.

Eiusdem aliud oraculum ex Bethuleio.

De incarnatione aliud quoque protulit oraculum, vt est apud Bethuleium:

Dum meditor, quōdam vidi decorare puellam
Eximio castam (quo se seruaret) honore,
Munere digna suo, & diuino numine visa,
Quæ sobolem multo pareret splendore micantem,
Progenies summi, & speciosa, & vera Tonantis,
Pacifica mundum qui sub ditione gubernat.

Sibylla Libyca quid de Christo cecinerit.

¶ Quinta Sibylla, est Libyca, cuius meminit Euripides in Lamiæ prologo, quæ de Christi miraculis prædixit.

Euripides. Isa 35. Matt. 11. Supra. 9. Luc. 7. Ioan. 11.

Ille quidem pressos morbis sanabit, & omnes
Lapsos, quotquot ei fident, cæciq; videbunt;
Incedent claudi, surdis audire licebit;
Insolitas mutis dabitur formare loquelas;
Expellet furias; oppressi morte, resurgent.

Subditur aliud oraculum ex Bethuleio.

Eiusdem aliud carmen ex Bethuleio.

Ecce dies veniet, coæternus tempore Princeps,
Irradians sata læta, viris sua crimina tollet:
Lumine clarescet cuius synagoga recenti,
Sordida qui solus reserabit labra reorum.
Aequus erit cunctis: gremio Rex membra reclinet.
Regina mundi, sanctus per secula viuus.

Samia nomine Pytho, de Christo quid prædixerit.

¶ Sexta Sibylla, fuit Samia (de qua Eratosthenes scribit se in antiquis Samiorum annalibus reperisse memoriam) dicta est nomine Pytho, quæ de ingressu Christi in Hierusalem sic prophetauit:

Eratosthe. Zachar. 9. Matth. 21.

Salue casta Sion; permultaq; passa puella,
Ipse tibi inscenso Rex en tuus intrat asello,
Erga omnes mitis, iuga quo tibi; quo iuga demat
Intoleranda tibi, quæ fers ceruice subacta.

Et rursus:

Aliud eiusdem vaticinium.

Ecce dies nigras quæ tollet læta tenebras:
Mox veniet, soluens nodosa volumina vatum,
Gentis Iudææ referet vt carmina plebi.
Hunc poterunt clarum viuorum tangere Regem,
Humano quem Virgo sinu inuiolata fouebit.
Annuit hoc cœlum, rutilantia sydera monstrant.

Delphica nomine Anthemis quando vixerit; de Christo quid locuta. *Chrysip.*

¶ Septima Sibylla, Delphica, de qua Chrysippus loquitur in libro, quem de Diuinatione composuit, quæ Delphis nata putatur, nomine Anthemis, & vixit ante Troianum excidium: cuius plures versus operi suo inseruisse existimatur Homerus. Extat de Christi Passione eiusmodi oraculum.

Matth. 26. Infra 27. Psal. 67.

Impinget illi colaphos; & sputa scelestis
Israel labijs, nec non & fellis amari
Escas apponet, potumq; immitis aceti.

Aliud eiusdem vaticinium ex Bethuleio.

Rursus aliud testimonium de incarnatione profertur ex Bethuleio.

Habac. 2.

Non tardè veniet: tacita sed mente tenendum
Hoc opus, hoc memori semper qui corde reponet.
Huius pertentant cor gaudia magna Prophetæ
Eximij, qui Virgineo conceptus ab aluo
Prodibit sine contactu maris. Omnia vincit.
Hoc naturæ opera: at fecit, qui cuncta gubernat.

Isa 7. Matt. 1. Luc. 1. Phrygia vbi, & quid prophetauerit.

¶ Octaua Sibylla, Phrygia, quæ Ancyræ vaticinata est, mortem Christi sic cecinit:

Matt 27. Ibidem.

Scindetur templi velum, mediumq; diei
Nox tenebrosa tribus premet admirabilis horis,
Et tridui somno peraget mortalia fata.

Matt. 13. & 16. 28. Aliud oraculum eiusdem ex Bethuleio.

Rursus ex Bethuleio de Incarnatione & Annuntiatione.

Ipsa Deum vidi summum, punire volentem
Mundi homines stupidos, & pectora cæca rebelles.
Et quia sic nostram complerent carmina pellem;
Virginis in corpus voluit demittere cœlo,
Ipse Deus prolem, quam nuntiet Angelus almæ
Matri, quæ miseros contracta sorde leuaret.

Luc. 1. Matt. 1. Tyburtina, Albunea nomine, quale fuderit de Christo oraculum.

¶ Nona Sibylla, fuit Tyburtina, ex Tybure, oppido Italiæ, nomine Albunea, quam Tyburtini quasi Deam, coluere: ad Anienis fluminis ripam, in cuius gurgitibus simulacrum eius inuenerant, librum in manu tenens, & Christi resurrectionem, & ascensionem in cœlum, sic cecinit.

Luc. vlt. Actor. 1. Psal. 67. Ephes. 4.

Sed postquam triduo lucem repetiuerit, atque
Monstrarit somnium mortalibus, atque docendo
Cuncta illustrarit; cœlestia tecta subibit
Nubibus inuectus.

Aliud ex Bethuleio.

Rursus de Incarnatione ex Bethuleio:

Verax ipse Deus tribuit mihi munia fandi
Carmine, quod sanctam potuit monstrare puellam.
Luc. 2. *Conspicietque Nazaraeis in finibus illum,*
Quem sub carne Deum Bethlemitica rura videbunt.
Infra 11. *O nimium felix, cælo dignissima mater,*
Quæ tantam sacro lactabit ab vbere prolem.

Rab. Ismael de Christo quid senserit ac scripserit.

Meminit huius postremi vaticinij Rabbi Ismael, magister Synagogæ Calicuth, in epistola missa ad Legisperitũ quendã Hierosolymitanum, quam ex Chaldæa lingua Hieronymus in Latinam vertisse fertur, in qua de Messiæ aduentu hæc scribũtur: *Timeo verè, atque admodum, ac potiùs obstupeo, & credo, eum verum Dei filiũ extitisse; Messiam, inquam, eum, quem tam longo æuo desiderauimus, iam venisse. Nam recordatus sum illud Tyburtinæ Sibyllæ dicentis:* (*Matt. 13. Luc. 10.*) *NASCETVR CHRISTVS IN BETHLEEM: ANNVNTIABITVR IN NAZARETH, REGNANTE TAVRO PACIFICO. O FELIX ILLA MATER, CVIVS VBERA LACTABVNT ILLVM.* (*Suprà 1. Infrà 2.*) *Ego voluendo scripta Prophetarum, & ipsorum vera verba, clarè & manifestè intelligo, atque cognosco, illum esse filium Dei, nobis in terram missum ad redemptionem nostram.* Habes ex huius Rabini testimonio, Sibyllas etiam Iudęos legisse, & per concordiam Prophetarum, atque Sibyllarum ad credendum fuisse excitatos.

Iudæos non Prophetarum solùm, sed & Sibyllarum vaticinijs, vtpote consentientibus, ad credendum inductos, vnde constet.

Erythræa Sibylla vnde oriunda, quando floruerit, quid vaticinata.

Clem. Rom. Apollodor. Fenestella.

Decima Sibylla, est Erithræa, cuius meminit Clemẽs Romanus in epistola ad Corinthios, ex Erythra Ioniæ vrbe: hãc Apollodorus Erythræus affirmat suam esse ciuem, eamque Graijs Ilion petentibus, vaticinatam, & perituram esse Troiam, & Homerum mendacia multa scripturum. Fenestella scribit C. Curionem Consulem, restituto Capitolio, retulisse ad Senatum, vt legati Erythras mitterẽtur, qui carmina huius Sibyllæ conquisita, Romam deportarent: & missos ex vrbe P. Gabinium, M. Otacilium, L. Valerium, qui descriptos à priuatis, versus circiter mille Romam deportarunt. Bethuleius hoc oraculum de Incarnatione Christi producit:

Bethuleius.

Cerno Dei natum, qui se demisit ab alto:
Luc. 1. *Vltima felices referent cùm tempora Soles;*
Hebræa quem virgo feret de stirpe decora,
In terris multum teneris passurus ab annis.
Infra 7. *Magnus erit tamen hic diuino carmine vates.*
Ioan. 8. & seq. *Virgine matre satus, prudenti pectore verax.*

Aliud eiusdem vaticinium, artificiosè compositum.

Huius extat oraculum de Christi aduentu ad iudicium, talibus verbis Grçcè concinnatum, vt prima versus elementa cuiuslibet simul iuncta, efficiant. Ἰησοῦς Χριστὸς, Θεοῦ υἱὸς, σωτὴρ, σταυρός. cuius carminis artificio delectatus Cicero, eosdem in Latinum conuertit, & inter sua opera annumerauit, vt refert Cõstantinus Magnus Imperator apud Eusebium in oratione ad Senatũ: August. libro 18. de ciuitate Dei cap. 23. eadem se acrostichia in Gręco Erythræo codice scribit legisse, quæ sibi Flaccianus Africæ Proconsul ostendit. Sunt autem viginti & septem carmina, quæ Latinè malè versa, aut mendosè lecta habentur. Sic autem emendata, & correcta ab alijs traduntur: reddũt verò elementa prima singulorum versuũ hũc sensum: *Iesus Christus Dei Filius Seruator.*

Cicero. Euseb. tom. 1. circa finem. D. Aug. tom. 5.

IESVS.

Iudicij in signum, tellus sudore madescet. — I *Matt. 25.*
Et Rex æternus summo descendet Olympo. — E *& 26.*
Scilicet vt carnem, mundumque, vt iudicet omnem. — S
Vnde Deum fidi, diffidentesque, videbunt, — V
Summum cum Sanctis in secli fine sedentem. — S

CHRISTVS.

Corpore cum mentes hominum, quas iudicet olim. — C *2. Pet. 3.*
Horrebit totis cum densis vepribus orbis, — H
Reijciens simulacra viri, gazasque repostas, — R
Exuretque ignis terras, cælumque, salumque, — E
Incendetque fores angusti carceris orci: — I
Sanctorumque omnis caro libera reddita, lucem — S
Tunc repetet: semper cruciabit flamma sceleстos. — T
Vtque, quis occultè peccauerit, omnia dicet, — V *Matt. 10.*
Sub lucemque Deus reserabit pectora clausa. — S *2. Cor. 5.*

DEI FILIVS.

Dentes stridebunt, crebrescent vndique luctus, — D
Et lux deficiet, Solemque, intentiaque astra — E *Mat. 24.*
Inuoluent tenebræ, tum Lunæ splendor o[illegible]bit, — I *Ioan. 5*
Fossas attollet, iuga deprimet ardua, montes: — F *& 9.*
Impedietque, nihil mortales ampliùs altum: — I
Longa carina fretum non scindet, montibus arua — L
Ipsa æquabuntur. Nam fulmine torrida tellus, — I
Vnaque & sicci fontes, & flumina hiabunt. — V *Ibid. &*
Sydereaque sono tristi tuba clanget ab oris. — S *1. Thes. 5.*

SERVATOR.

Stultorum facinus mœrens, mundique dolores, — S
Et Chaos ostendet, & tartara terra dehiscent: — E

Repesq;

R V A T O R

Regesq; ad solium sistentur numinis omnes,
Vndaq; de cœlo fluet ignea sulphure mixto,
Atq; omnes homines signum præsigne notabit,
Tempore eo lignum cornu peramabile fidis:
Oppositus mundo casus, sed vita priorum,
Respergendo lauans duodeno fonte necatos.

Post quos omnes versus adduntur duo ad explicandum, quis sit ille talibus primis elementis descriptus.

Οὗτος ὁ νῦν προγράφεις ἐν ἀκροστιχίοις μὲν ἡμῶν
Σωτὴρ ἀθάνατος βασιλεὺς ὁ παθὼν εἵνεκα ἡμῶν.

Id est,

Isai. 53. *Hic nunc præscriptus per singula carmina nostra*
Rom. 4. *Est Deus, est seruans Rex, passus, pro crimine nostro.*

Huius generis versibus vsus est Plautus in omnibus comœdijs suis: nam in paruo prologo, proponens argumentum comœdiæ, semper per literas dictas acrostichia, indicat nomẽ comœdiæ cuiusque, vt in prima Amphitruo, in secunda Asinaria, & ita de reliquis. Adde etiam Ennium, de quo Cicero lib. 2. de diuinat. loquens enim de Sibylla: *Adhibuit etiam latebram obscuritatis, vt idem versus alias in aliam rem posse accõmodari videretur. Nõ esse autem illud carmen furentis, cùm ipsum poëma declarat (est enim magis artis, & diligentiæ, quàm incitationis & motus) tùm verò ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur, cùm deinceps ex primis versus literis aliquid connectitur, vt in quibusdã Ennianis quæ Ennius facit, &c.* Fertur & huius diuinatoria Epistola ad Græcos Ilium petentes, Latinè versa, cuius initium est.

Eiusdem aliud testimonium.

Exquiritis à me, ô illustrißima turba Danaûm.

Producit Bethuleius ex alijs tribus Sibyllis, nempè Cymmeria, Europæa, & Agrippa, alia de Christo testimonia.

Cymmeriæ, Europææ, & Agrippæ Sibyllarum vaticinia ex Bethuleio.

Ex prima quidem, Cymmeria.

In teneris annis facie præsignis honore.
Num. 24. *Militiæ æternæ Regem sacra Virgo cibabit*
Matth. 2. *Lacte suo, per quem gaudebunt pectore summo*
Ibidem. *Omnia, & ex illo lucebit Sydus ab orbe*
Psal. 71. & Isai. 60. *Mirificum: sua dona Magi cum laude ferentes*
Obijcient puero, myrrham, aurum, & thura Sabæa.

Ex secunda verò, Europæa.

Virginis æternum vincet de corpore Verbum
Purum, qui valles & montes transiet altos.
Luc. 2. *Ille volens etiam stellato missus Olympo,*
Edetur mundo pauper, cui cuncta silenti
Rexerit imperio. Sic credo, & mente fatebor,
Humano simul, ac diuino semine natus.

Ex tertia verò Agrippa.

Summus erit sub carne satis charißimus, atq;
Isai. 9. *Virginis, & vera compleuit viscera sanctum*

Verbum consilij, sine noxa spiritus almi.
Despectus multis: tamen ille salutis amore
Arguet, & nostræ commissa piacula culpæ; Ioan. 16.
Cuius honos constans, & gloria certa manebit.

Quamquàm autẽ oracula hęc à Bergomensi in tertia mundi ætate aliter recitẽtur: eadem tamẽ sub diuersis verbis sententia est. Et hæc quod ad sextum attinet, dicta sint. Circa septimum verò, conueniunt Sibyllæ cum Prophetis, in multis. Primò, quidem in hoc, quòd dum prædicunt gesta paulò post se futura, inserunt tamen quædã vaticinia de Christo: quod Prophetis est familiare, & in libris Sibyllinis idẽ obseruatum est. Nõ enim perpetuò prædicunt de Christo, neq; item perpetuò de alijs, quæ futura erant, sed mixtim. Deinde dicta Prophetarum antequam adimplerentur, obscura erant, & tenebrosa aqua in nubib⁹ aëris. Ita etiam oracula Sibyllarum adeò obscura, vt Gentiles putarẽt fictitios, ac fabulosos esse sermones, vt Cicero lib 2. de diuin. docet. Et Lactant. lib. 4. cap. 15. his verbis: *Non dubito, quin Sibyllina carmina prioribus temporibus pro deliramentis habita sint, cùm ea nemo tũ intelligeret. Denuntiabant enim monstruosa quædã miracula, quorum nec ratio, nec tempus, nec autor designabantur: & Erythræa fore ait, vt diceretur, insana, & mendax.* Hęc ille. Et certè necessum erat, earum oracula plus obscuritatis habere, quam nostrorũ scripta Prophetarum. Nam Iudęi promißionẽ acceperant Meßiæ, de quo Prophetas vaticinari, facilè poterant coniectare, quã tamen spem Gentiles de Christo non habebant. Sed certè, vt Prophetæ valent ad reuincendos Iudæos, Meßiam, eiusq; mysteria negãtes: ita etiam Sibyllæ ad confutandos paganos. Tertiò, Prophetarũ vaticinia, quę de Christo apertè loquuntur, videmus à Rabbinis Iudęorũ ad alios sensus falsos & absurdos detorqueri: ita quoque Sibyllarum oracula à magnis Gentilium, atque illustrib⁹ viris ad alia inania, & parui momẽti significanda deflectabantur: quemadmodũ Virg. carmen Sibyllinum, seu Cumæum de aduentu Virginis, & aureis sæculis, & de noua progenie ex alto demittẽda detorquet ad Filium Pollionis, Ecloga 4. cùm cõtra Imperator Constãtinus ad literã de Christo interpretetur. Cicero etiam lib. 2. de diuin. scribit: *Sibyllæ versus obseruamus, quos illa furens fudisse dicitur: quorũ interpres nuper falsa quædã hominum fama dicturus in Senatu putabatur, eum quẽ re vera Regem habebamus, appellandum quoq; esse Regem, si salui esse vellemus.* Hęc ille de C. Cęsare iam interfecto ante Augusti Cæsaris triumuiratum, quasi malè esset consultum saluti Reipublicæ, cùm non nisi illo viuen-

Sibyllæ cum Prophetis in quibus conueniant.

Psalm. 17.

Cicero.

Lactant.

Sibyllina quã Prophetica vaticinia obscuriora cur merito censeri debuerint.

Ephes. 3.

Euseb. lib. 5. de vita Constantini.

Cicero Sibyllinû carmen ad C. Iul. Cæsarem falsò retulit.

te salui esse possent. Sed certè deceptus est Cicero, cùm fama illa publica interpretum Sibyllinorum carminum de Christo Rege paulò pòst futuro esset accipienda, & non de C. Cæsare. Vnde & vanè subdit: *Cum antistitibus agamus, vt quiduis potiùs ex illis libris, quàm Regem proferant: quem Roma posthac nec Dij, nec homines esse patientur.* Hæc ille. Vbi nota iam appropinquasse tempus à Sibylla prædictum, quod forte illa per Olympiadum numeros designarat. Ex quo dixit, *Nuper*. Erant enim ab eo tempore, vsque ad Christum anni fermè viginti, siquidem Sibylla prædixerat, Romanorum Regem (qui quidem aliorum Reges esse solebant) pòst bella ciuilia oriturum, & pòst pacatam fore Rempublicam: vt dicitur apud Isaiam. Quod idem esse videtur cum eo, quod primò Tacitus tradit: *Pluribus persuasio*, inquit, *inerat, antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore vt valesceret Oriens, profectiq́ue Iudæa rerum potirentur*; quæ ambages Vespasianum, ac Titũ prędixerant. Deinde Suetonius in Vespasiano: *Percrebuerat Oriente toto vetus, & constans opinio, esse in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerũ potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum euentu postea patuit, prædictum, Iudæi ad se trahentes, rebellârunt.* Hæc ille. Et tamen Christus, de quo erat verè prædictum, missis Apostolis imperium mundi sibi comparauit. Et ita Suetonius, vt etiam Cicero, falsus est. Quemadmodum etiam Iosephus lib. 7. de bello Iudaico: *Sed quod maximè*, inquit, *eos ad bellum excitauerat, responsum erat ambiguum, itidem in sacris libris inuentum, quòd eo tempore quidam esset ex eorum finibus Orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quasi proprium acceperunt, multiq́ue sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem planè responso Vespasiani designabatur imperium, qui apud Iudæam creatus est Imperator.*

Romani aliorum Reges esse solebant.

Isai. 9.

Tacit. lib. 21. circa med.

Suet. in Vespasiano, cap. 4.

Ioseph. c. 12. in fin.

Quartò conueniunt, quia libri Prophetarum exurebantur, vt constat de libris per Hieremiam scriptis, combustis per Regem Ioachim: ita libri quoque Sibyllarum, iussu Imperatorum legi interdicebantur, & interdũ etiam exurebantur. Nam, vt Cornelius Tacitus refert, Augustus Cæsar, cũ suo tempore multa vana sub nomine Sibyllarum prodirent, iussit, conquisita Samo, Erythra, Ilio, & Africa, & Italia, vt carmina intra certũ diem ad Præfectũ Vrbis deferrentur, & ab illo ad censurã, & iudicium quindecim virorũ omnia deferrentur: nec liceret ea priuato cuiquam habere, vt superiùs ex Iustini Martyris testimonio produximus. Ammianus Marcellinus refert in Historia sua Cumææ Sibyllæ carmina apud Ænam ciuitatem ab Imperatore Iuliano inuenta, igni tradita esse. Stilico, Honorij Cæsaris socer, concitaturus in generum seditionem, carmina Sibyllarũ prorsus aboleri curauit. Quod Claudianus Poëta non tacuit, cùm ait:

Hierem. 36.

Cornel. Tacit.

Iustin. Mart. tom. 1.

Amm. Marc.

Nec tantùm Geticis grassatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremauit opus.

Claudianus.

Quintò conueniunt in hoc: quia tã Propheta, quàm Sibyllæ atra bili perciti insanire putabâtur. Et de Prophetis quidem, cùm opera præter naturam à Deo iuberentur: vt Isaias triénniũ nudus incedere, & Ezechiel stercore boum vesci, difficilè homines id adeò perfectum poterant cogitare. De Sibyllis verò testatur Aristoteles in Problematis, easdem atræ bilis æstu circa mẽtis sedem succenso exagitatas. Ambrosius verò in commentarijs prioris Epist. ad Corinth. scribit, & autumat, malo spiritu arreptas, prophetasse, cuius hæc sunt verba: *Spiritus mundi hic est, per quẽ arripiuntur phanatici, qui sine Deo sunt. Est enim inter mundanos spiritus potior, vnde solet cõiecturis quæ mundi sunt, diuinare, quẽ pythonem appellant. Hic est qui per verisimilia fallitur, & fallit, hic est qui per Sibyllam locutus est, sensum nostrorũ secutus, locum volens inter cœlestes habere.* Ita bonus Pater. Sed hoc ille fortaſsis dixit, nõ de veris, legitimisque Sibyllis, verũ de pseudosibyllis, quę Apollini, & in eo cacodæmoni oracula fundenti ministrabant, quæ profectò nõ nisi dæmone illas arripiente, & corpora illarũ subintrante, dabant oracula. Vendicant autẽ hoc sibi Prophetæ, vt maiori semper in auctoritate apud Iudæos extiterint, quã Sibyllæ apud Gentiles: vnde eorum libri certiùs ac puriùs, quàm Sibyllarum, conseruati sunt.

Isai. 20.
Ezech. 4.
Arist. Proble. sect. 30.
Ambr. in c. 2. aliquanto à med. tom. 5.
Quo sensu B. Ambrosius dixerit, malo Spiritu correptas Sibyllas prophetasse.

Sextò, quemadmodum inter Prophetas non oẽs sancti, ac Dei optimi maximi cultores extiterunt. Nam Balaam etsi vero spiritu Prophetiæ præditus fuerit, erat tamen idolorũ cultor: atque ob id quod cum dæmonibus haberet commercium, dicitur ipse ariolus, & Prophetia eius, augurium: ita inter Sibyllas quędã fuerunt idolorum ministræ, vt Delphica, siue Pythia, & Cumana, vt quidã volunt, quam celebrat Virgilius lib. 6. Æneid. Prophetæ etiam, vt plurimùm viri erant: Sibyllæ omnes, fœminæ, ac virgines erant: ex quo Virgilius, Sibyllã virginem vocat. Quamuis inter Gentes nõ defuerint etiam viri Prophetæ, vt de Hermete adducit August. & de Hydaspe Rege referunt Iustinus & Clemens. Scribit etiam Zonaras, Imperio Constantini Quarti & Irenes, in Thracia quendam inter fodiendum, in lapideam cistam incidisse, quæ humanum cadauer contineret, cum his literis:

Num. 24.
Balaam antè lus eiusq́ue vaticinium augurium esse dictum.
Quænã inter Sibyllas idolis seruierint.
Quinam viri inter Gentes prophetauerint.
Virgil.
Aug. lib. 13. contra Faust.
Manu. cap. 15. tom. 6.
Iust. loco dict.
Clem. supra citatus.
Zonaras.

Χριστὸς μέλλει γεννᾶσθαι ἐκ παρθένου, καὶ πιστεύω εἰς αὐτόν. Ἐπὶ δὲ Κωνσταντίνου, καὶ Εἰρήνης τῶν βασιλέων πάλιν, ἥλιε, ὄψεσθέ με. Id est, *Christus generandus est ex Virgine: & credo in eum. Tempore autem Constantini & Irenes Regum, rursus Sol videbis me.*

Sibyllæ nonnisi exametro carmine fundebãt oracula.

Tertiò Sibyllæ illud sibi vt proprium vindicare videntur, quòd oracula nonnisi exametro versu concinnata, fundere videantur: quo quidem Prophetæ caruerunt, tametsi quædã in eis cantica certo carminis genere constantia inueniantur interdum: nobis tamẽ illius carminis ratio ignota est, & obscura, quam in Hebraico idiomate illi vsurpant. Et hactenus quidem de Sibyllis sit dictum, quod nobis probabilius ex lectione Patrum, & rationis adminiculo visum est: parati tamẽ meliora, aut certiora cum gratiarũ actione recipere, si ab aliquo in medium aliquando proferantur.

Verùm redeundo ad illud, vnde digressi sumus, dicimus, Dei prouidentiam ad salutem Gentium procurandam nunquã aliquo tempore defuisse: quæ omnia auctoritate Chrysostomi, Iustini, & aliorũ Patrum, sed præcipuè Ioannis Damasceni in oratione, siue sermone de his qui in fide hinc migrarunt, quod viuorum beneficijs adiuuentur, mirabiliter cõfirmantur. Ait enim Chrysostomus: *Poterant homines tunc* (ante Christi scilicet aduentum) *etiam ipsam non confessi, saluari. Non enim Christi, qui nondum venerat, ab illis cultus petebatur, sed vt idolorum cultu spreto, vnum solum Deum conditorem omnium noscerent. Dominus enim inquit, Deus tuus, Dominus vnus est: idcirco Machabæi, ne legẽ traderent, mori maluerunt. Valde admiramur pueros quoq; illos, aliosq; complures apud Iudæos, qui bene & optimè vixerunt, & hanc cognitionis mensuram inuiolatam conseruarunt, à quibus nil aliud certum petitum est. Nunc autem nõ ita est, sed necessaria est ad salutem Christi cognitio.* Et infrà: *Quod autem qui ante Christum obierunt, ac ideò ipsum nõ cognouerunt, si ab idolorum cultu recesserunt, ac Deum solum adorarunt, si præterea honestè vitam peregerunt, æterna bona, & beatitudinem adipiscentur; Paulum rursus audi: Gloria, inquit, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Gentili.* Iustinus Martyr in oratione ad Antoninum Pium pro Christianis: *Quicunque, inquit, cum ratione, & Verbo vixêre, Christiani sunt, quamuis athei, & nullius nominis cultores habiti sint.* Quales inter Græcos fuere Socrates, & Heraclitus, atque ijs similes. Clemens verò Alexandrinus eos, qui ante Christũ fuerunt, honesteque vixerunt, ait esse iustos factos, vel per legem, vel per Philosophiam: sed defuisse eis tantum fidem in Christum, quare expectasse in inferno Christi, & Apostolorum aduentum, eorumq; prædicatione in Christum credidisse, & sic demùm seruatos esse. Hæc ille in sensu. Cuius dictum de prędicatione Christi, & Apostolorum, non est admittendum. At verò Damascenus prędicto loco copiosiùs agit his verbis: *At quid ait Propheta: In inferno quis confitebitur tibi? paulò anteà diximus: Quàm terribiles sunt minæ iudicis, cuius oculos nihil subterfugit: eas tamen superat eiusdẽ ineloquibilis misericordia. Quamuis autem ita dicat Propheta: omninò tamẽ in inferno confessio aliqua fuit, eorum, inquam, qui in salutarem Domini descensum crediderant. Christus enim assertor vitæ, non simpliciter omnes, sed eos tantùm qui crediderunt, vt dictum est, saluauit. Et quinam ante nos crediderunt? Patres, & Prophetæ, Iudices, Reges, & Præsides, aliiq; ex Hebræorum gente in magno numero, & noti omnibus. Caeterùm, nos ita respondemus ad hæc, ijs qui sic sentiunt. Neq; nouum, neq; mirum, neq; rarum esse, si Christus eos, qui in se crediderunt, saluarit. Quãdoquidem vnus est iustus iudex: in quẽ quisquis crediderit, non perit. Oportebat ergo omnes huiusmodi, per descensum Dei, & Domini nostri, ab inferni vinculis liberatos saluari. Quod & illius prouidentia factũ est. At solius misericordiæ gratia, saluatos opinor omnes, qui in vita puritate nullum non perfecerunt opus bonum, continenter, sobriè, tenuiterq; viuendo: licèt minus satis exercitati, fidem diuinam ac syncetam non acceperint. Cæterùm, quia illis præceptor, à Domino, cui omnia curæ sunt, diuinis retibus capti, fulgentibus in eis radijs diuinis, & veritatis lumine monstrato, ad credendum inducti sunt. Natura enim condolens Deus, horum labores cassari non permittebat. Vitam enim actuosissimã agebant, & supra quam dici potest ærumnosissimam, & angustam, simul affectuum suorum imperatores, atq; voluptatum facti contemptores, paupertatem, continentiam, vigilantiam, & optimam quamq; virtutem absoluerunt. Licèt autem non admodum religiosè: tamen aliquam iam diuinæ prouidentiæ rationem attigerunt, & cùm in parte optima versati sint, non tamen citra lapsum. Porrò nonnulli diuinam gloriam, & Trinitatis omnipotentis virtutem, virumq; tenuiter apprehenderunt, glorificarunt tamen: alij incarnationem etiam Verbi, & honorificam passionem, ac resurrectionem dicebant. Alij natiuitatem, quæ ex Virgine, nominationẽmq; ipsius prædixerunt. Maria enim, ait nomen puellæ. Alij item* (de Sibyllis nunc loquitur, vt ante de Philosophis) *omnia excellentia Christi miracula prælocuti sunt. Nam inter multa alia, prævaticinati sunt miracula mortuorum, cæcorum, surdorum, leprosorum, eorum, qui impeditioris erant linguæ, febri hydropisìue laborantium, aridas manus, luxataue membra habentium, & dæmoniacorum perq; mare deambulationem, insuper bene*

dictionem

Ioan. Damascen.

Chrys. hom. 37. in Matth. & med. tom. 2. Deut. 6.

2. Mach. 1. Leuit. 11. Dan. 3.

Idem ibidem.

Rom. 2.

Iust. Mart. in 2. propè init.

Clem. Alex. lib. 5. & 6. Strom.

Ioan. Dam. Psalm. 6.

Credentes qui soli fuerint salutem consecuti.

Isai. 35. Matth. 11. Luc. 14. supra 4. Matth 14. Eidem, &

Infra 15. Luc. 8. Infra 13.

dictionem panũ, & piscium, & curationũ Hamorhoyssa, & mulieris prorsus incurua, pradicentes, cum alijs multis. Enimuerò neq; illos despexit diuini Verbi potentia, vt prorsus excidere, & perire eorum bona opera permitteret. Nulla enim pars temporis in vsuram collocata, vt antea diximus, dispenbit, sed fideliter, seruata omnibus; qui benè egerunt vitam, restituetur vnà cum additamento & lucro. ¶ Qui verò turpiter transacta vita, neq; semen, neq; fructum aliquem bonum habuerunt, sed vita, verbo, & fide, modis omnibus sunt lapsi: quia vt signanter prius dixi, sementem non fecerunt, ideò etiam neq; germinauerunt, celitus diuino imbre infuso, neq; floruerunt Sole gloria exorto: sed prorsus fructu carent, eisq; nihil profuit Christus, neq; lapsos puto suscitauit, vtpote indignos omni salute, quòd in ipsum solum nō crediderunt. Primus enim draco, cui tanto studio seruierunt, & tenebrarum densatio ipsorum mentes, mentalesq; cordis oculos excacauerũt, ne videntes videant, vt est in oraculo, & ne audientes, intelligant. Omnes autem alij, quibus fuit semen, & facta pluuia germinauerunt, & Solis iubare exorto, mirè efflorucrunt. Hæc ille, doctè sanè, & sapienter, vbi videre potes diuinam prouidentiam etiam ad Gentiles extendi: & bonam Gentilium vitã sine remuneratione apud Deum minimè fuisse, neque illos omni prorsus fide caruisse, quamquã explicitam de Christo fidem atque perspicuam, defectu præceptorum nō habuerint: testatur nihilominus, Prophetas inter eos atque Sibyllas non defuisse, qui Trinitatis, & incarnationis item Verbi Mysteria vsque ad virginem matrem, nomenque Mariæ præcinuerunt. Atque hactenus de explicatione illius verbi: *Et vita erat lux hominum:* dictum sit. Orandus est tamen Deus, & precibus nostris pulsandus, vt qui per se ipsum lux, & vita est omnium, lux, & vita nostra in particulari dici possit. Quod tunc impetrabimus, quãdo opera tenebrarũ à nobis abijciemus, mortiferasque cogitationes, ac desideria in nobis extinguemus, vt ita lucem hanc vitalem, seu vitã lucidissimã accipere valeamus, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cũ Patre, & Spiritu sancto, &c.

Isai. 6. Matth. 13. Ioan. 12. & aliàs.

Rom. 13.

TRACTATVS XX.

Quo decem sententiæ præcedentes de Christi diuinitate, exponuntur suauiter, & accommodatè de eiusdem sanctissima Humanitate.

Verbi proprietates decem quænam illæ.

DECLARAVIT Euangelista in præcedentibus verbis decem diuini Verbi proprietates, sententijs quasi decem contentas. Prima fuit de æternitate Verbi: Secunda, de Verbi apud Patrem existentia: Tertia, de Deitate Verbi: Quarta, de Verbi ad Patrem coæternitate: Quinta, de creatione mundi: Sexta, de conseruatione eiusdem mundi: Septima, de existentia, & vita rerum in Verbo, antequam fierent: Octaua, de luce vitali hominum: Nona, de illustratione, quã lux in tenebris, & in peccatoribus perfecit: Decima & vltima, de ingratitudine tenebrarum, & peccatorum talem lucem non comprehendentium. Sed quoniam omnia quę erant Ducis Holofernis, post mortem eius donantur ipsi Iudith eius interfectrici: ita omnia quæ propria Diuinitatis erant ab Humanitate sua expugnatæ quodãmodò, traduntur ipsi Humanitati propter communicationem idiomatum, vt docent omnes Theologi: maximè post victoriam, & satisfactionē in cruce peractam. Qemadmodũ enim puella coniuncta viro, propter vinculum ex legitimo ortum matrimonio, omnia quęcunque viri sunt, sua etiam vt sint, efficit: rursus vir, quæ vxoris erant suæ, facit propria & sua; ita vt si vxor possideat Ducatum aliquem, & Principatum, vir & Dux, & Princeps efficiatur, & appelletur: & si vir item èconuerso Regnum possideat, mulier ad dignitatem, Reginæque nomen ascendat: ita profectò Diuinitas cum Humanitate conuenit. Tamque arcto vnionis hypostaticæ vinculo se illi copulauit, vt quæ Diuinitatis sunt, Humanitati attribuantur: quæ rursus Humanitatis sunt, Diuinitati. Et ita loci Scripturæ, qui de Christi Diuinitate loquuntur: possunt etiã (si litera nō repugnat) ad Humanitatē eius accõmodari, quod nos hîc facere intendimus. Est ergo Humanitas expressa Deitatis imago, pluſquam omnes creaturæ simul cõiunctæ; ac per hoc superat omnia creata, quemadmodum & Diuinitas. Deinde, vt Verbum à Patre in instanti (vt sic dicam, nihil enim citiùs, breuiusque concipimus) ab æterno naturali operatione genitum est: ita Christi Humanitas per Spiritum sanctum vt artificem in instanti formata est. Tertiò, quemadmodum Verbum sine corruptione vlla à Patre prodijt ac manauit: sic de Maria virgine humanitas Christi, salua Virginali dignitate, & pudore, nata est. Quartò, vt verbum cum infinito gaudio Patris conceptum est, ac genitum: ita Christi humanitas incredibili matris lętitia cõcepta est, atq; edita in lucē. Postremò, vt verbum cum Patre simul producunt Spiritũ sanctum, sic anima Christi simul cũ carne virginea, puncto temporis imaginario seu instanti, vt vocãt, genuit merito suo columbã Ecclesiæ, nullis meritis præcedenti-

Iudith [illegible] Quomodo [illegible] [illegible] humanæ [illegible] diuin[illegible] [illegible] communicatio.

Communis Theologorũ doctrina.

Christi [illegible] [illegible] Ratio secunda.

Tertia.

Quarta. Luc. 1.

Quinta.

bus.

Illud: in principio erat Verbum, Christi humanitati vt possit conuenire.

bus. Prima ergo sententia est: *In principio erat Verbum.* Quæ quidem sic ad Humanitatem accommodatur, vt Christus homo sit caput & fundamentum omnium prædestinatorum: de quo ipse in Psalmo dixit: *In capite libri scriptũ est de me, vt facerem voluntatẽ tuam.* Voluntas autẽ Patris, est salus, & vita æterna aliorũ hominum, de quo ait Paulus: *Elegit nos in ipso ante mundi cõstitutionem:* Et rursus: *Qui prædestinauit nos in adoptionẽ filiorum, per Iesum Christum in ipsum.* In secunda sententia dicitur: *Et Verbum erat apud Deum.* Ita humanitas tã coniũcta, & propinqua Deo fuit, vt ille homo esse Deus per vnionẽ hypostaticam: & quamquam anima corpus in morte deseruerit, qua Christus homo esse desijt; Diuinitas tamen neq; corpus, neque animam dereliquit, sed semper sustentauit. Fuit igitur humanitas Christi apud Deum, quæ ex quo cõcepta primum est, & formata, apud Deum semper fuit visione perpetua Diuinitatis, charitate, & amore, qui facit vt homo sit magis apud Deum quẽ amat, quàm vbi est. Erat etiam apud Deum, paternam gloriam quærendo in omnibus, ac sibi semper ob oculos proponẽdo, nõ suam, atque propriam: vt hac sua propinquitate promeruerit, vt omnes qui lõge aberamus à Deo (nã *Longe à peccatoribus salus*) propter ipsum facti simus prope, seu, vt melius dicam, propinqui. In tertia sententia dicitur: *Et Deus erat Verbum.* Quia de homine illo assumpto affirmamus: Hic est verus Deus: hic creauit cœlum & terram: hic Spiritum sanctũ spirauit. Vt enim Apostolus inquit: *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Est enim humanitas templũ Dei, vt dicitur Ioan. 2. ædificatũ in area Areuna, id est Mariæ, quæ interpretatur lux nostra, quæ Maria area est sine monte superbiæ, in qua triturata sunt prophetiæ, ad quam sunt manipuli nostrorum bonorũ operum deportandi, vt à palea inanis gloriæ purgẽtur. In templo habitabat Deus & exaudiebat, ibi etiam solum sacrificare fas erat, quia in humanitate, vt dictũ est, Deus inhabitat, in illa exaudit. Ex quo precationes Ecclesiæ terminantur: Per Dominum nostrũ Iesum Christum, &c. Extra Christum etiam nullu Deo sacrificium placet. Quarta clausula, repetitio est rerum præcedentium, & humanitas semper fuit ab initio apud Deum, quatenus primum opus in mẽte Dei ab æterno destinatũ, siue homo peccaret, siue nõ peccaret, fuit, cõmunicare semper hypostaticã vnionem: pati autẽ mortẽ, & sanguinẽ pro peccatoribus fundere, nõ nisi post peccatũ præuisum fuit. Incarnationis opus verò, quatenus ad Deo gratũ hominẽ efficiendũ, atque eum ad gloriam euehendũ spectabat, cum opus sit longè maximum, & maximũ Dei argumentũ bonitatis & indicium, non debebat ab hominis peccato pendere, & per occasionẽ eius in mundum introduci.

Psal. 39. & Hebr. 10.

Quæ sit voluntas Dei Patris.

Ephes. 1.

Ibidem.

Humanitas quomodo apud Deum.

Matth. 27.

Vis amoris.

Ioan. 7. & Infra 8.

Psalm. 118.

Ephes. 2.

Ibidem.

Humanitas quomodo Deus sit.

Gen. 1.

Coloss. 1. & 2.

Area Areuna in qua templum fuit ædificatum, quid mystice. Maria quid sonet.

Quomodo Humanitas semper fuerit ab initio apud Deum.

Quinta clausula habet: *Omnia per ipsum facta sunt.* Quantũ ad esse quidẽ naturæ per ipsum verbum, quatenus Deus est; quod ad esse verò gratiæ spectat, & meriti per ipsum verbum, vt carnẽ assumpsit, & homo factus est, per quem, vt ait Petrus, maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hęc efficiamur diuinæ cõsortes naturæ. Et vt esse naturale primò Adæ acceptũ ferimus, quia à Deo per ipsum accepimus; ita esse gratuitum ab eo per Christum hominẽ esse confitemur acceptum. Qui propterea Pater futuri sęculi ab Isaia pronunciatur: & Ioannes Euangelista ait: *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*

Qua ratione per Christum hominẽ facta sint omnia.

2. Pet. 2.

Isai. 9.

Ioan. 1.

In sexta sententia dicitur: *Sine ipso factũ est nihil, quod factũ est.* Vt excludat diuinas personas non factas: sic etiam sensui proposito accõmodatur, vt excludat gratiam humanitati datã, quę nõ est facta per eum: nã gratis ipse accepit, nullisq; meritis suis præcurrentib⁹ quod habebat. Ideo haud mirũ est, si gratiosè, & liberaliter tanta Dei dona in nos effuderit, ac tã etiam benignè, largiterque. Vel aliter dici potest, sine humanitate duntaxat bona opera nostra conseruante, omnia in nihilum redigi: sicut sine capite pereunt omnia membro, & arescente vite, arescunt & oẽs palmites. Per humanitatem ergo Christi esse diuinæ gratiæ accepimus, & per eundem illum omnia dona gratuita conseruantur. Ideò dixit: *Sicut palmes nõ potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis.*

Illud: & sine ipso factũ est nihil, ad Humanitatem quomodo referatur.

Ioan. 15.

Ibidem.

In septima sentẽtia dicitur: *Quod factũ est, in ipso vita erat.* Et significatur omnia nostra benefacta in eo, & propter eum viuere: quatenus ergo homo est in Verbo per gratiam, & charitatẽ, eatenus ipse, & sua opera viuunt in Christo: quod verò ab eo separatum est, mortuum est, & nequaquam viuit.

Illud. Quod factum est, in ipso vita erat, vt intelligatur de Christo homine.

Octaua sententia habet: *Vita erat lux hominum.* Humanitas enim Christi lux est vtriusque, & militãtis, & triumphantis Ecclesiæ, & rursus vtriusque Ecclesiæ vita. Nam sicut in primo Adam omnes moriuntur, ita in Christo secundo Adamo omnes viuificabuntur. Significaturque, vitã nostram in fide, & gratia sitã esse: nã iustus ex fide Christi viuit, & nostrã vitã spiritualẽ in cœlesti regno, in luminis gloriæ à Christo accepti cõmunicatione subsistere: de quo Psaltes: *In lumine tuo videbimus lumen.* Vnde & Christus Rex gloriæ dicitur a Propheta: *Et claritatem*

Humanitas quomodo vita & lux sit hominum.

Rom. 5.

Ibidem.

1. Cor. 15.

Rom. 1.

Habac. 2.

Psalm. 35.

Psalm. 2.

Ioan. 17.

ritatem, Dominus inquit, *quam tu dedisti mihi, dedi eis.*

Christi Humanitas, vt lux in tenebris lucens.

In nona sententia dicitur: *Lux in tenebris lucet.* Quia Christi doctrina, & sanctitas, siue gratia omnibus Iudæis, & gentibus ad salutem proponitur, vt deferentes tenebras peccatorum, ad ipsum, vt lucem veram & salutiferam cõuertantur. Lucet etiam in tenebris, quia in sanctis, & spiritualibus viris, vt Apostolis, & Prophetis Christi virtus, & sapientia splendent: & tamen in illis, quia ab eo obtenebrantur, atque offuscantur propter eius nimium splendorem, quasi in tenebris quibusdã lucet. Vt enim de Moysis spiritu dedit Deus septuaginta senioribus, quibus tamen omnibus ipse Moyses sapientior permansit: ita etsi omnes sancti Christi lucem participent, comparati tamen ad ipsum, simul oẽs non secùs ac stellæ Solis præsentia obscurantur, & obruuntur, atque euanescunt quodammodò. Lux etiam in tenebris peccatorum nostrorum lucet; quatenus misericordia, & bonitas Dei ab illis nec vincitur, nec exinanitur; quin potiùs illustratur magis, atque exaltatur. Lucet etiam in tenebris, nimirùm pœnis, & tentamentis vitæ huius, quæ in luce Christi obscurantur, & vim suam, & amaritudinem perdunt, ac Filijs Dei in virtutis instrumenta, & lucis arma conuertuntur.

Num. 11.

Tenebras, id est, peccatores Christum hominem nõ comprehendisse, quomodo verum.

In postrema sententia dicitur, Tenebras Verbum non comprehendisse: quia magna pars hominũ in tenebris ignorationis Dei, contempto Christo, vitam agit infelicem. Ex Christianis verò paucissimi sunt (proh dolor) qui oculos spirituales, & internos ab omni immunditia perpurgare studeant, vt sanctissimæ Humanitatis Christi mysteria, & merita cernere possint. Gratias ergo Verbo Dei immensas agamus: gratias eius sanctissimæ Humanitati & habeamus, & agamus, semperque reddamus, cui & nostrã prædestinationem, & propinquitatẽ apud Deum, & Deitatis communicationẽ quandam, & partem, & esse gratiæ, ac meritorum, atque eorundem conseruationem debere nos vltrò fatemur. Debemus, & vitam, & omne gratiæ lumen, vt cognoscamus, & enarremus virtutes eius de tenebris, qui nos vocauit in hoc admirabile lumen suum: cui cum Patre, & Spiritu sancto tribuendus est omnis honor, gloria, & imperium, in sæcula sæculorum, Amen.

Quantum Humanitati Christi debeamus.

1. *Petr.* 2.

TRACTATVS XXI.

Quo exponuntur illa verba: Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes, *vsque ad id:* Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.

HACTENVS Euangelista descripsit æternitatem, ac Deitatem Verbi, eius admirabilem in mundi creatione potentiam, ac vim ostensam, postremum illuminationem per illud effectam, tùm in lege naturæ, tum etiam in lege Moysi; nunc verò de eius Incarnatione tractare intendit. Sed quia illa lux Verbi in se ob suam infinitam perfectionem, haud poterat cerni, vnde lucem dicitur habitare inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest: deinde in humanitate illa, quam [illegible] sumpsit, velut eclypsata latitabat, ita vt tenebræ eam nõ apprehenderent, id [illegible] agendum sibi putauit de sanctissimo [illegible] Domini præcursore Ioanne Baptista, qui destinatus fuit, vt testaretur de [illegible] minũ luce. Deinde tractaturus est de testimonio, quod Verbũ habitans in nobis sibi ipsi reddidit. Sed vt vox præcedit Verbum, ita declaratio Christi per Ioannem, debuit illam perfectionem anteire, quã ipse Christus sibi exhibuit. Ait ergo Euangelista: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes:* in quib' septem sese offerunt considerāda. Primum, verbum: *Fuit,* secundum, *Homo,* tertium, *missus,* quartum, *à Deo,* quintum, *nomen Ioannis:* sextum, officium eius: *Hic venit in testimonium.* septimum, finis testimonij, *Vt omnes crederent per illum.* Non enim in re seria, & ardua credibile est diuinam sapientiam verba in ventum fundere voluisse: idcircò minutè singula sunt ponderanda, & mysteria inquirenda. Cum ergo hactenus verbo illo substantiuo *Erat,* vsus fuerit, vt adnotat Cyrillus, nunc vtitur verbo præteriti perfecti, *Fuit,* siue vt Græcè dicitur [illegible], quod non est verbum substantiuum, & licet pro eo interdum accipiatur, significat tamen quandam [illegible] rei cui tribuitur factionem: nam antea de Verbo, increato, & infinito esse Verbi [illegible] est, quod quidem nec esse incipit, nec desinit: quemadmodum Ioannes, & creaturæ omnes principio, & fini subiectæ sunt. Vnde scriptum est: *Ipsi peribunt, tu autem permanes, &c. & anni tui non deficient.* Significat ergo Euangelista, personam Ioannis fuisse creaturam, dicendo *Fuit,* sicut ille qui dixit:

Fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Dardanidum.

Aptè etiam illo verbo significatur Ioannis officium ad horam fuisse: quemadmodum stella illa, quæ Lucifer dicitur, vsque ad Solis exortum permanere solet, orto verò Sole, [illegible]

Ioannes [illegible]

Heb. 1.

Virg. lib. 2. *Æneid.*

le, incipit deficere, & Solis magno splendore offuscari: sic etiam Ioannes, qui hoc non ignorabat, dixit: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Ioannes etiam vox erat clamans in deserto: vocis autem officium est, verbum ad audientē deferre, quo delato, vox cessat, verbū autē permanet: ita sanè Ioanni, & Christo euenisse videmus. Secundò dicitur, Fuit homo, sine aliquo articulo, vt intelligamus illū purum fuisse hominem: non autem Christum, vt quidam ex Iudæis existimabant, quibus Ioannes cum horrore dixit: *Nō sum ego Christus.* Deinde etiam, homo, nō Angelus, quia Filius erat Zachariæ, & Elisabeth, & decollatus postremò fuit ab Herode: quamuis officio Angelus esset, à Deo, vt hîc dicitur, missus, & de quo Christus alio in loco: *Ego mitto Angelū meum, &c.* Quamquam Origenes tom. 2. in Ioannem, doceat animam Ioannis Baptistæ eius corpore fuisse antiquiorem: deinde plerosque Angelos olim incarnatos, & ex ijs fortè vnū fuisse Ioannem Baptistam, & ex Angelorū natura, in hominum naturam descendisse: quorum vtrumque haud opinabile dogma est & absurdum, & propterea meritò ab Ecclesia reiectum. Tertiò, homo dicitur magnus, excellens, tum in naturalibus, tum etiam in gratuitis, quo etiam maior inter natos mulierum, Christo teste, nō surrexit Propheta, vt dignè tùm de luce illa testificari, tùm ab Euangelista Ioanne post Verbum proximè describi posset. Nam vt hic post Verbum descriptus est, ita in libro vitæ, proximus Christo post matrem (quæ in filio intelligitur) meritò scriptus putatur. Quartò, consideranda est Dei sapientia, atque suauitas, non Angelum, sed hominem ad homines mittens. Erat enim in primis tùm Deus, cùm Angeli ante perfectam pacem per incarnationem, terribiles, ac formidabiles. Ex quo Daniel viso Angelo cōcidit, & Iacob etiam Angelo cōspecto præ admiratione dixit: *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Post peccatum Adæ Angelus visus est cū gladio flammeo, atq; versatili ad custodiam paradisi: Zachariam Sacerdotem in templo terruit Angelus, & Maria Virgo turbata est in sermone eius, dum ab Angelo salutata est. At post Verbi incarnationē, & natiuitatem, in qua pacem cecinerunt Angeli, familiares redditi sunt Angeli hominibus. Vnde & Angelus familiariter ad Ioseph virum Mariæ loquens introducitur. Familiaris fuit Petro Angelus, in abductione à carcere: familiariter agebat Angelus cum Paulo, vt in Actis Apostolicis dicitur: Ioanni in Apocalypsi familiaris aderat Angelus: postremò Abra-

Ioan. 3. — Suprà 1. — Isai. 40. — Vocis munus quod. — Ioan. 1. — Luc. 1. & seq. — Matth. 14. — Suprà 11. & Malach. 3. — Origenis falsa dogmata duo ab Ecclesia damnata. — Luc. 1. — Matth. 11. — I. Ratio Cur Ioannes à Deo missus homo nominetur, non Angelus. — Dan. 10. — Gen. 32. — Suprà 3. — Luc. 1. — Ibidem. — Infrà 2. — Matth. 1. & 2. — Actor. 12. & seq. — Infrà 17. — Gen. 18. & 21. & 24.

hæ post factam promissionem de semine, nempè de Christo, Angeli familiares extiterunt. Deinde, hominem Ioannem mittit: quia Verbum hominē factum, annunciare debebat. Tertio, homo lōgè aptior, & accommodatior est, & magis notus, vt ab hominib' intelligatur: Angeli verò, aptiores sunt ad magnos & excellentes viros, vt Prophetas, & Apostolos instruendos. Verbum autem indicandum erat non tantùm magnis, verum etiam rudibus, tùm etiam digito demonstrandum: ideò homo, & nō Angelus, mittitur. Quartò, amplior & maior castitati, obedientiæ, & fidei locus est, dum instrui nos per hominem sinimus, ac per homines credimus, quàm si per Angelum, aut Deum erudiremur. ¶ Subditur: *Missus à Deo.* Non sat erat ad testimonium de luce perhibendum, quòd esset inclytus, magnus, excellensque, quia vel talis mentiri solet interdum in diuinis, quæ non cernit, sed opus est Deo instructore, & assistente, vt nihil proprium dicat (nam ex proprijs homo loquens, mentitur sæpè) in hunc modum Angeli dicuntur in ministerium missi. Sic etiam Prophetæ omnes à Deo missi, vsque ad ipsum Christum venerunt à Patre cœlesti ad Euangelizandum pauperibus missum, qui proptereà dixit: *Omnes, quotquot venerunt, fures sunt, & latrones.* Venire autem ante Christum, non est aliud, quàm à seipsis, & non missos venire. Inter omnes autem missos, singularis fuit ista Ioannis missio, de qua hic sermo est. Primò quidem, quia dicitur Angelus, vt eius cœlestis vita, & Angelica potius, quàm humana designetur. Deinde, quia vt præcursor expectauit, vt videret Christum, quem alterius sæculi hominibus annunciaret; id quod Prophetæ non præstiterunt. Nam priùs per viam vniuersæ carnis cucurrerunt, quàm præstolatum Domini videri mererentur aduentum. Tertiò, singulariter fuit missus, & à pseudoprophetis eo verbo separatus, vt ait Rupertus, quia supra naturam, ex senibus, & sterilibus venit, quod non est naturæ, verùm solius Dei opus. Quartò, quia & præcursor, nudus fuit, non occupatus in sæculo, vel in parentibus, possessionibusúe, sed vrgenti Domini sermone, & negotio mittentis Dei, & subsequentis se Verbi, nudus, & expeditus ante faciem eius curreret, tùm ab infantia, siue pueritia eius, quippè qui ad hoc & natus erat, & factus. Suppresit autem Euangelista eius parentes, annunciationem, natiuitatem, vitam in deserto, victus ac vestitus austeritatem: quòd intelligeret ea ab Euangelistis alijs enarrata, ea

II. & III. Ratio. — IV. Ratio. — In eo qui testimonium de luce perhibere velit, quæ requirantur. — Ioan. 8. — Hebr. 1. — Isai. 61. & Luc. 4. — Ioan. 10. — Venire ante Christū quid sit. — Quod singularis inter omnes missos Ioannis exstiterit. — Matth. 11. & Malach. 3. — Rupert. Tuit. — Luc. 1. — Matth. 3. — Luc. 1.

Apostoli vnde dicti.

que ab ijs esse petenda. Quintò, dicitur, *Missus*, siue Græcè ἀπεσταλμένος, participium passiuum eius verbi, à quo Apostoli dicti sunt, id est, mandatus, vt ita significetur Apostolus Apostolorum. Subditur autem, *Missus à Deo*, nullo medio: alij autem mittuntur à Deo per superiores. Vnde ait Paulus: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Quia enim nemo dat quod non habet, vel quod non accepit à Deo, cùm omnis potestas à Deo sit, plebs certè potestatē spiritualem, quam non habet, nec à Deo accepit, dare non potest, vt Hęretici somniant. Superiores autem, cùm potestatē à Deo acceperint, alios mittendi habent auctoritatem. Secundò, dicitur missus à Deo: *Quia nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquā Aaron.* Et alibi: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Sicut idē ait Apostolus. Tertiò, a solo Deo mitti poterat talis ac tātus nuncius, annuntians rem adeò vtilem, atq; tādiu expectatam, Christum nempè, omnium Saluatorem. Quartò à Deo missus est, quia Deus, qui vbique est, adest suis nuntijs & legatis. Hinc Mosi dixit: *Vade, ego ero tecum.* Postremò, modus haud exprimitur missionis, an sensibili, & exteriori voce, imaginariane, an verò intellectu prędita, quare nec curiosius à nobis inquirendus est: verùm cōtenti esse debemus testimonio Lucæ, dicentis: *Anno quinto decimo Tiberij Cæsaris, &c. factum est Verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium, in deserto*: vbi tempus, & locus, & modus cum alijs Prophetis cōmunis describuntur. Nam factū est verbū Domini primum super Abraham, deinde super alios Prophetas, & vltimò super Ioannem. Quintò subditur: *Cui nomen erat Ioannes*: de magnis viris hoc dici in Euangelio cōsueuit, quod insinuat hoc nomen scriptum in libro vitæ: & in illo magni habētur, quorū nomina sunt in Euangelio scripta. Vnde dicitur: *Cui nomen erat Ioseph, & nomen Virginis, Maria: Cui nomen Simeon.* Rursus: *Deinde autem Apostolorum nomina sunt hæc.* Signantur autem in nomine Ioannis non casu imposito, sed diuinitùs indito. Primò, gratia data in missione Dei, aptos & idoneos facientis eos, quos mittit, atque eligit: ex quo Paulus: *Idoneos nos fecit ministros Noui Testamenti*, quamquā homines alioqui viles, atq; despecti videantur, & gratia Dei tales nō se, sed Christum, vt quærant, efficit, quia illum, qui eos mittit præ oculis habēt. Vnde Apost. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei:* & Ioan. ipse Bapt. dicebat: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum*, vt solent Legati

Ioannes Bapt. fuit Apostolus Apostolorum.

Actor. 20.

Rom. 13.

Ioannes cur dicatur à Deo missus.

Hebr 5.

Rom. 10.

Exod 3.

Ioannes quomodo missus.

Luc. 3.

Qualis fuerit ac quātus Domini præcursor Ioannes.

Suprà 1.

Ibidem.

Matth. 10.

2. Cor. 3.

In nomine Ioannis diuinitùs imposito insinuata mysteria quæ sint.

1. Cor. 4.

Ioan. 1.

dicere. Secundò nota Verbum, *Erat*, quod etsi Græcè nō legatur, erat tamen in mente Dei, quod posteà per Gabrielem Angelum reuelatum est. Erat autem verè, quia à Deo erat, *Ioannes*, inquit, *est nomen eius*: id est, nos non imponimus illud, sed Deus qui facit, quod dicit, ipse imposuit, & hoc est nomen describens, atq; definiens ipsum. Tertiò, significatur seruus dilectus, eiusmodi namque imponere nomina soliti sumus, & quia ab ipsa vsque infantia seruire Christo cœpit, illumque prǽcurrere, idcircò ab initio quoque nomen accepit. Ideò Petrus, & Paulus, & Matthæus tardiùs, hoc est à tempore, quo seruire Christo cœperunt, nomina sortiti sunt. Quartò, interpretatur gratia Domini, vel misericordia Domini, quia gratiosè à Deo parentibus donatus est, & quia annunciauit cessationē Legis Moysi, quæ iugum erat importabile, & gratiam Euangelij, quæ iugum Christi suaue est: & quia ostēdit Christum agnum, mundi peccata tollentem, & misericordiam præstantem: & quia de eius plenitudine deriuari in nos gratiam prædicabat. Secundò interpretatur, in quo gratia, vel misericordia in Domino, quia ante vterum duntaxat prædestinatus à Deo, prænunciatus à Prophetis, in vtero concipitur miraculo à tam sanctis parentibus, sanctificatur, & Spiritu sancto repletur, acceleraturq; in eo liberi arbitrij vsus. Natus verò, tāto cū gaudio & expectatione, adhuc puer eremum ingressus est, incoluitque fermè toto vitæ suæ tempore: tāto vitæ, atq; doctrinæ suæ splendore refulsit, & præcursoris, testis, ac paranymphi exercuit officium: & tandē felicissimè pro iustitia & veritate mortem subiuit. Quintò nomen propriū fuit Ioannes; Baptista verò ab officio baptizādi dicitur. Dicitur testis, quia de luce testificatus est: Lucifer, quia solem prǽiuit iustitiæ: Lucerna, quia tanto vitæ illuxit splendore, vt ipsam veram in humanitate Christi velut in cristallo latitantē ostenderet Deitatē. Dicitur paranymphus, quia prǽsens Verbum cū Ecclesia præsente cōiungit. Dicitur Angelus, ob vitæ puritatem, & sanctitatem: Vox, quia resonabat Verbum, & ad illud deferebat auditores: dicitur Helias, quia in spiritu, & virtute eius venit. Deniq; fuit plus quam Propheta, Apostolus Apostolorū, Martyr, Doctor, Confessor, Eremita, Primogenitus fuit, & vnigenitus parentum suorum, ac proinde typus Christi. Laudatus à Domino non semel ab Angelis, & Prophetis, ab Herode, à Pharisæis, à turbis Sextò, describitur officium eius, ac munus: quia enim diuersarum rerū diuersa sunt testimonia, declarat cuius

Luc. 1.

Ioan. 1.

Actor. 13.

Matth. 9.

Actor. 15.

Ioannis nomen duo sonat.

Matth. 11.

Ioan. 1.

Ibidem.

Hierem. 1. & Luc. 1.

Ioannis prærogatiuæ singulares.

Isai. 40.

Malach. 3. & Matth. 11.

Luc. 1.

Ibidem.

Ibidem.

Ioan. 3.

Matth. 14.

Ioan. 1.

Infrà 5.

Suprà 1.

Infrà 3.

Matth. 11. &

Malach. 3.

Ioan. 1. &

Isai. 40.

Matth. 17. &

Malach. 4.

Matth. 11.

Ioan. 11.

Matth. 14.

Luc. 7.

Ioan. 1.

Luc. 1.

Ibid & 17.

& Ioan. 5 & aliàs.

Matth. 11.

Luc. 1.

Isai 40 &

Mal. 3. & 4.

Matth. 4. &

Marc. 6.

Matth. 21.

Luc. 3.

Prouerb. 16.

rei testificãdæ gratia fuerit missus: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Officium verò eius dignissimum erat testificari de lumine. Vbi diligenter aduertendum est, creaturas omnes, quas propter semetipsum operatus est Dominus, testificari Dei bonitatem, sapientiam, potẽtiam, & iustitiam: *Inuisibilia enim ipsius,* vt testatur Paulus, *à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur:* sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas. Inter alias autem omnes creaturas homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus, excellentiùs perhibet; verùm creaturæ, quæ habent esse diuinum & gratuitum, multò excellentiùs, ac singulariùs testimonium reddunt. Vnde Christus dixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Qui autem verbum Dei alijs proponunt, & prædicant, hi maiori ratione de Christo testificantur. Hinc eiusdem illa vox: *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ.* Et iterum: *Cùm venerit Paracletus, &c. Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis.* Et in hoc genere testificandi excedunt Apostoli, & Patres Noui Testamenti, oẽs Veteris Testamenti Prophetas, qui quidẽ omnes Christo testimonium perhibuerunt, remissionem peccatorũ accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum: vt Petrus dixit in Actis. Sed inter Noui Testamenti Patres, nullus neque prius, neq; excellẽtius & vita, & verbo quã Ioannes testificatus est, non lumen venturum, sed venisse: *Ecce,* inquit, *Agnus Dei.* Hic ergo, quẽ in medio concilij malignantium posui testem: hic, inquam, solus præcursor, & masculus testis, *venit.* Etsi enim emissus sit, venit tamen: quia nõ solùm agimur, sed etiam agimus, & Spiritus Prophetarũ Prophetis subiecti sunt in testimonium proximum, vt vox de Verbo testatur: *Testimoniũ perhiberet de lumine,* siue de luce: nã in Græco Codice non est aliud ab eo, de quo suprà dicit: *Et vita erat lux hominum.* Semper enim, est τὸ φῶς. Notant Grammatici tamẽ, lucem, esse in corpore lucido; lumen, in medio, splẽdorem verò, vt ab alio corpore lumen suscipiente reflectitur. Iuxta quã quidem obseruationem potest dici Christus lux in se: lumẽ verò in incarnatione, vita, & morte, quę salutis nostræ sunt medium: splẽdor autẽ in sanctis suis, in quibus vita, & doctrina resplendet. Vt ergo testimonium perhiberet de luce in tenebris Iudæorum, dicẽtium Christum filium Ioseph, & filium fabri, nundumq; venisse: cõtra quod magnus testabatur Ioannes, ideoque maximè oportebat eos cognoscere lucem; ideò insinuat habuisse Ioannem certã & claram notitiam huius lucis: quia vt ipse dixit, *Quod vidit, & audiuit, hoc testatur.* Quo testimonio Christus propter seipsum non egebat, qui Sol est clarissimus & lucidissimus, sed propter cæcos, & credere nolentes Iudæos indigere voluit. Et quemadmodum solem in seipso cernere nequaquam possumus, benè autem in stella aliqua, vt in Lucifero, vel in monte aliquo, ex quo inde lux, & splendor ad valles descendit: ita profectò significatur lucis Verbi processus ad montem magnum Ioannem, de quo Angelus dixit: *Erit magnus coram Domino,* vt inde ad valles Iudæorum splendorẽ emitteret. Ad hæc, quemadmodum Verbum infinitum in humanitate assumpta se humiliauit, & exinaniuit; ita in sanctis ipsis quodammodò se abbreuiauit, atq; restrinxit. Hinc fit, vt ad vitam, vel ad mortẽ Apostoli alicuius, vel Martyris, vel ad aliqua Christi humana opera magis quãdoque moueamur, quàm ad opera eius magna excellentia, & quæ diuinitatẽ testabantur illius. Quare Apostoli ante aduentũ Spiritus sancti, teneriori prosequebantur amore Christi humanitatem, & ab illa ablactari se, eiusque societate omnium longè iocundissima diuelli molestissimè ferebãt.

Septimò, sequitur finis missionis Ioannis: *Vt omnes crederent per illum:* vbi primo pondera verbum, *omnes.* Et intellige tam ex parte Patris æterni mittentis, quàm ex parte Ioannis, & Christi ipsius, de quo erat testimonium reddendum, hunc finẽ fuisse propositum, nempè vt omnes crederent. Sicut enim Christi miracula nõ modò præsentibus, qui illis interfuerunt, & credentibus, sed etiã omnibus fidelibus profuerunt, imò etiam præteritorum hominum in spiritu cognita, sanctificationem sunt operata: Sic Ioannis testimonium ad omnium salutem hominũ pertinuit. Secundò pondera verbum, *crederent:* Non, vt scirent, quia testimonio nõ respondet scientia, sed fides: quamquã sacræ paginæ fidem, eius ob firmitatem, & certitudinem quam includunt, consueuerint appellare scientiam. Dixit etiam, *vt crederent,* vt ab imperfecto, nimirùm à fide, ad perfectum ascendat, id est, ad visionẽ huius lucis. Pulchrè postremò dicitur, *vt crederent;* vt ea ratione appetitus ille sciendi, quo abusi fuimus in Adam primo nostro parente, reprimatur: quãquàm appetitus eiusmodi ab ipso Creatore rectè fuerit plantatus, & ingeneratus: quippè ad sciendum nati sumus, non ad opinandum, vel credendum. Nunc autem meritò mor-

Creaturæ omnes à Deo cur conditæ.
Gen. 1. Sap. 2. Eccl. 17. Rom. 1.
Quænam inter creaturas dignius de Christo, & excellentius testimonium ferant.
Matth. 5.
Actor. 1.
Ioan. 16.
Actor. 10.
Inter Noui Patres Testamenti Ioannis Bapt. & prius & excellentius testimonium de Christo perhibuit.
Ioan. 1.
1. Cor. 14.
Φῶς Græcè quid.
Lux, lumen, & splendor, inter se quid differant, secundũ Grammaticos.
Lux, lumen, & splendor quomodo Christus.
Ioan. 6. Matth. 13. Ioan. 7. & aliàs.
Suprà 3.
Ioannis testimonio Christus quatenus indiguerit.
Pulchra comparatio.
Luc. 1. Infrà 2. Philip. 2.
Vnde fiat quòd quædam vt opera Christi, & Sanctorũ eius humana quã diuina nescio qua ratione nos magis alliciant, atque permoueant.
Quis finis missionis Ioannis.
Fidem diuinã Scripturæ scientiam cur soleant interdũ appellare.

quidem Apostolis haud contigit, qui iam Christo à morte suscitato, in nomine eius ad firmãdam, ac stabiliendam resurrectionis Christi fidem, miracula operabantur. Non erat ergo ille lux per essentiam; quare nec ab alijs cõmunicari aliqua ratione potuit, nec ad salutem sufficere. Quamobrem Baptismus eius, Pœnitentia, Confeßio, & Præcepta nõ erant ad vitam, & ad salutem satis, vt quidam putabant, verùm erant via quædã, & dispositio ad Christum. Quartò, duo se hoc loco offerunt dubia dissoluenda, quorũ primũ est, cur negetur hîc Ioannem esse lucem, cùm de Apostolis Christus dicat: *Vos estis lux mundi*: Imò Christus ipse de Ioanne dixit: *Ille erat lucerna ardens, & lucens*. Respondent ex antiquis quidam, vt Cyrillus & Theophylactus, & ex recentioribus Erasmus, & Caietanus, negari Ioannem esse lucem cum articulo, primam lucem, & supremam per essentiam designante. Siquidem Euangelista dixit: Οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς: non dixit, Οὐκ ἦν φῶς. Sed huic responsioni obijci posse:, quia Ioan. 5. dicitur Ioannes lucerna, nõ cum vno simplici articulo, sed cũ duplici: Ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος ὁ καιόμενος. Secundò: Apostoli dicuntur Matth. 5. lux cum articulo: Ὑμεῖς ἐστὲ τὸ φῶς τοῦ κόσμου. Et Christiani dicuntur lux cum articulo ad Ephes. 5. *Eratis aliquãdo tenebræ, nunc autẽ lux in Domino*. Dicendum ergo est aliter, nempè articulum habere sæpè vim referendi, & referre pręcedentia atq; ita Ioannes hîc negatur esse illa lux, de qua dixerat: *Vita erat lux hominũ, & lux in tenebris lucet*, & reliqua; & de qua proximè subijcitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, &c.*

Ioannes si nõ est lux, cur dicitur lucerna ardens & lucens, & Apostoli vocantur lux mundi.

Matth. 5.

Ioan. 5.

Cyrill. lib. 1. in Ioan. c. 7. in fine, tom. 1. Theophyl.

In hunc sensum obijciuntur duo.

Alia commodior solutio.

Deinde considerandum, lucernam quid longè minùs esse quàm lucem. Præterea Apostoli nõ absolutè lux, sed lux mundi, & sal terræ dicuntur, nimirùm inter mundanos, & terrenos; & Ephesij lux in Domino, id est, per participationem, & gratiam. Hic autẽ est sermo de luce absolutè, siue de luce magna, & vera, vt subiungit. Alterum dubium est, quia testimonium Ioannis, quod tantoperè commendat Euangelista, dicendo: *Vt testimonium perhiberet de lumine*, videtur Christus Ioannis 5. spernere, cùm ait: *Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio*. Respondeo, non spernit quidẽ Ioannis testimonium Christus, cùm eo se tueatur Matth. 21. Neque spernit Ioannem, quem tùm eo in loco, tùm Matth. 11. miris laudibus celebrat, & ornat: verùm declarat tantùm se non accipere vt summum ac pręcipuum Ioannis testimonium, ita vt alijs renuntiare velit. Quia si Christus doctrinam suam signis minimè confirmasset, potuisset Ioannis haberi testimonium vt humanum. Deinde Christus nõ accepit testimonium Ioannis, quasi illo persuasus cognosceret se esse Christum, vel quasi illo per se indigeret: cùm enim Deus esset, non egebat vllo testimonio, eguit tamẽ propter nos. Vnde ibidem Christus adiecit: *Sed hæc dico, vt salui sitis*: quod est dicere, Ioannis testimonium nõ propter me qui Deus sum, sed propter vos saluandos institutum fuit, & vt vos more vestro, per humana testimonia credatis.

Apostoli quales sint lux.

Ephesij cur lux in Domino.

Ioan. 1.

Si Ioannes à Deo missus vt testimonium perhiberet de lumine; quomodo Christus inquit se ab homine testimonium nõ accipere.

Ioannis testimonium Christo vt fuerit necessarium.

Sequitur in textu: *Erat lux vera, &c.* Ad cuius loci luculentiorẽ intelligentiam, hæc diligenter discutienda sunt, & tractanda. Primum quidem, quare verbum dicatur lux. Deinde cur dicatur lux vera. Tertium de quo lumine intelligatur, quod illuminat omnem hominem, de sensibili, ac corporeo; an de rationali, & prædito intelligẽtia, an verò etiam de gratuito, & glorioso Christi lumine. Quartum, an omnẽ hominem illuminet, vt porrigunt verba textus, an verò aliquos ex quolibet hominum genere, vt quidam interpretantur. Quintum, an omni tempore illuminet hæc lux. Sextum, quando dicatur homo venire in hunc mundum.

Ad primum respondendum est, iam superiùs dictũ fuisse, meritò Verbum significari per lucem: tùm quia procedit per modum intellectus, qui lux quædam spiritualis est: tùm quia à rota Patris oritur, & cum co spirat calorem Spiritus sancti: tùm quia coæua ipsi Patri, à quo procedit, non secùs ac lux coæua est ipsi corpori, vnde manat: quartò, quia simplicissima est, & in omnia pro eorum captu se diffundit: quinto, quia benefica est, & multis prædita virtutibus: quippè illuminat, & calefacit; lætificat, & fœcundat; purgat, & eleuat, & assimilat res quas illustrat, nulla sui diminutione, nullo suo labore, nullo discrimine, nulla cum acceptione personarũ, nulla mora, sed omnibus se communicans, etsi nõ æqualiter, ijsque ingrata solummodò, qui malè agunt, vt furibus, adulteris, homicidis, & proditoribus coniurationem aliquam secreto molientibus. Præ hac autem luce, singulæ creaturæ tenebræ sunt, & mendacium: eatenus verò lucentes, & veræ, quatenus de hac aliquid decerpunt. Et lux Christus dicitur totus, non sicut Sol iste, verùm totus splendens, totus fulgens: quod non habet vlla creatura. Et benè dicitur, *Erat*: quia per æternitatem fuit, est, & erit, vllo sine termino.

Quare Verbum dicatur lux.

Effecta lucis.

Ioan. 3.

Lux, quibus tantum [illegible] sit, atque molesta.

Quatenus creaturæ [illegible] sint [illegible].

1. Ioan. 1

Apoc. 3. & 4

Verbum cur dicitur lux vera.

Ad secundum respondendũ est, verum

multi-

multipliciter ſumi. Dicitur enim verum in primis, prout diſtinguitur contra mendacium, & falſum. Ex quo Paulus ad Epheſ. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem.* Secundò ſumitur verũ, vt opponitur figuræ; & typo, de qua inquit Ioannes: *Lex per Moyſen data eſt; gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Tertiò, verum dicitur; vt opponitur rei quæ participatur: verum enim eſt, quod per eſſentiam tale eſt. Vnde Dominus Ioan. 17. *Hæc eſt*, inquit, *vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum*, id eſt, non participantem Deitatem, ſed per eſſentiã Deum, nos enim in qualitate, & parte dij ſumus, ſicut dixit Propheta: *Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes*; Et in Epiſt. ſua Catholi.a Ioan. ait: *Dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum* (id eſt naturalẽ, & per eſſentiam Deũ) & ſimus in vero Filio eius (id eſt eſſentiali,) & naturali Ieſu Chriſto. Hic eſt verus Deus, & vita ęterna. Eſt ergo Chriſtus lux vera, non falſa, aut mendax, vt Philoſophorum illa, quam ſe habere iactabant, quæ multis erat erroribus mixta, atque mendacijs. *Nam ſtultus* (ait Hieremias) *factus eſt omnis homo à ſcientia ſua*; Et Paulus: *Dicẽtes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & euanuerunt in cogitationibus ſuis.* Non etiam mendax, & trãſfigurata lux, qualis Dęmonum eſt transfigurantium ſe in Angelos lucis; & qualis illa Hæreticorũ, qui cogitationes, & ſomnia ſua Scripturarũ ſententijs colorare, & illuſtrare conantur. Deinde, erat lux vera, non typica, nõ figurata, aut vmbratilis, qualis illa fuit Legis Moſaicæ, quã Chriſtus, qui veritas eſt, adimpleuit, & Prophetarum tenebras ſuſtulit, & aperuit ſenſum Apoſtolis, vt intelligerent Scripturas, vt medullam & nucleum, nimirum ſpiritualem ſenſum ſub cortice literæ deliteſcentem inuenirent. Et ita Leontius interpretatur, verum non accipi, vt opponatur falſo, ſed imagini & figurę. Tertiò, erat lux non deriuata, & creata, ſed per eſſentiam & naturam, cõtra Arrium, & Cherinthum; & veritatem dicendi à ſe habens, vereque alios illuminans, & de hac magis ad literam videtur loqui Euãgeliſta, quia negat Ioannem lucem fuiſſe, qui non erat lux falſa, aut typica, ſed tãtum participata. Lux enim iuſtorum in via, & Angelorũ, ac beatorum in patria, deriuata & creata, & finita lux eſt, quæ tota offuſcatur, atque obtenebratur ab huius veræ lucis ſplendore, non aliter ac candelæ, & faces à ſplendore Solis obruuntur, & opprimuntur. Et ſi caperetur falſum æquiuocè pro eo, quod eſt per ſe & ex ſe falſum, & pro typico, atque deriuato, liceret vere dicere, omnia præ luce illa, falſa eſſe, ac mendacia. Chriſtus autem lux eſt, non deriuata, quia non habet partẽ, ſed in ea inuenitur omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt ait Apoſtolus. Et hæc de ſecundo. Ad tertiũ dicendũ, multiplex lumen in ſacris literis inueniri. Primum quidem corporeum, & ſenſibile, de quo in Geneſi dicitur: *Fiat lux, & facta eſt lux*: & fiant ſtellæ in firmamento, vt illuminent. Secundum, eſt lumen rationis, ſeu intellectus agentis, de quo Dauid: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*: & Chriſtus in Euangelio: *Si lumen, quod in te eſt* (nempè natura inſitum) *tenebræ ſint, ipſæ tenebræ quanta erunt?* Tertium eſt lumen gratiæ, & fidei, de quo dicitur: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis; & illuminabit te Chriſtus*: & ibidem Paulus: *Vt filij lucis ambulate*; & Chriſtus: *Dum lucem habetis, credite in Lucem*; & Zacharias: *Illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent*; Et Dauid: *Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia.* Quartum eſt lumen gloriæ, de quo dicitur: *In lumine tuo videbimus lumen*; & iterum: *Vt placeam coram Deo in lumine viuentium*; & Paulus, *Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine*; Propheta etiam: *Regem in decore ſuo, vel in gloria ſua videbunt.* Quanquàm autem omnia lumina hæc à Chriſto, luce increata, & à Patre luminum in nos deriuẽtur: hic tamen locus de primo lumine non intelligitur, vt exponit Caietanus, alioqui nihil illuſtre diceret: tum quod illud lumẽ ſenſibile commune ſit beſtijs: tum quia dicitur: *Illuminat omnem hominem*: vnde videtur de lumine proprio hominis, quatenus homo eſt, loqui Ioannes. Ad hæc; Hoc ſenſibile lumen non illuminat omnes homines, vt pueros mortuos in ventre matris ſuæ, & cæcum natum à natiuitate. Deinde, non videtur intelligendum de ſecundo lumine rationis, vt Cyrillus exponit, dicens, Verbum illuminare creatiuè omnem hominem, quatenus omnem hominem creat rationalem. Sed certè homo illuminandus per hoc lumen, iam ponitur homo; ac proinde rationalis, maximè quãdo venit in mundũ, & incipit apparere, vt exponemus: Eſt enim de eſſentia hominis ipſa rationalitas, vt philoſophi loquuntur. Præterea, idem eſſe, illuminare hominem, & creare hominem. Ad hæc, innuitur, Lumen hoc, ad Verbi cognitionem inducere, id quod de naturali lumine nõ eſt verum, cum lumen naturæ non eò perueniat, vt Chriſtum oſtendat. Huc accedit, dici à Ioanne: *Lux in tenebris lucet*, vt expoſuimus, in peccatoribus; id eſt, tenebras peccatorum amantibus. At hoc lu-

Verum dicitur multipliciter. *Ioan. 1.*

Quid illud: vt cognoſcant te ſolum, Deum verum. *Pſal. 81. & Ioan. 10.* *1. Ioan. 5.*

Ioan. 17. Qualis Philoſophorum ſit lux. *Hiere. 10. & 51.* *Rom. 1.* Lux Dęmonũ, & hæreticorũ qualis. *2. Cor. 11.*

Matth. 5. *Luc. vlt.*

Leontius Epiſcopus.

Contra Arriũ, & Cerinthum.

Angelorum & hominum lux ab illa Chriſti quantum diſtet.

Coloſ. 1. & infra 2.

Quodnam ſit lumen illuminans omnem hominem venientem in hunc mũdum. *Gen. 1.* Lumen in Scripturis quàm multiplex. *Pſal. 4. & Matth. 6.* *Epheſ. 5.* *Ibidem.* *Ioan. 12.* *Luc. 1.* *Pſal. 96.* *Pſalm. 35.* *Pſal. 55.* *Coloſ. 1.* *Iſa. 33.* *Iacob 1.*

Caietan. in Ioan c. 1.

1. ſenſus falſus atque ridiculus. *Ioan 9.*

Secundus.

Cyril. lib. 1. in Ioan c. 8. ſiu. 1 in prin.

Hic ſenſus quæ patiatur incommoda.

Cicero Sibyllinū carmen ad C. Iul. Cæsarem falsò retulit.

te salui esse possent. Sed certè deceptus est Cicero, cùm fama illa publica interpretum Sibyllinorum carminum de Christo Rege paulò pòst futuro esset accipienda, & non de C. Cæsare. Vnde & vanè subdit: *Cum antistitibus agamus. vt quiduis potius ex illis libris, quàm Regem proferant: quem Romæ posthac nec Dij, nec homines esse patientur.* Hæc ille. Vbi nota iam appropinquasse tempus à Sibylla prædictum, quod forte illa per Olympiadum numeros designarat. Ex quo dixit, *Nuper*. Erant enim ab eo tempore, vsque ad Christum anni fermè viginti, siquidem Sibylla prædixerat, Romanorum Regem (qui quidem aliorum Reges esse solebant) pòst bella ciuilia oriturum, & pòst pacatam fore Rempublicam: vt dicitur apud Isaiam. Quod idem esse videtur cum eo, quod primò Tacitus tradit: *Pluribus persuasio*, inquit, *inerat, antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore vt valesceret Oriens, profectiq; Iudæa rerum potirentur*; quæ ambages Vespasianum, ac Titū prędixerant. Deinde Suetonius in Vespasiano: *Percrebuerat Oriente toto vetus, & constans opinio, esse in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerū potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum euentu postea patuit, prædictum, Iudæi ad se trahentes, rebellârunt.* Hæc ille. Et tamen Christus, de quo erat verè prædictum, missis Apostolis imperium mundi sibi comparauit. Et ita Suetonius, vt etiam Cicero, falsus est. Quemadmodum etiam Iosephus lib. 7. de bello Iudaico: *Sed quod maximè*, inquit, *eos ad bellum excitauerat, responsum erat ambiguum, itidem in sacris libris inuentum, quòd eo tempore quidam esset ex eorum finibus Orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quasi proprium acceperant, multiq; sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem planè responso Vespasiani designabatur imperium, qui apud Iudæam creatus est Imperator.*

Romani aliorum Reges esse solebant.

Isai. 9.
Tacit. lib. 21. *circa med.*
Suet. in Vespasiano, cap. 4.
Ioseph. c. 12. *in fin.*

Quartò conueniunt, quia libri Prophetarum exurebantur, vt constat de libris per Hieremiam scriptis, combustis per Regem Ioachim: ita libri quoque Sibyllarum, iussu Imperatorum legi interdicebantur, & interdū etiam exurebantur. Nam, vt Cornelius Tacitus refert, Augustus Cæsar, cū suo tempore multa vana sub nomine Sibyllarum prodirent, iussit, conquisita Samo, Erythra, Ilio, & Africa, & Italia, vt carmina intra certū diem ad Præfectū Vrbis deferrentur, & ab illo ad censurā, & iudicium quindecim virorū omnia deferrentur: nec liceret ea priuato cuiquam habere, vt superiùs ex Iustini Martyris testimonio produximus. Ammianus Marcellinus refert in Historia sua Cumææ Sibyllæ carmina apud Ænam ciuitatem ab Imperatore Iuliano inuenta, igni tradita esse. Stilico, Honorij Cæsaris socer, concitaturus in generum seditionem, carmina Sibyllarū prorsus aboleri curauit. Quod Claudianus Poëta non tacuit, cùm ait:

Hierem. 36.
Cornel. Tacit.
Iustin. Mart. tom. 1.
Amm. Marc.
Claudianus.

Nec tantùm Geticis grassatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremauit opus.

Quintò conueniunt in hoc: quia tā Propheta, quàm Sibyllæ atra bili perciti insanire putabātur. Et de Prophetis quidem, cùm opera præter naturam à Deo iuberentur: vt Isaias triénniū nudus incedere, & Ezechiel stercore boum vesci, difficilè homines id adeò perfectum poterant cogitare. De Sibyllis verò testatur Aristoteles in Problematis, easdem atræ bilis æstu circa mētis sedem succenso exagitatas. Ambrosius verò in commentarijs prioris Epist. ad Corinth. scribit, & autumat, malo spiritu arreptas, prophetasse, cuius hæc sunt verba: *Spiritus mundi hic est, per quē arripiuntur phanatici, qui sine Deo sunt. Est enim inter mundanos spiritus potior, vnde solet coniecturis quæ mundi sunt, diuinare, quē pythonem appellant. Hic est qui per verisimilia fallitur, & fallit, hic est qui per Sibyllam locutus est, sensum nostrorū secutus, locum volens inter cælestes habere.* Ita bonus Pater. Sed hoc ille fortassis dixit, nō de veris, legitimisque Sibyllis, verū de pseudosibyllis, quę Apollini, & in eo cacodæmoni oracula fundenti ministrabant, quæ profectò nō nisi dæmone illas arripiente, & corpora illarū subintrante, dabant oracula. Vendicant autē hoc sibi Prophetæ, vt maiori semper in auctoritate apud Iudæos extiterint, quā Sibyllæ apud Gentiles: vnde eorum libri certiùs ac puriùs, quàm Sibyllarum, conseruati sunt.

Isai. 20.
Ezech. 4.
Arist. Proble. sect. 30.
Ambr. in c. 2. *aliquanto à med. tom.* 5.
Quo sensu S. Ambrosius dixerit, malo Spiritu correptas Sibyllas prophetasse.

Sextò, quemadmodum inter Prophetas non oēs sancti, ac Dei optimi maximi cultores extiterunt. Nam Balaam etsi vero spiritu Prophetiæ præditus fuerit, erat tamen idolorū cultor: atque ob id quod cum dæmonibus haberet commercium, dicitur ipse ariolus, & Prophetia eius, augurium: ita inter Sibyllas quędā fuerunt idolorum ministræ, vt Delphica, siue Pythia, & Cumana, vt quidā volunt, quam celebrat Virgilius lib. 6. Æneid. Prophetæ etiam, vt plurimùm viri erant: Sibyllæ omnes, fœminæ, ac virgines erant: ex quo Virgilius, Sibyllā virginem vocat. Quamuis inter Gentes nō defuerint etiam viri Prophetæ, vt de Hermete adducit August. & de Hydaspe Rege referunt Iustinus & Clemens. Scribit etiam Zonaras, Imperio Constantini Quarti & Irenes, in Thracia quendam inter fodiendum, in lapideam cistam incidisse, quæ humanum cadauer contineret, cum his literis:

Num. 24.
Balaam ariolus eiusq; vaticinium augurium cur sit dictum.
Quænā inter Sibyllas idolis seruierint.
Quinam viri inter Gentes prophetauerint.
Virgil.
Aug. lib. 13. *contra Faust. Mani. cap.* 15. *tom.* 6.
Iust. loco dict.
Clem. supra dicto.
Zonaras.

Χριστὸς μέλλει γεννᾶσθαι ἐκ παρθένου, καὶ πιστεύω εἰς αὐτόν. Ἐπὶ δὲ Κωνσταντίνου, καὶ Εἰρήνης τῶν βασιλέων πάλιν, ἥλιε ὄψει με. Id est, *Christus generandus est ex Virgine: & credo in eum. Tempore autem Constantini & Irenes Regum, rursus Sol videbis me.*

Sibyllæ non nisi exametro carmine fundebāt oracula.

Tertiò Sibyllæ illud sibi vt proprium vindicare videntur, quòd oracula non nisi exametro versu concinnata, fundere videantur: quo quidem Prophetæ caruerunt, tametsi quædā in eis cantica certo carminis genere constantia inueniantur interdum: nobis tamē illius carminis ratio ignota est, & obscura, quam in Hebraico idiomate illi vsurpant. Et hactenus quidem de Sibyllis sit dictum, quod nobis probabilius ex lectione Patrum, & rationis adminiculo visum est: parati tamē meliora, aut certiora cum gratiarū actione recipere, si ab aliquo in medium aliquando proferantur.

Verùm redeundo ad illud, vnde digressi sumus, dicimus, Dei prouidentiam ad salutem Gentium procurandam nunquā aliquo tempore defuisse: quæ omnia auctoritate Chrysostomi, Iustini, & aliorū Patrum, sed præcipuè Ioannis Damasceni in oratione, siue sermone de his qui in fide hinc migrarunt, quod viuorum beneficijs adiuuentur, mirabiliter cōfirmantur. Ait enim Chrysostomus: *Poterant homines tunc* (ante Christi scilicet aduentum) *etiam ipsam non confeßi, saluari. Non enim Christi, qui nondum venerat, ab illis cultus petebatur, sed vt idolorum cultu spreto, vnum solum Deum conditorem omnium nos cerent. Dominus enim inquit, Deus tuus, Dominus vnus est: idcircò Machabæi, ne legē traderent, mori maluerunt. Valdè admiramur pueros quoq; illos, aliosq; complures apud Iudæos, qui bene & optimè vixerunt, & hanc cognitionis mensuram inuiolatam conseruarunt, à quibus nil aliud certum petitum est. Nunc autem nō ita est, sed necessaria est ad salutem Christi cognitio.* Et infrà: *Quod autem qui ante Christum obierunt, ac ideò ipsum nō cognouerunt, si ab idolorum cultu recesserunt, ac Deum solum adorarunt, si præterea honestè vitam peregerunt, æterna bona, & beatitudinem adipiscentur; Paulum rursus audi: Gloria, inquit, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Gentili.* Iustinus Martyr in oratione ad Antoninum Pium pro Christianis: *Quicunque*, inquit, *cum ratione, & Verbo vixêre, Christiani sunt, quamuis ἄθεοι, & nullius numinis cultores habiti sint.* Quales inter Græcos fuêre Socrates, & Heraclitus, atque ijs similes. Clemens verò Alexandrinus eos, qui ante Christū fuerunt, honestèque vixerunt, ait esse iustos factos, vel per legem, vel per Philosophiam: sed defuisse eis tantum fidem in Christum, quare expectasse in inferno Christi, & Apostolorum aduentum, eorumq; prædicatione in Christum credidisse, & sic demùm seruatos esse. Hæc ille in sensu. Cuius dictum de prędicatione Christi, & Apostolorum, non est admittendum. At verò Damascenus prędicto loco copiosius agit his verbis: *At quid ait Propheta: In inferno quis confitebitur tibi? paulò anteà diximus: Quàm terribiles sunt minæ iudicis, cuius oculos nihil subterfugit: eas tamen superat eiusdē ineloquibilis misericordia. Quamuis autem ita dicat Propheta: omninò tamē in inferno confeßio aliqua fuit, eorum, inquam, qui in salutarem Domini descensum crediderant. Christus enim assertor vitæ, non simpliciter omnes, sed eos tantùm qui crediderunt, vt dictum est, saluauit. Et quinam ante nos crediderunt? Patres, & Prophetæ, Iudices, Reges, & Præsides, alijq; ex Hebræorum gente in magno numero, & noti omnibus. Cæterùm, nos ita respondemus ad hæc, ijs qui sic sentiunt. Neq; nouum, neq; mirum, neq; rarum esse, si Christus eos, qui in se crediderunt, saluarit. Quādoquidem vnus est iustus iudex: in quē quisquis crediderit, non perit. Oportebat ergo omnes huiusmodi, per descensum Dei, & Domini nostri, ab inferni vinculis liberatos saluari. Quod & illius prouidentia factū est. At solius misericordiæ gratia, saluatos opinor omnes, qui in vita puritate nullum non perfecerunt opus bonum, continenter, sobriè, tenuiterq; viuendo: licèt minus satis exercitati, fidem diuinam ac synceram non acceperint. Cæterùm, quia illis præceptor, à Domino, cui omnia curæ sunt, diuinis retibus capti, fulgentibus in eis radijs diuinis, & veritatis lumine monstrato, ad credendum inducti sunt. Natura enim condolens Deus, horum labores cassari non permittebat. Vitam enim actuosissimā agebant, & supra quam dici potest ærumnosissimam, & angustam, simul affectuum suorum imperatores, atq; voluptatum facti contemptores, paupertatem, continentiam, vigilantiam, & optimam quamq; virtutem absoluerunt. Licèt autem non admodum religiosè: tamen aliquam iam diuinæ prouidentiæ rationem attigerunt, & cùm in parte optima versati sint, non tamen citra lapsum. Porrò nonnulli diuinam gloriam, & Trinitatis omnipotentis virtutem, virumq; tenuiter apprehenderunt, glorificarunt tamen: alij incarnationem etiam Verbi, & honorificam paßionem, ac resurrectionem dicebant. Alij natiuitatem, quæ ex Virgine, nominationēmq; ipsius prædixerunt. Maria enim, ait nomen puellæ. Alij item* (de Sibyllis nunc loquitur, vt ante de Philosophis) *omnia excellentia Christi miracula prælocuti sunt. Nam inter multa alia, præuaticinati sunt miracula mortuorum, cæcorum, surdorum, leprosorum, eorum, qui impeditioris erant linguæ, febri hydropisiuè laborantium, aridas manus, luxataue membra habentium, & dæmoniacorum perq; mare deambulationem, insuper bene*

dictionem

Margin notes (left): Ioan. Damascen. — Chrys. hom. 37. in Matth. à med. tom. 2. — Deut. 6. — 2. Mach. 1. — Leuit. 11. — Dan. 3. — Idem ibidem. — Rom. 2. — Iust. Mart. to. 1. propè init. — Clem. Alex. lib. 5. & 6. Strom.

Margin notes (right): Ioan. Dam. — Psalm. 6. — Credentes qui soli fuerint salutem consecuti. — Isai. 35. — Matth. 11. — Luc. 14. — Supra 4. — Matth 14. — Ibidem, &

Infra 15. Luc. 8. Infra 13.

dictionem panũ, & piscium, & curationis Hæmorrhoyssæ, & mulieris prorsus incurue, prædicentes, cum alijs multis. Enimuerò neq; illos despexit diuini Verbi potentia, vt prorsus excidere, & perire eorum bona opera permitteret. Nulla enim pars temporis in vsuram collocata, vt antea diximus, disperibit, sed fideliter, seruata omnibus; qui benè egerunt vitam, restituetur vnà cum additamento & lucro. ¶ *Qui verò turpiter transacta vita, neq; semen, neq; fructum aliquem bonum habuerunt, sed vita, verbo, & fide, modis omnibus sunt lapsi: quia vt signanter prius dixi, sementem non fecerunt, ideò etiam neq; germinauerunt, cælitus diuino imbre infuso, neq; floruerunt Sole gloriæ exorto: sed prorsus fructu carent, eisq; nihil profuit Christus, neq; lapsos puto suscitauit, vtpote indignos omni salute, quòd in ipsum solùm nõ crediderunt. Primus enim draco, cui tanto studio seruierunt, & tenebrarum densatio ipsorum mentes, mentalesq; cordis oculos excæcauerũt, ne videntes videant, vt est in oraculo, & ne audientes, intelligant. Omnes autem alij, quibus fuit semen, & facta pluuia germinauerunt, & Solis iubare exorto, mirè effloruerunt.*

Isai. 6. Matth. 13. Ioan. 12. & alibi.

Hæc ille, doctè sanè, & sapienter, vbi videre potes diuinam prouidentiam etiam ad Gentiles extendi: & bonam Gentilium vitã sine remuneratione apud Deum minimè fuisse, neque illos omni prorsus fide caruisse, quamquã explicitam de Christo fidem atque perspicuam, defectu præceptorum nõ habuerint: testatur nihilominùs, Prophetas inter eos atque Sibyllas non defuisse, qui Trinitatis, & incarnationis item Verbi Mysteria vsque ad virginem matrem, nomenque Mariæ præcinuerunt. Atque hactenus de explicatione illius verbi: *Et vita erat lux hominum*: dictum sit. Orandus est tamen Deus, & precibus nostris pulsandus, vt qui per se ipsum lux, & vita est omnium, lux, & vita nostra in particulari dici possit. Quod tunc impetrabimus, quãdo opera tenebrarũ à nobis abijciemus, mortiferasque cogitationes, ac desideria in nobis extinguemus, vt ita lucem hanc vitalem, seu vitã lucidissimã accipere valeamus, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cũ Patre, & Spiritu sancto, &c.

Rom. 13.

TRACTATVS XX.

Quo decem sententiæ præcedentes de Christi diuinitate, exponuntur suauiter, & accommodatè de eiusdem sanctißima Humanitate.

Verbi proprietates decem quænam illæ.

DECLARAVIT Euangelista in præcedentibus verbis decem diuini Verbi proprietates, sententijs quasi decem contentas. Prima fuit de æternitate Verbi: Secunda, de Verbi apud Patrem existentia: Tertia, de Deitate Verbi: Quarta, de Verbi ad Patrem coæternitate: Quinta, de creatione mundi: Sexta, de conseruatione eiusdem mundi: Septima, de existentia, & vita rerum in Verbo, antequam fierent: Octaua, de luce vitali hominum: Nona, de illustratione, quã lux in tenebris, & in peccatoribus perfecit: Decima & vltima, de ingratitudine tenebrarum, & peccatorum talem lucem non comprehendentium. Sed quoniam omnia quę erant Ducis Holofernis, post mortem eius donantur ipsi Iudith eius interfectrici: ita omnia quæ propria Diuinitatis erant ab Humanitate sua expugnatæ quodãmodò, traduntur ipsi Humanitati propter communicationem idiomatum, vt docent omnes Theologi: maximè post victoriam, & satisfactionẽ in cruce peractam.

Iudith 15. Qualis sit diuinæ cum humana naturæ humanæ item cum diuina mutua, vt Theologi dicunt, idiomatum communicatio.

Qemadmodũ enim puella coniuncta viro, propter vinculum ex legitimo ortum matrimonio, omnia quęcunque viri sunt, sua etiam vt sint, efficit: rursus vir, quæ vxoris erant suæ, facit propria & sua; ita vt si vxor possideat Ducatum aliquem, & Principatum, vir & Dux, & Princeps efficiatur, & appelletur: & si vir item èconuerso Regnum possideat, mulier ad dignitatem, Reginæque nomen ascendat: ita profectò Diuinitas cum Humanitate conuenit. Tamque arcto vnionis hypostaticæ vinculo se illi copulauit, vt quæ Diuinitatis sunt, Humanitati attribuantur: quæ rursus Humanitatis sunt, Diuinitati. Et ita loci Scripturæ, qui de Christi Diuinitate loquuntur: possunt etiã (si litera nõ repugnat) ad Humanitatẽ eius accõmodari, quod nos hîc facere intendimus.

Communis Theologorũ doctrina.

Est ergo Humanitas expressa Deitatis imago, pluisquam omnes creaturæ simul cõiunctæ; ac per hoc superat omnia creata, quemadmodum & Diuinitas. Deinde, vt Verbum à Patre in instanti (vt sic dicam, nihil enim citiùs, breuiusque concipimus) ab æterno naturali operatione genitum est: ita Christi Humanitas per Spiritum sanctum vt artificem in instanti formata est. Tertiò, quemadmodum Verbum sine corruptione vlla à Patre prodijt ac manauit: sic de Maria virgine humanitas Christi, salua Virginali dignitate, & pudore, nata est. Quartò, vt verbum cum infinito gaudio Patris conceptum est, ac genitum: ita Christi humanitas incredibili matris lętitia cõcepta est, atq; edita in lucẽ. Postremò, vt verbum cum Patre simul producunt Spiritũ sanctum, sic anima Christi simul cũ carne virginea, puncto temporis imaginario seu instanti, vt vocãt, genuit merito suo columbã Ecclesiæ, nullis meritis præcedentibus.

Christi Humanitas expressa Deitatis imago omnium perfectissima. 1. Ratio Secunda. Tertia. Quarta. Luc. 2. Quinta.

llud: in prin- pio erat Ver- um, Christi umanitati t possit con- enire.

al. 39. & ebr. 10.

uæ sit vo- ntas Dei atris.

phes. 1. bidem.

umanitas omodo pud Deum.

atth. 27.

bus. Prima ergo sententia est: *In principio erat Verbum*. Quæ quidem sic ad Humanitatem accommodatur, vt Christus homo sit caput & fundamentum omnium prædestinatorum: de quo ipse in Psalmo dixit: *In capite libri scriptũ est de me, vt facerem voluntatẽ tuam.* Voluntas autẽ Patris, est salus, & vita æterna aliorũ hominum, de quo ait Paulus: *Elegit nos in ipso ante mundi cõstitutionem:* Et rursus: *Qui prædestinauit nos in adoptionẽ filiorum, per Iesum Christum in ipsum.* In secunda sententia dicitur: *Et Verbum erat apud Deum.* Ita humanitas tã coniũncta, & propinqua Deo fuit, vt ille homo esse Deus per vnionẽ hypostaticam: & quamquam anima corpus in morte deseruerit, qua Christus homo esse desijt; Diuinitas tamen neq; corpus, neque animam dereliquit, sed semper sustentauit. Fuit igitur humanitas Christi apud Deum, quæ ex quo cõcepta primum est, & formata, apud Deum semper fuit visione perpetua Diuinitatis, charitate, & amore, qui facit vt homo sit magis apud Deum quẽ amat, quàm vbi est. Erat etiam apud Deum, paternam gloriam quærendo in omnibus, ac sibi semper ob oculos proponẽdo, nõ suam, atque propriam: vt hac sua propinquitate promeruerit, vt omnes qui lõgè aberamus à Deo (nã *Longè à peccatoribus salus*) propter ipsum facti simus prope, seu, vt melius dicam, propinqui. In tertia sententia dicitur: *Et Deus erat Verbum.* Quia de homine illo assumpto affirmamus: Hic est verus Deus: hic creauit cœlum & terram: hic Spiritum sanctũ spirauit. Vt enim Apostolus inquit: *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Est enim humanitas templũ Dei, vt dicitur Ioan. 2. ædificatũ in area Areuna, id est Mariæ, quæ interpretatur lux nostra, quæ Maria area est sine monte superbiæ, in qua trituratæ sunt prophetiæ, ad quam sunt manipuli nostrorum bonorũ operum deportandi, vt à palea inanis gloriæ purgẽtur. In templo habitabat Deus & exaudiebat, ibi etiam solum sacrificari fas erat, quia in humanitate, vt dictũ est, Deus inhabitat, in illa exaudit. Ex quo precationes Ecclesiæ terminantur: Per Dominum nostrũ Iesum Christum, &c. Extra Christum etiam nullũ Deo sacrificium placet. Quarta clausula, repetitio est rerum præcedentium, & humanitas semper fuit ab initio apud Deum, quatenus primum opus in mẽte Dei ab æterno destinatũ, siue homo peccaret, siue nõ peccaret, fuit, cõmunicare semper hypostaticã vnionem: pati autẽ mortẽ, & sanguinẽ pro peccatoribus fundere, nõ nisi post peccatũ præuisum fuit. Incarnationis opus vero, quatenus ad Deo gratũ hominẽ efficiendũ,

is amoris.

an. 7. & sfre 3.

salm. 118. phes. 2. bidem. umanitas uomodo eus sit. en. 1. oloss. 1. & 2.

rea Areuna a qua tem- lum fuit ædi- catum, quid systice. aria quid onet.

uomodo umanitas mper fuerit initio apud eum.

atque eum ad gloriam euchendũ spectabat, cum opus sit longè maximum, & maximæ Dei argumẽtũ bonitatis & indicium, non debebat ab hominis peccato pendere, & per occasionẽ eius in mundum introduci.

Quinta clausula habet: *Omnia per ipsum facta sunt.* Quantũ ad esse quidẽ naturæ per ipsum verbum, quatenus Deus est; quod ad esse verò gratiæ spectat, & meriti per ipsum verbum, vt carnẽ assumpsit, & homo factus est, per quem, vt ait Petrus, maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hęc efficiamur diuinæ cõsortes naturæ. Et vt esse naturale primò Adæ acceptũ ferimus, quia à Deo per ipsum accepimus; ita esse gratuitum ab eo per Christum hominẽ esse confitemur acceptum. Qui propterea Pater futuri sęculi ab Isaia pronunciatur: & Ioannes Euangelista ait: *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*

Qua ratione per Christum hominẽ facta sunt omnia.

2. Pet. 2.

Isai. 9.

Ioan. 1.

In sexta sententia dicitur: *Sine ipso factũ est nihil, quod factũ est.* Vt excludat diuinas personas non factas: sic etiam sensui proposito accõmodatur, vt excludat gratiam humanitati datã, quę nõ est facta per eum: nã gratis ipse accepit, nullisq; meritis suis præcurrentib' quod habebat. Ideo haud mirũ est, si gratiosè, & liberaliter tanta Dei dona in nos effuderit, ac tã etiam benignè, largiterque. Vel aliter dici potest, sine humanitate duntaxat bona opera nostra conseruante, omnia in nihilum redigi: sicut sine capite pereunt omnia membra, & arescente vite, arescunt & oẽs palmites. Per humanitatem ergo Christi esse diuinæ gratiæ accepimus, & per eundem illum omnia dona gratuita conseruantur. Ideò dixit: *Sicut palmes nõ potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis.*

Illud: & sine ipso factũ est nihil, ad Humanitatem quomodo referatur.

Ioan. 15.

Ibidem.

In septima sentẽtia dicitur: *Quod factũ est, in ipso vita erat.* Et significatur omnia nostra benefacta in eo, & propter eum viuere: quatenus ergo homo est in Verbo per gratiam, & charitatẽ, eatenus ipse, & sua opera viuunt in Christo: quod verò ab eo separatum est, mortuum est, & nequaquam viuit.

Illud. Quod factum est, in ipso vita erat, vt intelligatur de Christo homine.

Octaua sententia habet: *Vita erat lux hominum.* Humanitas enim Christi lux est vtriusque, & militãtis, & triumphantis Ecclesiæ, & rursus vtriusque Ecclesiæ vita. Nam sicut in primo Adam omnes moriuntur, ita in Christo secundo Adamo omnes viuificabuntur. Significaturque, vitã nostram in fide, & gratia sitã esse: nã iustus ex fide Christi viuit, & nostrã vitã spiritualẽ in cœlesti regno, in luminis gloriæ a Christo accepti cõmunicatione subsistere: de quo Psaltes: *In lumine tuo videbimus lumen.* Vnde & Christus Rex gloriæ dicitur a Propheta: *Et claritatem*

Humanitas quomodo vita & lux sit hominum.

Rom. 5.

Ibidem.

1. Cor. 15.

Rom. 1.

Habac. 2.

Psalm. 35.

Psalm. 2.

Ioan. 17.

ritatem. Dominus inquit, *quam tu dedisti mihi, dedi eis.*

Christi Humanitas, vt lux in tenebris lucens.

In nona sententia dicitur: *Lux in tenebris lucet.* Quia Christi doctrina, & sanctitas, siue gratia omnibus Iudæis, & gentibus ad salutem proponitur, vt deserentes tenebras peccatorum, ad ipsum, vt lucem veram & salutiferam cõuertantur. Lucet etiam in tenebris, quia in sanctis, & spiritualibus viris, vt Apostolis, & Prophetis Christi virtus, & sapientia splendet: & tamen in illis, quia ab eo obtenebrantur, atque offuscantur propter eius nimium splendorem, quasi in tenebris quibusdã lucet. Vt enim de Moysis spiritu dedit Deus septuaginta senioribus, quibus tamen omnibus ipse Moyses sapientior permansit: ita etsi omnes sancti Christi lucem participent, comparati tamen ad ipsum, simul oẽs non secùs ac stellæ Solis præsentia obscurantur, & obruuntur, atque euanescunt quodammodò. Lux etiam in tenebris peccatorum nostrorum lucet; quatenus misericordia, & bonitas Dei ab illis nec vincitur, nec exinanitur; quin potiùs illustratur magis, atque exaltatur. Lucet etiam in tenebris, nimirùm pœnis, & tentamentis vitæ huius, quæ in luce Christi obscurantur, & vim suam, & amaritudinem perdunt, ac Filijs Dei in virtutis instrumenta, & lucis arma conuertuntur.

Num. 11.

Tenebras, id est, peccatores Christum hominem nõ comprehendisse, quomodo verum.

In postrema sententia dicitur, Tenebras Verbum non comprehendisse: quia magna pars hominũ in tenebris ignorationis Dei, contempto Christo, vitam agit infelicem. Ex Christianis verò paucissimi sunt (proh dolor) qui oculos spirituales, & internos ab omni immunditia perpurgare studeant, vt sanctissimæ Humanitatis Christi mysteria, & merita cernere possint. Gratias ergo Verbo Dei immensas agamus: gratias eius sanctissimæ Humanitati & habeamus, & agamus, semperque reddamus, cui & nostrã prædestinationem, & propinquitatẽ apud Deum, & Deitatis communicationẽ quandam, & partem, & esse gratiæ, ac meritorum, atque eorundem conseruationem debere nos vltrò fatemur. Debemus, & vitam, & omne gratiæ lumen, vt cognoscamus, & enarremus virtutes eius de tenebris, qui nos vocauit in hoc admirabile lumen suum: cui cum Patre, & Spiritu sancto tribuendus est omnis honor, gloria, & imperium, in sæcula sæculorum, Amen.

Quantum Humanitati Christi debeamus.

1. *Petr.* 2.

TRACTATVS XXI.

Quo exponuntur illa verba: Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes, *vsque ad id:* Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.

HACTENVS Euangelista descripsit æternitatem, ac Deitatem Verbi, eius admirabilem in mundi creatione potentiam, ac vim ostensam, postremò illuminationem per illud effectam, tùm in lege naturæ, tùm etiam in lege Moysis, nunc verò de eius Incarnatione tractare intendit. Sed quia illa lux Verbi in se ob suam infinitam perfectionem, haud poterat cerni, vnde lucem dicitur habitare inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest: deinde in humanitate illa, quam assumpsit, velut eclypsata latitabat, ita vt tenebræ eam nõ apprehenderent, ideò priùs agendum sibi putauit de sanctissimo viro Domini præcursore Ioanne Baptista, qui destinatus fuit, vt testaretur de Messia hominũ luce. Deinde tractaturus est de testimonio, quod Verbũ habitans in nobis sibi ipsi reddidit. Sed vt vox præcedit Verbum, ita declaratio Christi per Ioannem, debuit illam perfectionem anteire, quã ipse Christus sibi exhibuit. Ait ergo Euangelista: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes:* in quib' septem sese offerunt consideranda. Primum, verbum: *Fuit,* secundum, *Homo,* tertium, *missus,* quartum, *à Deo:* quintum, *nomen Ioannis:* sextum, officium eius: *Hic venit in testimonium:* septimum, finis testimonij, *Vt omnes crederent per illum.* Non enim in re seria, & ardua credibile est diuinam sapientiam verba in ventum fundere voluisse: idcircò minutè singula sunt ponderanda, & mysteria inquirenda. Cum ergo hactenus verbo illo substantiuo *Erat,* vsus fuerit, vt adnotat Cyrillus, nunc vtitur verbo præteriti perfecti, *Fuit,* siue vt Græcè dicitur ἐγένετο, quod non est verbum substantiuum, & licet pro eo interdum accipiatur, significat tamen quandam eius rei cui tribuitur factionem: nam antea de æterno, increato, & infinito esse Verbi locutus est, quod quidem nec esse incipit, nec desinit: quemadmodum Ioannes, & creaturæ omnes principio, & fini subiectæ sunt. Vnde scriptum est: *Ipsi peribunt, tu autem permanes, &c. & anni tui non deficient.* Significat ergo Euangelista, personam Ioannis fuisse creaturam, dicendo *Fuit* sicut illud quod dixit

Fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Dardanidum.

Aptè etiam illo verbo significatur Ioannis officium ad horam fuisse: quemadmodum stella illa, quæ Lucifer dicitur, vsque ad Solis exortum permanere solet; orto verò Sole, [illegible]

Scopus Euangelistæ.

1. *Timot.* 6.

De quibus hoc tractatu disseratur.

Cyrill. lib. 1. *comment. in Ioan.* cap. 1. *à med.* [illegible]

Psalm. 101. *Hebr.* 1.

Virg. lib. 2. *Aeneid.*

Ioan. [illegible]

le, incipit deficere, & Solis magno splendore offuscari: sic etiam Ioannes, qui hoc non ignorabat, dixit: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Ioannes etiam vox erat clamans in deserto: vocis autem officium est, verbum ad audientẽ deferre, quo delato, vox cessat, verbũ autẽ permanet: ita sanè Ioanni, & Christo euenisse videmus. Secundò dicitur, Fuit homo, sine aliquo articulo, vt intelligamus illũ purum fuisse hominem: non autem Christum, vt quidam ex Iudæis existimabant, quibus Ioannes cum horrore dixit: *Nõ sum ego Christus.* Deinde etiam, homo, nõ Angelus, quia Filius erat Zachariæ, & Elisabeth, & decollatus postremò fuit ab Herode: quamuis officio Angelus esset, à Deo, vt hîc dicitur, missus, & de quo Christus alio in loco: *Ego mitto Angelũ meum, &c.* Quamquam Origenes tom. 2. in Ioannem, doceat animam Ioannis Baptistæ eius corpore fuisse antiquiorem: deinde plerosque Angelos olim incarnatos, & ex ijs fortè vnũ fuisse Ioannem Baptistam, & ex Angelorũ natura, in hominum naturam descendisse: quorum vtrumque haud opinabile dogma est & absurdum, & propterea meritò ab Ecclesia reiectum. Tertiò, homo dicitur magnus, excellens, tum in naturalibus, tum etiam in gratuitis, quo etiam maior inter natos mulierum, Christo teste, nõ surrexit Propheta, vt dignè tùm de luce illa testificari, tùm ab Euangelista Ioanne post Verbum proximè describi posset. Nam vt hic post Verbum descriptus est, ita in libro vitæ, proximus Christo post matrem (quæ in filio intelligitur) meritò scriptus putatur. Quartò, considerando est Dei sapientia, atque suauitas, non Angelum, sed hominem ad homines mittens. Erat enim in primis tùm Deus, cùm Angeli ante perfectam pacem per incarnationem, terribiles, ac formidabiles. Ex quo Daniel viso Angelo cõcidit, & Iacob etiam Angelo cõspecto præ admiratione dixit: *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Post peccatum Adæ Angelus visus est cũ gladio flammeo, atq; versatili ad custodiam paradisi: Zachariam Sacerdotem in templo terruit Angelus, & Maria Virgo turbata est in sermone eius, dum ab Angelo salutata est. At post Verbi incarnationẽ, & natiuitatem, in qua pacem cecinerunt Angeli, familiares redditi sunt Angeli hominibus. Vnde & Angelus familiariter ad Ioseph virum Mariæ loquens introducitur. Familiaris fuit Petro Angelus, in abductione à carcere: familiariter agebat Angelus cum Paulo, vt in Actis Apostolicis dicitur: Ioanni in Apocalypsi familiaris aderat Angelus: postremò Abrahæ post factam promissionem de semine, nempè de Christo, Angeli familiares extiterunt. Deinde, hominem Ioannem mittit: quia Verbum hominẽ factum, annunciare debebat. Tertio, homo lõgè aptior, & accommodatior est, & magis notus, vt ab hominib⁹ intelligatur: Angeli verò, aptiores sunt ad magnos & excellentes viros, vt Prophetas, & Apostolos instruendos. Verbum autem indicandum erat non tantùm magnis, verum etiam rudibus, tùm etiam digito demonstrandum: ideò homo, & nõ Angelus, mittitur. Quartò, amplior & maior castitati, obedientiæ, & fidei locus est, dum instrui nos per hominem sinimus, ac per homines credimus, quàm si per Angelum, aut Deum erudiremur. ¶ Subditur: *Missus à Deo.* Non sat erat ad testimonium de luce perhibendum, quòd esset inclytus, magnus, excellensque, quia vel talis mentiri solet interdum in diuinis, quæ non cernit, sed opus est Deo instructore, & assistente, vt nihil proprium dicat (nam ex proprijs homo loquens, mentitur sæpè) in hunc modum Angeli dicuntur in ministerium missi. Sic etiam Prophetæ omnes à Deo missi, vsque ad ipsum Christum venerunt à Patre cœlesti ad Euangelizandum pauperibus missum, qui proptereà dixit: *Omnes, quotquot venerunt, fures sunt, & latrones.* Venire autem ante Christum, non est aliud, quàm à seipsis, & non missos venire. Inter omnes autem missos, singularis fuit ista Ioannis missio, de qua hic sermo est. Primò quidem, quia dicitur Angelus, vt eius cœlestis vita, & Angelica potius, quàm humana designetur. Deinde, quia vt præcursor expectauit, vt videret Christum, quem alterius sæculi hominibus annunciaret; id quod Prophetæ non præstiterunt. Nam priùs per viam vniuersæ carnis cucurrerunt, quàm præstolatum Domini videri mererentur aduentum. Tertiò, singulariter fuit missus, & à pseudoprophetis eo verbo separatus, vt ait Rupertus, quia supra naturam, ex senibus, & sterilibus venit, quod non est naturæ, verùm solius Dei opus. Quartò, quia & præcursor, nudus fuit, non occupatus in sæculo, vel in parentibus, possessionibusue, sed vrgenti Domini sermone, & negotio mittentis Dei, & subsequentis se Verbi, nudus, & expeditus ante faciem eius curreret, tùm ab infantia, siue pueritia eius, quippè qui ad hoc & natus erat, & factus. Suppressit autem Euangelista eius parentes, annunciationem, natiuitatem, vitam in deserto, victus ac vestitus austeritatem: quòd intelligeret ea ab Euangelistis alijs enarrata, ea

Left margin notes: Ioan. 3. Suprà 1. Isai. 40. Vocis munus quod. — Ioan. 1. Luc. 1. & seq. Matth. 14. — Suprà 11. & Malach. 3. Origenis falsa dogmata duo ab Ecclesia damnata. — Luc. 1. — Matth. 11. — Ratio cur Ioannes à Deo missus homo nuntium, non Angelus. — Dan. 10. Gen. 32. Suprà 3. Luc. 1. — Ibidem. Infrà 2. Matth. 1. & 2. Act. 12. & 27. Suprà 17. Gen. 18. & 24.

Right margin notes: II. & III. Ratio. — IV. Ratio. — In eo qui testimonium de luce perhibere velit, quæ requirantur. Ioan. 8. Hebr. 1. — Isai. 61. & Luc. 4. Ioan. 10. Venire ante Christũ quid sit. Quod singularis inter omnes missos Ioannis extiterit. Matth. 11. & Malach. 3. — Rupert. Tuit. Luc. 1. Matth. 3. — Luc. 1.

Apostoli vnde dicti.

que ab ijs esse petenda. Quintò, dicitur, *Missus*, siue Græcè ἀπεσταλμένος, participium passiuum eius verbi, à quo Apostoli dicti sunt, id est, mandatus, vt ita significetur Apostolus Apostolorum. Subditur autem, *Missus à Deo*, nullo medio: alij autem mittuntur à Deo per superiores. Vnde ait Paulus: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Quia enim nemo dat quod non habet, vel q non accepit à Deo, cùm omnis potestas à Deo sit, plebs certè potestatẽ spiritualem, quam non habet, nec à Deo accepit, dare non potest, vt Hæretici somniant. Superiores autem, cùm potestatẽ à Deo acceperint, alios mittendi habent auctoritatem. Secundò, dicitur missus à Deo: *Quia nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquã Aaron.* Et alibi: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Sicut idẽ ait Apostolus. Tertiò, a solo Deo mitti poterat talis ac tãtus nuncius, annuntians rem adeò vtilem, atq; tãdiu expectatam, Christum nempe, omnium Saluatorem. Quartò à Deo missus est, quia Deus, qui vbique est, adest suis nuntijs & legatis. Hinc Mosi dixit: *Vade, ego ero tecum.* Postremò, modus haud exprimitur missionis, an sensibili, & exteriori voce, imaginariane, an verò intellectu prędita, quare nec curiosius à nobis inquirendus est: verùm cõtenti esse debemus testimonio Lucæ, dicentis: *Anno quinto decimo Tiberij Cæsaris, &c. factum est Verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium, in deserto*: vbi tempus, & locus, & modus cum alijs Prophetis cõmunis describuntur. Nam factũ est verbũ Domini primum super Abraham, deinde super alios Prophetas, & vltimò super Ioannem. Quintò subditur: *Cui nomen erat Ioannes*: de magnis viris hoc dici in Euangelio cõsueuit, quod insinuat hoc nomen scriptum in libro vitæ: & in illo magni habẽtur, quorũ nomina sunt in Euangelio scripta. Vnde dicitur: *Cui nomen erat Ioseph, & nomen Virginis, Maria: Cui nomen Simeon.* Rursus: *Deinde autem Apostolorum nomina sunt hæc.* Signantur autem in nomine Ioannis non casu imposito, sed diuinitùs indito. Primò, gratia data in missione Dei, aptos & idoneos facientis eos, quos mittit, atque eligit: ex quo Paulus: *Idoneos nos fecit ministros Noui Testamenti*, quamquã homines alioqui viles, atq; despecti videantur, & gratia Dei tales nõ se, sed Christum, vt quærant, efficit, quia illum, qui eos misit præ oculis habẽt. Vnde Apost. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: & Ioan. ipse Bapt. dicebat: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum*, vt solent Legati

Ioannes Bapt. fuit Apostolus Apostolorum. Actor. 20. Rom. 13. Ioannes cur dicatur à Deo missus. Hebr. 5. Rom. 10. Exod. 3. Ioannes quomodo missus. Luc. 3. Qualis fuerit ac quãtus Domini præcursor Ioannes. Suprà 1. Ibidem. Matth. 10. 2. Cor. 3. In nomine Ioannis diuinitùs imposito insinuata mysteria quæ sint. 1. Cor. 4. Ioan. 1.

dicere. Secundò nota Verbum, *Erat*, quod etsi Græcè nõ legatur, erat tamen in mente Dei, quod posteà per Gabrielem Angelum reuelatum est. Erat autem verè, quia à Deo erat, *Ioannes*, inquit, *est nomen eius*: id est, nos non imponimus illud, sed Deus qui facit, quod dicit, ipse imposuit, & hoc est nomen describens, atq; definiens ipsum. Tertiò, significatur seruus dilectus, eiusmodi namque imponere nomina soliti sumus, & quia ab ipsa vsque infantia seruire Christo cœpit, illumque pręcurrere, idcircò ab initio quoque nomen accepit. Ideò Petrus, & Paulus, & Matthæus tardiùs, hoc est à tempore, quo seruire Christo cœperunt, nomina sortiti sunt. Quartò, interpretatur gratia Domini, vel misericordia Domini, quia gratiosè à Deo parentibus donatus est, & quia annunciauit cessationẽ Legis Moysi, quæ iugum erat importabile, & gratiam Euangelij, quæ iugum Christi suaue est: & quia ostẽdit Christum agnum, mundi peccata tollentem, & misericordiam præstantem: & quia de eius plenitudine deriuari in nos gratiam prædicabat. Secundò interpretatur, in quo gratia, vel misericordia in Domino, quia ante vterum duntaxat prædestinatus à Deo, pręnunciatus à Prophetis, in vtero concipitur miraculo à tam sanctis parentibus, sanctificatur, & Spiritu sancto repletur, acceleraturq; in eo liberi arbitrij vsus. Natus verò, tãto cũ gaudio & expectatione, adhuc puer eremum ingressus est, incoluitque fermè toto vitæ suæ tempore: tãto vitæ, atq; doctrinæ suæ splendore refulsit, & præcursoris, testis, ac paranymphi exercuit officium: & tandẽ felicissimè pro iustitia & veritate mortem subiuit. Quintò nomen propriũ fuit Ioannes; Baptista verò ab officio baptizãdi dicitur. Dicitur testis, quia de luce testificatus est: Lucifer, quia solem pręiuit iustitiæ: Lucerna, quia tanto vitæ illuxit splendore, vt ipsam veram in humanitate Christi velut in cristallo latitantẽ ostenderet Deitatẽ. Dicitur paranymphus, quia pręsens Verbum cũ Ecclesia præsente cõiungit. Dicitur Angelus, ob vitæ puritatem, & sanctitatem: Vox, quia resonabat Verbum, & ad illud deferebat auditores: dicitur Helias, quia in spiritu, & virtute eius venit. Deniq; fuit plus quam Propheta, Apostolus Apostolorũ, Martyr, Doctor, Confessor, Eremita, Primogenitus fuit, & vnigenitus parentum suorum, ac proinde typus Christi. Laudatus à Domino non semel ab Angelis, & Prophetis, ab Herode, à Pharisæis, à turbis. Sextò, describitur officium eius, ac munus: quia enim diuersarum rerũ diuersa sunt testimonia, declarat cuius

Luc. 1. Ioan. 1. Actor. 13. Matth. 9. Actor. 13. Ioannis nomen duo signat. Matth. 11. Ioan. 1. Ibidem. Hierem. 1. & Luc. 1. Ioannis pęrogatiua singulares. Isai. 40. Malach. 3. & Matth. 11. Luc. 1. Ibidem. Ibidem. Ioan. 3. Matth. 14. Ioan. 1. Infrà 5. Suprà 1. Infrà 3. Matth. 11. & Malach. 3. Ioan. 1. & Isai. 40. Matth. 17. & Malach. 4. Matth. 11. Ioan. 11. Matth. 14. Luc. 7. Ioan. 1. Luc. 1. Ibid. & 17. & Ioan. 5 & alias. Matth. 11. Luc. 1. Isai 40. & Malach. 3. & 4. Matth. 4. & Marc. 6. Matth. 11. Luc. 3.

...uerb. 16.

rei testificādæ gratia fuerit missus: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Officium verò eius dignissimum erat testificari de lumine. Vbi diligenter aduertendum est, creaturas omnes, quas propter semetipsum operatus est Dominus, testificari Dei bonitatem, sapientiam, potētiam, & iustitiam: *Inuisibilia enim ipsius,* vt testatur Paulus, *à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur:* sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas. Inter alias autem omnes creaturas homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus, excellentiùs perhibet; verùm creaturæ, quæ habent esse diuinum & gratuitum, multò excellentiùs, ac singulariùs testimonium reddunt. Vnde Christus dixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Qui autem verbum Dei alijs proponunt, & prædicant, hi maiori ratione de Christo testificantur. Hinc eiusdem illa vox: *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ.* Et iterum: *Cùm venerit Paracletus, &c. Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis.* Et in hoc genere testificandi excedunt Apostoli, & Patres Noui Testamenti, oēs Veteris Testamenti Prophetas, qui quidē omnes Christo testimonium perhibuerunt, remissionem peccatorū accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum: vt Petrus dixit in Actis. Sed inter Noui Testamenti Patres, nullus neque prius, neq; excellētius & vita, & verbo quā Ioannes testificatus est, non lumen venturum, sed venisse: *Ecce,* inquit, *Agnus Dei.* Hic ergo, quē in medio concilij malignantium posui testem: hic, inquam, solus præcursor, & masculus testis, *venit.* Etsi enim emissus sit, venit tamen: quia nō solùm agimur, sed etiam agimus, & Spiritus Prophetarū Prophetis subiecti sunt in testimonium proximum, vt vox de Verbo testatur: *Testimoniū perhiberet de lumine,* siue de luce: nā in Græco Codice non est aliud ab eo, de quo suprà dicit: *Et vita erat lux hominum.* Semper enim, est τὸ φῶς. Notant Grammatici tamē, lucem, esse in corpore lucido; lumen, in medio, splēdorem verò, vt ab alio corpore lumen suscipiente reflectitur. Iuxta quā quidem obseruationem potest dici Christus lux in se: lumē verò in incarnatione, vita, & morte, quę salutis nostræ sunt medium: splēdor autē in sanctis suis, in quibus vita, & doctrina resplendet. Vt ergo testimonium perhiberet de luce in tenebris Iudæorum, dicentium Christum filium Ioseph, & filium fabri, nundumq; venisse: contra quod magnus

...eaturæ omnes à Deo cur ...aductæ.
...n. 1.
...p. 2.
...cl. 17.
...m. 1.
...ænam in... creaturas ...nius de ...risto, & ...cellentius ...imonium ...ant.
...tth. 5.
...or. 1.
...an. 16.
...tor. 10.
...ter Noui ...tres Testa... enti Ioannis ...pr. & prius excellentius ...timonium Christo ...rhibuit.
...an. 1.
...Cor. 14.
...ac Græcè ...ud.
...ux, lumen, splendor, ...ter se quid ...fferant, se...ndū Gram...aticos.
...ux. lumen, splendor ...uomodo ...hristus.

testabatur Ioannes, ideoque maximè oportebat eos cognoscere lucem; ideò insinuat habuisse Ioannem certā & claram notitiam huius lucis: quia vt ipse dixit, *Quod vidit, & audiuit, hoc testatur.* Quo testimonio Christus propter seipsum non egebat, qui Sol est clarissimus & lucidissimus, sed propter cæcos, & credere nolentes Iudæos indigere voluit. Et quemadmodum solem in seipso cernere nequaquam possumus, benè autem in stella aliqua, vt in Lucifero, vel in monte aliquo, ex quo inde lux, & splendor ad valles descendit: ita profectò significatur lucis Verbi processus ad montem magnum Ioannem, de quo Angelus dixit: *Erit magnus coram Domino,* vt inde ad valles Iudæorum splendorē emitteret. Ad hæc, quemadmodum Verbum infinitum in humanitate assumpta se humiliauit, & exinaniuit; ita in sanctis ipsis quodammodò se abbreuiauit, atq; restrinxit. Hinc fit, vt ad vitam, vel ad mortē Apostoli alicuius, vel Martyris, vel ad aliqua Christi humana opera magis quādoque moueamur, quàm ad opera eius magna excellentia, & quæ diuinitatē testabantur illius. Quare Apostoli ante aduentū Spiritus sancti, teneriori prosequebantur amore Christi humanitatem, & ab illa ablactari se, eiusque societate omnium longè iocundissima diuelli molestissimè ferebāt.

Ioan. 6. Matth. 13. Ioan. 7. & aliàs.
Suprà 3.
Ioannis testimonio Christus quatenus indiguerit.
Pulchra comparatio.
Luc 1.
Infrà 2.
Philip. 2.
Vnde fiat quędam vt opera Christi, & Sanctorū eius humana quā diuina nescio qua ratione nos magis alliciant, atque permoueant.

Septimò, sequitur finis missionis Ioannis: *Vt omnes crederent per illum:* vbi primo pondera verbum, *omnes.* Et intellige tam ex parte Patris æterni mittentis, quàm ex parte Ioannis, & Christi ipsius, de quo erat testimonium reddendum, hunc finē fuisse propositum, nempè vt omnes crederent. Sicut enim Christi miracula nō modò præsentibus, qui illis interfuerunt, & credentibus, sed etiā omnibus fidelibus profuerunt, imò etiam præteritorum hominum in spiritu cognita, sanctificationem sunt operata: Sic Ioannis testimonium ad omnium salutem hominū pertinuit. Secundò pondera verbum, *crederent:* Non, vt scirent, quia testimonio nō respondet scientia, sed fides: quamquā sacræ paginæ fidem, eius ob firmitatem, & certitudinem quam includunt, consueuerint appellare scientiam. Dixit etiam, *vt crederent,* vt ab imperfecto, nimirùm à fide, ad perfectum ascendat, id est, ad visionē huius lucis. Pulchrè postremò dicitur, *vt crederent;* vt ea ratione appetitus ille sciendi, quo abusi fuimus in Adam primo nostro parente, reprimatur: quāquàm appetitus eiusmodi ab ipso Creatore rectè fuerit plantatus, & ingeneratus: quippè ad sciendum nati sumus, non ad opinandum, vel credendum. Nunc autem meritò mor-

Quis finis missionis Ioannis.
Fidem diuinæ Scripturæ scientiam cur soleant interdū appellare.

tificati (ſic dicam) intellectus noſtri in credendo dulcior lucis viſio reſpondet, ac ſuccedit. Ex quo ille dixit: *Poſt tenebras ſpero lucem.*

Iob 17.

Tertiò conſidera verbum, *Per illum,* Græcè διὰ αὐτοῦ, quod referri poteſt ad lucem perpetuò venientem; videlicet Verbum, quod prædicatione & opere duxit ad credendum. Atque ita Iacobus Faber exponit, & Caietanus: eo quòd Ioannes non ſit omnibus teſtificatus vt per eum crederent, ſed vt omnes crederent per ipſum Dei verbum, ſiue per ipſam lucem, non autem per Ioannem, qui fidē dare non poterat. Vnde Petrus loquens de Christo, ab hac phraſi nō abhorruit, ait enim: *Præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autē nouiſſimis temporibus propter vos, qui per ipſum fideles eſtis in Deo.*

Iacob. Faber. Caiet. in Ioan. cap. 1.

1. Petr. 1.

Sed certè magis ad rem facit, vt vox, *Per illum,* ad Ioannem, vel ad Ioannis teſtimonium, de quo erat ſermo, referatur: ſiquidem, *Per,* non ſignificat cauſam efficientē, ſed inſtrumentalem, & mediam. per Ioannem ergo teſtificantem, prędicantem, & ſua prædicatione & teſtimonio ad Ieſum homines adducentem intelligēdum eſt. Quemadmodū & Ioan. 4. dicitur, quòd multi Samaritanorū crediderunt propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis: & illi dicebant, *Quia non propter tuam loquelam credimus.* Et ſic Nonnus Græcus Paraphraſtes Ioannis interpretatur, ait enim:

Nonnus Ioannis paraphraſtes.

Verbi tunc nuncius ille futuri
Miſſus erat, vero verax de lumine teſtis,
Crederet vt populus præconis voce, fidemq́;
Altricem mundi rectam, atq; interminam haberet. Hæc ille.

Quòd ſi voluiſſet ſignificare Christi lucem, nō dixiſſet Euangeliſta, vt omnes crederent per illum. Et quod dicitur: *Vt omnes crederent per illum,* intellige, vel accommoda diſtributione de omnibus teſtimonium eius audientibus, id eſt, Iudæis, vel quia per eos, qui ex Iudæis ſunt, & teſtimonio Ioannis crediderunt, fides ad Gentes propaganda erat, vt iam propagata eſt. Et ſimilis loquendi modus obſeruatus eſt à Paulo 1. Cor. 3. *Quid igitur eſt Apollo? Quid verò Paulus? Miniſtri eius cui crediditis.* Græca habent: τίς οὖν ἐστὶ Παῦλος, τίς δὲ Ἀπολλῶς; ἀλλ' ἢ διάκονοι δι' ὧν ἐπιστεύσατε. *Quis eſt Paulus, & quis Apollo, niſi miniſtri per quos crediditis?* Et Apoſtolus ad Romanos: *Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti,* ſcilicet prædicatum. Et Ioan. 17. *Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Ecce quod creditur in Chriſtum, & creditur per Apoſtolorum miniſterium, & doctrinam. Venit ergo Ioannes, vt eius teſtimonio omnes crederent; cùm tamen pauci crediderint, vt miratus Iſaias, dixerit: *Domine quis credidit auditui noſtro?* Ex quo colligere licet benignam, ac propenſam erga omnes Dei voluntatem: nam facit quidquid ad ſe pertinet, vt omnes credant, & credendo ſalutem conſequantur.

1. Cor. 3.

Iſai. 53. Ioan. 12. Rom. 10.

Sed homo eſt, qui ponit obicem Spiritui ſancto, & ſuo vitio rebellis fit Lumini, oculos auertens ab eo. Deus autem lucem ſuam dare voluit nemini adulto, niſi adſit noſter aſſenſus, & ad acceptandum Dei tantum luminis, ſcilicet gratiæ eius, ac fidei donū concurſus. Quòd ergo non credat quis, vel ſalutem non conſequatur, inde profectò eſt, quia licèt omnis homo in vniuerſali, natura trahente, beatitudinem, & tacitè ſubſidia etiam ad eam perducentia nō recuſet, & maximè velit; in particulari tamen, & explicitè eam minimè vult, quia & præſidia ad eam neceſſariò aſſequendam reſpuit, aſpernaturque.

Qua lege Deus homini ſuum lumen impertiat. Quænam cauſa incredulitatis in Deum ſit, ac perditionis humanæ.

Quemadmodum qui ſumit medicinam, oſtendit ſe velle ſanitatem, nō autem qui illam refutat, licèt in communi ſalutem velit: nam hoc non eſt virtutis, ſed naturæ, ac proinde nullius meriti, cùm rectè dixerit Philoſophus, per naturalia nos nec mereri, nec demereri.

Simile.

Ariſtot.

¶ Quod ergo dicitur ab Apoſtolo: *Non omnium eſt fides:* intelligendum eſt, quatenus quidem ad nos attinet, & ad actionē noſtram; non autem quatenus Deum attingit. Qui (Paulo teſte) mittit Apoſtolos ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine eius. Illud etiam: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt,* perinde eſt, ac ſi diceret: *Qui nolunt credere.* Et rurſus, quod dixit Chriſtus: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum:* intelligendū eſt, Patrem ex ſe omnes trahere quidem, ſed nō trahit niſi aptos, & dociles, non autem reluctantes, vel inuitos. Quòd ſi Deus non omnibus ex ſe præſtaret fidei lumen, abeſſet profectò ratio omnis admirationis propheticæ de paucitate credentium: *Domine,* inquit, *quis credidit auditui noſtro?* Et Chriſtus haud miraretur apud Marcum, quòd in Patria ſua poſt tot edita ſigna fidem nō inueniret. Et de his quidem dictum ſit hactenus.

2. Theſſ. 3. Quomodo accipienda illa vox Pauli: Non omnium eſt fides.

Rom. 1.

Ioan. 6. Ibidem.

Quos trahat ad Chriſtum Pater.

Iſai. 53. Marc. 6.

Ex his ergo accipe, qui vis finem æternæ vitæ apprehendere, vt neceſſaria ad illam aſſequendam adiumenta non negligas, quo oſtendas te velle finem, nec res ad eam conducentes horrere: quoniam charitas omnia reddit facilia atq; delectabilia. Neque enim ad ſalutem ſimplex bona voluntas ſufficit: nam infernus (vt dicitur) plenus eſt bonis eiuſmodi voluntatibus, ac deſiderijs, verū ad ſalutē fruſtrà. Deinde diſce more Ioannis eſſe teſtis, vt vita & factis ipſis teſtificari

Salutem quomodo conſequamur ſi volumus.

Matth. 5.

valeas de luce te inhabitante, & radijs illustrante etiam in vultu, gestu, & conuersatione, colloquioque cum proximis, iuxta illud: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, &c.* Nec tantùm de Christo venturo testandum, verùm de eo qui iam ad nos per gratiam suam venit: neq; solùm verbo, sed etiam digito, hoc est operatione duntaxat bona nobis ostendédus est Christus. Postremò in hos ipsos flecti atque descendere oportet quodammodò, nosque ipsos agnoscere quasi Ioannem, nimirùm gratiam Dei. Gratia enim Dei sum id quod sum, ait Apostolus; & ex se omnis homo mendacium est & peccatum. Demus ergo operam, vt per nos, omnes credãt in Deum, illum amplectantur atque profiteantur, prǽstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto reddatur omnis honor, gloria, & imperium, Amen.

1. Cor. 15. Psalm. 115. & Rom. 3.

TRACTATVS XXII.

Quo exponuntur illa verba: Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

HACTENVS Euangelista descripsit missionem testis, & nomen eius, & finem, & denique quid esset Ioannes: nunc autem subdit, quod non erat. Quemadmodum enim Ioannes interrogatus à Iudæis: *Tu quis es?* primùm respondit de se id, quod non erat, quia confessus est, *Quia non sum ego Christus;* eodem, seu prorsus cõtrario modo, primùm dixit de Ioanne, quod erat, nempè: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes:* nunc declarat id, quod non erat, dicendo: *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Hæsitabant enim Pharisæi de Ioanne, ob ingentes eius virtutes, ne fortè ipse esset Christus, aut Messias, quẽ venturum expectabant. Ita etiam Luc. 3. dicitur: *Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus; Respondit Ioannes dicens omnibus: Quem me putatis esse, non sum ego: Ego quidem baptizo vos in aqua.* Quasi dicat, non sum Dominus, sed seruus: nõ sum Rex, sed Regis præco, & præcursor: non sum lux, sed præuia quædã venturæ lucis emicatio. Hic ergo dicitur: *Non erat ille lux:* Primùm, vt ait Chrysostomus, ne quis putaret Ioannem Christo maiorem, quòd testimonium de illo redderet, vt fieri apud nos solet. Ostendit Ioannem, minorem esse Christo, maiorem autem nobis, & magis aptum, & accommodatum, lumenque diuinum carne velatum, cognoscentem. Deinde, non erat ille lux, id est, Christus, qui vocatur in Scripturis Sol iustitiæ, & oriens ex alto, & Lux magna, de qua: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam:* & lumen populi Israelitici, de quo Isaias: *Surge, & illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum.* Lumen etiam, ad reuelationẽ Gentium, vt prædixit Simeon. Non ergo Ioannes est Christus, sed eius præcursor; eius, vt verbi, vox; eius Angelus, missus ad testificandum de lumine. Magna profectò, & inenarrabilis Ioannis laudatio & commendatio ex his verbis depromitur: nã talis, ac tãtus ab omnib⁹ est habitus, vt opus fuerit, Euangelistam exprimere, ipsum non esse Messiam. Sat enim fuisset, si non ambiret, vel nõ quǽreret tantum honorem. Sed illud est singulare & admirabile, quòd oblatam Messiæ dignitatem non solùm non admiserit, neque silentio taciturnitateúe sua de illa amplectenda consenserit, verùm etiam constanter, quasi abhorrendo vsurpatæ dignitatis scelus atque flagitium, dixit: *Non sum ego Christus, sed venit fortior post me, &c.* Quod ergo Ioannes per seipsum prǽstitit, titulum Messiæ recusando, & nomen, id ipsum facit Euangelista Ioannes. Quod vt aliquo exemplo illustretur; propone tibi ante oculos Regẽ quempiam ornatum, regioque satellitio stipatũ & septum, equitare per ciuitatem. Finge etiam aliquẽ ex ministris eius illustrem cum Rege simul incedentẽ, & lateri assidentem suo, qui quidem tãto splendore vestium, & gemmarum præfulgeat, vt omnes subiecti ac inferiores pro vero Rege habeant, & colant: tunc profectò opus esset voce forti prǽconis alicuius clamantis, ac dicentis: Nõ est ille verus Rex, vt vos putatis, sed minister, ac testis regiæ personæ, quàm alter, qui anteire videtur, sustinet. Hic alius est verus Rex, ac verus Princeps. Ita cogitare debes de Christo, & Ioanne Baptista, qui simul mundo apparuerunt. Et cùm Ioannes haberi pro Messia cœpisset, intonat Euangelista Ioannes, verè filius tonitrui de Ioanne Baptista: *Nõ erat ille lux, sed vt testimoniũ perhiberet de lumine.* Tertiò, his verbis insinuatur eximia Ioannis vitæ sanctimonia, atque magna eius doctrinæ vis, ita sine signis atq; prodigijs persuadentis & trahentis ad se Iudǽos, vsque adeò signorum auidos: vt enim dicitur Ioan. 10. *Ioannes nullum signum fecit:* nam si signa edidisset, magis de Christo dubitassent, & maiorem proculdubiò retinendi Iesum, & Ioannem in Messiam accipiendi, habuissent occasionẽ Iudæi. Quo-

Ioan. 1. Ibidem. Isai. 40.

Iudæi Ioannẽ Baptistam cur crediderint esse Messiam. Luc. 3.

De Ioanne cur dixerit Euangelista: Non erat ille lux. B. Chrys. hom. 5. in Ioan. sub fin. to. 1. init.

Sap. 5. & Malach. 4. Luc. 1. Isai. 9. & Matth. 4. Infra 60. Luc. 2. Ioan. 1. & Isai. 40. Malach. 3. Matth. 11.

Ioannis mira ac singularis modestia.

Ioan. 1. Eiusdem verè atque cõstanter se Christũ esse negantis humilitas qualis meritò videri potuit.

Marc. 3.

Ioan. sanctitas, magnaque docendi vis.

1. Cor. 1. Ioan. 10. Ioannes signũ cur nullum ediderit

quidem Apoſtolis haud contigit, qui iam Chriſto à morte ſuſcitato, in nomine eius ad firmãdam, ac ſtabiliendam reſurrectionis Chriſti fidem, miracula operabantur. Non erat ergo ille lux per eſſentiam; quare nec ab alijs cõmunicari aliqua ratione potuit, nec ad ſalutem ſufficere. Quamobrem Baptiſmus eius, Pœnitentia, Confeſsio, & Præcepta nõ erant ad vitam, & ad ſalutem ſatis, vt quidam putabant, verùm erant via quædã, & diſpoſitio ad Chriſtum. Quartò, duo ſe hoc loco offerunt dubia diſſoluenda, quorũ primũ eſt, cur negetur hîc Ioannem eſſe lucem, cùm de Apoſtolis Chriſtus dicat: *Vos eſtis lux mundi*: Imò Chriſtus ipſe de Ioanne dixit: *Ille erat lucerna ardens, & lucens*. Reſpondent ex antiquis quidam, vt Cyrillus & Theophylactus, & ex recentioribus Eraſmus, & Caietanus, negari Ioannem eſſe lucem cum articulo, primam lucem, & ſupremam per eſſentiam deſignante. Siquidem Euangeliſta dixit: Οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς non dixit, Οὐκ ἦν φῶς. Sed huic reſponſioni obijci poſſe:, quia Ioan. 5. dicitur Ioannes lucerna, nõ cum vno ſimplici articulo, ſed cũ duplici: Ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος ὁ καιόμενος. Secundò: Apoſtoli dicuntur Matth. 5. lux cum articulo: Ὑμεῖς ἐστὲ τὸ φῶς τοῦ κόσμου. Et Chriſtiani dicuntur lux cum articulo ad Epheſ. 5. *Eratis aliquãdo tenebræ, nunc autẽ lux in Domino*. Dicendum ergo eſt aliter, nempè articulum habere ſæpè vim referendi, & referre præcedentia atq; ita Ioannes hîc negatur eſſe illa lux, de qua dixerat: *Vita erat lux hominũ, & lux in tenebris lucet*. & reliqua; & de qua proximè ſubijcitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, &c.*

Ioannes ſi nõ eſt lux, cur dicitur lucerna ardens & lucens, & Apoſtoli vocantur lux mundi.
Matth. 5.
Ioan. 5.
Cyrill. lib. 1. in Ioan. c. 7. in fine, tom. 1.
Theophyl.
In hunc ſenſum obijciuntur duo.
Alia commodior ſolutio.

Deinde conſiderandum, lucernam quid longè minùs eſſe quàm lucem. Præterea Apoſtoli nõ abſolutè lux, ſed lux mundi, & ſal terræ dicuntur, nimirùm inter mundanos, & terrenos; & Epheſij lux in Domino, id eſt, per participationem, & gratiam. Hic autẽ eſt ſermo de luce abſolutè, ſiue de luce magna, & vera, vt ſubiungit. Alterum dubium eſt, quia teſtimonium Ioannis, quod tantoperè commendat Euangeliſta, dicendo: *Vt teſtimonium perhiberet de lumine*, videtur Chriſtus Ioannis 5. ſpernere, cum ait: *Vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine teſtimonium accipio*. Reſpondeo, non ſpernit quidẽ Ioannis teſtimonium Chriſtus, cùm eo ſe tueatur Matth. 21. Neque ſpernit Ioannem, quem tùm eo in loco, tùm Matth. 11. miris laudibus celebrat, & ornat: verùm declarat tantùm ſe non accipere vt ſummum ac præcipuum Ioannis teſtimonium, ita vt alijs renuntiare velit. Quia ſi Chriſtus doctrinam ſuam ſignis minime confirmaſſet, potuiſſet Ioannis haberi teſtimonium vt humanum. Deinde Chriſtus nõ accepit teſtimonium Ioannis, quaſi illo perſuaſus cognoſceret ſe eſſe Chriſtum, vel quaſi illo per ſe indigeret: cùm enim Deus eſſet, non egebat vllo teſtimonio, eguit tamẽ propter nos. Vnde ibidem Chriſtus adiecit: *Sed hæc dico, vt ſalui ſitis*: quod eſt dicere, Ioannis teſtimonium nõ propter me qui Deus ſum, ſed propter vos ſaluandos inſtitutum fuit, & vt vos more veſtro, per humana teſtimonia credatis.

Apoſtoli quales ſint lux.
Epheſij cur lux in Domino.
Ioan. 1.
Si Ioannes à Deo miſſus vt teſtimonium perhiberet de lumine, quo modo Chriſtus inquit ſe ab homine teſtimonium nõ accipere.
Ioannis teſtimonium Chriſto vt fuerit neceſſarium.

Sequitur in textu: *Erat lux vera, &c.* Ad cuius loci luculentiorẽ intelligentiam, hæc diligenter diſcutienda ſunt, & tractanda. Primum quidem, quare verbum dicatur lux. Deinde cur dicatur lux vera. Tertium de quo lumine intelligatur, quod illuminat omnem hominem, de ſenſibili, ac corporeo; an de rationali, & prædito intelligẽtia, an verò etiam de gratuito, & glorioſo Chriſti lumine. Quartum, an omnẽ hominem illuminet, vt porrigunt verba textus, an verò aliquos ex quolibet hominum genere, vt quidam interpretantur. Quintum, an omni tempore illuminet hæc lux. Sextum, quando dicatur homo venire in hunc mundum.

Ad primum reſpondendum eſt, iam ſuperiùs dictũ fuiſſe, meritò Verbum ſignificari per lucem: tùm quia procedit per modum intellectus, qui lux quædam ſpiritualis eſt: tùm quia à rota Patris oritur, & cum eo ſpirat calorem Spiritus ſancti: tùm quia coæua ipſi Patri, à quo procedit, non ſecùs ac lux coæua eſt ipſi corpori, vnde manat: quartò, quia ſimpliciſſima eſt, & in omnia pro eorum captu ſe diffundit: quinto, quia benefica eſt, & multis prædita virtutibus: quippè illuminat, & calefacit; lætificat, & fœcundat; purgat, & eleuat, & aſſimilat res quas illuſtrat, nulla ſui diminutione, nullo ſuo labore, nullo diſcrimine, nulla cum acceptione perſonarũ, nulla mora, ſed omnibus ſe communicans, etſi nõ æqualiter, ijſque ingrata ſolummodò, qui malè agunt, vt furibus, adulteris, homicidis, & proditoribus coniurationem aliquam ſecretò molientibus. Præ hac autem luce, ſingulæ creaturæ tenebræ ſunt, & mendacium: eatenus verò lucentes, & veræ, quatenus de hac aliquid decerpunt. Et lux Chriſtus dicitur totus, non ſicut Sol iſte, verùm totus ſplendens, totus fulgens: quod non habet vlla creatura. Et benè dicitur, *Erat*: quia per æternitatem fuit, eſt, & erit, vllo ſine termino.

Quare Verbum dicatur lux.
Effecta lucis.
Ioan. 3.
Lux, quibus tantum inuiſa, atque moleſta.
Quatenus creaturæ ſint lucidæ.
1. Ioan. 1. & Apoc. 3. & 4
Verbum cur dicatur lux vera.

Ad ſecundum reſpondendũ eſt, verum

Verum dicitur multipliciter.
Ioan. 1.

multipliciter ſumi. Dicitur enim verum in primis, prout diſtinguitur contra mendacium, & falſum. Ex quo Paulus ad Epheſ. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem.* Secundò ſumitur verú, vt opponitur figuræ; & typo, de qua inquit Ioannes: *Lex per Moyſen data eſt; gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Tertiò, verum dicitur; vt opponitur rei quæ participatur: verum enim eſt, quod per eſſentiam tale eſt. Vnde Dominus Ioan. 17. *Hæc eſt*, inquit, *vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum*, id eſt, non participantem Deitatem, ſed per eſſentiã Deum, nos enim in qualitate, & parte dij ſumus, ſicut dixit Propheta: *Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes*; Et in Epiſt. ſua Catholica Ioan. ait: *Dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum* (id eſt naturalé, & per eſſentiam Deũ) & ſimus in vero Filio eius (id eſt eſſentiali,) & naturali Ieſu Chriſto. Hic eſt verus Deus, & vita æterna. Eſt ergo Chriſtus lux vera, non falſa, aut mendax, vt Philoſophorum illa, quam ſe habere iactabant, quæ multis erat erroribus mixta, atque mendacijs. *Nam ſtultus* (ait Hieremias) *factus eſt omnis homo à ſcientia ſua*; Et Paulus: *Dicẽtes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & euanuerunt in cogitationibus ſuis.* Non etiam mendax, & trãsfigurata lux, qualis Dæmonum eſt transfigurantium ſe in Angelos lucis; & qualis illa Hæreticorú, qui cogitationes, & ſomnia ſua Scripturarũ ſententijs colorare, & illuſtrare conantur. Deinde, erat lux vera, non typica, nõ figurata, aut vmbratilis, qualis illa fuit Legis Moſaicæ, quã Chriſtus, qui veritas eſt, adimpleuit, & Prophetarum tenebras ſuſtulit, & aperuit ſenſum Apoſtolis, vt intelligerent Scripturas, vt medullam & nucleum, nimirum ſpiritualem ſenſum ſub cortice literæ deliteſcentem inuenirent. Et ita Leontius interpretatur, verum non accipi, vt opponatur falſo, ſed imagini & figuræ. Tertiò, erat lux non deriuata, & creata, ſed per eſſentiam & naturam, cõtra Arrium, & Cherinthum; & veritatem dicendi à ſe habens, vereque alios illuminans, & de hac magis ad literam videtur loqui Euãgeliſta, quia negat Ioannem lucem fuiſſe, qui non erat lux falſa, aut typica, ſed tãtum participata. Lux enim iuſtorum in via, & Angelorũ, ac beatorum in patria, deriuata & creata, & finita lux eſt, quæ tota offuſcatur, atque obtenebratur ab huius veræ lucis ſplendore, non aliter ac candelæ, & faces à ſplendore Solis obruuntur, & opprimuntur. Et ſi caperetur falſum æquiuocè pro eo, quod eſt per ſe & ex ſe falſum, & pro typico, atque deriuato, liceret vere dicere, omnia præ luce

Quid illud: vt cognoſcant te ſolum, Deum verum.
Pſal. 81. & Ioan. 10.
1. Ioan. 5.
Ioan. 17.
Qualis Philoſophorum ſit lux.
Hiere. 10. & 51.
Rom. 1.
Lux Dæmonũ, & hæreticorũ qualis.
2. Cor. 11.
Matth. 5.
Luc. vlt.
Leontius Epiſcopus.
Contra Arriũ, & Cerinthum.
Angelorum & hominum lux ab illa Chriſti quantum diſtet.

illa, falſa eſſe, ac mendacia. Chriſtus autem lux eſt, non deriuata, quia non habet parté, ſed in ea inuenitur omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt ait Apoſtolus. Et hæc de ſecundo. Ad tertiũ dicendú, multiplex lumen in ſacris literis inueniri. Primum quidem corporeum, & ſenſibile, de quo in Geneſi dicitur: *Fiat lux, & facta eſt lux*: & fiant ſtellæ in firmamento, vt illuminent. Secundum, eſt lumen rationis, ſeu intellectus agentis, de quo Dauid: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*: & Chriſtus in Euangelio: *Si lumen, quod in te eſt* (nempè natura inſitum) *tenebræ ſint, ipſæ tenebræ quantæ erunt?* Tertium eſt lumen gratiæ, & fidei, de quo dicitur: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis; & illuminabit te Chriſtus*: & ibidem Paulus: *Vt filij lucis ambulate*; & Chriſtus: *Dum lucem habetis, credite in Lucem*; & Zacharias: *Illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent*; Et Dauid: *Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia.* Quartum eſt lumen gloriæ, de quo dicitur: *In lumine tuo videbimus lumen*; & iterum: *Vt placeam coram Deo in lumine viuentium*; & Paulus, *Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine*; Propheta etiam: *Regem in decore ſuo, vel in gloria ſua videbunt.* Quanquàm autem omnia lumina hæc à Chriſto, luce increata, & à Patre luminum in nos deriuétur: hic tamen locus de primo lumine non intelligitur, vt exponit Caietanus, alioqui nihil illuſtre diceret: tum quod illud lumé ſenſibile commune ſit beſtijs: tum quia dicitur: *Illuminat omnem hominem*: vnde videtur de lumine proprio hominis, quatenus homo eſt, loqui Ioannes. Ad hæc; Hoc ſenſibile lumen non illuminat omnes homines, vt pueros mortuos in ventre matris ſuæ, & cæcum natum à natiuitate. Deinde, non videtur intelligendum de ſecundo lumine rationis, vt Cyrillus exponit, dicens, Verbum illuminare creatiuè omnem hominem, quatenus omnem hominem creat rationalem. Sed certè homo illuminandus per hoc lumen, iam ponitur homo; ac proinde rationalis, maximè quãdo venit in mundú, & incipit apparere, vt exponemus: Eſt enim de eſſentia hominis ipſa rationalitas, vt philoſophi loquuntur. Præterea, idem eſſe, illuminare hominem, & creare hominem. Ad hæc, innuitur, Lumen hoc, ad Verbi cognitionem inducere, id quod de naturali lumine nõ eſt verum, cum lumen naturæ non eò perueniat, vt Chriſtum oſtendat. Huc accedit, dici à Ioanne: *Lux in tenebris lucet*, vt expoſuimus, in peccatoribus; id eſt, tenebras peccatorum amantibus. At hoc lu-

Coloſ. 1. & Infra 2.
Quodnam ſit lumen illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.
Gen. 1.
Lumen in Scripturis quàm multiplex.
Pſal. 4. & Matth. 6.
Epheſ. 5.
Ibidem.
Ioan. 12.
Luc. 1.
Pſal. 96.
Pſalm. 35.
Pſal. 55.
Coloſ. 1.
Iſa. 33.
Iacob 1.
Caietan. in Ioan c. 1.
1. ſenſus falſus atque ridiculus.
Ioan 9.
Secundus.
Cyril. lib. 1. in Ioan c. 8. to. 1 in prin.
Hic ſenſus quæ patiatur incommoda.

nitae naturę peccatores minime sunt destituti. Postremo dixerat de Ioanne, nempè venisse, vt testaretur de luce, vt omnes crederent per illum. Ergo sermo est Dei de maiori lumine, quàm naturali, quod est lumen gratię & fidei, quo duce, solùm possumus credere. Secundò, nequaquàm proximè de gloriæ lumine intelligi potest, tum quia de hoc lumine ait, quod illuminat omnē hominē venientem in hūc mundum, ergo sunt viatores, qui possunt illo lumine illustrari: lumen verò gloriæ est pro egredientibus, siue pro iam egressis ex hoc mūdo, & ad Patrem euntibus. Insuper non omnes tunc illuminabantur; plures enim tunc, mittentur in tenebras exteriores, suorum criminum caussa. Denique lumine gloriæ illustrati, non possunt non videre, & cognoscere Verbum, & Patrem: nec opus est, vt aliquis de illo lumine ipsis testificetur, vt quidem dicitur hic, cùm omnes suis illud oculis cernant. Superest igitur, vt hoc loco sit sermo de lumine gratiæ, siue de lumine fidei, per quod benignè liberamur à tenebris peccatorum, ab ignoratione earum rerum, quæ ad salutem sunt necessariæ; à Dæmonumque, & Inferni tenebris eripimur. Intelligo autem per illuminationem huiusmodi, lumen omne supernaturale homini viatori concessum, ad promouendam eius salutem, vt sunt auxilium peculiare, Fides, Spes, Charitas, Dona Spiritus sancti, cognitio Sacrarum literarum, præsidia, fauores quoque Dei, qui faciunt ad salutem vniuscuiusque. Quòd ergo de hac illuminatione intelligendus sit textus, liquidum euadit. In primis enim de alijs luminibus, vt probauimus, intelligi nequit. Deinde, quia lumen hoc gratiæ reliqua lumina absorbet; nam in hoc lumine continetur bonus luminis rationis naturalis vsus, vt illo veluti duce & præceptore homines proficiant in scientijs, artibus, ac bonis moribus, seu virtutum officijs: tum ex illius ductu luminis & instinctu sese agant ad amplectendum plusquàm naturale gratiæ, & gloriæ lumen, quod illis offertur: in quo etiam lumine gratiæ, ceu in semine, lumen gloriæ continetur. Paulus enim ait: *Gratia Dei, vita æterna.* Prætereà aduentus CHRISTI, & incarnatio, maximè ad illuminandum hominem hoc lumine facta est, vt hic docet Ioannes: *vt omnes,* inquit, *crederent per illum:* & Christus alibi dixit: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ:* quod est non aliud, quàm gratia, siue fides viua iustificans, & habentem spiritali vita donans.

Tertius sensus, & hic incommodus. — *Matth. 8. & 22. & 25.* — *Quartus verus, ac proprius huius loci. Luc. 1. & 1. Pet. 2.* — *Per fidei illuminationem quid capiendum sit.* — *Homini naturale lumen quid conferat.* — *Rom. 6.* — *Christus potissimum cur incarnatus.* — *Ioan. 8.* — *Lumen vitæ quod sit.*

Denique huic sensui Patres fauere videntur. Chrysostomus enim, atque Theophylactus hunc sensum amplectuntur, quos Euthymius, Damascenus, alijque permulti sequuti sunt. Hic ergo sensus, vt illustrior, plenior, ac textui conueniētior, est amplectendus, ac cęteris præferendus: & hactenus de tertio.

Ad quartū verò dicendum, Deum omnes, & singulos homines illuminare, quod ad se attinet. Quòd si quis objiciat, quomodo tot relicti sint non illuminati? Respondent quidam, illuminare omnem hominē, qui illuminatur, ita vt hominum, nisi per Verbum, illuminetur nemo. Verùm duriuscula profectò, & violēta hæc interpretatio quibusdam meritò videri posset: & huic sensui videtur Origenes accedere in homilia quadam super hoc Euangelio, accipiens mundum pro Ecclesia; vt sit sensus, illuminat omnem qui ingreditur Ecclesiā: quę dura quoque est expositio, & vocabuli illius acceptio: & multos etiā illuminat, qui nolunt intrare in Ecclesiam, & ingressi ab ea per hæresim exciderunt, vel lumen Dei peccatis suis obruerunt & offuscarunt. Ideò alij aliam expositionem addunt, nimirum illuminare omnem hominē, id est, ex quolibet hominum genere nonnullos. Sed & hoc suam habet duritiem, & violentiam. Nam cùm pauci sint, qui reuera illuminentur; nescio qua ratione dici posset, omnes homines illuminari, saltem hominū maior pars extitisset, vt aliquo pacto dictū vniuersale consistat. Videtur etiam his expositionibus detrahi aliquo modo bonitati, misericordię, ac gloriæ Dei, qui in Scripturis celebratur, vt nostræ salutis sitientissimus: qui neminem vult perire, sed omnes ad pœnitentiā reuerti: & qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; & qui iurciurando se adstrinxit dicēs: *Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Simplex ergo, & germana, ac plena est Chrysostomi expositio, quam sequuntur Theophylactus, & Euthymius, qui hunc locum his verbis absoluunt: *Sanè, quod ad ipsum attinet, omnes illuminat: qui autem non illuminati manent, à propria hoc patiuntur voluntate: lucis namque beneficium, quod ad Solē attinet, super omnes simpliciter diffunditur: quod si qui luce volunt frui, ipsi sibi sunt caussa, ne illuminentur.* Hactenus Euthymij verba produximus. Hanc doctrinam tenet quoque Ioannes Damascenus, qui libro 2. de Fide orthodox. cap. 29. docet duplicem esse Dei voluntatem; alteram antecedentem; alteram subsequentem. Antecedentem propte-

Chrysost. homil. 6. in Ioan. tom. 3. ... Theophyl. in Ioan. c. 1. Euthym. ibid. B. Damasc. — *An illuminet omnem hominem Christus, vt Ioannes inquit. Rupert. & August. in Enchirid. c. 102. tom. 3. sub init.* — *Primus sensus. Orig. in Ioan. hom. 2. to. 2. Secundus.* — *Ezech. 18. 1. Tim. 2.* — *Ibidem. Ezech. 33. Tertius. Chrysost. vbi supra. Theoph. ibid. Euthym. ibid.* — *Ioan. Damasc. Duplex Dei voluntas, antecedens, & subsequens, esse Damasceno.*

Voluntas antecedens quid.

propterea dicitur, quia ponitur antecedere omnia nostra merita, vel demerita, etiã in oculo Dei, secundùm quam, antequàm alicuius videat peccatum, omnibus vult vitã æternam. Et quia non congruit eã dare sine aliquo merito: cùm sapiens sit, legem fert, vt ea impleta, hominem coronet. Et cùm ex se legẽ seruare nemo possit, offert omnibus gratiæ suæ donum, & auxilium. Et hactenus quidẽ extenditur voluntas antecedens, præparãs finẽ, & subsidia apta & idonea ad eum assequendum.

Voluntas subsequens quænam illa.

Voluntas autem consequẽs est, quia Deus præuisis peccatis, vel bonis meritis, hũc coronare vult, illum verò punire.

Quos Christus illuminet, quos minimè.

Deus igitur voluntate illa antecedenti omnem hominem illuminat, quatenus ex se lumen omnibus offert, ad cognoscendum finem vitę æternæ, & ad cognoscenda, atque amplectenda ea media & subsidia, quæ satis superque ad eiusdem assecutionem finis perducant.

Actor. 28. de Iudæis.

Quòd si qui sint, qui lumini huic obsistant, & oculos claudere velint, respuentes & expuẽtes beneficia Dei; illorum vitio ac culpæ est adscribendum: nec efficiunt, neque efficere possunt, quominùs vera & certa sit hęc sententia: Illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum. Ex quo in diuinis voluminibus accusantur, qui lumini sunt aduersati, qui quidem dixerũt: *Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus:*

Iob. 21.

Qui noluerunt intelligere, vt benè agerent: & quidam dixit: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi:* *Quia vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.*

Psal. 25.
Osee. 4.
Matth. 23.

Et rursus: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti?* Et rursus: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.*

Isa. 65. & Rom. 10.

Ex hac nube testimoniorum, quæ ex sacris literis produximus, manifestum sit, nulli diuinam prouidentiam ad salutem comparandam deesse; homines verò sibi ipsis spontè deesse, & contra voluntatem Dei ad præsidia salutis amplectenda solicitantem, homines pugnare, & sibimetipsis malum sempiternum accersere. Illuminat ergo omnem hominem venientẽ in hunc mundũ.

Quot modis illuminet hominem Deus.

Primò ex se, quod ad deliberationem attinet, & ex se efficaciter, lucem in tempore proponendo. Secundò non solùm omnem hominẽ illuminat, verumetiam omnem Angelum, sed Euangelium non est scriptum nisi propter homines tãtùm, quorum aliquos plusquàm Angelos illuminauit. Nã præter Christũ hominem, & matrem eius, quos constat Angelis omnibus longe anteferendos, probabile est multos homines præcedere in gloria Angelos multos.

[illegible] naturã excedit.

Nam etsi natura inferiores sint, gratia tamen (quæ naturæ antecellit) ac proinde gloria esse possunt superiores. Ita enim natura comparatum est, vt minùs nobilia, turpioraque in nobis membra maiore vestium honore circumdẽtur, vt Apostolus ait.

1. Cor. 12.

Tertiò illuminat non solùm omnem hominem, verumetiam propter hominem, in fine mũdi, corpora simplia illuminabit, ita vt cœlos nouos, ac terram nouam conspecturi simus, vt non sit tantùm hominum Iesus, sed etiam mundi Iesus.

Isa 66. & 2. Pet. 2. & Apoc. 21.

Quòd si corpora aliena ab homine, propter hominem tamen sunt illuminanda: quantò magis corpus proprium hominis, huius diuinæ & naturam superantis illuminationis particeps efficietur? Tunc enim Iesus reformabit corpus humilitatis nostrę, configuratũ corpori claritatis suæ,

Philip. 3.

Et certè non illuminaret corpus humanũ, si ipse non creasset, vt mẽtitur Manichęus, fingens à malo principio formatum corpus humanum: quia Iesus non venit, vt manu teneat opera diaboli; sed magis in hoc apparuit (teste Dilecto Discipulo) vt dissoluat opera diaboli.

Contra Manichæum.

1. Ioan. 3.

Quartò, si illuminat omnem hominem; ergo Moysem illuminauit: ergo ipsum Ioannem Baptistam, vt lumẽ nobis magis appositum cernere possemus: quemadmodum in vmbra constituti, meliùs Solem videmus, quàm in ipso Sole positi. Igitur nemo existimet Ioannẽ dãtem testimonium, antiquiorem esse, vel maiorem luce. Atque hæc de quarto.

An omni tempore hæc lux illuminet.

Ad quintum dicendum est, Deum non semper actu illuminare quemuis hominẽ, constat enim dormientes illum, neque ratione vtentes vt plurimum nõ illuminare. Dico autem, vt plurimum; quia interdũ in somnis aperit aures virorũ, & erudiens eos instruit disciplina: qua ratione apparuit in somnis Ioseph: & Salomon dormiendo, factus est à Deo sapientissimus.

Matth. 2.
3 Reg. 3.

Ita vt Gregorij vera sit illa sententia: *Electorum somnus nõ vacat à meritis.* Verùm hæc præter regulam contingunt.

Electorum somnus non vacat a meritis, ait Magnus Gregorius.

Pueri quando, & quomodo illuminentur vt plurimum.

Deinde nullus puer illuminatur vt plurimum ante Sacramentum Baptismi, vel Circumcisionem olim apud Iudęos: vbi notandum primùm dixi, vt plurimũ, quia aliqui priuilegio singulari sanctificati sunt in vtero, vt de Hieremia, Ioãne Baptista, & Maria Virgine cõstant, nã hi prius illuminati sunt, quàm nati.

Hiere. 1.
Luc. 1.

Secundũ, dixi pueros illuminari, nõ quòd actum fidei producant, & credant, vt mentitur Lutherus libro ad Vualdẽses, & libro de captiuitate Babylonię; sed quòd in Ecclesię, atq;

Contra Lutherum.

parentum suorū fide illi credant: tum quia infunduntur habitus Fidei, Spei, & Charitatis, dum baptizantur, & tūc dum circumcidebantur. Nam si ipsi terrena ac sensibilia, & quæ carnis sunt, nō capiunt, quomodo cœlestia intelligere poterunt? Nisi fortè dicamus, priuilegio quibusdam cōcessum, acceleratumq; liberi arbitrij vsum, quemadmodum de B. Virgine, de B. Ioanne Baptista exultante adhuc in vtero matris suę, piè creditur, ac de beato etiam Nicolao, qui quidem infans adhucdum esset, atque lactaretur, certis diebus, quasi esset rationis compos, in suæ eximię præsagium sanctitatis, ieiunandiq; studium, quo postea claruit in omni vita, à lacte abstinebat. Tertium, pueri neque baptizati, neque circumcisi vt plurimum, non possunt illuminari, nisi cū primū ad annos discretionis peruenerint, in quibus ratione paullatim vti incipiunt. Quartò, obcæcati, & in malo confirmati, à certo tempore, quo diuinum lumen respuerunt, non vsque adeò pleno, & idoneo lumine illuminantur, vt salutem consequantur, licet, si velint, consequi valeant. Ait namque Ioannes: *Qui nocet, noceat adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc:* Et in Euangelio, *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum; vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos:* de quibus etiam Dauid: *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis.* Adeò tales autem non sunt communes, sed insignes quidā, & magni peccatores, qui lumen diuinum spontè, & scienter à se repulerūt, & illud impudentissimè conculcarunt: quorū typus ille fuit immūdus ac profanus Esau, qui vendidit primogenita sua; quia postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est, & non inuenit locum pœnitentiæ, quanquàm cum lacrymis inquisisset eam. Talis fuit & ille scelestus Antiochus, qui precabatur misericordiam à Deo, quam non erat consecuturus. Quintò, illi, qui salutem consecuturi sunt, quandoq; peculiariter non illuminātur, vt Petrus negans; Dauid adulterium cum homicidio perpetrās; filius prodigus, qui peregrè profectus est in regionem lōginquam; & alij peccatores, quos Deus magna sua sapientia sinit descendere in Babylonem, vt ibi curentur. Primùm enim humiliantur, tales & cognoscētes: *Auertisti*, inquit, *faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Deinde, vt magis tenebras palpēt, & peccati malignitatē agnoscant. Tertiò propter iustitiam Dei demōstrandam, quæ nō parcit ipsorū arrogātijs: propter peccata enim

Ioan. 3.
Luc. 1.
Beatissimæ Virgini, ac Ioanni Baptistæ, necnon & B. Nicolao acceleratus piè creditur liberi arbitrij vsus munere singulari.
Pueri ante Baptismum vel Circumcisionem, vt etiam insignes peccatores Diuinam fere illustrationem quando suscipiant.
Ioan. 12.
Isa 6. & Matth. 13. & aliàs.
Psal. 80.
Esau quorum typus.
Gen. 25. & Hebr. 12.
Gen. 27.
2. Mach. 9.
Prædestinati etiam cur interdum non à Deo illuminentur.
Matth. 26.
2. Reg. 11.
Luc. 15. & seq.
Hiere. 51.
Psal. 29.
Subtractionis Diuinæ gratiæ quæ causa sit.

Deus subtrahit lumen gratię suæ. Non loquor autem de gustu spirituali, qui sæpè subtrahitur citra peccatum, vt magis desideretur: & habitus, magis custodiatur, & vt intelligamus nostrū nō esse: & quid nos absq; illo valeamus. Loquitur ergo de subtractione gratiæ, & luminis diuini. Illuminat igitur hæc lux omnem hominē iuxta sapiētiam suā ea efficacia, & modo, & tempore, & loco, quo nouit saluti hominis expedire: *Quando*, inquit Paulus, *placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiā suam, vt reuelaret filium suum in me.* Et alibi ait ad eos, qui aram ignoto Deo erexerant: *Et tempora quidem*, inquit, *huius ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant.* Et in Euangelio ad quosdam venit in secunda vigilia, ad alios in tertia, & ad alios in quarta: & quosdam illuminat, siue vocat ad vineam hora prima, alios hora tertia, hora sexta, vel nona alios, vel vndecima, pro arbitrio suo. Namq; in varijs ętatibus, pro varia dispositione hominum, eos illuminat. Illuminat autem inæqualiter, & alios magis, quàm alios. Nam quēadmodum stella à stella differt in claritate: ita inter seruos, & electos suos, hos quidem voluit maiori sapientiæ lumine perfundi, alios autem præstantiori gratiæ luce, & maiore vitæ sanctitate pro sapientia sua illustrare. Non ergo quærere debemus, cur æquè Deus omnes non illuminet; quia id esset, velle legem Deo ponere, cui nobis parendum est. Ratio etiam assignari potest; vt qui sic sunt illuminati, vt alios etiam illuminēt, ex tenebris aliorum agnoscant, quinam ipsi futuri tandē essent, nisi gratia Dei præuenti essent. Item, vt qui sic sunt illuminati, vt tamen egeant aliorum lumine, ponant superbiam, & lumen quęrāt ab his, quos luminaria aliorum esse voluit Deus; & vt sit mutuæ humilitati, & charitati locus, dum mutuò nos & inuicem illustramus. Postremò illuminat omnem hominem, tum per se illabendo animæ nostræ; tum per Angelos lucis, & homines sapientiores inspirando, & docendo: tū per scripturarum, & creaturarum libros; tum per Sacramenta, quæ lucis ipsius sunt instrumenta; tum denique per flagella, & per beneficia ad lucem suscipiendam excitādo. Et hæc ad quintum.

Circa sextum & vltimum. Verbum, *Venientem*, Græcè est ἐρχόμενον, quod potest esse recti casus neutrius generis, & substantiuū eius φῶς, vt sit sensus: Lux veniens in hunc mundum, illuminat omnem hominem. Sed rectius dicitur esse accusandi casus, & masculini generis, & refertur ad hominem

proxi-

Diuinorum gustuum cur subtrahat interdum Dominus sine peccato.
Gal. 1.
Actor. 17.
Ibidem.
Matth. 24.
Supra. 20.
Non æquè omnes illuminantur a Christo, duplici ratione.
1. Cor. 15.
Qua tandem ratione Deus illuminet omnem hominē. Quomodo dicatur homo venire in hūc mundum.

Primus sensus. Qualis sit omnis homo.

proximā vocem; quanquàm ad vtrunq; referri posse, scribat Leontius. Dicitur autē omnis homo (qui suapte natura est tanquā tabula rasa, in qua nihil est depictū, & peccato Adę factus est tenebrosus, cęcus, ignorans quæ suæ salutis sunt, atq; indigens lucis) venire in mundum. Primò per natiuitatem, qua homo ingreditur in mundum, ac dicere potest: *Ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terrā. Vnus ergo introitus omnibus ad vitam, & similis exitus:* tunc enim nobis, cùm nascimur, venire in mundū videmur; quia non videmus factū in vtero, sicut Deus videt, ad quem Iob ait: *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle, & carnibus vestisti me; ossibus, & neruis compegisti me. Vitam & misericordiā tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit Spiritū meum.* Vbi aptè se primùm quātum ad corpus formatum, figuratumq; ex materia seminaria ostēdit. Deinde animū, qui immortalis est, & incorporeus, ac indiuisus, nō fūdi cum semine, sed à Deo venire cōfitetur extrinsecus. Vnde & in Gen. 2. dicitur, *Formauit Dominus Deus hominē de limo terræ.* Deinde quod inspirauit spiraculum vitę. Cùm igitur homo in vtero sit effictus, nō est nostrum Sacramēta illi adhibere: nec careret superstitione, si hoc fieret: nec adhuc ei opus est prouidere de sensibili signo, qui sub curam nostram necdum venit.

Sap. 7.

Iob. 10.

II. sensus.

Secundò dicitur homo venire in mundum, non ratione corporis, quia non venit aliunde, verùm ratione animæ intelligentis: non quòd animæ fuerint in cœlo apud Deum ante corporū assumptionem, & tamē saturitate melioris status, alteriusq; vitę turpi cupiditate demerito suo ad corpora sunt delapsę, & in illa quasi in carcerem detrusę, vt Origenes sensit, & in quē hoc loco fusè, & eruditè disserit Cyrillus. Nā peccatum ante natiuitatem esse nō potest, pręsertim cū dicat Apostol' de Iacob, & Esau: *Cùm nondū nati fuissent, aut aliquid boni egissēt, aut mali, &c. dictū est ei, Quia maior seruiet minori:* sed quoniā ab eo qui in cælo est, creatur. Nam si corpus loco carceris haberent, certè crimine expiato, morerētur, & ne in suo corpore resurgerēt, curarent; cū tamen Apostolus dicat; *Nemo vnquā carnē suā odio habuit; sed nutrit, & fouet eā.* Et rursus ad Corint. *Nolumus expoliari, sed superuestiri.* Deinde nō dicitur homo venire in mundū ratione animæ, quasi anima sit ex Dei substantia, quia dicitur inspirata; & flatus nō est de essentia animalis; esset q; Deus atq; æterna; vel Deus diuidi posset; & oēs animæ vnum essent. Sed dicitur ratiōe creationis anima rationalis in mundū venire, quia ex nihilo

Orig. tom. 2. in Ioan.
Cyril. lib. 1. in Ioan. c. 9. to. 1. initio.
Rom. 9.
Gen. 1. 25.

Ephes. 5.
2. Cor. 5.
Gen. 2.

condita est. Adhæc nō dicitur venire, quasi ex traduce sit, nam in Scripturis Deus dicitur inspirare, & dare animā. Sic enim Salomon ait; *Reuertatur puluis in terram suā vnde erat, & Spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Et in alio loco: *Qui finxit sigillatim corda eorū.* Sic etiam si ex traduce esset, nō venire, sed fieri diceretur: & in Scripturis Spiritus dicitur. Vnde colligitur nō esse corpoream. Anima verò vegetans corruptioni subest. Semen etiā corrumpitur, atque contrarijs à qualitatib' ne generet, impeditur: illis ergo corruptis posset corrumpi. Ergo ratione animæ intelligendi vi præditæ, quæ nec ex Dei substātia est, nec ꝑ carcere corpus habet, nec ex traduce fit, homo dicitur venire in mundum, dum adhuc in vtero est.

Eccl. vlt.

Psal. 32.

Tertiò, & fortassis magis propriè homo dicitur venire in mundum, quādo apparet, & conuersatur in mundo. Ex quo Ioannes Baptista annos triginta natus dicitur Matt. c. 3. venisse in Iudæam, & Hierosolymam prædicando baptismū pœnitentiæ, quādo cœpit apparere, & baptizare alios egressus ex deserto. Idem etiam Ioannes de Messia dicebat; *Qui post me venturus est, fortior me est:* quod perinde est ac si dixisset, apparebit, & ante omnium oculos proponetur. Atq; in hoc sensu pueri, amentesque excluduntur, quos à luce hac cōstat nequaquā illuminari: nisi munere aliquo singulari, vt supradictū est, liberi arbitrij acceleretur vsus. Nos igitur ex disputatis, lucē hanc accipiamus, id est, solē Christū esse, vt illuminet tenebras nostras; vt radio Fidei errores pellat, & ignorantiā eorum quę ad salutē faciunt: Splendore autem Spei ab imo terræ erigat, vt quę sursum sunt quæramus, & quę sursum sunt, sapiam'. Radio aūt Charitatis frigus mētis nostrę dissoluat, diligētioresq; in Dei ministerio reddat, matrē vitiorū omniū pellēdo cupiditatem, & omniū contra virtutum parentem infundendo feruorē, & ardorem. Fulgore etiam lætitiæ corda nostra consoletur, omnemque vitiosum timorem abijciat, atq; animi demissionem. Luce autem fœcūditatis reddat nos fructiferos ad omne opus bonū: pellatq; à nobis omnem infamem, ac sordidam sterilitatē, quæ meritò maledictioni subiecta est. Denique lumine fortitudinis, vt corroboret infirmitatem nostram, quò nobis singulis cū Apostolo liceat dicere, *Omnia possum in eo qui me confortat.* Deinde, si hæc est vera lux, & nos filij lucis sumus, & dicimur; fugiamus lucem omnem cacodæmonum apparentē, ac fictam, qualemq; profitentur hypocritæ, qui peccata quidē vera tegūt, sanctitatē verò externā quādam atq; simulat

III. sensus.

Matth. 3.

Christum lucem si habuerimus, quid assequemur.

Colos. 3.

Philip. vlt.
Ioan. 1.
Ephes. 5.
1. Cor. 11.
Quorum bonis sit [illegible] lux ac [illegible] da.

osten-

ostendant. Hæreticorum etiam lucem maximè adumbratam, & falsam caueamus: nã fucatis rationibus, & aliquid probabilitatis præ se ferentibus, Scripturarum testimonijs in speciem probãtibus, simplices & incautos decipiunt. Sequamur verò in omnibus verã lucem; vt quales videri volumus foris, tales & intus esse studeamus: & quales sumus in verbis, tales & in factis contra omnẽ hypocrisim nos esse demonstremus, Præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cũ Patre, & Spiritu sancto reddatur omnis honor, gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

1. Pet. vlt.
Rom. 16.

TRACTATVS XXIII.

In illa verba: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.*

SEntentia hæc magis particularis videtur esse, quàm præcedens: Illa enim simplex, & absoluta fuit, nempè *erat lux vera quæ illuminat, &c.* quę non aliter, quàm illæ duę primę est exposita: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Hęc autem: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est,* dupliciter exponi potest. Primùm quidem, vt intelligatur de Verbo, quatenus erat per incarnationem factũ pars mundi, & cũ hominibus, conuersatum est, lucens vita singulari, signis, prædicatione, discipulis, & cũ mundus per illud factus esset, mũdus tamẽ id nõ cognouit: hoc est, ex malitia cognoscere noluit, dicens: *Hic est hæres, venite, & occidamus eũ, & habebimus hæreditatem.* Et in alio loco: *Nunc autem & viderunt, & oderũt, & me, & Patrem meum.* Nam etsi aliqui cognouerint, tamen tam pauci fuerunt, vt dici verè possit, quòd mundus eũ nõ cognouit. Imò negauerunt eum coram Pilato, & quasi ignotũ, & peregrinum in crucẽ egerunt, & turpissimo mortis genere interfecerunt: vnde sequitur: *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Cohærent autẽ cum præcedentibus egregiè ista, ostendit enim cur opus sit testimonio, Ioannis. Nam & si lux per se clarissima res sit, & nullius indigeat testimonio ignorata tũ ab ipso mũdo fuit, atq; id vitio, & cæcitati hominum tribuẽdum, qui præsentem illam & eos quotidiè irradiantẽ non intuebãtur, nec agnoscebãt.

Huius sententiæ prior intelligentia.
Matth. 21.
Ioan. 15.
Matth. 27.
Act. 3.

Secundus sensus est, quòd loquatur de luce ante incarnationem, qui certè sensus magis, & cũ pręcedenti clausula, quæ de luce ante incarnationẽ locuta est, consonare videtur. Est ergo sensus, quòd licet Verbum, & lux esset apud Patrem ante incarnationem: poterat tamen illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, quia etiam erat in mundo, hoc est, in vniuersitate creaturarum. Non enim longè est Deus ab vnoquoque nostrûm: *In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.* Erat autem in mundo, non quemadmodum corpora sunt in mundo, quæ loco circumscribuntur; Deus enim corpus non est, sed purus, & simplicissimus spiritus; & Salomon fidem suam protestatus, dixit: *Si cælũ & cæli cælorũ te capere non possunt; quãto minus domus hæc, quàm ædificaui?* Deinde Deus non erat in mũdo (vt sic dicã) definitiuè, & sicut pars, quemadmodum Angeli, & si in mundo nõ sint per circumscriptionem, sunt tamẽ definitè, id est, ita hic, vt nõ alibi sint: qui modus existendi Deo non conuenit, qui vbiq; est, & mũdus particula quædam Dei est ab ipso profecta, nihilq; prorsus est, si cũ ipso Deo conferatur. Tertiò erat in mundo repletiuè, vt Theologi sacri loquuntur, & à Scripturis acceperunt: vbi dicitur: *Cælum, & terram ego impleo.* Et Dauid: *Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: Si descendero in infernum; ades, &c.* Erat ergo Deus in mundo, eũ replens, & per nullam prorsus distantiã: quia omnibus & singulis mundi partibus ita est præsens, ac si vni tantùm parti mundi adesset. Erat etiam in mũdo, sicut exemplar in rebus ab ipso exemplari productis, caussa in effectis, idea in ideatis (vt Theologorũ more loquar) & quemadmodum ars in artificialibus relucet: ita Deus in mundo, quẽ fecit, quem cõseruat, quem regit, & gubernat, omnibus rerum formis cooperando. Est autem communis Theologorum sententia, atque ab omnibus decantata, Deum esse vbique per essentiam, potentiã, & pręsentiam: quod exemplo hoc declarari potest. Rex enim per essentiam suam est in loco, quem circumscriptè occupat; extra quẽ essentia Regis non inuenitur. Deinde Rex in toto regno suo est per potentiam, qua timetur, quòd ministros voluntati eius obedientes, per totum regnũ habere soleat. Per præsentiã autem, Rex est in domo sua, vel in ciuitate Regia, in qua se omnibus spectare volentibus, videndum proponit. In hunc modum Deus est intelligendus vbique locorum existere per essentiam, potẽtiam, & pręsentiam. Ex quibus, licet colligere triplicem errorem quorundã malè de Diuina natura philosophantium. Primus quidẽ est autoris libri de Caussis, & Auicẽnæ, atque aliorum Arabum, asserentiũ primam intelligentiam, quæ Deus est, creare secundam intelligentiam, secundã tertiam

Altera, nec incommoda.
Act. 17.
Verbũ quomodo erat in mundo.
3. Reg. 3.
Angeli definitè in loco.
Sap. 11.
Hierem. 23.
Psal. 138.
Quemadmodum Deus Theologorũ sententia, in vbique per essentiam, potentiam & præsentiam.
Triplex error quorundam malè de diuina natura philosophantium.

& tertiam quartam, & sic de reliquis, non attingere autem primam postremam. ¶ Contra quod vera asserit Theologia, Deum esse vbique, & per essentiam: quod nihil est aliud quàm Deum esse intimum omnibus rebus, darique illis esse creatum, & suauiter cooperari, ac simul agere omnia conseruãdo. Agens enim & patiens, mouẽs, & motũ sunt simul, teste Philosopho: Apostolus quoque ait: *In ipso viuimus, & mouemur, & sumus.*

Primus error, Auicennæ scilicet atque Arabum confutatur, Deum vbique esse negantium.

Aristot. Act. 17.

Secundus error est Manichæorum stultè opinantiũ res corporeas non subiacere bono principio, seu Deo lucis autori. Cui quidem errori grauissimo sacra Theologia aduersatur, & affirmat Deum esse vbiq; per potentiam: quoniam omnia siue corpore, siue spiritu vigentia eius potestati subduntur. Ideò dicitur omnipotẽs: &, *Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Pendet autem omnis creatura à Deo, vt radij à Sole, calor ab igne, vmbra à corpore, splendor à luce, vox à loquente, deniq; vt imago quæ cernitur in speculo, à re quæ obiecta est ipsi speculo. Ac proinde à Paulo dicitur, *Christus filius Dei portare omnia verbo virtutis suæ.*

II. error Manichæorum res corporeas à malo esse Deo opinantiũ refellitur.

Psalm. 134.

Creatura omnis à Deo vt pendeat.

Heb. 1.

Tertius error fuit Philosophorum quorundam prouidentiam diuinam, vel omninò negãtium, vel ad certas creaturas definientium: vt qui dicebant: Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat, ac eorum qui dicebant: *Quomodo scit Deus: & si est scientia in excelso?* Et, *Nõ videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* ¶ Contra quem errorem dicimus, Deum vbiq; esse per præsentiam, quia *Omnia nuda & aperta sunt oculis eius*; & quia, *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos*: atq; ita præsens est non modò hominibus ac dæmonibus, verùm etiam inferno ipsi. ¶ Quòd si quis obijciat; Fuit Deus ante incarnationem in mũdo, cùm sit infinitus, & vbique, imò & plusquã vbique: quomodo ergò venisse dicitur in mundum per incarnationem? In promptu responsio est, Deum immutabilem & tẽpore & loco esse: quippe qui substãtia & duratione sit immensus. Vt enim substantia immensus omnem exuperat, trãscenditq; locum. Et Deũ hoc pacto dicere, vbique esse, minus est (vt diuinus docet Dionysius) quàm vt colligatur substãtiæ ipsius infinitas. Ita cum duratione sit infinitus, omne tẽpus transcendit.

III. error negãtium, angustantiumve Diuinam prouidentiam impugnatur.

Iob 22. Psal. 72. Psal. 93. Heb. 4. Prouer. 15.

Si Deus verbũ vbique in mũdo erat ante incarnationẽ, quomodo in mundum venisse dicitur factus homo.

Num. 23. & Malach. 3. Dionys. Areop. c. 5. de diu. nominib. circa fin.

Non ergo aliquando fuit Deus in mundo, & aliquando non: neque sic fuit in cœlis, vt non esset in terris: neque sic in terris esse cœpit, vt cœlos deseruerit: sed quoniã qui ab æterno fuit Deus, aliquando cùm voluit, factus est homo: qui tamen cùm homo factus est, non desijt esse Deus, neque disiũctus est à diuinitate, aut à reliquis personis diuinis, quibus cum essentia semper vnitus coniunctusque permansit.

Deus cur omne transcendat tempus.

Ex his autem contemplationibus, vt aliquem fructum ad mores spectantem hauriamus, dicendum est, ex eo quod Deus vbique est per essentiam, oriri debere in nobis amorem, timorem, humilitatem, spem; qua perficiat in nobis opus suum quod cœpit: Fidem, quòd optimus sit, quodq; nihil est ei difficile. Deinde oculati esse deberemus, & esse Dei vbique amplecti, ac nobis gratulari, quòd nobis Deum tam præsentem habeamus. Ad hæc oriri debet in nobis necessitas benè ædificãdi super tali fundamento, Deo videlicet cui innitimur, atque illi in actionibus nostris liberè niti; quemadmodum quantum spectat ad esse ipsum, nitimur naturaliter.

Documenta salutis tria ex triplici Dei existendi modo collecta.

Philip. 1.

Secundò ex hoc quod Deus vbique est per potẽtiam, oriri debet in nobis propriæ impotentiæ & imbecillitatis cognitio, ita vt ei dicamus, *Quis similis tibi in fortibus Domine? quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia.* Nasci deberet securitas: Nã *Angelis suis mandauit de nobis, vt custodiant nos in omnibus vijs nostris*: imò ipse scuto bonæ voluntatis suæ protegit nos. *Quòd si Deus pro nobis, quis cõtra nos?* Oriri etiam deberet spes in quacunque actione nostra, & ad quæuis ardua aggredienda: nam *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: &, *Omnia possumus in eo qui nos confortat.*

II. Documentum.

Exod. 15. Psal. 90. Ibidem. Rom. 8. & Isai. 50. Matth. 11. Phil. ip. vlt.

Tertiò ex hoc quod Deus vbique per præsentiam adesse nobis deberet circũspectio in operibus nostris, cùm non ignoremus dictum esse Abrahæ: *Ambula coram me* (iudice, & spectatore) *& esto perfectus.* Et Dauid inquit, *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.* Deinde spes certa quod adiuuabit infirmitatem nostram: quia *Oculi Domini super iustos*, (vnde & Petrum negantem respexit) *& aures eius in preces eorum*: hinc & Cornelium Cẽturionem deprecantem exaudiuit. Dauid rursus ait de huius Diuini fauoris præsentia: *Iustus cùm ceciderit, nõ collidetur*: quia Dominus supponit manum suam. Denique oriri deberet confusio hypocrisis, & omnis (sic dixerim) duplicitatis ac superbiæ, occultiq; peccati cuiuslibet. Quartò, & si Deus vbiq; sit per præsentiã, potentiam & essentiam: prçcipue tamen in homine esse dicitur, cuius deliciæ, teste Salomone, sunt, esse cùm filijs hominum: & qui nobis dicit: *Præbe fili mi mihi cor tuũ*: tum

III. Docum.

Gen. 17. Psal. 15. Rom. 8. Psalm. 33. Matth. 26. Suprà 8. & Act. 10. Psal. 36.

Triplici modo iam dicto Deus vt sit in homine.

Prouer. 8. Infrà 38. Gen. 1.

per essentiam, quia nobilius, & lōgè magis intrinsecum esse homini tribuit, creando eum ad imaginem & similitudinem suam: dat etiam esse diuinum per gratiā, efficiendo hominem filium Dei, templū Spiritus sancti, fratrem Christi, & Sponsam eius, ad quam veniat dilectus, tanquam in hortum suum, vt comedat fructum pomorū suorū. Tum etiam per præsentiam, quia hominē præ cæteris magis curat. Vnde Apost. ait: *Nunquid de bobus cura est Deo?* Et Dauid Psal. 138. *Domine, probasti me, & cognouisti me; tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meā. Intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam, & funiculum meū inuestigasti, & omnes vias meas prauidisti: quia non est sermo in lingua mea:* Quod perinde est ac si dixisset, Omnia tibi nota sunt, quæ sedens, stans, ambulans, cubans, cogito atq; ago: & antequam lingua mea enunciet sensa animi, tu nosti quid sim locuturus. Tum demū per potentiam, quia hominem qui solus Deo resistere potest; vel magis exaltat, si humilis sit & pius; vel magis deprimit, si homo superbus sit & impius. ¶ Ergò demus operam, vt saltem inter omnia corporea, homines nos paremus ei cœnaculum grande, atq; eius subijciamur potentiæ. Quod si omnibus illis modis Deus vbiq; est, debet homo omni studio niti, vt eum in cunctis creaturis inueniat, maximè autē in seipso, quia excellentior est & perfectior imago ac similitudo Dei, homo, quàm cætera omnia corporea.

Rom. 8. & Gal. 4. 1. Cor. 3. Rom. 8. & aliàs. Cant. 4. 1. Cor. 9. & Deut. 25. Psal. 138.

Aliud ex eo quod Deus vbiq; locorum est, vtile documentū elicitur

Sequitur: *Et mundus per ipsum factus est.* Græcè præponitur articulus mūdo, vt certus hic corporeus, & nobis notus mundus significetur; ad differentiam mundi Angelorum, nobis quidem ignoti, quem tamen Deus etiam fecit, & in quo etiam mundo Verbum erat; sed oculi nostri infirmi erāt & imbecilles ad Deū in Angelico mundo videndū. Deinde ostendit Deū non extra, sed intra mundum existendo, mundū condidisse. Faber. n. extra arcā & extra domum solet arcā & domum fabricare. Tertiò colligitur, Verbum mundo nequaquam fuisse coæuum, verùm multò anterius illo & antiquius. Quartò, si per ipsum factus est mūdus, non ergò aut per Angelos, aut per malum dæmonem, vt quidā fabulantur. Nam cùm Deus solus bonus sit, aliquod malum facere nō potuit: namq; ex bono quatenus bonum est, nō nisi bonum producitur, vnde & dicitur vidisse cuncta quæ fecerat, & erant non tantùm bona, sed etiā valdè bona. Quintò, mūdus mycrocosmus, nempe homo, peculiari ratione à Deo cōditus est: primū enim formauit corpus de limo terræ: deinde immisit in illud spiraculū vitæ, hoc est, animā rationalem, formā corporis intrinsecam & substantialem, ex quo colligitur, hominem natura malum nō esse, sed potiùs bonū. Nam caro bona est, & anima bona est, & si propter peccatum, insit carni malum, scilicet fomes & cōcupiscentia, magna Dei sapientia rebellem se præbens spiritui, illumque in captiuitatē abducens, nisi homo ad Deum confugiat, cuius gratia atque spiritu hausto vincitur omnis carnis infirmitas. Est autem propositio hæc eadē cum quinta superiori, quæ fuit: *Omnia per ipsum facta sunt*, & ab illa tantum in vocibus distat. Nam quòd ibi dixit, *Omnia*; hic dicit, *mundum*, sunt autem, omnia, & mundus, idem; quanquam mundus nonnunquam omnibus est inferior. Sumitur enim dūtaxat mundus in sacris voluminibus pro cœlesti sensibilique mundo, siue pro his interdum tantum, quæ sub aspectum cadūt. Verbum autem, *Omnia*, comprehendit tam ea, quæ cernūtur, quàm quæ oculis minimè videntur. Sequitur: *Et mundus eum nō cognouit.* Exaggeratio dolentis est, & negligentiam ingratitudinemq; hominū accusantis, quòd magna ex parte Creatorem suum tam euidentibus argumentis demonstratum atque declaratū noluerit agnoscere: & interpres dicendo, *eum*, magis spectauit sensum, id est filium Dei, & ad vocem λόγος Græcā, quæ est masculini generis, quàm rationem Grāmaticæ, secundùm quam dicendum fuisset id vel illud, scilicet Verbum, vel lucē, quæ Græcè est neutrius generis: nempe τὸ φῶς. Ideò nō sunt audiendi grāmaticuli, clamātes admissum esse solœcismum. Et totus mundus dicitur in homine cognoscere vel ignorare conditorem. Eius est. n. propter quē reliqua omnia cōdita sunt, & cui præcipuè inseruiunt, cuiusq; ob salutē Dei Filius carnē assumpsit pro omnib. creaturis, conditorem agnoscere, iugiterq; & perpetuis laudib. celebrare: quemadmodum parētes pro beneficijs suos in filios paruulos collatis gratias agere beneficis solēt: & quēadmodum sapiētes viri pro cōciuibus suis amantibus, siue mutis ab aliquo imminenti periculo liberatis, gratias liberatoribus & agere, & referre debent. Vnde & homo, & mūdus minor dicitur, & vniuersæ nomine creaturæ declaratus est, cū dixit: *Euntes prædicate Euāgelium omni creaturæ.* Vnde Dauid in omnib. creaturis Deum laudare solitus erat, vt patet in Psalmo: *Laudate Dominū de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eū omnes Angeli eius; laudate eum omnes virtutes eius; Laudate eum Sol & Luna; laudate eum omnes Stellæ & lumen.* Et reliqua. Et tres illi pueri in fornacē ignis cōiecti, seipsos excitant ad

Duplex est mundus Angelorum, & hominum.

Contra Manichæos.

Gen. 1.

Homo paruus mundus verè dictus. Gen. 2. Ibidem.

Caro hominis quatenus mala.

Rom. 7. & Gal. 5.

Qua ratione vincatur omnis carnis infirmitas.

Mundus in sacris literis collectis sensibilisque duntaxat intelligitur.

Rom. 1.

Mundus qui non cognouit Deum.

Ioan. 3.

Iacob. 3.

Marc. vlt.

Psal. 148. & seq.

benedicendum Deo in omnibus creaturis, vt patet in illo Cantico: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & superexaltate eum in secula.* Verum ex his verbis grauis oritur quæstio: Quomodo enim dicit Euangelista: *Et mundus eum non cognouit:* cùm Apostolus Paulus asserat, mundū,& mundi Philosophos Deum cognouisse,&quomodo ad illam Dei cognitionem peruenerint? Siquidem ait: *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis reuelauit. Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoq; virtus & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles. Quia cùm cognouissent Deum, nō sicut Deū glorificauerunt, aut gratias egerunt, &c.* Præterea nulla vnquam extitit natio tam effera, tam barbara & inculta, cui nō fuerit indita Dei notitia, colendique numinis cognitio, maximè cū natura prædicet duo illa principia, nempe, *Quod Deus sit,* & *Inquirentibus se remunerator sit.*

Dan.3.& seq.

Rom.1. Quomodo [illegible] rum [illegible] dum Deū non cognouisse, cum id expressè Pauli dictis repugnare videatur?

Heb.11.

1. solutio.

Huic dubio duplex adhiberi potest responsio. Altera est, Euangelistā non loqui simpliciter de quacunque Dei notitia, sed de illa, quam gustus & amor consequuntur: nam hæc vera est notitia, quæ etiam dicitur cognitio approbationis, de qua loquitur Christus, cùm dicit: *Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Et alibi: *Si quis voluerit voluntatem Patris mei facere, cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit, an ego à me ipso loquar:* & Dauid laudat intellectū, quem bona opera cōsequuntur: *Intellectus,* inquit, *bonus omnibus facientibus eum.* Philosophi ergò & sapientes etsi Deum nouerint notitia quadam sicca & insipida (de quā ait Paulus, *Animalis homo nō percipit ea quæ sunt Spiritus Dei;* & Christus dixit Petro: *Nō sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*) illam tamen notitiam benefacta non sunt consecuta. Vnde subdit Apost. in eodem loco: *Cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Et paulò post: *Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non cōueniunt.* Altera responsio est, quòd non cognouit mundus Verbū sub ratione Verbi: potuerūt.n. Philosophi suo studio & inquisitione per creaturas ad cognitionē attributorū ad vnitatē Dei pertinentiū peruenire; vt, sapiētiæ, potentiæ, bonitatis, existentiæ Dei in rebus, prouidētiæ & iustitiæ pro meritis suis cuique rependentis: at mysterium dicentis & Verbi, hoc est, Patris & Filij, natura tātùm duce attingere nō valuerūt, & multò minꝰ ad cognoscendā processionē Spiritꝰ S. à Patre & Filio vna & eadē spiratiōe producti.

Ioan.10.
Suprà 7.

Psal.110.
Philosophi quatenus Deū nouerint.

1.Cor.2.
Matth.16.
Rom.1.

II. solutio.

Sed contra hanc secundam respōsionem multa occurrunt. Nam si quis versatus sit in doctrina Philosophorum, maximè antiquorum, ac magis illustrium, intelliget, illos non omninò latuisse sacrosanctum Trinitatis mysterium. Nam, vt omittam quæ superiùs ex Philosophis adduxi, qui Deum asserūt habere penes se λόγον, siue Verbum, per quod omnia condidit, & condita administrat; produco in primis Platonē, qui in epistola ad Dionysium, qui eum de natura Dei fuerat percunctatus, hunc in modum respondit: *Dicendum est tibi nūc (de prima natura) per ænigmata quædā: vt si quid huic tabellæ vel mari, vel terræ contingat, qui eam legerit, intelligere non possit. Est autem ita. Circa omnium Regem cuncta sunt: ipsius gratia omnia: ipse pulchrorum omnium caussa: circa secundum secunda: tertia circa tertium.* Quæ verba sic explicat Porphyrius, vt eum producit Cyrillus in lib. contra Iulianum Imperatorē: *Vsq; ad tres subsistentias, dicit Plato, Dei progredi essentiam, & esse quidem dicit summè Deum Bonum: post illum autem secundum conditorem: tertiam aūt mundi animam: nam vsq; ad animā diuinitatem progredi.* Hæc ille. Vides igitur hic tres personas assignari, nempe Patrem, quem appellat summū Bonum: deinde Filium, quem Opificem vocat: postremò Spiritum sanctum, quem vocat animam mundi: de qua Poeta secutus Platonem, dixit:

Vnde constet secundùm ad- uersarios, mundi sapientes, ac Philosophos vnum Deum ac trinum non ignorasse.
De Trinitate quædam testimonia Philosophorum.
Primus locus.
Plato epist.2. paulò à med. sub fin. oper.

Porphyr. in 4. lib. historiæ Philosophicæ.
B.Cyril. lib.8. contra Iulianū circa med. tom.3.

Spiritus intus alit; totamq; infusa per artus
Mens agitat molē, & magno se corpore miscet.
Et alibi:
Deum namq; ire per omnes
Terrasq;, tractusq; maris, cœlumq; profundum.
Hinc pecudes, armenta viros, genus omne ferarum,
Quemq; sibi tenues nascētem arcessere vitas.

Virgil. lib.6. Aeneid. inter med. & finem
Idē Georg.4.

Quod est perinde, ac si cum Dauide dixerit: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur; & renouabis faciem terræ.* Mercur. verò Trismegistus in sermon. ad Asclepium hęc ait: *Spiritu agitatur, & viuificatur omnis in mundo species.* Intrà, *Spiritus implet omnia: mundus nutrit corpora, Spiritus animas.* Et in Sermone 3. *Huius Spiritus, de quo sæpenumerò dixi, omnia indigent, omnia portat secundùm dignitatem, omnia viuificat & nutrit, & à sancto Fonte dependet (fontem sanctum, vocat Patrem cum Filio) omnibus spiritibus & viuentibus semper est auxiliator.* Hæc ille. De hoc Mercurio Trismegisto ita scribit Suidas: *Mercurius ter maximus sapiens Aegyptius, ante Pharaonem floruit. Ter maximus autem dictus est, quod de Trinitate locutus est, in Trinitate vnam esse Deitatem asserens. Sic fuit lumen intelligens ante lumen intelligens, & fuit semper mens mentis lucida, & nihil aliud fuit huius veritas, & Spiritus omnia cō-*

Psal.103.
Mercur. Trismeg.
Idem.
Sapien.1.& Hierem.23.
Idem.

Mercurius Trismegistus qui ille.
Suidas in sua histor.
Trismegistus, id est, ter maximus cur sic dictus iuxta Suidam.

Sap. 1.
Qualis sit sermo Dei.
Rom. 11. & 1. Cor. 8.

tinens. *Extra hunc non est Deus, non Angelus, non essentia vlla aliàs. Omnium enim Dominus est & Pater, & Deus: & omnia sub ipso, & in ipso sunt. Nam sermo eius, qui est vndique perfectus, & opifex in fœcunda natura puer (aliàs Spiritu) & genitabili aqua fœcundam fecit aquam.* Sic ille.

Chalcidius. Spiritum sanctum Plato, & Poetæ animã mundi vocauerunt.
Plotin.
Cyrill. vbi sup. à med.
Anima imago mentis ex Plotino.
Ignis duplex calor ex eodẽ.

Chalcidius super Timæum author est, Platonem, Poetasque Spiritum nominasse animam mundi, quem nos Spiritum sanctũ dicimus. Plotinus in libro de tribus Imperatricibus subsistentijs, vt etiam citatur à Cyrillo, sic habet loquens de Spiritu sub nomine animæ: *Accipe diuinitate diuinius hoc, nempè vicinitatem animæ ad superius. post quod, & à quo est anima, quamuis vna sit res, quam demonstrauit Verbum. Imago quædam est mentis, sicut Verbum in prolatione verbi eius, quod est in anima: ita & ipsa verbum est mentis, & omnis efficacia profundit vitam ad alterius subsistentiã: sicut ignis alius quidem est calor coexistens, & alius qui fou. t.* Hactenus ille. Vide quomodo Plotinus ostendit, animam hanc vniuersalem à mẽte produci, eamque vnam & eandem rem esse cum ipsa mẽte, cuius sit quædam quasi imago, vt verbum prolatũ, nuntius, & imago mentis: & nota exemplum de calore, & de eo, qui inest igni, & de eo, qui funditur exterius. Ergò ad Platonis sententiam redeamus, in qua se per ænigma loqui pollicetur, vt constet eum maximis de rebus sermonem instituisse.

Deum triplicis caussæ habere rationem ad omnia, ait Plato.

Deinde põdera, Deum triplicis caussæ habere rationem ad omnia. Ait enim primũ, esse autorem omnium bonorũ, quæ causa efficiens est, tum circa ipsum ea consistere, quæ causa moderatrix, & (vt dicitur) exẽplaris est: tum denique gratia eius omnia extitisse, quæ causa finalis est, sicq; à Philosophis vocatur, vt reliquæ priores causæ. Hæc omnia quæ Plato tribuit Deo, Paulus quoque Patri tribuit, cùm ait: *Ex quo omnia, in quo omnia, per quem omnia.* Est enim Deus creator, & rector rerum creatarũ, & finis. Dicere prætereà Deum omnium bonorũ autorem, vt ait Plato, nihil est aliud quàm dicere Deum omnia cõdidisse. Omnia enim quæ sunt, quatenus sunt & existunt, bona etiam sunt. nam *vidit Deus cũcta quæ fecerat, & erãt valdè bona.* Vocat autem Patrem primum, tanquã caput & principium diuinitatis, ex quo cæteræ personæ oriuntur, & à quo omnia creata initiũ existendi habere cœperunt.

Rom. 11.
Gen. 1.
Quid illud Plat. de Deo: Circa secundũ secunda, scilicet caussa, tertia circa tertiũ

Quod verò subdit Plato, *Secundum circa secunda, & tertium circa tertia existere,* quia obscu um est, declarandũ venit. Nam in primis Plato, more suo & Græcorum, præpositiones, quæ nominib. præponi solent, postposuit, vt Romani, cùm dicunt, quãobrem, quibus de causis, & Virgilius, *Transtra per & remos*; cùm esset dicendũ per transtra & remos: &, ob quã rem, &, de quibus causis: ita Plato, cùm dixit secundum circa secunda, & tertium circa tertia, exponendus est circa secundum secunda, circa tertium tertia, atq; ita idem erit orationis tenor: vt quẽadmodum dixerat, Circa omnium Regẽ. sic circa secundum, & circa tertium. Audiebat .n. apud Chaldæos aut Ægyptios, & acceperat à Trismegisto, tres esse in summa diuinitate Reges, & secundũ procedere à primo, tertium à secundo, vt Plotinus ac Porphyrius interpretãtur: quę doctrina de tribus hypostasib. siue de trino numine, confirmatur ex discipulis Platonis, Numenio, Amelio, & Proclo, maximè super Timæum, & ex Plotino in lib. de tribus subsistentijs, & ex Porphyrio, quem citat August. in lib. de ciuit. Dei.

[illegible] ... nium [illegible] Plato.
Plotinus.
Porphyrius.

II. locus.
Aug. [illegible] ciuit. Dei, [illegible] 3 tom. 5.
Suidas in [illegible] bo Hermas.

Secundò, citatur sentẽtia Mercurij Trismegisti [illegible] tis: *Monas gignit monadẽ, & in se ipsam reflectit ardorem,* id est, Pater generat filium, qui se inuicem amãdo producunt Spiritum S. qui etiam vt superius vidimus ex Suida, ait, *De Deo fuit lumen intelligens ante lumen intelligẽs:* ponens duas luces intelligẽtes in Deo, quarum vna est prior altera; quod nõ est aliud quàm quod canit Ecclesia, *Deum de Deo, lumen de lumine.* Et ponit cum illis duab personis tertiã Spiritus sancti, & nullam aliam creaturã Deo adfuisse: quia solus Deus in Trinitate personarũ est æternus. Et ponit vnum lumen ante illud, non tempore, sed origine: quia ex Patre est Filius, & nõ è conuerso: & in hoc sensu dixit Christus, Pater maior me est.

[illegible] 14.
III locus.
Arist. [illegible]
Damascius Platonicus.

Tertiò, citatur Aristot. qui 1. lib. de cœlo ex sententia Pythagoricorũ Deum coli numero ternario affirmat, quasi Deus in Trinitate cõsistat. Damascius etiam Platonicus de Ægyptijs perhibet solitos appellare primum principiũ tenebras super oẽm cognitionem tenebras incognitas, ter istud acclamãtes: quę trina acclamatio tria illa principia respicit, quæ sunt, bonum, mens & anima, seu spiritus, quemadmodum Angeli ter clamãt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Isai. 6.
Deum Philosophi cur tenebras appellarint.
Psalm. 17.
[illegible] 22.
1. Timoth. 6.
Exod. 19. [illegible]
Plutarch.
Exod. 3.

Quòd autẽ Deum tenebras appellarint, non est alienum à Scriptura, quæ ait: *Posuit tenebras latibulũ suum.* Et rursus, *Lucem habitat inaccessibilem:* & Deus semper se in caligine & nube, & Moysi, & filijs Israel ostẽdebat: quod aliud nõ erat, quàm ostendere diuinã substãtiam esse homini incognitam ac minimè penetrabilẽ. Plutarchus refert, in Ægypto in templo Mineruæ, quę est diuina Sapientia, filia summi Dei, fuisse hanc inscriptionem: *Ego sum omne, quod fuit, quod est, quod futurum est: velum meũ nemo mortaliũ hactenus reuelauit.* Quę inscriptio in idem

recidit

Infrà 6.

recidit cum eo, quod Mosi Dominus dixit: *Ego sum, qui sum, & nomen meum Iehoua non indicaui eis.* Vbi ostendit, se ab æternitate ambiente omne tempus fuisse, & declarat, nomen suum Iehoua descendere à verbo substantiuo haia, quod est, fuit. Vnde Græci vocant Deum τὸ ὄν, id est, ipsum esse. Subdit autem inscriptio illa: *Quem ego fructum peperi, fuit Sol,* vbi se Minerua prædicat Solis creatricem, quod idem est cum eo, quod Moyses ait: *Dixit Deus: Fiat Lux.* Et rursus dixit: *Fiãt luminaria in firmamento cœli:* quod cum eo conuenit, quod apud Salomonem dicit Sapientia: *Ego feci in cælis, vt oriretur lumen indeficiens.* Dicitur autem Sol à Platone filius summi boni, & ab Homero dicitur proles Iouis in hymno de Sole Διόσπαις. Quartò, producũtur oracula mysterium Trinitatis apertè testantia. Nam cõsultus Serapis Aegyptiorum Deus, quis eo esset beatior? respondit hoc disticho.

Nomen Iehoua vnde descendat.

Gen. 1. Ibidem. Eccles. 24.

IV. locus. Serapis Ægyptiorum Dei, de Deo vero responsum.

> Πρῶτα Θεὸς μετέπειτα λόγος καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
> Σύμφυτα δὲ τρία, καὶ πάντα εἰς ἓν ἰόντα.

Hoc est,

> *Principio Deus est, tum Sermo, & Spiritus istis*
> *Additur; æquaua hæc sunt, & tendentia in vnum.*

Apollinis de vera religione sententia.

Apollo etiam rogatus de vera religione, de tribus numinibus diuinè pronuntiauit hoc oraculum sub Christi decessum, quod Latinè ex Græco redditum, hic tantùm apponam:

> *Ne me vtinam supremum infœlix ipse Sacerdos*
> *Sciteris de sancto ac diuino genitore,*
> *Et sobole chara rebus magnis Induperantis,*
> *Et flatu, qui mundum adstrictum continet omnem,*
> *Montes, tellures, fluuios, mare, tartara, & ignem,*
> *Aeraq; heri miserum iam me discedere ab istis*
> *Coget, linquetur, quo edebam oracula limẽ.*

Ex quo oraculo habes, non tantùm tres diuinas personas in diuinitate, sed etiam veram religionem in cultu illarum consistere, & Apollinem ipsum prophetare finem atque cessationem suorum oraculorum. Quintò, argumentari possumus à rationib. quarũ multas superius produximus. Et in primis peti potest argumentum ab immẽsitate diuinæ bonitatis, quæ est communicabilitatis (sic dixerim) infinitæ; quæ sanè communicabilitas multitudinem personarum ponit, & includit. Deinde à summa beatitudine desumitur ratio. Nam cùm summa felicitas sine societate nequeat consistere; si Deus est summè felix & beatus, vt ab æterno est, ergò ab æterno aliarũ personarum consortium habuit, quibus cum feliciter conuersaretur. Tertia ratio sumi potest à natura charitatis, quæ cũ summus sit, & perfectus amor, non ad se (vt docet Gregor.) sed ad alterũ haberi potest. Aut ergò Deus ab æterno caruit eminentissima & perfectissima virtute charitatis, aut si illam habuit, habebat & alias personas, quas ex charitate diligeret, & à quibus ex charitate diligeretur. Quartò sumi potest ratio à natura generationis, quæ cùm perfectio summa sit in creaturis, necessariò & in Deo prima caussa inueniri debet. Omnis autem generatio (cum nihil generet seipsum) distinctionem hypostaseon ponit, cùm nihil simul possit esse genitum & generãs. Quintò, argumentum petitur à natura Dei intellectu vigente, quæ cùm sit purè intelligens & incorporea, duos tantùm producendi modos habet, alterum per viam naturalem intellectus, alterum via volũtatis & amoris: & ita duplex iste processus Trinitatem arguit personarum. Vltimò, quia aliàs non diceret Ioannes: Et mundus eum non cognouit: nam ponitur hic sermo accusans mũdum, quòd quem potuerint, noluerint cognoscere. Sed breuib. nodus iste soluẽdus est. Et in primis vt certum & exploratum constituendum est, nullos mundi philosophos, vel sapientes solis naturalibus viribus potuisse ad Trinitatem personarũ in Deo statuendã assurgere: nã id & Scripturis ipsis repugnat, & rationi aduersatur, & Sanctorum Patrũ sententijs. Nam in primis Christus Dominus ait: *Pater manifestaui nomen tuũ hominibus:* & loquitur de nomine Patris; nam nomen Dei gentibus perinde atque Iudæis ignotum non erat. *Notus,* inquit Propheta, *in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius.* Et rursus Christus: *Nemo nouit Filium, nisi Pater; neq; Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Nemo,* inquit, id est nullus homo ex viribus proprijs, vel ex seipso: & Petro confitenti, quia esset Christus Filius Dei viui, respõdit Christus: *Beatus es Simõ Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est,* ille reuelauit tibi, quod Filius sit in diuinis, & quod ego ipse ipsius Filius sim. Et Paulus: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam nemo Principum huius seculi cognouit.* Item Salomò: *Quod nomen est eius, & quod nomen filij eius si nosti?* Multæ similes authoritates ex sacris literis produci possent, si expediret: verùm vt breuitati consulamus, prædictis sumus contenti. Deinde idem rationibus euincitur.

V. locus à rationibus. Prima ratio.

Secunda.

Tertia.

Gregor. homil. 10. & 17. in Euangelia, tom. 2.

Quarta.

Quinta.

Sexta atque postrema.

Trinitatis mysterium à quoquam nõ posse solo naturæ lumine apprehendi multis ostenditur.

Primus locus, à Scripturis.

Ioan. 17.

Psal. 75.

Matth. 11.

Infrà 16.

1. Cor. 2.

Prouerb. 30.

II. locus à rationibus.

Heb.11. Nam in primis fides, est sperandarum substantia rerum, & argumentum non apparentium: si ergò Trinitatis mysterium naturali ratione apprehendi potest & cõspici, quid erit in tota religione Christiana, quod ratione demonstrari conspiciq; non possit? Deinde Iudæi Scripturarum lumine adiuti, communiter ad mysterium Trinitatis peruenire haud potuerunt, ex quo & in Christi sermone scãdalizati sunt frequẽter, & illum morte dignum iudicauerunt, Ioan.19. quia Filium Dei se fecisset. Tertiò, quia homo naturaliter nõ potest peruenire ad Dei cognitionem, nisi per creaturas, vt per illas tanquam per effectus, ascendat ad causam, vt testatur Apostolus ad Rom. Cùm ergò virtus creandi communis sit tribus personis ratione vnitatis essentiæ, & non ratione proprietatum, siue personarum, impossibile erit per creaturas apprehendere Trinitatem. Postremò, irridendos nos præbemus infidelibus, si eiusmodi rationibus permoti, mysterium tantum Trinitatis astruamus. Nam cùm debiles sint & infirmæ, putant nos super arenam ædificare, & arundineo fundamento niti in credendo, cùm præstare t potentissimo Dei Verbo, & reuelatione Dei inniti. Est item à ratione alienum, ea ratione probare velle, quæ longè ipsam r[illegible]ionem antecedunt: & quemadmodum n[illegible] est, rationalia, quæ sensum superant, sen[illegible] monstrare velle: ita spiritualia & diuina, quæ fide tantùm apprehenduntur, rationis acie velle inuestigare. Sed vt sensibilia sensu dignoscuntur, & intelligibilia ratione: ita credibilia fide tantùm, & lumine reuelato sunt amplectenda. Idem etiam Patres docent. Ait enim Ambrosius lib. primo de fide cap.5. *Mihi enim impossibile est*, inquit, *generationis scire secretum. Mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed Angelorum: supra potestates, supra Cherubim, supra Seraphim, supra omnem sensum est.* Et intra: *Nec solum in generatiõe sermo deficit, sed etiam in operibus Dei: scriptum est enim, Omnia opera eius in fide. Opera ergò eius in fide, generatio sine fide? Et discutimus quæ nõ videmus quæ iubemur credere magis, quàm discutere, quæ videmus.* Bernar. lib.5. de consideratione ad Eugenium: *Dicamus itaq; tres*, inquit, *sed non ad præiudicium vnitatis. Dicamus vnum, sed non ad confusionem Trinitatis. Neq; enim nomina vacua sunt, nec absq; significantia, cassæ voces, Sabellianum hoc. Quærit quis, quomodo illud, quod Catholicum esse dicimus, possit esse? Sufficit ei tenere sic esse. Atque hoc non ratione perspicuum, nec tamen opinioni ambiguum, sed fidei persuasum. Sacramentum hoc magnum est, & quidem venerandum, non scrutandum. Quomodo pluralitas in vnitate, & hæc vnitate, aut ipsa in pluralitate? Scrutari hoc, temeritas est: credere, pietas est: nosse, vita & vita æterna est.* Augustinus lib.1. de Trinit. cap.3. & 4. *Nec pigebit me*, inquit, *sicubi hæsito, quærere, nec pudebit si cubi erro, discere: quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur.* Et Hilarius lib. de vnitate Patris & Filij, loquens de hoc mysterio: *Sine dolore*, inquit, *à me audiet, ignoro, ego nescio, non requiro. Consolabor me tamen: Archangeli nesciunt, Angeli nõ audierunt, Propheta non sensit. Apostolus interrogauit, Filius ipse non edidit: cesset dolor querelarum.* Hæc Hilarius: & hactenus ex Latinis Patribus. Ex Græcis verò Euagrius libro monachico, vt refert Socrates lib.6. histor. Tripart. [illegible].1. *Omnis*, inquit, *propositio, aut genus habet, quod prædicatur aut speciem, aut differentiam, aut proprium, aut accidens, aut ex his cõpositam orationem. Sed nihil in sancta Trinitate horum quæ dicta sunt, poterit comprehendi: igitur quod ineffabile est, rationé silentij adoretur.* Cyril. lib.1. Thesaur. cap.6. initio: *Diuinæ generationis ergò modus intellectum humanum excedit, nec legibus hominum subiacet, sed tantùm humanas naturæ leges superat, quantum natura humana à diuina superatur.* Didymus lib.2. de Spiritu sancto a.t: *Nullum Verbum potest Trinitati coaptari, & eius significare substantiam. Sed omne, quod loquimur* καταχρηστικῶς, *id est, abusiue est, & de incorporalibus cunctis, & maximè cum de Trinitate loquimur.* Gregor. Nazian. orat.17. *Sufficit mihi audire, quòd filius, quòd ex Patre, & quòd hic sit Pater, ille verò filius, & nihil in his curiose scrutor, ne in vocibus, quæ penitus omnem elocutionem superãt humanã, mihi accidat, quod visu, cùm in radios dirigitur solares. Quantum enim quis plus & diligentius videre voluerit, tantò magis sensus læditur, &c.* Basil. in orat. contra dicentes tres Deos nos colere. *Credis quòd genitus est, ne quæras, quomodo. Si enim licet quærere, ingenitus quomodo est ingenitus, licet etiam quærere genitus quomodo genitus est. Si aũt relinquis quæstionem ingeniti, quomodo ingenitus est; neq; genitus relinquit quærere, quomodo genitus est, ne quæras, quæ inueniri non possunt, quomodo enim inuenies? Si enim quæris à quo discere potes; à terra? non subsistebat: à mari? nondum erat liquidum à cælo? non erat eleuatum: à Sole, Luna & astris? nondum creata erant: at à seculis? ante secula vnigenitus. Ne interroges ea quæ non semper sunt, de semper existenti.* Athanas. lib. de varijs quæst. q.1. *Sed est*, inquit, *ineffabile, atq; inexponibile sanctæ Trinitatis mysterium, at tu ne dixeris, qualiter est? Est enim super omne quale: neq; dixeris, quomodo? Est enim super omnes modos diuinus mundus, non etiam dixeris, qua ratione, nam supra rationẽ est diuina ratio.*

Marginal notes: Quemadmodum homo peruenire possit ad cognitionem Dei, teste Apostolo. — III. Locus, à traditione Patrum. — Ambros. to.2. — Idem. — Psal.32. — D. Bern. — Ephes.5. — Ioan.17. — August. to.3. inter medium circa er, & tu 1. — B. Hilar. — Euagrius. — Socrates. — Cyril. tom.2. init. — Didy. tom. operum D. Hieron. — Greg. Nazian. orat. de [illegible] & dogmate [illegible] episcoporum [illegible]. — Basil. tom.1. — Athanas. tom. vlt.

Diony. Areop.

Dionyſ. Areop. de diuin. nom. cap. 2. par. 1. *Quod primordialis, & fontana ſit Deitas, Pater, Filius verò & Spiritus ſanctus fœcundæ deitatis (ſi fas eſt dicere) germina plantata diuinitus, & veluti flores, ac ſuperſubſtantialia lumina à Scripturis ſanctis accipimus. Quonam verò modo iſta ſint, nec eloqui, nec intelligere poſſumus.* Martialis epiſt. 1. ad Burdegal. cap. 10. *Sola Trinitas in diuinitate vnitatis ſeipſam nouit.* & hactenus quidem de Patribus ſit dictum.

B. Martial.

Diluuntur rationes propoſitæ.

Ad argumenta ergo in oppoſitum, reſpondendum eſt, Platonem ſi aliquid boni aut veri dixit circa myſterium Trinitatis, id totum ab Aegyptijs, apud quos verſatus eſt, & maximè à Mercurio Triſmegiſto accepiſſe: ſed ipſe quę dixit, non eſt aſſecutus, quia nulla ratio naturalis id indicare poterat, nimirum vt vna natura numero ſit cõmunis tribus perſonis re inter ſe diſtinctis. Vnde, vt refert Macrobius in Somnio Scipionis, Platonici ponebant, a ſummo Deo, nullo medio effluere Verbum, in quo erãt omnes rationes creaturarum, & ideæ: & licet cognouerint, per illud omnia condita eſſe, & conſiſtere, non tamen quod Deus eſſet vnus eſſentia cum Patre. Ex quo & ſecundum Deum appellabant. Platonici igitur perſonarum Trinitatem non nouerunt in eo ſenſu, in quo à fidelib⁹ creditur, quod patet ex eo, quod tres Deos conſtituebant. Deinde quia ex illis orti ſunt Origeniſtæ, & Arriani, qui diuerſas eſſentias conſtituebant in tribus perſonis. Tertiò, ſi quid bene circa hoc myſterium dixerũt, vel ex ſacris voluminibus ſuffurati ſunt, vt Amelius, qui citat Ioannis verba: *In principio erat Verbum, &c.* vel quæ à noſtris acceperunt, non rectè intelligentes, ſuis mendacijs macularunt, vt refert Euſebius Cæſa. lib. 2. de prępar. Euang. & Augu. citans verba Porphyrij de tribus hypoſtaſibus, ſiue de trib. principijs, aſſerit de Spiritu ſãcto, aut nihil aut non omninò aliquid apertè dixiſſe: & reprehendit, quod poſtponat animam intellectui paterno, & ab eo ſolo oriri dicat, cum fides doceat non tantum ex Patre, ſed etiam ex Filio procedere. Deinde per Spiritum ſanctum intelligebant vim quandam diuinam totum mundum conſeruantem, illique vitam dantem, ſicut per mentẽ mũdi opificem, intelligebant vim creatricem, quę mundum, tanquam Dei præfectus regeret, & adminiſtraret. Quod ergo in libris Platonicorum legerit Aug. vel myſterium Trinitatis, vel principium hoc Ioannis Euangeliſtę, verum eſſe poteſt: nam quod ad verba, & extrinſecam faciem attinet, idem, quod nos, dicere poterant, ſed non quantũ ad intelligentiam noſtram.

Macrobius.

Ioan 15.

Quid Plato, aliique Philoſophi per Spiritum ſanctũ, mundique opificem intellexiſſe videantur.

¶ Ad ſecundum de Mercurio Triſmegiſto, dici poteſt, illum ex ſignificatione diuina accepiſſe illud oraculum in intellectu Catholico. Ter autem maximus dicitur, propter eminentiã, ac magnitudinem ſapientiæ, etſi alij dicant, maximũ fuiſſe Philoſophum, maximum Regem, & maximum Sacerdotem. Sententia verò illa: *Monas gignit monadem, & in ſeipſam reflectit ardorem*, in hunc ſenſum accipi poteſt: quod Deus, qui vnus eſt, vnicũ tantum mundum condidit, & non ob aliud, quam ob ſuum ipſius ſingularem amorem quo ardet ſeipſum. ¶ Ad illud Ariſt. de numero ternario, quo Deũ colendum tradit, deq; illa trina Aegyptiorum acclamatione: nihil euincere dicimus, & tantum probabilia eſſe indicia Trinitatis, non autem argumenta euidenter illam demonſtrantia. Numerus autẽ ternarius ob id perfectus eſſe dicitur, quod cõſtet principio, medio & fine, quę inter ſe ęqualia ſunt.

Mercurius quare dictus ter maximus.

Quid illud eiuſdem: Monas gignit monadem, & in ſe ipſam reflectit ardorem.

Ternarius numerus quare perfectus ſit.

Ad quartum de oraculis, vel Serapidis Aegyptiorũ Dei, vel Apollinis Delphici: dicendum eſt, ab illis inuitis, & à Deo ipſo coactis, eiuſmodi veriſſima oracula prodiſſe, quanquam vt plurimum vulgus non caperet, quemadmodum etiam populus Iudæus Prophetarum de myſterio Trinitatis oracula communiter non intelligebat. Et quomodo in Euangelio dæmonia clamabant, & teſtabantur, Ieſum eſſe ſanctum, eſſe Chriſtum, & eſſe Filium Dei: ita non mirum eſt, ſi Apollo coactus tale perhibuerit teſtimonium veritati.

Quæ vis Apollini & Serapi extorſerit vera diuinitatis oracula.

Luc. 4.

Ad rationes verò in contrarium factas, atque à natura petitas, in genere reſpondemus; illas quidem probabiles eſſe, & alicuius momenti poſt fidem de hoc myſterio acceptam, maximèq; vtiles eſſe Chriſtianis ad hoc, vt per illas velut manducantur ad intelligendũ quod credunt: quia, vt inquit Propheta: *Niſi credideritis, nõ intelligetis.* Seruiunt etiã Doctoribus eiuſmodi rationes, tum ad explicandum, & magis declarandũ rudibus, & imperitis hoc myſterium, tum ad occurrendum hęreticis, & Sophiſtæ dæmoni de hoc myſterio tentanti. Nam per eiuſmodi rationes euincitur, nihil rectę rationi contrariũ nos ſentire, per hoc quod credimus multitudinem perſonarum in vnitate diuinæ naturæ conſiſtere; ante ſuſceptam verò fidem, rationes illæ nihil demonſtrant, neque proteruos conuincunt: etenim ſi tales eſſent, minimè tot hæretici inſurrexiſſent, tot modis in hoc myſterium inſanientes: neque mendacium tectum contra manifeſtam, ac demonſtratam veritatem quicquam valuiſſet. Primum ergo argumentum à bonitate DEI infinita de-

Rationum oppoſitarum ſolutio, eademque quid conferant.

Iſai. 7. iuxta 70.

Ad argumẽta reſponſio.

ſumptum, quod ſe debeat infinitè communicare, diſſoluitur, dicendo, ſatis ſe diuinā bonitatem, & infinito modo communicaſſe in creatione, & tantum, quantum creatura capere poterat: creatura autem non eſt capax infinitatis. Secundū argumentum de beatitudine & fœlicitate, quæ homini ſolitario haud contingit: ſoluitur, in creatura locum habere, quę quia finita eſt, eget conſortio. Deus autem, quia perfectiſſimus eſt & infinitus, ſeipſo contentus eſt, & beatus.

Quantum ſe Deus, & quo modo creaturis communicauerit.

Tertium de virtute charitatis, diſſoluitur, dicendo cum Ariſtotele, quod amicabilia, quæ ſunt ad alios, veniunt ex amicabilibus, quæ ſūt ad ſeipſum, &, propter quod vnū quodq; tale, & illud magis. Si ergo alios diligo amore charitatis, ſiue amicitię, poſſum & meipſum eodem amore diligere propter amicum. Quartum argumentum, quod generatio ſit perfectio, deſtruitur, dicēdo eſſe perfectioné in corruptibilibus, quæ nequeunt perpetuò permanere, ſecus in perpetuis, vt in Angelis, qui ex ſeipſis alios nō generant. Vel dicendum eſt, quod vt in Sole nō eſt generatio formalis, ac propria, ſed virtualis, vt dicunt Philoſophi: ita in Deo eſt generatio eminenter quatenus omnib. rebus cauſa eſt, vt gignere poſſit, non autē formaliter (vt ſic dicam) ac propriè.

Quod dicitur, perfectam felicitatem homini ſolitario non contingere, vbi locum habeat.
Ariſtotelis duæ regulæ topicæ.
Ariſt. lib. 8. & 9. Ethic.
Idem li. 1. poſter. text. & comment. 15.
Generatio in quibus perfectio ſit.

Quintum argumentū, quod in nobis eſt proceſſus Verbi ab intellectu, & amoris ab vtroq; & eget intellectus verbo perfici, & volūtas amore, ſecus eſt in Deo, in quo idem eſt eſſentia, poteſtas & actio, diſſoluitur dicēdo, hoc eſſe verum in nobis, quia differunt eſſentia, potentia, & actio, qui actus eſt purus, beatiſſimus, ac per ſe ſufficiens ſine adminiculo aliorum. Iſtę igitur rationes fideles quidem conſolantur, & confirmant, incredulos autem ſiue paganos, ſiue Iudęos non premunt, neq; reuincunt, apertè tamē illis oſtendunt in fide noſtra nihil cum ratione diſſentiens, aut abſurdum, aut impoſſibile contineri.

In Deo quatenus ſit generatio.
Cur ſit in nobis verbi ab intellectu, & amoris ab vtroque proceſſus.

§ Ad vltimam rationem, nempè quod accuſentur Gētes ab Euangeliſta, quod noluerint cognoſcere, quem poterant alioqui cognoſcere: & ab Apoſtolo, dicente: *Qui cū Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, &c.* Reſpondetur intelligendum eſſe, Deum illos non glorificaſſe, vel non cognouiſſe, nō quod ex ſuis viribus, vel ex natura ſua potuerint vel cognoſcere, vel glorificare, ſed ex Dei gratia, & auxilio, quod paratus erat non ponenti obicem dare. Vnde Anſelmus declarans illud: *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtauit, ait: Id eſt, nō ſolum naturalis ratio profuit, ſed Deus quotidie adiuuit, ne ſola natura ſufficere videretur.* Hæc ille. Et hactenus de tota quęſtione, an cognoſci lumine naaura li potuerit myſterium Trinitatis. Qui ergo ex Gentilibus, vel ex Iudęis *hoc myſteriū* cognouerunt, illi appellatione mundi non veniunt: nam eiuſmodi ſunt ſpeculatores, atq; amatores mundi, filij huius ſeculi, de quib. ait Chriſtus: *Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum: vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo.* Alij verò ſunt filij Dei, & filij alterius ſeculi, mundi amicitiā reſpuentes, & ad illam cœleſté hęreditatem aſpirantes, quam ſperant ſe conſecuturos, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cū Patre & Spiritu ſancto, ſit omnis honor, gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Ioan. 1.
Roman. 1.
Gentes cur reprehenſæ, quod in nomine in lucem Chriſti crediderint Deumq; cognouerint.
B. Anſelm in epiſt. ad Rom. c. 1. circa med.

Non mundi hic appell[illegible] ne qui veniat.
Ioan. 8.
Luc. 20.
Matth. 25.
Roman. 8. & Galat. 4.

TRACTATVS XXIV.

Quo exponūtur illa verba: In propria venit, & ſui eum non receperunt.

RVRSVS Euangeliſta exaggerat ignorantiam, quam mundus de Verbo habuit. Quod enim ante Incarnationem Deus cerni non poſſet, non quidem ex ſe, ſed ob noſtrum defectum, & oculorum mentis noſtræ debilitatem atq; impotentiam, tolerabile videri poteſt, & excuſatione dignū: maximè cū in lege naturæ homiēs adminiculo figurarum legis, & vmbrarū eſſent deſtituti: in lege vero Moyſi, cum per illas vmbras & figuras, non apertè, ſed abſconditè & latenter illuminaret, mirum nō eſt, ſi à mundo non cognoſceretur: verum iam illud lachrymis, ac fletu dignum, quod nube humanitatis tectus, & ad palpandum ſe ab omnibus facilem præbens, & quatenus homo eſt, comprehenſibilis factus, a mundo non fuerit cognitus: ita vt ipſe Deus per incarnationem in mundū ſenſibilē venerit illiq; mirificè illuxerit: nec tamen fide apprehenſus, & agnitus fuerit. Sententia hæc duplicem ſenſum poteſt accipere, alterum quidem, vt intelligatur per *Propria*, totus hic mundus, & per *Suos*, omnes homines, quemadmodū exponunt Rupertus Tuitienſis: & Euthymius, cuius verba hæc ſunt: *Nā ſua mundus eſt, nempè factura ipſius ſui quoq; ſunt homines, vtpote etiam opera ipſius, & tanquā ad ipſius imaginem formati. Venit igitur in eos, ſiue ad eos, tanquā homo, ſiquidem tanquam Deus in mundo erat.* B. Leōtius ſic exponit: *Propria vel Iudæos dicit, vel omnes homines, tanquam ab ipſo conditos. Vnde infert: Quotquot autem receperunt eum, quod non ſolum de Iudæis verificatur, ſed etiam de Gentilibus.* Hæc ille. Porro natura humana, ad quam veniſſe deſcribit, propria dicitur Verbi, tum ratione, & iure creationis; nā creato homine dicitur Deus

Hebr. 10. & 1. Corint. 10.

In propria Chriſtum [illegible] niſſe, qu[illegible] 1. ſenſus.
Ruper. Tuit. in c. Ioan. 1.
Euthym. ibid.
Gen. 1. & [illegible]
Ibidem
B. Leontius
Natura humana verbi propria quibus de cauſis.

quieuisse ab omni opere, quasi excellens aliquis pictor pulchra quadam pictura à se confecta, in qua omnes numeros, & colores artis collocauerit, in illa perfecta absolutaq; sibi complacés, nolit amplius depingere. Tum etiam iure conseruationis: nam perpetuò Deus benedictus nos mille miserijs atq; periculis expositos, ab animæ, corporisq; contrarijs, & maximè à nobismetipsis, & proximis, atque à dæmonibus intus, & extra, per se, & omnes creaturas subueniens, mirabiliter conseruat. Tum tertiò ratione gubernationis, per quam singulari prouidentia legem dedit, & nos tam infirmos, ac imperfectos ad tam altum gloriæ finem subsidijs opportunis accommodatisque possidendum disposuit. Tú quartò, iure redemptionis, cuius beneficio ad esse gratia vocati, & in illo conseruati gubernatiq; ad esse cœlestis gloriæ promouemur. Tum quinto, iure fauoris singularis ad homines ostensi ac declarati: nam cum omné creaturam ad famulatum sibi impendendum ad nutumq; in omnibus ei seruiendú, condiderit, hominem tamen propinquius ac propter se condidit: ideoq; suos facit vicarios in sacramentis conficiendis & administrandis, quod non habent Angeli, neq; animalia vniuersa. Postremo iure affinitatis ac propinquitatis homo dicitur propri i Dei: nam ex sua bonitate ad nostram vilitatem (infra Angelos) assumendam, demitti voluit. Vnde homo propria Dei possessio dicitur, nam in ea plus delectatur: *Deliciæ meæ*, inquit, *esse cum filijs hominum*: id est, cum rusticis & infirmis, Deumq; minimè curantibus, nobilioribus, sempei q; se collaudantibus Angelis quodammodo relictis, subdit: *Venit*, intellige venisse post tot, ac tanta desideria iustorum, ex quo & desideratus cunctis gentibus dicitur: post tot etiam vaticinia à Prophetis ac Sibyllis de eius aduentu edita. Venit etiam suapte sponte & voluntate: nullus enim promereri potuit hunc aduentum. Vnde prima eius promissio post peccatum ad Adam facta est. Venit in tempore suo, nimirum completis hebdomadib. Danielis, & ablato sceptro de tribu Iuda. Venit nō motu loci ad eum, vbi prius non erat, locum: nam vbi locorú non erat ille, qui cœlum & terram implet? Sed per assumptam humanitatem, & nouo modo incipiendo esse inter nos, non relicto antiquo, quo est in cœlis, siue in sinu Patris: *Et sui*, nempè homines tot viribus, & modis ac rationibus sui & ad tanta bona dilecti familiares, & natura cognati, à quibus vel maiori iniuria repellitur, vel maiori cum honore recipitur, *Eum non receperunt*.

Hominibus solis, & non Angelis munera concessa.

Psalm. 8.
Heb. 2.
Prouer. 8.
Iob 38.

Quomodo venerit Christus.
Aggæ. 2.
Gen. 49.
Matth. 13.
Gen 12. & sæpè infrà.
Dan 9. & 12.
Gen. 49.
Matth. 2.
Hierem. 15.
3. Reg. 8.
Ioan. 1.

Quinam sui, qui Christum in propria venientem non receperunt.

Cum Grecè Λόγος, sit masculini generis, propterea interpres hoc respiciens, dixit, eum: nam si ad vocem Latinam verbi spectasset, id, vel, illud, dixisset. Dicit autem, non receperunt, id est, non iterum acceperunt, quem primum in Adam acceperant, & peccato primi parentis omnes homines perdiderant. Tunc autem cum in primo pacto (peccato non existente) Christus ad nos sine vlla cruce sua, & absque vlla prorsus à nobis crucis nostræ deportatione veniebat, eum libenter acceperunt, & tamen peccato suo, vt diximus, eatenus perdiderant, quatenus, ne veniret, promeruerunt. Nunc verò cum ad nos veniret Christus nō sine cruce sua, & nobis inclamando: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, Plurimi eum respuunt, recipiunt pauci, cum *stultorum infinitus sit numerus*. *Prædicamus*, inquit Apostolus, *Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*. Nunc verò nouelli hæretici fingunt Christum cum propria tantum cruce ad nos venisse, in quem libenter peccatorum suorum onera, & labores reijciunt, nullam in portanda cruce communionem cum eo habere volentes. Et cum Petrus carnis affectu quodá Christo dixerit: *Domine propitius esto tibi, & absit à te Domine, non erit tibi hoc*: Lutherani alio affectu magis (vt ita dicá) carnali dicunt, Domine propitius esto nobis, & non erit nobis hoc. Sed aduertant miseri, quid ipse Christus responderit: *Vade post me Satana, & sequere me*: quemadmodum Cyrenęus in portáda cruce Christú sequebatur. Deinde hæc litera habet alterum sensum satis illustrem & verbis conuenientem, qué solú attingút Cyrillus, atq; Chrysostomus, priorem verò sensum, & istú Augustinus, & Leontius, Euthymius, ac Rupertus. *In propria*, inquit, *venit*, hoc est ad populum Israeliticum, qui præter alias omnes rationes superiore in sensu enumeratas, erat propria Dei possessio. Vnde Exodi 19. initio dicitur: *Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens sancta*, Moyses in cantico ait: *Pars autem Domini, populus eius Iacob funiculus hæreditatis eius*. Et vt D. Dionysius adnotauit, sacra eloquia, ipsum Hebræorum populum, Dei hęreditarium vocant. Erat autem propria Dei, & Verbi possessio populus ille multis de causis. Primò quidé, quia terra sua erat, quam illis donauit. Ná brachio Dei extento eductus ille populus fuit de Ægypto, & ductus per desertú, victoriasque ad superandos hostes ei datæ, quo

Matth 16.
Eccles. 1.
1. Cor. 1.

Lutherani quod minimè Christum recipiant, vnde constet.

Matth. 16.
Ibidem.
Infrà 27.

Alter sensus.

B. Cyril. lib. 1. in Ioan. ca. 12. tom. 1. init.
B. Chrys. ho 9 in Ioan. to. 3. in princ.
B Aug. tract. 2 in Ioan. & med to. 9.
Leontius Episcopus ibid.
Euthym. vbi supra.
Rupertus.
Deut. 32.
B Dionys.

Populum Hebræorum cur populus Dei eiusque hæreditaria dicatur possessio.

L.tano

S.cri-

Scriptura explicat populum illum nõ promeruisse, sed Dei gratia obtinuisse. *Deut. 9.* *Ne dicas*, inquit, *in corde tuo cum deleuerit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, propter iustitiam meã introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem, cum propter impietates suas ista deleta sint nationes.* Rursum exploratores à populo illo ad explorandam illam terram missi, *Num. 13.* reuersi dicebant: *Vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere Giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Ideò dixit Dominus: *Terra est mea*, vt agnoscerent Israelitæ, se aduenas & peregrinos esse, ac veluti cultores sub certo censu persoluendo, terræ alienæ, & verè dicerent cum Dauide, *Psalm. 38.* *Aduena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei*; atque ita assuescerent ad paupertatem Euangelicam, & ad vera bona & spiritalia speranda. Quare Abrahã eorum progenitor, nec passum pedis in terra possedit, vt concionatus est diuus Stephanus. *Act. 7.*

II. Ratio. *Exo. 31. & 34.* *Psal. 147.* Secundò dicitur propria possessio, quia ipse legẽ illis dedit per se ipsum, illamque digito suo scripsit. Ex quo illa vox gratulabunda: *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit, &c.* Et Baruch c. 3. in fin. prophetans de Christo ait: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Non solum autem tradit illis legem, verum etiam in dubijs, ad eam spectantibus, ipse respondebat tum per Mosen, tum per Sacerdotes, tum per Prophetas.

III. Ratio. *Supra 11.* *Infrà 29.* *Infrà 30.* *Exod.* *1. Reg. 10.* Tertiò, gens illa peculiariter à Deo erat, *Multiplicabo*, inquit, *semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* Quoniam ille populus de sterilibus, & impotentibus fœminis, nẽpè de Sara, Rebecca, Rachele, virtute non naturali, sed collata diuinitus natus est: & quanto magis Aegiptij opprimebant, & angariabant, tanto magis populus ille crescebat, atq; multiplicabatur, ita vt à captiuitate liberatus, & in libertatem assertus, ad regnũ euectus sit.

Quarta. *4. Reg. 19.* Quartò, fuit Deus eius populi Rex, illum populũ protegens, & in arce Philisthæos prosternebat, interficiebatq;: obsessam etiam ciuitatem Hierusalẽ per Angelum defendit, atq; tamdiu Regis munus apud eos exercuit, donec tempore Samuelis repudiatus est, & rogatu populi, *1. Reg. 3.* *Infrà 10.* institutus est Saul, & creatus est Rex. Fuit etiam eius populi episcopus, dans templum, *3. Reg. 6. & seq.* cuius ipse fuit autor, inspirando Salomoni illius fabricandi modum, & rationem, atq; *1. Para. 28. & 29. per totum* Dauidi tot ex hostibus donando victorias: ex quo auri, argentique vis infinita propè modũ ad templi ornamẽtũ, atq; expensas collata est. Docuit etiam cultum, cæremonias atq; sacrificia, quo tot inter populos idololatras notus esset in Iudea Deus, & in Israel magnum nomen eius.

V. Ratio. Quintò, dedit illi populo Angelos, qui regerent & custodirent, Prophetas & sapientes, qui cum docerent, & instruerent, atq; cum opus esset, de violata lege coarguerent.

VI. ac postrema. Postremò, voluit Verbum homo fieri, & carnẽ ex Iudæis assumere, ac fieri minister circumcisionis, illis verbum Dei, atq; miracula ministrando. *Ioan. 1.* *Hebr. 2.* *Matth.* *Marc. 3.* *Psalm. 16. &* *Psal. 44.* *Roman. 11.* Hinc eius illa vox: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Fecit etiam ex ipsis Iudæis Principes, & Apostolos super omnem terram, vt eorum ministerio, & opera sibi Gentes, vt oliuæ oleastrum insererentur. Sed ipsi, quia ingrati, non præcellũt Gentibus, tametsi primum illis prædicatũ fuerit, & Matthæi Euangelium ipsis scripto traditum: *In propria ergo venit*, vt homo, vt Messias signis, & doctrina, quòd verus esset Christus filius promissus, conuincentibus, vnde dixit: *Si* *Ioan. 15.* *non venissem, & locutus fuissem eis, &c.* & rursus: *Ibidem.* *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Venit etiam in congruo tempore, & non nisi præcursore pręmisso, qui de eo annuntiaret, & sicut ipse dixit: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierũt domus Israel.* *Matth. 15.* *Et sui*, nempe contribules, & cognati secundum carnẽ, quiq; eos nomine primogeniti honorauerat, dicens: *Filius meus primogenitus Israel.* *Luc. 1. & Matth. 1.* *Malach. 3.* *Exod. 4.* *Sui* etiã, maximè vicarij, Pastores, Reges Pharisæi, Sacerdotes & ædificantes, quorũ erat, populo, panẽ Scripturarũ frangere, & ędificare eos super fundamẽto suo vero. *Psalm. 117. & Matth. 21. & aliis.* Sui etiam, à quibus cum maiori dedecore, iniuria & contumelia nõ solũ non est receptus, verũ etiãm repulsam, opprobrijs plenissimã passus. *Psalm. 54.* Hinc Propheta dixit: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq; Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus, &c.* quod etsi ad literã de Iuda proditore dicatur, non minus tamen de populo illo Iudæo in illo proditore quasi in typo repræsentato, accipi potẽst: & Christus dixit, *Ego honorifico Patrem meum & vos* (quorũ intererat, me summis honoribus accipere) *inhonorastis me.* *Ioan. 8.* *Luc. 24.* *Supr. 4. & 2.* *Marc. 6. & alias.* *Matth. 9. &* *Luc. 7. &* *Ioan. 11.* *Luc. 4.* *Eum non receperunt*, eũ inquã, mitẽ, gratiosum, potentem opere & sermone, benefacientẽ infirmis, mortuos suscitantẽ, leges interpretãtẽ, & deniq; perditas oues ita saluare quęrẽ ẽ: *Nõ receperunt*, minus dicit, & plus significat: quia non solũ receptus non est, verũ etiã reprobatus: *Psal. 117. &* *Matth. 21.* *Ioan. 15.* *Lapidem*, inquit, *quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*: odio habitus est, sicut & ipse dixit: *Odio habuerũt me gratis*: im-

pugnatus

Cant. 1. Zach. 13. Matth. 21. Luc. 1. & alibi.

pugnatus est: *Filij, inquit, matris meæ pugnauerunt contra me:* plagis in corpus eius inflictis acceptus est: *His, inquit, plagatus sum in domo eorum, qui diligebant:* denique interfectus est ab agricolis, dicentibus: *Venite, hic est hæres, occidamus eum, & habebimus hæreditatem.* Cum tamẽ Christus tot nuntios præmisisset, & maximè præcursorem Ioannem, quo facilè posset agnosci. Sed quemadmodum Ioannis testimoniũ nõ acceperunt, ita nec Christum. Cum autem dicitur: *Eum non receperunt*, intellige de maiori parte, ac præcipuè maiores, & ædificantes, quorũ erat populũ ad Christum adducere. Vnde subdit: *Quotquot autem receperunt eum, &c.* Et Paul. ad Roman. *Quid ergo quod quærebat Israel, hoc non est consecutus? Electio autem consecuta est:* id est, quidam ex illis à Deo electi fide ad Christũ peruenerũt. Quod si quæras, quid fuerit in caussa, cur Messiam expectatũ, & desideratũ, non receperint? Respondebo, Euangeliũ causam explicuisse, nempe amorem rerum temporalium maximum, & temporalia perdendi timorẽ. Dixerunt namq; Iudæi: *Si dimittimus eum, sic omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent locum nostrũ & gentem.* Offendebat etiã eos tanta Christi humilitas & paupertas, & summa eos reprehendendi, & viuum tangendi, atque idola eorum destruendi libertas, cũ tamen alioqui assueti essent expectare, & Messiam secundũ carnẽ agnoscere, hoc est, carni propitium, diuitem, potentem, de hostibus Iudæorũ pœnas sumentem, & de illis triumphantem, populũ autem Iudæum exaltantẽ, atq; ad temporales eum dignitates promouentem. Quia vero Christum non receperunt, neq; communicare cum illo voluerunt, excæcati sunt, pulsa luce, & excómunicati in æternum: expulsi de Hierusalẽ, & de templo. Et quia reprobarunt Christũ, à primogenitura, quam possidebant, repulsi sunt, vt pulchrè figuratur in Ismaele de domo pulso, quòd hic persequeretur Isaac, & in Esau, vendẽte primogeniturã fratri suo Iacob propter decoctionem lentis ruffam, qui ob id reprobatus est, nec inuenit locum pœnitentiæ, quanquam cum lachrymis & oratione quæsierit illam. Idẽ & Iudæis accidit, quorum dignitates & prærogatiuæ omnes ad gentes transierunt. *Nam ablatum est eis regnum Dei* (hoc est, Messias ipse, eius fides, eius Scripturæ) *& datum est genti facienti fructum eius.* & per Prophetam ait: *Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam, & non misericordiam consecutã, misericordiam consecutam.* Meritò ergo ille populus, qui erat in caput, factus est in caudam: & qui Deo gratus & amicus erat, odio

Ioan. 3. — Roman. 11. — Quare Iudæi quem desiderabant, & expectabant Messiam, recipere noluerint. Ioan. 11. — Qualẽ Iudæi Messiam expectauerint. — Luc. vlt. Vnde Iudæi cæcitatem incurrerint. — Gen. 21. Isai. 25. Iudæi in Ismaele & Esau apertè designantur. Gen. 25. & Hebr. 10. — Matth. 22. — Osea 1. iuxta 70. & Roman. 9. Deut. 25. Ibidem.

post Christum habetur ab omnibus nationibus: & qui Christum de domo sua expulit, non solum domo sua expoliatus est, sed etiam à cunctis gentibus cum ignominia à cohabitatione cum eis expellitur. Nunc autẽ Ecclesia Dei magis propria Christo possessio est, quam olim fuerit Israel: illi siquidem maiora contulit ornamenta, ac priuilegia, donauit ei terram viuentium, legem Euangelij immaculatam per baptismum à Christi sanguine regeneratione, vim mundandi habentem: contulit illi panẽ viuum ad alimentum: venit ipse Rex, & pastor, & episcopus animarũ nostrarum, qui ex se facit omnes reges spiritales & Sacerdotes: ministrat nobis tum per se, tum per Apostolos & Sacerdotes, tum per oẽs creaturas, quæ ad salutem necessaria sunt: explicauit nobis viscera misericordiæ suæ immensæ: ostẽdit infinitos sui amoris thesauros, & tamẽ multi sunt, qui non modo tũ non recipiunt, verum etiã in seipsis, & in alijs occidũt, despiciendo Ecclesiam, Sacerdotes eius dedecorando, salutaribus Angelorum afflatibus non acquiescendo; à Sacramentorum perceptione non secus, quam à veneno abstinendo. Quamobrem timendum est, ne malos malè perdat, & vineam suam locet alijs agricolis, qui reddant ei fructũ in tempore suo. Si enim Deus Iudæis, tanquã naturalib. ramis non pepercit, neq; externis gentibus parcet. Certumq; est, quod cum eũ nos nõ receperimus, nec ipse apud tribunal astãtes recipiet, etiamsi clamemus, *Domine Domine aperi nobis:* quia clausa erit ianua, & dicet, *Amen dico vobis, nescio vos.* Nam finge, obsecro, Principem aliquẽ diuitem, magnis sumtibus, & labore pulchram aliquã domum auro, gemmisq; pretiosis, atq; varijs picturis ornatã construxisse, in quam se oblectationis causa recipiat, illã tamen seruis custodiendam tradidisse, ad quam cũ rediret, à seruis proditoribus non solũ nõ exciperetur, verum etiã iniurijs, ac manibus violẽtis repelleretur, clausoq; domus ostio, per fenestras impura quæq; ac sordida in eũ proijcerẽt, quas (quæro) pœnas dare deberent eiusmodi ingrati serui, ac scelerati? Ad hũc sanè modum si sapis, cogitare debes. Christus enim Princeps Principum, animã tuã & corpus, sanguinis sui pretio redemit, & factasũt membra tua, mẽbra Christi, & corpus tuũ, templum Spiritus sancti: ita vt nihil, homo, habeas, quod non acceperis: & tamẽ Christum ad te venientẽ, & ditare te, ac oblectare se tecum volentem, non recipis, imò impudẽter repellis, ita vt nõ sit ei locus in diuersorio: quas pœnas igitur non dabis, si hæc tecũ meditans nõ resipiscis, neq; præpa-

Quod Ecclesia ex Gentib. magis propria Christi possessio sit quam olim fuerit Israel probatur. Psalm. 18. Ioan. 3. & Tit. 3. Ephes. 5. Hebr. 9. Ioan. 6. Zach. 9. & Matth. 21. Ioan. 10. 1. Pet. 2. Matth. 6. & Apoc. 1. & 20. Luc. 1. — Christiani Christũ qui non recipiant. — Matth. 21. — Roman. 11. — Marc. 15. Ibidem. — Comparatio. — 1. Corint. 6. Ibidem. Supra 3. Infrà 4. Luc. 2.

ras hospitium tanto Principi, vt dicas cum sponsa: *Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum.* Beati ergo illi, qui manent Bethaniæ, quia diligentur à Deo: nam diligebat Iesus Lazarum, Mariam, & Martham, Bethaniæ commorantes, & vt Dominus dixit: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum:* & paullò infrà: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Non solum autem Bethaniæ, hoc est, in domo obedientiæ commorantes, Christum libenter recipiunt, verum etiam in occursum eius exeunt. Martha, & Maria preces offerentes pro fratribus mortuis eorum reuocationem ad vitam impetrant, & pro vnius diei hospitio mansioné in æternis tabernaculis promerētur: ad quę nos bonitas diuina perducat, pręstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto reddendus est omnis honor, gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

Cant. 4. Ioan. 11 Infrà 14. Quid sonet Bethania. Sup. 11. & seq

TRACTATVS XXV.

Quo edisseruntur illa verba: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

INCIPIT Euangelista declarare præmium pretiosissimum, quod Iesum recipientes promerentur, vt interim tacitè declaret grauissimam pœnam, atque supplicium, quod non recipientes eum incurrunt. Cum enim dixisset, suos eum non recepisse, videreturque eo sermone omnes Iudæos conclusisse: declarat modo nō frustrà venisse. Nam & ex Iudęis nonnulli, licet admodum pauci eum acceperunt, vt Maria mater, Ioseph eius sponsus, Zacharias, & Elisabeth, Ioannes Baptista, Pastores, Simeon, & Anna Prophetissa, Maria, Martha, Lazarus, alijque nonnulli, qui, eo viuente, crediderunt in eum, atq; alij quos Apostoli post mortem eius, Euāgelico reti ad Christum adduxerunt: qui sanè quo pauciores extiterunt, & maiori cum periculo eius profitebantur fidem, eò fœliciores ac digniores habiti sunt. Ex quo laudabat Apostolos Christus, dicens: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* & alio in loco: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, &c.* & rursus: *Amen dico vobis, nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiet tantū nunc in tempore hoc domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cū persecutionibus, & in seculo futuro vitam æternam.* Vnde Ecclesia ęquè diues est, cū paucis, atque cum multis, nam in ea, velut in agro quodam est abscōditus thesaurus, qui est Christus, & eius sanguis, Spiritus, merita, vitæque perfectissimæ exemplum. Qui autem se ab Ecclesia segregant, atq; disiungunt, nudi sunt, pauperes sunt, & infœlices. Secundò illis verbis innuitur, futurum aliquando vt multi gentiles Christum à Iudęis relictum, reciperent, iuxta Isaiæ vaticinium, dicentis: *Lauda sterilis quæ non paris erumpe & clama, quæ non parturis, quia multi filij, desertæ magis quam eius quæ habebat virum.* Qui quidem filij Christum eiectum extra vineam, & sauciatū receperunt, rependentes beneficium, dum ipso Christo dante, passum mortem pro mundo crediderunt, verum à se, & non oleo nostro curatum, & reuocatum ad vitam: *Exeamus igitur extra castra, improperium eius portantes,* vt Apostolus ait: id est crucem eius, in qua salus nostra peracta est, cordibus nostris, & linguis magnificantes, crucemque nostram ad eius gloriam, & imitationem baiulantes. Ostenditur ergo diuinæ misericordiæ largitas in illo verbo, *Quotquot,* siue Iudæi sint, siue Gentiles, siue masculi, siue fœminę, siue liberi, siue serui, *Receperunt eum.* Non tantum vt Prophetam, & hominem iustum, & Dei amicum, sed sic, vt in ipsum crederent, & illi sese, tanquam vnigenito, regendos committerent, ita recipientes ditantem, omni ex parte amabilé, ac desideratum, & à quo omni nostra substantia redimendus esset vt manere nobiscum dignaretur, quoniam sine illo aduesperascit. Recipiendus est autem primum Fide, deinde Spe, tertio verò, amore charitatis, & vlnis, siue brachijs bonorum operum, quemadmodum cum Simeon accepit: *Dedit eis,* Quibus eis non merentibus: sed filijs iræ, dæmonis, & carnis, & mundi seruis, & inter omnes creaturas Dei, atque omnium Angelorum capitalibus hostibus. Quid autem dederit, subdit: *potestatem filios Dei fieri.* Ad cuius loci interpretationem, præmittendum est inprimis, in sacris litteris filios dupliciter dici, alios quidem natura, vt Ismael, & Isaac, qui ex Abraham nati sunt, alios verò, imitatione operū, siue vitæ similitudine. Vnde Christus

Quinam ex Iudæis Christū susceperint. Luc. 1. Ibidem. Ibidem. Ibidem. Ibidem, & Ioan. 1. & seq. Infrà 2. Ibidem. Luc. 10. Ioan. 11. & seq Infrà 12. Infrà 22. Marc. 10. & Matth. 19.

Ecclesia æquè diues est cum paucis atque cum multis. Supra 13. Isai. 54. & Galat. 4. Matth. 21. Hebr. vlt. Improperium Christi portare quid. Matth. 16. Christus quomodo receptus à Gentibus. Luc. vlt. Qua ratione Christū recipere debeamus. Filij in Scripturis dicuntur dupliciter. Gen. 25. & Galat. 4.

stus dixit: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Vbi declarat, esse Filium dæmonis illum qui eius suggestiones, & cõsilia opere exequitur. Rursus, Iudæis gloriantibus, quod filij essent Abrahæ secundum carnẽ, respondit Dominus, obijciens fidei, virtutumq; Abrahæ defectum: *Si filij, inquit, Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* quemadmodum enim naturales filij solent colorem, ac lineamenta parentum suorum ad viuum repræsentare: ita quicũque alium in ratione vitę, atque operum imitatur meritò eius dicitur filius. Deus autem Pater vnicum tantum filium naturalem habuit, qui completè totam vim generandi terminat, ita vt multiplicari non possit. Non est tamen inuidus, vt tantam filiationis (vt ita dicam) dignitatem nobis communicatam esse nolit: qui ea de caussa nos redemit, non vt in gradu nos seruorum relinquat, sed vt fratres charissimos habeat, nobisque ministrare & per se, & per Angelos non dedignetur. Hinc Deus multos filios habet, hoc est, similes vnigenito Filio suo, operumq; eius imitatores. Horum filiorum quidam sunt paruuli, quidam & recens nati, alij verò grandiores, & maiores. Dicuntur autem paruuli, qui Christum, quantũ ad esse gratuitum ac diuinum, quo in primis honorantur, & in operando, nẽpè in cognoscendo, amando & operando imperfectè Christum imitantur: & hi sunt viatores, qui per gratiam Dei diuinæ naturæ consortes efficiuntur: non regnat etiam in eorum mortali corpore peccatum, licet in eis sit aliquid, quod in Christo non fuit, nempè fomes.

Ioan. 8.
Ibidem.
Simile
Quis finis redemptionis humanæ.
Matth. 2.
Maiores & minores quinã sint filij Dei
2. Pet. 1.
Roman. 6
Fomes in Christo non fuit.

Circa actum verò secundum, Christum in cognitione diuina imitantur; veruntamen cognitio illa obscura est, & imperfecta per speculum, siue in ænigmate; quia fides est cognitio quidem certa, non euidens tamen, & nondum clara. Vnde à Paulo describitur, argumentum nonapparentiũ, & alio in loco dicit: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Similiter de spe, & amore, atq; operibus est dicendum: quia Filijs Dei illa omnia adsunt, verũ imperfecta, qualiaq; viatores, ac paruulos decent. Sunt prętereà alij filij adulti & grandiores, in prædictis omnibus perfectius Deum reprǽsentantes, imitatoresque Dei, vt filij charissimi, magisq; conformes imagini Filij sui, maximè post resurrectionẽ; atq; hos quidẽ vt perfectiores, ac maturiores, alia ratione Deus quam priores tractat. Nam illos, vt paruulos, signis externis, vt Sacramentis, cęremonijs, corporeoq; cultui voluit esse subiectos, nec omnia illis secreta aperuit: hos autem, vtpote grandiores, ad maiora euexit, arcanaque illis omnia pandit: quanquam ad vnigeniti dignitatem, & gloriam, cum Deum nequaquam comprehendant, peruenire minimè possunt. Præsens autem de filijs vtrisq; intelligi potest sententia. De primis ergo paruulis dicimus, illos credere in Christum: nam credere est primus lapis interni & spiritualis ædificij, vnde etiam credere requiritur in paruulis, licet impotentibus, verum mutuatum, & superioribus, ac maioribus communicatum. Porrò ille actus credendi cũ sequatur præcedentem prædicationem, & signa tractumque Dei intus suadentis, trahentisq; difficilis non est, atque ex eo vno ferè tota vita humana solet pendere, quippè sine fide nulla matrimonia, nullæ amicitiæ, nulla regna, denique nullæ hominum consociationes constarent. Ille etiam actus credendi appetitum Adę ad sciendum & intelligendum congruè reprimit, & penè extinguit, animamque sanctè humiliat, vt meritò summissionis, ac deiectionis digna fiat, vt exaltetur per visionem, & euidẽtiam eorum quę credebat: indignusq; beneficio redditur, qui beneficium ipsum conferentem negat, illiq; promittenti fidẽ nõ habet. Proptereà ait: *His qui credũt in nomine eius.* ¶ Quod nomen pulcherrimum est, plerunq; sapientia, atq; adeò omnibus modis, & rationibus desiderabile. Nam omnia vti bonum, ita quoque salutem appetunt. Qui ergo ita credunt, per Fidem, & Spem, feruntur bonis operibus in Iesum, cum amore: & patientia veram salutem ab infirmitate sua ab eo exspectantes: & per hęc declarat quid sit Iesum recipere. Prędictis ergo dat potestatem, vt parui Filij Dei efficiantur. Nam fides, & omnia quæ remissionem peccatorum pręcedunt, propriè, ac per se non efficiunt filium Dei: quemadmodum nec medicina sanum efficit formaliter, licet per eã sanitas recipiatur: nec labor formaliter efficit diuitẽ, quanquam labore, & industria opes acquirantur: ita fides quidem præcedens remissionem peccati, non est qua quis iustus est, sed per quam fit iustus. Dat autẽ potestatem filios Dei fieri, tum auxilio peculiari, præueniendo liberum arbitrium, vt excitatum pręstet consensum, ac desiderium, atq; saluti suæ cooperationem: deinde etiam cooperando fidei, & pœnitentiæ, siue Sacramentis, quibus subditur ex præcepto Dei, & Ecclesiæ, atq; ita accipit gratiam, siue habitum fidei viuę à Deoq; infusę, cuius munere iam nunc efficimur, sed reuera sumus, & à Deo ipso habemur, & nominamur iusti, & filij Dei. Est autem ineffabilis filio-

1. Corint. 13.
Hebr. 11.
1. Cor. 13.
Roman. 8.
Qualis paruulorũ sit fides in Christum.
Ioan. 6.
Sublata (quod absit) ab hominibus fide, quæ inde incommoda.
Indignus beneficio quis ille.
Qua ratione det Deus potestatem filios Dei fieri.
1. Ioan. 3.

Aug. lib. 3 de ciuit. Dei, c. 4 init. tom. 5.

lis filiorum Dei dignitas. Nam August. lib. de ciuit. Dei, ex M. Varrone testatur: *Vt se viri fortes, etiamsi falsum sit, dijs genitos esse credant, quo eorum animus ad illustria & heroica opera perficienda accenderetur.* Hæc ille ferè.

Qualis ac quanta sit dignitas filiorũ Dei.

Roman. 8. & Galat. 4.
1. Ioan. 3.
Matth. 5.

Quid ergo futurum esse de nobis deberet, quibus nó tantũ Spiritus sanctus contestatur quod sumus filij Dei, sed in Scripturis sacris expressum: *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus*: & pacificis, siue pacis conciliatoribus, eiusmodi gloriosum titulum, nempè filiorum Dei in pręmiũ spondeat: *Beati*, inquit, *pacifici; quoniam filij Dei vocabuntur.* Dixit auté dedisse potestatem fieri filios Dei, non quidem à seipsis, quia omnia prçcedétia in nobis remissioné peccati, præterquã quod sunt Dei dona, non merentur gratiã: ideò dixit filios Dei fieri, scilicet à Deo. Et hic (vt videtur) tacitè occurrit obiectioni de Gentium vocatione. Videtur enim Dominus, qui est merces magnanimis, & terræ Promissionis filijs Abrahę (quales se carni nimium adhærentes Iudæi tantummodo putabát) sicut promissus, ita illis tãtum dandus, & nõ ab alijs fuisse recipiendus. Sed respondens, ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*: quasi dicat, *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, & Paulus: *Non omnes qui ex circũcisione sunt Israel, ij sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij.* De filijs autem adultis secundò potest intelligi hic locus, nempè dedisse eis potestatem his qui credunt, scilicet per primã iustificationé per bona opera ac promerentia secundam iustificationem obtinendi hoc, nempè vt filij sint, & hæreditatem habeant eandem cum Patre, & Christo actu, & in ęternum, quam filij viatores nondum possident, licet ius habeant ad currendum pro ea. Et declarat Euangelista qui sint qui recipiant eũ, nempe, *Qui credunt in nomine eius*: & quia aliqui credunt, qui necdum renati sunt, de quibus credentibus loquatur, declarat, illis nimirum, *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, &c.* Hoc est, nondum renatis ad gloriam dedit potestatem, nam adhuc eos oportet operari. Deus autem ex se promptus est vtramque filiationem dare, & hanc secundam maximè: vt enim ait Paulus: *Nũc autem proprior est nostra salus, quam cum credidimus. Ideò nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est*: & Apostolus ad Rom. *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorũ Dei expectantes, redemptionem corporis nostri*: & rursus, *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui*

Gen. 17.
Iudæi se tantũ filios Dei haberi volebant ac prædicari.

Matth. 3.
Roman. 9.

Qui sunt qui recipiunt Christum.

Rom. 13.
1. Ioan. 3.
Roman. 8.
Philip. 3.

reformabit corpus humilitatis nostræ configuratũ corpori claritatis suæ. Quia verò potestas est ratione actus, per modum agendi concurrimus ad dispositionem: quia verò ait, fieri, quod est passiuum, per modum patiendi recipimus gratiam, hoc est, habitum diuinum cœlitus infusum. Nemo etiam potest baptizare seipsum, vel conferre sibi Sacramentum, potest tamen efficere, vt ab altero baptizetur, vel Sacramenta recipiat. Et rectè ait, credunt de præsenti, vt ostendat perseuerantiam in credendo, & studium, quod adhibere debent ad cœptum iter perficiendum. Quia verbum Gręcum ἐξουσία, quo vtitur Euangelista, non tantum potestatem, sed & dignitatem, & excellentiam, siue autoritatem denotat, vnde illud: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo*: potestates vocans eos, qui in dignitate regendi constituũtur. Idcircò quidam alij hunc locum sic intelligunt: Dedit eis hanc excellentiam, vt fiant, & sint filij Dei, non posteaquam receperunt, sed eo ipso quo recipiunt Christum prædicatione propositum. Subditur: *Qui non ex sanguinibus.* Quibus verbis rationem credendi explicat in nomen eius per Dei filiationem. Sanguines autem vocat non habita ratione Grammatices, in qua sanguis plurali caret, vt Græcam literam fideliter reddat interpres, vt notauit Augustinus, maris & fœminæ semina. Est enim semen, secundum Philosophum, superfluitas vltimi alimenti sanguinei: caussaliter enim semen, sunt sanguis. Nam vt testis est Augustinus, cóceptio humana sic procedit, quod primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem, sequentibus nouem diebus conuertatur in sanguinem, deinde duodecim diebus solidetur, reliquis decem & octo diebus formetur vsque ad perfecta lineamenta omnium membrorum: & hinc iam reliquo tempore vsque ad tempus partus, magnitudine augeatur. Hæc ille, loquens de mysterio sex & quadraginta dierum, quibus templum Diuinitatis, id est conceptio Filij Dei in vtero Virginis per Spiritum sanctum ædificatum est. Vt autem proposita sentẽtia melius intelligatur, plures sensus producendi sunt. Primus quidem B. Augustini, dicentis per hæc verba excludi carnale filiationis genus, in hunc modum: *Qui non ex sanguinibus*: id est, spermatum commixtione, quæ ex purissimis sanguinibus concoctis, tanquam ex caussa materiali fiunt, naturali generationis modo: neque ex voluntate carnis, & viri, hoc est, viri, & mulieris, tanquam ex caussa efficienti, *Sed ex Deo nati sunt.* Carnem autem

Potestatem quam habe[nt] homines fi[liorum] Dei vt fiant.

Fides in Christum quid requirat.

Rom. 13.
Secundum ... lios qui ... stas filios Dei fieri.

Aug. inferius citandus.
Arist.
Semen quid sit idem.
Aug. li. 83. Quæst. q. 56. init. tom. 4.
Modus conceptionis humanæ qui sit secundum Aug.

Sententia Ioannis: Qui non ex sanguinibus &c. Primus sensus.
Idem tract. 2. in Ioan.

vocat

vocat fœminam, quæ frigidior est, & carne magis abundat, & de qua Adam dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Ideòque Chrysostomus in Matthæum dicit, voluntatem carnis esse mulierem, vt etiam Augustinus exponit. Vt enim caro obedit spiritui, ita vxor viro obedire debet Et sicut domus dissipatur, vbi dominatur mulier, & obedire cogitur vir; ita dissipatur homo, cuius caro dominatur spiritui, contra illud Apostoli: *Fratres, debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Et quanquam actus gignendi virtutis secundum se non subijciatur voluntati, sicut nec cæteræ partes animæ vegetantis, præuia, tamen ipsius generationis, ipsi voluntati subijciuntur. Vnde post caussam materialem (sic à Philosophis dictam) ponitur caussa mouēs, voluntas scilicet corporea ad se inuicem commiscentium. Vel dici potest, voluntatem carnis, esse appetitum sentientem, voluntatem tutem viri, appetitum intelligentem: atque hic appetitus vterque tam in mari, quam fœmina, mouens caussa est generationis, & idem est, ac si dicat Euangelista, non sunt carni prorsus dediti, immundi, & hominum filij, verum, spirituales, mundi, ac diuini filij. Et confirmatur hic primus intellectus ex eo, quod cum Scriptura aliquid carnale vult designare, vti consueuit carnis, & sanguinis vocibus: vt cum dicitur: *Caro & sanguis non reuelauit tibi:* & Paulus, *Continuò non acquieui carni, & sanguini:* & iterum: *Caro & sanguis regnū Dei non possidebunt.* Et huic carnali generationi opponit diuinam, cum ait: *Sed ex Deo nati sunt.* Et ita præpositio, Ex, denotat caussam efficientem. Et hic tacitè insinuatur Spiritus sanctus, Deus. Quod enim ait hoc loco, *Sed ex Deo nati sunt:* alibi expressit de Spiritu sancto, dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* Alius sensus est, quem Caietanus producit: vt per illa verba, *Qui non ex sanguinibus*, excludat filios naturales; illis verò verbis: *Neque ex voluntate carnis*, filios excludat moribus ad studia carnis, & voluptatis affectos: tales enim in illo statu morali, ex voluntate carnis sunt. At per id, *neq; ex volūtate viri*, excludit affectos ad gloriam, honorem, & ad mundi huius heroica opera, & illustria: quemadmodum Hercules ob insignia merita sua in Deū receptus est, & qui dixit apud Poetam:

Et mi genus ab Ioue summo;

Et de quibusdam dixit Horatius:

Romulus, & Liber pater, & cum Castore Pollux.
Post ingentia facta, Deorum in templa recepti,
Dum terras, hominumq; colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt,

Cicero lib. de natura Deorum, ascriptitios nominat Deos, quos in cœlum merita sua vocauerint. Talia cum Græcis Ioannes præcipuè scriberet, cogitare potuit, ne tam parua expectarentur à Christo. Ita vt in hoc sensu omnes modi filiationis comprehendantur. Primus, circa naturalia; qui non ex sanguinibus. Secundus, circa mores, & statum hominis affecti ad ea, quæ sunt carnis, & corporis: Tertius, circa modum, & statum affecti ad ea, quæ sunt virilis muneris; vt ad militiam, scientias in speculatione positas, Reipublicæ gubernationem, & similia. Tertius sensus est: vt excludat renascendi vim, quam Iudæi carnis ductum sequentes olim se habere putabant per sanguinem animalium in sacrificijs fusum, atque oblatum. Eiusmodi enim sanguinibus arbitrabantur illi sua expiari, & remitti peccata, adoptarique in filios Dei. Gentiles etiamà sanguinibus sacrificiorum iustitiam, atque salutem sperabant. Contra quod Paulus instruit, dicens: *Impossibile est sanguine taurorū & hircorum auferri peccata:* quod non dixisset, nisi per eiusmodi sacrificia remissionem peccatorum se adipisci existimassent Iudæi. Verum illi non considerabant verum agnum, verum vitulum, & verum hircum Christum, cuius in solo sanguine abluimur, mundamur, sanctificamur, & in filios adoptamur. De his sanguinibus ait Propheta: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ* (id est, à sacrificijs) *Quoniam si voluisses* (vt ibidem est) *sacrificium, dedissem: Sed sacrificium, & oblationem noluisti:* (vt idem vates alibi inquit) *& exaltabit lingua mea iustitiam tuam*, id est, Christum tuum, iustitiam Dei sæpè à Paulo prædicatam, in cuius sanguine me iustificandum, & saluandum, & spero, & credo. Et in alio loco idem Psaltes ait: *Non congregabo* (scilicet in Ecclesia) *conuenticula eorum de sanguinibus*: id est, non eos regenerabo, neque filios Ecclesiæ faciam virtute sanguinis legis. Alibi quoque: *Congregate illi sanctos eius; qui ordinant testamentum eius super sacrificia:* id est, qui sanguinem Noui Testamenti præferunt sanguinibus, & ab illo, non ab istis iustificatum iri se credunt. Quod verò sequitur, *Neque ex voluntate carnis*: intelligendum est, gloriam Iudæorum excludi, se semen Abrahæ, & filios Israel iactantium, seque solos à Deo dilectos putantium, reliquos verò, vt immundos atque despectos à Deo contemnentium. Atque ita ex voluntate carnis iudicium ferebant, non aduertentes verum Israe-

Marginalia (left): Carnem hic quam vocet Euangelista. *Gen. 2.* *Chrys. hom. 2. in Matth. to. 2.* ... *August. vbi supra productus fuit.* *Rom. 8.* Per voluntate carnis rursus quid. Hebraismus. *Matth. 16.* *Galat. 1.* *1. Cor. 15.* *Ioan. 3.* Alter sensus. *Caiet. in Ioan.* *Virg. 6. Aeneid. circa init.* *Horat. lib. 2. epist. 1. initio.*

Marginalia (right): *Cic. lib. 3. de natur. Deorū.* Ascriptitios Deos quos Tullius vocet. Tertius sensus. *Heb. 10.* *Psalm. 50.* A quibus sanguinibus se liberari Dauid à Deo postularet. *Psal. 39.* *Psal. 15.* *Psalm. 49.* Verè Israelita tantùm quis.

Ioan. 1. Roman. 2. Israelitam solum illum esse, in quo dolus non esset: & vt ait Paulus, *Non enim qui in manifesto, Iudaeus est, neque qui in manifesto in carne, est circumcisio: Sed qui in abscondito Iudaeus est & circumcisio cordis in Spiritu, non litera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Infrà 3. Non considerabant etiam sententiam Pauli: *An Iudaeorum Deus tantum? nonne & Gentium? imò & Gentium.* Quod verò sequitur, *Neque ex voluntate viri*: propter Proselytos dictum est, qui non erant secundum carnē filij Abrahae, fiebant autem, & pertinebant ad populum illum iudicio Sacerdotum, ad quos spectabat, medijs sanguinibus eos recipere; quia oportebat circuncidi. Ideò dicebantur nasci ex voluntate viri, illumque honorem nancisci vt essent Israelitae, & filij Dei: quemadmodum adoptione absque vllo carnis concubitu filij adoptiui sicut aduenae fiunt alicuius ciuitatis indigenę. Ambibant autem hunc honorem Iudaei faciendi proselytos multos; vnde & à Domino huius rei gratia, mare, & aridā circuisse dicuntur. Quartus & postremus sensus esse potest: vt per hoc quod dicit, *Ex sanguinibus* excludat generationem naturalem; & per illud, *Neque ex voluntate carnis*, eijciat generationem eorum, qui in carne gloriabantur, quod essent filij Abrahae; per id verò, *Neque ex voluntate viri*, excludat tum proselytos, tum filios, qui à diuitibus & Principibus adoptantur, tum eos quos Gentes ob insignes virtutes, ac sapientiam in heroum & filiorum Dei numerum recipiebant. *Sed ex Deo nati sunt.* Non dixit, à Deo, quasi causa extrinsecus mouente: nec de Deo, quia eiusmodi praepositio materialem caussam, vel efficientem, ac consubstantialem significat: nam artifex facit gladium de ferro, & pater filium generat de sua substantia. Prępositio verò, Ex, tum caussam materialem primo loco, tum etiam efficientem in alijs tribus, non tamen consubstantialem denotat: vnde Filius est de Patre, nos verò ex Patre:: quanquam interdum Scriptura prępositionum eiusmodi obseruationes negligere videatur. Ait ergo, *Sed ex Deo nati sunt:* nempè per fidem, & sacramentum baptismi, quod dicitur à Theologis sacramentū renascentiae, & regenerationis, quia in eo vt plurimum sit regeneratio, iuxta illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c.* vel ex Deo eos per triginta tres annos in se parturiendo, & omni tempore in suis ministris, & Apostolis, imò etiam Angelis, voluptate admista dolori. Ex quo in eorum persona dixit Apostolus: *Filioli mei, quos iterum parturio, &c.* Vincendus ergo mundus est, & peccatum à tantis Dei filijs:

Nasci ex voluntate viri cur dicerentur proselyti apud Iudaeos.

IV. sensus. Matth. 23.

Baptismus, Sacramentum regenerationis cur dicatur. Ioan. 3.

Galat. 4.

sperandaq; hereditas illa coelestis, timendumque, ne nostra culpa ab illa repellamur. Cogitanda quoque tanta Dei bonitas, quia filios efficiendo, reddidit etiam nos haeredes, atque eiusdem haereditatis comparticipes. *Non enim timuit* (inquit Ambrosius) *habere cohaeredes, quia haereditas eius minor non fit, si eam multi possideant.* Honoranda verò tanta mater, nec vlla ratione maledicenda: quae inprimis est Christi humanitas, deinde Ecclesia Dei, fidendumq; quod nutriet, & lactabit nos. Neque spernendi tanti matris dolores, quos pro nobis parturiendis pertulit in cruce humanitas Christi sanctissima: nam mulier plangens quaerit drachmam quam perdiderat: vnde videns ciuitatem, fleuit super illam: quo etiam fletu ostendit, quantum Lazarum mortuum diligeret, nempè genus humanum in illo adumbratum. Et quoniam omnes qui ex Deo nati sunt, masculi sunt; ideò cauendum ab AEgyptijs, qui masculam prolem in fluuium conijcere consueuerunt; & à dracone deuorante. Quando ergo baptizamur, Ecclesiae militanti renascimur: quae nutrit cibo Eucharistiae, curat medicina poenitentię, conualescentiam donat per sacramentum extremae vnctionis, quo morte interueniente, verè sani efficimur; quando verò morimur, rursum Ecclesiae nascimur triumphanti. Hinc & dies mortis Sanctorum, ceu natalitia celebramus. Quod si quisquam dicat; Quid maius consecuti sunt Christi fideles, quàm olim Israelitae, qui & filij dicebantur, & de eis ait Dominus; Filius meus primogenitus Israel? Multum per omnem modum. Nam illi non nisi Spiritum seruitutis in timore acceperunt; nos verò, Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, *Abba (Pater) per quem vere filij Dei nominamur, & sumus.* Illi verò (vt hoc loco docent Cyrillus, & Theophylactus, hanc dubitationem explicantes) filij DEI dicti in typo, & figura credentium, sicut omnia alia illis in figura contigerunt. Magna autem, & inenarrabilis Dei gratia est, quod Deus ipse semel in Adam, & in quouis nostrum plus quam millies expulsus, adhuc velit recipi à nobis, & ita mendicare hospitium, vt dicat: *Ecce sto ad ostium, & pulso: Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & coenabo cum illo, & ipse mecum*: contra meam superbiam nolentem vllam pati repulsam. Demus igitur operam, vt Dominum domi nostrae recipiamus, neque mortem contra eum semel admissam meditemur: nam tanta Dei bonitas est, vt etiam quaeuis vel minima Dei viua cognitio satis ei sit ad quoduis sta

Ambros. Mater nostra mystica quae...

Luc. 15. Infra 19. Ioan. 11.

Exod. 1. Apoc. 12.

Exod. 4. Roman. 8.

1. Ioan. 3.

Cyril. lib. ... in Ioan. ... Theo... Ibidem.

1. Cor. 10

Apocal. 3

bulum inhabitandum, vt in eo nascatur: nullusque tam potens est (nisi nos ipsi consentiamus) qui nos spoliare tã pretiosa valeat potestate, quia Filij Dei fieri possumus, Prçstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto impendatur omnis laus, gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

TRACTATVS XXVI.

Quo declarantur illa verba: Et Verbum caro factum est.

AD huius altissimç sententiæ explicationem, distinctè, & cum lucido ordine procedendum esse existimauimus. Primo quidem loco, declarando huius sententiæ cum verbis prçcedentibus connexionem, & consequẽtiam: deinde fidem huius mysterij Incarnationis statuendo, atq; explanando. Tertiò, sensum ex his verbis eliciendo. Postremo loco ex huiusmodi sensu eruenda sunt, quæ mores nostros ædificare possint.

Quæ nam sit huius sententiæ cum præcedentibus connexio, & consequentia. Circa primum igitur, cum superius Euangelista dixisset: *In propria venit, & sui eum non receperunt:* explicat nunc quomodo venerit, nempè humanitatem assumẽdo hac ratione quod *Verbum caro factum est.* Deinde cum dixisset, *dedisse nobis potestatem filios Dei fieri*; forsitan aliquis illud impossibile cogitaret, & apprehenderet: ideò Euangelista subdit, vt Chrysostomus, & Augustinus testantur. *Et Verbum caro factum est:* quasi dicat, Si hoc fieri potuit, quod maius & excellentius est, vt Altissimus ad infima deueniat; poterit & id, quod facilius est, vt ima per Altissimum Filium Dei vnigenitũ, & naturalem ad media, hoc est, ad filiationẽ Dei adoptiuam ascẽdant. Et si caro nostra nequaquam impediuit vnigenitum DEI, quominus esset Filius Dei naturalis: ita nec in nobis impedire potuit, quin *Filij Dei adoptiui nominemur, & simus.* Vnde vt rectè annotauit Theophylactus, illa coniunctio, Et, more Hebræo caussam reddit, & rationem, vt alibi etiam sæpè vsurpari solet. Elisabeth namque dixit ad Virginem: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui:* quod perinde est ac si dixisset: *Benedicta tu, quia benedictus fructus ventris tui.* Et Matth. 10. cum dicitur: *Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam. Et inimici hominis, domestici eius,* quod tãtundem valet, ac si dixisset: Quia inimici hominis, domestici eius. Et apud Dauidem cum bis dicatur: *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.* Hebræa litera semper habet: *Et vana salus hominis.* Interpres tamen noster phrasis Hebrææ non ignarus, rectè vertit coniunctionem per aduerbium caussam reddens. Tertiò etiã circa connexionem dici potest, quod cum Euangelista deitatem Verbi confirmasset, quç radix est mediationis, & reconciliationis nostrç cum Deo: nunc alterã eius partem ostendit, nempè humanitatem in carne significatam, aiendo: Verbum quod erat in principio apud Deum, & Deus erat, & per quod facta sunt omnia, & quod erat lux hominum, & quod misit Ioannem ante se vt prçcursorem, & testem; illud, inquam, Verbum non ait, factũ est simpliciter, quia non cœpit esse quod æternum erat, sed cũ additamento dixit, *Et Verbum caro factũ est:* quia Verbum æternum ex tempore cœpit esse caro, siue homo, quod idem est. Et hçc de primo.

Chrysost. ho. 10 in Ioan. 10. 3. initio. August. tract. 2 propè fin. tom. 9. init.

1. Ioan. 3.

Theophyl. Ioan.

Luc. 1. Et, pro quia, apud Hebrços frequenter vsurpatur.

Mich. 7

Psalm. 107. Psalm. 59.

Verbi incarnatio quid sit. Circa secundum verò, incarnatio nihil est aliud, quam supremum & ineffabile beneficium, per quod Verbum, qui Filius Dei est vnigenitus, & naturalis, quiq; etiã cum Patre Deus vnus est, factus est caro, id est, factus est homo: siue vt Ecclesia loquitur, de B. Mariæ Virginis vtero, Angelo nũtiante, carnẽ assumpsit. Et quia de hac voce, verbum, multa superius philosophati sumus; hic tantum dicimus, quod vt Verbũ mẽtis nostræ intimum, vocẽ quasi vehiculum, ac nuntium, atq; organum se alijs explicandi assumit: ita Filius Dei assumpta carne siue humanitate se perfectè explicauit, & declarauit: Patrem quoq; suum, cuius erat Verbum, adeò manifestè expressit, vt ipsemet dixerit: *Philippe, qui videt me, videt & Patrẽ.* Ex quo in primis accipimus, quod vna tantum persona, nempè secunda, carnẽ assumpserit, non duç, neq; tres. Primum quidem quia ad finẽ manifestandç glorię Dei, nostręq; vtilitatis, ac salutis promouendæ vni personæ vniri satis erat, quia quæuis persona est idẽ Deus qui Pater, & Spiritus sanctus, & creatura à Deo ad suum vsque principium euehitur, & exaltatur: nec est quò vlterius progredi valeat, cum Pater vnus & idẽ sit Deus cũ Verbo. Deinde cõfusio fuisset, si vnus homo esset plures personç, nõ minor certè aut leuior, quam si vna persona plures hoẽs essent. ¶ Inter personas autem diuinas, magna sapientia, fuit delecta nõ Patris, vel Spiritus sancti, sed Verbi persona. In primis quod non ita quadraret aliarum proprietatibus personarum ita esse filios Mariæ, sicut quadrabat secundæ personç: quia Pater à nullo est, Spiritus sanctus

Ioan 14. Cur tantum vna persona in diuinis carnem assumpserit.

Cur Filius tantum sit incarnatus, non Pater, vel Spiritus sanctus. Prima ratio.

ctus ab vtroque est, Verbum autem à solo Patre, & decebat eundem esse filium Dei, & filium vnius & solius Mariæ: & genitus à Deo magis debuit gigni à Maria, quam ingenitus Pater, vel quã spiritus Spiritus sanctus.

Secunda.

Deinde, quia Verbo priuatim quadrabat noua creatio, quia illud omnia creauerat: quemadmodum eiusdẽ argentarij, seu figuli est vasa fracta reficere, cuius fuit efficere.

Tertia. 1. Timoth. 2 & 1. Ioan. 2.

Itẽ, meditatio, siue reconciliatio inter Deum, & hominem, magis illi cõueniebat, qui medius est inter diuinas personas. Peccati etiam ad eum spectabat remissio, qui erat offensus. Etsi verò peccatum Adę in totam Trinitatem fuerit admissum: singulariter tamen mediam in diuinis personam offendit, quia eius attributum, nempè sciẽtiam, & sapientiam, promittente diabolo, ambiuit. *Eritis (inquit ille) sicut dij, scientes bonum, & malum.* (Gen. 3.)

Quarta.

Vniri etiam cum humana natura magis pertinebat ad Filium, quoniam eiusmodi vnio creaturis similis est habentibus processionem, & vnionem per modum filij. Quanquam ergo tres diuinę personæ animam Christi creauerint, corpus in sua membra digesserint, atq; formauerint, corporique formato animam infuderint, vnionem effecerint, totamq; Humanitatem summa maiestate, & gloria repleuerint: quia opera sanctissimæ Trinitatis, quæ extra naturam suam operatur, sunt indiuisa (nõ enim persona, vt persona est, extra seipsam operatur, sed vt Deus, vti Damascenus docet) tamen humanitatem vnico Verbo vnierũt, ita vt ipsum solũ vnionẽ terminauerit.

Opera Trinitatis externa sunt indiuisa.

Damasc. lib. 3. de fide orthodoxa, cap. 13.

In hoc siquidem verbo quia duo inueniuntur, nempè essentia cõmunis tribus personis, & proprietas sibi tãtum propria, vt ait Damascenus, intelligẽdum est, vnionem non esse factam in essentia, vt essentia est (sic enim quæuis persona esset homo, quod falsum est) verum in sola Verbi proprietate, per quẽ tamen, & propter quam deitas, essentiave vnita est carni. Ideò solum Verbum est homo, vt docet Rusticus in Acephalos scribens: atque huius quidem rei exempla non desunt.

Idem cap. 6. eiusdem lib.

Rusticus scriptor Ecclesiasticus.

Verbi Dei cũ humana natura vnio qualis sit.

Vt enim scribit B. Bonauentura, perinde est ac si tres sartores vestem conficerent eandem eamque vni tantum illorum induendam applicarent. Alterum exemplum producit B. Illefonsus, cuius etiam meminit Antoninus Episcopus Constantiensis epistola ad Arcadium Imperatorẽ, in sono, in quo quidem tria inueniuntur. Nam ars dictat modum pulsandi, manus tangit, & pulsat, chorda verò pulsata, & artificiosè tacta, sola resonat, solaque sonum emittit. Est tertium exemplum in luce, quæ lumen in medio efficit, & calida est, & tamen solum lumen illuminat, sicut calor solus calefacit, tametsi maximè sit luci coniunctus. Et hactenus dictum sit de prima voce huius sententiæ Verbi.

Primum exemplum B. Bonauenturæ. Alterum B. Illefonsi. *Antoninus Episc. Constantien.* Testium.

Cur Verbum fieri homo ac Angelus voluerit.

Deinde dicemus de carne, quæ est alterum extremum huiusce sententiæ. Atque inprimis illud maxime est hominibus ponderandum, quod maximè ponderauit Paulus, Deum naturam Angelicam non assumsisse. Ait ergo Apostolus: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abraha apprehendit.* (*Heb. 2.*) Volebat enim Deus hoc incarnationis mysterio totum mundum honorare, & exaltare. Cum autẽ vniuersæ creaturę, in purè corporeas, & purè spiritales diuidantur, & in medias, siue ex vtrisque compositas. Si Verbum purè corporeã assumsisset, maiores ac spiritales creaturas minimè honorasset. Rursus si purum spiritum, vel Angelum assumpsisset, corporeas creaturas tãto honore, & dignitate spoliasset. Cum autem homo media quędam creatura sit, & ex corpore, & spiritu composita, ac veluti quoddam sit mundi compendium; illum assumere voluit, vt in eo simul omnia honorasse, & exaltasse videretur.

II. Ratio [illegible] peccati. Gen. 3.

Ad hæc, Angelica natura non tota per peccatum ceciderat, vt instauratione indigeret: natura autem humana toto peccato Adæ vitiata, atque deprauata corruerat. Vnde & incarnationis egebat remedio, maximè quia eius crimẽ ex ignorantia admissum fuerat. Nam *Eua in præuaricatione stulta fuit*: vt ait Paulus: Peccatum etiam Adæ ex infirmitate extitit: Vt enim acute dixit Augustinus: *Peccauit, ne suas delicias contristaret.* Denique totum illud peccatum Adæ, suggerente cacodæmone, illoque sollicitãte, atque impellẽte admissum fuit: peccatũ verò dæmonii nullo suggerente, vel decipiente patratum fuit, sed spõte sua, sciens, ac volens, in Spiritum sanctum ex malitia, & obstinatione deliquit: quare nec remissionem aliquam habuit.

August. lib. super Gen. [illegible]

Tertia.

Tertiò consueuere magni Principes & Reges vxores non ex prouincia sua aut terris sibi subiectis assumere: imò id etiam lege cautum est aliquibus in locis, ne fortè aliquam ex sibi subiectis æqualem per vinculum matrimonij faciant. Vnde Abraham vxorem accepit filio suo Isaac ex terra lõginqua, & peregrina, nempè ex Mesopotamia, ex qua per seruum Eliezer adducta est Rebecca. (Gen. 24. & seq.) Hunc morem Deus secutus, extra cœlum, quod erat patria sua, in qua Angeli, vt subditi ministrabant, sponsam decreuit assumere.

Quarta.

Quartò, filijs vltimo loco susceptis, & natis

natis, plurima amoris indicia ostendere soliti sumus, fauores plures illi ætati conuenientes præstamus, basia plura infigimus, vt sic illis blandiamur, foueamusque tenellam illam atque imbecillam ætatem. Ita Beniamin postremo loco natus charus erat & gratus præ cæteris fratribus parenti suo Iacob. In hunc modum cùm Verbum, myriadum Angelorum myriades in cœlis sibi laudes perpetuò decantantes haberet, & tanquã filios coleret: vnde scriptum est: *Cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Vbi Septuaginta habent: *Quando creabam astra, laudabant me Angeli.* Et Chaldæus interpres, *Et exultarent omnes acies Angelorum.* Non ergò ex his filijs maioribus, natuque grandioribus aliquem assumpsit, sed hominem, qui postremus et iam post cæteras omnes animantes creatus est. Hinc est quod filio minori ac teneriori beneficium hoc incarnationis indulsit, atque largitus est illi, qui ait: *Et deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Scitum est illud Platonicum, *Hominem iocum esse, & ludum Deorum, Deíq; ludo esse fictum*: quod Marsilius Ficinus in Cratylum scribens producit, quamuis in alium sensum id à Platone sit dictũ, qui incarnationis mysterium prorsus ignorauit. Facilè tamen ad incarnationem trahi posset: vt enim ad ludum & iocum personati incedimus, & personati delectationem captamus: ita Deus ad delicias suas & nostras habitum & personam Humanitatis induere dignatus est. Neque propterea in errorem damnatum à beato Damasceno incurrimus, qui lib. 3. de fide Orthodox. reprehendit quosdam Hæreticos, qui Προσωπικὴν ἕνωσιν, ἢ κατ' ἀξίαν, ἢ ταυτοβουλίαν, ἢ ὁμωνυμίαν ἐμφερομένην, ἢ εὐδοκίαν ὡς θεοστυγὴς ἔφη Νεστόριος. id est, dicebant vnionem factam duarum naturarum personatam (non personalem, vt male vertit interpres, tum Iacobus Faber, tum Iacobus Bellius Prunæus) sed laruatam, siue simulatam, aut habitualem, aut secũdùm dignitatem, aut eandem voluntatis conspirationem, aut honoris æqualitatem, aut eandem homonymẽ conspirationem aut acceptationem, vt odibilis Deo dicebat Nestorius, &c. Ille enim laruæ assumptæ à Deo comparabat incarnationem, negãs vnionem hypostaticam, nos verò illa Catholicè credita & confessa, ad hypostasin Verbi factam docemus instar cuiusdam personæ, siue laruæ, qua delicias nobis Deus faceret, Humanitatem assumpsisse. Et ita intelligendus locus Damasceni ꝑductus: nam alioquin obscurus esse videtur. Et coprobatur hic sensus, eo quòd post vocem personatam indidit σχετικὴν. id est, habitualem, quo verbo intelligebat Nestorius naturam humanam assumptam vt habitum, seu vt vestem, quæ non solet assumi ad vnitatem hypostaticam, sed vt quid externum, ceu vestimentum tegens hominem.

Et tamen Paulus ait: *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Non enim homo assumptus est, vt pura vestis tegens diuinitatem tantùm, sed ita vt Deus sit homo, & homo Deus. Præterea vt Pauli verbis vtar: *Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circundamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra, nullius egent.* Cùm igitur Angelorum natura quæ permansit, tota esset splendida & honorabilis, haud egebat honore isto incarnationis, quemadmodum homines, qui peccato ignobiles, & pleni erubescentia redditi sunt.

Secundò considerandum est, Deum nõ assumpsisse humanam naturã in specie, nec plura indiuidua, sed vnum tantùm: nam si speciem accepisset, omnes homines Deus essent, cùm in quouis homine species humana inueniatur: vt testatur Damascenus. Nec etiam accepit plura indiuidua: tum vitandæ caussa confusionis, ne vna persona esset plures & infiniti homines, tum ad tollendam multitudinem dominãtium: Nam vt Poeta dixit:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω.

Tùm quia nemo illorũ summus esset sub Deo, quia cuiuis excellentia singularitatis & vnitatis deesset. Excellentia enim est vnius capitis omnibus membris prælati: & in arbore maiorem habet excellentiam folium altius, quàm si essent plura folia æquè eleuata: tum denique, vt quemadmodum in mundo vnus est Deus, vnus Sol, & in corpore vnum caput: Ita in Ecclesia, quæ vna est dilecta, vnus sit Christus electus ex millibus.

Tertiò considerandum est, Verbum nõ assumpsisse naturam Humanam in sexu fœmineo, neque rursus sexum masculinum de patre & matre. Nam si de vtroque sexu nasci voluisset, & hoc ratio exegisset, vtrumque sexum ad mundam prolem seminandam & generandam sanctificare & mundare potuisset. Verùm sic certè à proprietatis suæ similitudine longius recederet: Namque in cœlo ex Patre tantùm est, non ex matre. Nobis etiam minus fuisset similis: nos enim vnicum tantũ n, ipse verò duos patres haberet. Ratio etiam postulabat, vt sicut in generis nostri propagatione vnum tantùm fuit principium,

Infrà 3.
Iob 38.
Gen. 1.
Prouer. 8.
Plato lib. 7. de legib.
Homo iocus & ludus deorũ secundum Platonem.
Philip. 2.
Damasc. c. 8.
Qua ratione contra Nestorium neget B. Damascenus duarum personarum vnionem in Christo factam.
Quinta ratio.
1. Cor. 12.
Cur non humanam speciẽ Verbum assumpserit.
Damasc. lib. 3. cap 11.
Cur vnum tantum indiuiduum, nõ plura Christus assumpserit.
Home. Iliad. lib. 2.
Excellentia quid.
Cant. 6.
Cur Deus Verbum humanã naturam non assumpserit in sexu fœmineo

cipium, nempe Adam, ex quo sumpta est Eua, & ex illis omne genus humanum propagatum: sic etiam conueniebat, vnum esse in generis nostri reparatione principium. Oportuit ergò Messiam vel de solo viro, vel de sola fœmina generari. Si de viro fœminam assumeret, & ordinem naturæ confunderet, qui fœmineum sexum supra virilem exaltaret, & idem ipse diceretur filius ex Deitate, & filia ex Humanitate: quod profectò magnũ esset absurdum. Ad hæc materiam quidẽ de carnis nostræ substantiæ traheret, sed in eius incarnatione naturæ operatio locum non haberet: quẽadmodum in creatione Euæ ex costa Adæ dormientis eductæ nõ habuit: in quo à naturæ nostræ proprietate longè discederet. Quin etiam si virilem sexum de solo viro assumpsisset; haberet quidem vir geminatum honorem, at fœmina nullum. Rursus minus decuit, vt fœmineum sexum ex sola fœmina assumeret: nam sic exaltata esset fœmina supra virum contra omnem naturæ ordinem atque legem: geminus quoque esset honor mulierum, virorum nullus. Si ergò non debuit Messias venire ex patre & matre, vt reliqui, neque fœmina de viro, neque vir de viro, neque fœmina de fœmina: superest vt dicamus venire virum ex muliere debuisse, vt ad Corinthios docet Paulus: ea quidem ratione, vt viros in eo quod ipse vir est: & mulieres in eo quod ex muliere sit, honoraret, atque exaltaret. Hæc omnia ex Ricardo de sancto Victore libro de Emmanuele, desumpta sunt.

Gen. 2. *Infrà 3.* *1. Cor. 11.* *Ricar. à sancto Victore.*

Quartò, ex eo quod assumpsit carnem ex Virgine Maria; accipimus contra Manichæos, Christum veram carnem, & non phantasticam, fictam ve, & quæ indigna prorsus erat, vt à Christo assumeretur, habuisse: atque id quidem Scripturis euincitur. Nam Christus filius Mariæ, dicitur filius Dauid, filius Abraham, filius Adam: dicitur homo de tribu Iuda: dicitur carne & sanguine participans: dicitur semen Abraham, semen Dauid, semen mulieris, & vt ipse ad Apostolos dixit: *Palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

Quòd Christus veram carnem assumpserit, non phantasticam, vt aiebant Manichæi, multis euincitur. *Matth. 1.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Luc. v't.* *II. Argum.*

Deinde si phantasticam & fictitiam carnem habuit, nobis certè imposuit vt præstigiator: & fictè esset passus: Martyres quoque essent supra Magistrum in vera carne patiendo, quemadmodum B. Ignatius epistola ad Smyrnenses doctè considerauit. Ficta esset præterea remissio peccatorum. Ficta adoptio filiorum Dei & gloria: Nam si in speciem tantummodò hanc erat habiturus, vt Prophetis apparuit, cùm cum Prophetæ in vera carne appariturum prædixerint, oportere vt in vera carne iterum veniret, vt implerẽtur prædicta à Prophetis; vt acutè disputat Irenæus lib. aduersus Valentinianos.

B. Ignat. epist. 10.

Tertiò, quia assumens Humanitatem, cùm tanto honore dignatus est, & multò esset indignius phantasma carnis ipsa vera carne, quantum distat homo pictus ab homine vero: quemadmodum Tertullianus lib. aduersus Marcionem docet.

Tertull. lib. 4. aduer. Marcion.

Quartò, quia si carnem nostram non assumpsit, non eam sanauit, nec in ea vicit dæmonem: nec tam magnum est in carne alterius naturæ tollere peccatum carnis: vt idem Tertullianus docet in libro de carne Christi.

IV. Argument. *Idem Tertull.*

Quintò considerandum est in eodem verbo contra Valentinum, & quosdam Apollinaristas apud Theodoritum libro 1. & 4. de fabulis Hæreticorum. Christum non sumpsisse corpus ex cœlo, quod ingressum esset & egressum per vterum Virginis matris, quasi per fistulam quandam: quod quidem dogma, vt falsum atque improbum, & generis humani derogans dignitati, iisdem prorsus rationibus impugnatur, quibus superius dogma impugnatum est. Vnde verbum illud Euangelicum: *Qui desursum venit, super omnes est*: & verbum Apostolicum: *Secundus homo de cœlo, cœlestis*: non illud significat, quod de cœlo corpus assumpserit, sed potius quod Deus erat, & de Spiritu sancto conceptus, & spiritalis: vt Tertullianus libro de carne CHRISTI, & Hilarius libro de Trinitate interpretantur. Cauenda proinde esset illa pictura, siue imago, in qua in mysterio incarnationis infans paruulus pingitur inter radios, quos Spiritus sanctus diffundit de cœlo, in vterum Virginis descendere: nam hæc hæresim Valentini videtur tueri, quam propterea Antoninus in tertia parte magnoperè vt errori seruientem insectatur, atque reprehendit.

Christum non traxisse corpus de cœlo contra Apollinarem. *Ioan. 3.* *1. Cor. 15.* *Tertull.* *Hilar. lib. [illegible] de Trinit.* *B. Antoni. 3 par. tit. [illegible] 4. §. 11.*

Sextò, ex eodem verbo habemus cõtra eundem Apollinarem, Verbum veram animam rationalem accepisse, non autem sensu tantùm aut intellectu præditam. Atque hoc quidẽ somnium primus dixit Arrius. Sic enim Augustinus libro ad Quodvultdeum, de Arrianis loquens. In eo autem quod Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrãtur, minus noti sunt. Nec aduersus eos ab aliquo inueni de hac re aliquando fuisse certatum. Sed hoc verum esse & Epiphanius non tacuit, & ego

Verbum diuinum veram hominis animam assumpsisse. *August. lib. ad Quodvultdeum c. 49. tom. 6 initio.* *Ibid. c. 55.*

ex eorum quibusdam scriptis & collocutionibus certissimè comperi. Idem tamen infrà hunc errorem communem facit Arrianis cum Apollinari: sed Euangelicis victi testimonijs, quòd Christus animam haberet, negabant tamen mentem siue animam ratione præditam in Christo fuisse.

D. Ignat. epist. 9. circa med.

Ignatius ad Philadelphienses habes vbi indicat quosdam suo tēpore negasse in Christo animam humanam: & ideò Apollinaris nō tam esset huius dogmatis inuentor quā renouator. In hunc Apollinarem pugnat

Greg. Nazian.

Gregorius Nazianzenus epistola 1. ad Clidonium, dicens: *Si quis in hominem mente carentem sperat, amens profectò est, nec dignus, qui totus salute donetur. Nam quod assumptum non est, curationis est expers: quod autem Deo vnitū est, hoc quoque salutem consequitur.* Si dimidia tantum ex parte Adam lapsus est, dimidiatum quoque sit quod assumptum est, & quod seruatur. Si autem totus peccauit, toti quoque homini vnitus est Dei Filius, ac toti salutem adfert; & Deus diceretur Deus carnium, & non animarum. Sic magnus ille Theologus. Vnde quidam annotarunt, Apollinaristas libentius σαρκώσεως voce, id est, incarnationis quàm ἐνανθρωπήσεως, id est, humanationis vsos fuisse, quod totum hominem à Christo assumptum fuisse negarent. Erat ergò in Christo anima rationalis, sine qua nec esset caro humana, nec verus homo, nec saluaretur anima, nec mori potuisset, nec ad inferos descendere, nec d[i]xisset,

Ioan. 10. Matth. 26.

Potestatem habeo ponendi animam meam: & potestatem habeo iterum sumendi eam: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Verbum quoque esset pars compositi naturalis; & ita esset imperfectum & mutabile, si locum animæ rationalis suppleuisset. Ergò in eo quod dicitur: *Verbum caro factum est*, anima rationalis intelligitur, totusq; homo per figuram Synecdoches, vt docet Gregorius Nazianzenus: quemadmodum & alibi caro pro toto homine vsurpatur, sicut ibi:

Greg. Nazian. epist. 1. ad Clidonium. Gen. 6. Isa. 40. & Luc. 3. Psal. 64. Psal. 55. Isai. 40. Psal. 144. Rom. 3. Infrà 13. Act. 7. & Gen. 46. Gen. 14. Suprà 6. 1. Pet. 3. & Act. 2.

Omnis quippe caro corruperat viam suam: Videbit omnis caro salutare Dei: Ad te omnis caro veniet: Non timebo quid faciat mihi caro. Et, *Omnis caro fœnum.* Et, *Benedicat omnis caro nomen sanctum eius: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Rursus eadem figura Synecdoches anima accipitur pro toto homine: vt constat ex illo: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Mittens Ioseph accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque. Da mihi animas, cætera tolle tibi: In qua* (scilicet arca) *pauci*, id est, *octo animæ saluæ factæ sunt per aquam: Et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Et ita centies inuenies in Scripturis partem pro toto vsurpari. Igitur in carne animā rationis capacem assumpsit: imò anima rationali media carnem assumpsit, vt docent Patres.

Ambros. tom. 1 prope init. Nazianz. vbi sup. Idem. Damasc. lib. 3. c. 3. & infrà non semel.

Ambrosius libro primo de Resurrectione, & Nazianzenus ad Clidonium, & oratione in sanctum Baptisma: *Interuentu animæ intellectualis*, inquit, *inter diuinitatem, carnisq; crassitiem interiecta* (*Christus*) *continetur.* Idem quoque docet Damascenus: *Anima siquidem media est inter Verbum, & carnem crassam, quam, rectè anima verbo Dei, regit.* Ita verò assumpsit carnem, vt nunquam sit eam dimissurus: aduersus quosdam asserentes eam post ascensionem ab ipso dimissam, teste eodem Nazianzeno ad Clidonium.

In eos qui carnem asserunt in ascensione à Christo dimissam. Nazian. epist. 1 ad Clidon. Ioan. 5. Matth. 19. Ephes. 4. Ioan. 10.

Quod repugnat Euangelio quod ait: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Cùm venerit Filius hominis in sede maiestatis suæ, &c. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* At quomodo habebunt abundātius, nisi quia Humanitatem suam spectandam in cœlo exhibebit? Rursus:

Ioan. 17.

Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Quòd si carnem post ascensionem deseruisset, nec nos ad vitam in corpore suscitaremur, nec esset mediator noster Christus Iesus, vt ait Paulus.

Si carnē Christus post ascensionem deseruisset, quid inde. 1. Cor. 15. 1. Tim. 2.

Septimò habemus ex eo quod animam & carnem accepit, integrum indiuiduum humanum constituentes, assumpsisse quidquid est de veritate humanæ naturæ præter peccatum; vt docent Dionysius Areopagita, Rusticus in Acephalos, & Damascenus libro tertio, atque omnes Patres.

Dionys. Areopag. Rusticus Sacer autor. Damasc. c. 6. & aliàs.

Alioqui non esset perfectus homo, nec mediator, nec tota nostra natura esset salua. Ideoque quemadmodum naturam nostram & essentiam accepit, ita & consequenter animæ & corporis facultates accepit, vt intellectum, memoriā, voluntatem, sensum, appetitum, operationesque humanas, atque affectiones, quas passiones vocant, vt Augustinus docet.

Aug li 14 de ciu. Dei, cap. 9. ante med. & sæpè aliàs, tom. 1.

Passiones autem, seu melius, motus naturales, diuino, non naturali modo habuit. In eo namq; rationem minimè præueniebant, sed sequebantur: tum vt se verum hominem ostenderet: tum vt Deo in illis placeret: tum denique vt exemplum nobis bene illis vtendi præberet. Atque ideò ita fecit Deus quod voluit, dicēs,

Matth. 26. Ibidem.

Transeat à me calix iste; sicut cùm dixit: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quia vbi est vna essentia vel persona, non potest esse discordia voluntatum, vt libr. tertio ait Damascenus.

Damasc. c. 14. & 15.

Peccatum autem propterea

Verbum animam qualem assumpserit. Boetius lib. de duab. naturis. Damascen. prædicto libro.

pterea non assumpsit; quia à Deo non est, nec de humanæ naturæ veritate, vt aiunt Boetius, ac Damascenus prædicto libro. Octauò considerandum, Verbum accepisse animam rationalem omni scientia & sapientia, ac veritate plenissimam, gratia, donis Spiritus sancti, atque virtutibus cumulatissimè ornatam, quantum anima Christi capere poterat, & quantum illi virtutum ac scientiarum habitus creationis diuinæ poterant esse capaces. Vnde subdit Euangelista: *Vidimus gloriam eius,* &c. *plenũ gratia & veritatis.* Et alibi: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Et Isaias: *Egredietur virga de radice Iesse; & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis. Et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Rursus fide apprehendendum est, accepisse animam gloriosam visione Dei beante, & fruitione quantum ad Spiritum plenum: quanquam quod ad inferiores facultates, & vim animandi corpus & carnem ipsam pertinet, adhuc esset in via, vt conuenienter posset pro nobis in hostiam & sacrificium offerri, & tormenta atq; mortem pati. Quòd verò Spiritu eius fuerit beatus, ostendit in transfiguratione, effundendo gloriam animæ in corpus, ita vt *resplenduerit facies eius sicut Sol, & vestimenta eius facta fuerint alba sicut nix.* Et ipse Christus dixit: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.* Erat autem tunc in cœlo per beantem Dei visionem. Et alibi inquit: *Et ego claritatem quam tu dedisti mihi, dedi eis.* Alibi etiam: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: Et vbi ego sum* (scilicet in visione Dei beata, quam seruis suis in præmium pollicetur) *illic & minister meus erit.* Decebat etiam verum ac primum omnium ducem, qui velut alter Iosue, populum Dei in terram viuentium erat introducturus, terminũ viæ nostræ cognitum habere, atque exploratum, vt aptè de illo testificari posset tanquam oculatus testis; cùm scriptum sit: *Quod scimus, loquimur; & quod vidimus, testamur.* Debebat ergò beatis oculis donum sibi maius omnibus à Patre datum, nempe Verbum æternum, ac Deum cernere. Et quemadmodum animam in momento temporis à Deo creatam accepit, ita etiam carnem in momento suis organis & membris distinctam, animæque coniunctam, atque vnitam personæ Verbi, vt tradunt Patres, præsertim Basil. homil. de humana Christi generatione, & Damascen. lib. 3. ¶ Omni igitur studio & industria curemus, vt tantum mysterium fide certissima apprehendamus. Nam quemadmodum prima stultitia *insipientis est, dicere in corde suo, Non est Deus,* & anima est mortalis, & corrumpitur: ita per hanc fidem sapientes reddimur, reuera Deum esse, eundemque tantam rerum nostrarum prouidentiam habuisse, vt propter nos homo fieri nõ sit dedignatus: neq; hominem ille ad horam assumpsisset, quòd videretur fecisse, si anima esset mortalis. Erigatur in nobis spes, quod beatos efficiet in gloria, qui ad nos vsque descendit: & quod nostri obliuisci non poterit, qui Filium suum vnigenitum hominem fecit. Quemadmodum enim parentes, qui vnicam filiam in monasterio habent, propter filiam in totum monasteriũ afficiuntur, eius curam habent, illi benefaciunt, atque ab insidiantibus (si qui sint) ac dedecus aliquod ei machinantibus protegunt atq; defendunt: ita profectò Deus benedictus, cùm Filium suum in mundo habeat, hicque humanam speciem induerit, nulla nostri obliuione poterit capi, verùm omnibus benefaciet, eorumque salutem singulari prouidentia promouebit, & ad optatos exitus prouehet. Erigẽda in nobis etiam charitas, & excitanda magis, vt iam Deum non tanquam extraneum & alienũ, & creatorem tantum, sed vt parentem ac consanguineum arctissimo amoris vinculo diligamus, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto exhibeatur omnis gloria, laus, atque imperium in secula seculorum, Amen.

Ioan. 1. Infrà 3. Isai. 11. Animam Christi etiam viatoris fuisse beatam, vnde constet. Matth. 7. Ioan. 3. Infrà 17. Supra 12. Suprà 3. Infrà 10. Basil. hom. 25. circa med. to. 1 Damasc. c. 6. & infra. Psalm. 13.

TRACTATVS XXVII.

QVO Verba eadem latius explicantur.

HVcusque duas voces huius sententiæ explicuimus, nempe *Verbum*, & *Caro*: superest in præsentia verbum illud, *Factum est*, edisserere, quod est velut copula quædam duo illa extrema connectens. Antequàm tamen hoc præstemus, declarandum est, cur cum voce carnis totus homo intelligatur, vt superiùs interpretati sumus, non potiùs dixit Ioannes Verbum anima factum, vel, Verbum homo factum est, quemadmodũ in Symbolo Nicæno canimus: *Et homo factus est?* Respondendũ est, magna sapientia id factum esse. In primis quidem, vt os opprimatur Hæreticorum, negantium verum corpus ex Virgine fuisse assumptum. Deinde vt suauius ostendatur Diuinæ sapientiæ *attingentis à fine vsque*

Cur potius Ioannes dixerit: Verbum caro factum est, nõ autem, Verbũ anima, vel, Verbum homo factũ est. Prima ratio. II. ratio. Sap. 8.

in finem fortiter, id est, à sinu Patris, in quo erat, vsque ad infirmam carnem nostram. Vnde Salomon in eius persona dixit: *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego quasi fluuius Dorix, & sicut aquæductus exiui de paradiso.* Nam per omnes ordines Angelorum descendens, peruenit ad carnem humanã, factus hypostasis corporeæ substantiæ, etiam exanimatæ, videlicet corporis mortui & sepulti: Ostendens hac via, quantum sit honoraturus & exaltatur corpora nostra, vt in resurrectione & iudicio postremo videbimus. Tertiò, ex hoc quod Verbum factum est caro, significatur multò magis anima rationalis assumpta, sine qua non est vera caro humana, in qua maximè scripsit Spiritus sanctus, qui est scriba velox. Non dixit autẽ: Verbum anima factum est: quia vel vnio Dei cum anima per gratiã tantùm facta existimari posset. Platonici etiam qui tunc maximè eo tẽpore, quo Ioannes scripsit, vigebant, vnionem cum corpore factã exclusissent, tametsi dixisset ipse, Verbum factum est homo: Nam apud illos homo est anima rationalis: corpus autem non est pars hominis, sed habitaculum eius ac domicilium: quod falsum est. Quartò dixit: *Verbum caro factum est*, vt indicet, corpora nõ esse suapte natura mala, vt perperàm docebant Manichæi. Quintò, vt origo ægritudinis humanæ sanata per verbũ demonstretur, nempe caro, quæ in Eua pomum concupiuit, & in Adam, ne is carnem suam vel delicias suas contristaret, vxori in peccato consensit. Et vt Cyrillus tradit, *Homo in mortem ex parte carnis tantùm incidit immortalitate animæ seruata*: Carnem igitur nominat ex parte maximè corrupta, & Verbi vnione viuificata, totius hominis reparationem significare volens. Abstinuit quoque à voce hominis, ne intelligeretur Verbum assumpsisse personam hominis: nam hominis nomen suppositum, siue hypostasim in natura humana denotat. Et cũ in Symbolo dicitur: *Et homo factus est*, Catholicè est accipiendũ hominis nomen pro humana natura omni hypostasi humana destituta. Sextò, dicitur *Caro*, absolutè non Iudæi vel Gentilis, quia pro omnibus carnem sumere voluit: & caro humana intelligitur, quæ simpliciter nobilior est & magis delicata, quia etiam magis composita. Sic ergò Verbum factũ est hypostasis carnis; ac proinde hominis: siquidem in homine non sunt plures hypostases: atq; ita excluditur humana persona, vt infrà latiùs explicabimus.

Ecclef. 24.
Tertia.
Psal. 44. Spiritus sanctus est scriba velox.
Anima rationalis totus homo est, corpus autem habitaculum tãtùm eius secũdum Platonem.
Quarta.
Quinta.
Cyril. lib. 1. in Ioan. c. 15. tom. 1. init.
Sexta.

Vt igitur commodiùs possimus exponere, quomodo Verbum caro factum sit, præmittendum est ex B. Hilario lib. 4. & 5 de Trinit. Deum per incarnationẽ ita nobis profuisse, vt sibi nihil nocuerit: & vt Rusticus in Acephalos scribit, minimum Dei nocumentum peius esset (quia infinitũ malum) quàm bonum sit omnis mundi redempti & glorificati fructus. Idcircò per incarnationem, quemadmodum natura hominis integra mansit, ita Verbum non est mutatum, vel cum alio mixtum, vel confusum, vel conuersum, vel composi.tum vel patiens, vel aliud in id conuersum: sed omnis mutatio, si qua fuit, in humanitate inuenta est. Atque hic in primis habemus, vnde duos maximè Hæreticos cõfutemus, nempe Apollinarem Laodicenum & Eutychetem Archimandritã dicentes, Verbũ mutatum in carnem; per vnionem hypostaticam. Lege Theodoritum lib. 4. de fabulis Hęreticorum, & Leonis epistolam ad Flauianum: vel in tertiam quãdam naturã esse conuersum: ita, vt quemadmodum refert Boetius, esset quidem ex duabus naturis ante vnionem, post vnionẽ verò non in duabus, sed in vna subsisteret. Quemadmodum oxymel ex duabus naturis quidẽ ante mixtionem constat, aceto scilicet & melle duntaxat: at post cõpositionem vna tantùm natura est oxymellis. Sic etiam electum ex duabus naturis conflatur, nempe auro & argento: sed vbi in vnum cõmixta sunt, vna natura electri resultat. Sed profectò falsa & paradoxa sunt hæc, atque à fide orthodoxa lõgè aliena. In primis enim quemadmodum si non manet natura Verbi, Verbum creatum est mutabile & aptum conuerti, quia opus esset vt communicaret in materia cum semet cõuertente, & quòd esset eo debilius: sicut modica aqua, quæ in vinum cõuertitur, vt ait Boetius: atq; adeò non esset Deus, contra eius opera & verba, & Scripturas, quæ eum Deum esse testificantur. Ita etiã si natura humana in Christo non permansit, profectò Christus homo non esset, quod est manifestè contra diuinas literas, & contra Christi verba se toties hominem appellantis, & contra opera sua, & affectiones, & mortem, quæ illum apertissimè hominem indicarunt. Nulla etiam creatura in Deum potest cõuerti, quia tunc Deus esset mutabilis: & si corpus anima fieri nequit, multò minùs fiet Deus. Adhæc, opus esset contactu & communicatione in materia, vt caro conuerteretur in Deum. Præterea si esset facta natura quædam mista, non quidem conuersa vna in alteram, verùm aliqua tertia existente: sicut in homine anima non cõuertitur in corpus, neq; corpus in animã, vnum tamẽ resultat compositum,

Deus per incarnationem ita nobis profuit.
vt sibi nihil nocuerit.
B. Hilar.
Rusticus.
Contra Apollinarem & Eutychetem, Verbum Dei mutatum in carnem blasphemantes.
Boet. lib. de duab. naturis.
Verbi cum humana natura vnio qualis apud illos.
Ratio prima confutationis.
Boet. lib. de duab. naturis.
Humanæ naturæ in Christo existentis argumenta.
II. ratio.
Tertia & quarta.

Vt vnum quid tertium ex duabus naturis consurgat, quid necessario requiratur.

positum, quod dicitur homo. Si sic, inquã, se res haberet in incarnatione, adhuc profectò tertia illa natura resultans non esset Deus, neque homo: & ad dictam compositionem opus esset materia cõmuni, & contactu, vtque vnum non conuertat aliud in seipsum, sed sint ferè æqualia, ac paris virtutis, ne, quod maiore præditum est virtute, agat in alterum, & illud vincat. Quæ omnia falsa sunt, & à ratione prorsus aliena; quare meritò damnata sunt in quarta œcumenica Synodo Chalcedonẽsi, & damnati simul tãtę impietatis assertores. Hinc Gregor. homilia super Euangelium: *Simile factum est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo,* loquens de nuptijs incarnationis, ait: Sed quia ex duabus personis fieri solet ista nuptialis coniunctio; absit hoc ab intellectibus nostris, vt personam Dei, & hominis, redemptoris nostri Iesu Christi ex duabus personis credamus vnitam. Ex duabus quippe, atque in duabus hunc naturis existere dicimus: sed ex duab. personis compositũ credi, vt nephas, vitamus. Sic magnus ille Pater. Et Damascenus lib. Fidei orthodoxæ: nam ex Deitate & Humanitate Deum perfectum, & hominem perfectum, eundẽ & esse, & dici, & ex duabus & in duabus naturis confitemur. Et vt Magnus Athanasius de mysterio triũ personarum in vna natura Diuinitatis catholicè dixit: *Neque confundentes personas, neque substantiam separantes*: ita in incarnationis Sacramento dicendum: neque confundentes naturas, neque personam separantes. Vt vtraque iuguletur hæresis, Nestorij, & Eutychetis: vt in priori sententia iugulantur assertiones falsę Arrij & Sabellij. Quod ergò B. Dionysius actionẽ Christi θεανδρικήν, id est, Deiuiram, vel, vt sic dicam, Deiuiralem appellauit: non est quod actio sit composita, sicut nec naturæ compositæ sunt, vt docet Damascenus; sed quòd sit actio Dei, qui factus est vir, siue homo, quia operibus quæ à Deitate proficiscebantur, vt erant signa & miracula, adiungebat opera etiam humanitatis, vt tangere, vocare, manus imponere, & similia. Sed illa priora opera, à persona, quatenus Deus est: hæc posteriora verò ab eodem, quatenus homo erat, proficiscebantur. Possunt autem in eodem loco duæ esse naturæ immixtæ, nec confusæ, quemadmodum anima & corpus in homine, incisio quoque & vstio in gladio ignito, vt affirmat Damascenus. Cùm ergò dicitur: *Verbum caro factum est.* cùm verbum sit alienum ab omni mutabilitate, intelligendum est, Verbum absque sui quacunq; mutatione, vel mixtione alia, aut conuersione vlla sua factum carnem. Et quia fieri terminatur ad esse, & esse carnem, est esse substantiam; oportet quoq; & illud intelligere, quòd Verbum factum est caro, ita vt iam sit caro. Atque ideò excluditur illorũ error, qui dicunt Verbum iunctũ esse carni relatione aut negatione, aut certè quocunque accidentario esse: Nam nulla relatio, nulla negatio, nullumque esse accidentarium sufficit ad verè probandũ hoc, scilicet, Verbum factum est caro, & si sufficeret ad probandum, nempe, Verbum inhabitat carnem, aut, Verbum est carneum, & similia. Esse igitur carnem, est esse substantiam, à qua non solet denominari res. Ex quo Ioannes rectè non dixit: Verbum factum est carneum; sed, Verbum factum est caro, apertè significans Verbum carnem esse cœpisse: quæ quidẽ est substantia, non relatio, non impositio nominis, non negatio, nec demum aliquod accidens à substantia diuersum. Deinde & illud secundo loco præmittendum est, Euangelistam ab hoc tacto exclusisse omnem modũ, quo apud nos vna res ante existens fit alia. Aer enim qui fit aqua, non remanet aer: & in genere materia non fit forma. Verbum autem, nulla prorsus sui mutatione factũ est caro: & cępit esse caro: hoc est, Verbum ab æterno, quod suapte natura erat hypostasis secundæ personæ, factum est hypostasis carnis; ac proptereà verè est, & verè dicitur caro: sicut hypostasis equi, & bouis verè est equus & bos. Quod verò Verbum per Incarnationem non sit mutatũ, inde probatur, quia nihil omninò eorum, quæ habebat prius, abiecit, sed in sua natura perfectum mansit. Tunc enim vnumquodque mutari dicimus, cùm in se recipit quod nõ habebat. Et sicut Pater communicando essentiã deitatis alijs à se personis, essentiam non amisit suam: sic & Filius suam non amisit subsistentiã, dum eam naturæ humanæ communem fecit. Adhæc, mutatũ dici nequit, quia nihil denuò accepit: non enim induit naturam humanam Dei Filius recipiendo, sed potiùs quod suum erat, dando & communicando, vt Patres docent Veteres. *Imperfecti enim est recipere ab altero, perfecti verò est, quæ sua sunt, communicare, & donare.* Et dupliciter intelligi possit, Verbum fieri hypostasin carnis: vel quòd carnis præexistentis propriã hypostasin obiecerit, & loco illius subintrauerit; vel quod, cùm fieret caro, præuenerit Verbum carnis hypostasin: ne primum interuenisse putares in incarnationis mysterio, & vt secundum velut Catholicum acciperes, dixit, *Verbum caro factum est.* Quia

Synod. Chalcedonen.

Greg. hom. 38. in Euang. prope init. tom. 2. Matth. 22.

Ioan. Damasc. lib. 3. de Fide ortho. c. 3. prope init.

Mag. Athanas. in Symb.

Actionẽ Christi Deiuiram cur vocet Areopagita Dionysius.

B. Diony. epist. 4. ad Caium. & Damasc. lib. 3. c. 19. ini.

Damasc. c. 19. eiusdem libri.

Idem lib. 3. cap. 15.

Eorum qui dicunt Verbum iunctum esse carni, relatione, aut negatione, aut alio accidentario esse, error refellitur.

Expenditur nõ dictum à Ioanne: Verbũ carneũ, sed caro factum est.

Qualis in Incarnatione Filij Dei compositio locum nõ habeat.

Verbum in Incarnatione mutatum minimè fuisse, vnde constet.

Act. 20.

Quo tantùm modo caro Christi in diuino Verbo subsisterit.

Verbum nihil carnis abiecit: nam cùm homo fit albus, nihil albi abijcit: item cùm aer fit aqua, nihil abijcit aquæ: & in vniuersum, in omnibus actionibus naturalibus nihil termini ad quem (vt more Philosophorū loquar) abijcitur, & quòd caro non præextiterit, sed tunc fit facta, quando Verbum factum est caro. Nec in hoc vlla iniuria facta est naturę humanæ, quod in propria hypostasi non subsistat, vt subsistere debebat, nisi fuisset præuenta à diuina Verbi hypostasi ; sed magnum beneficium illi collatum: nam data est subsistentia diuina, & infinita loco humanæ, & finitæ. Nec enim iniurium est alicui, si nobilissima, & pretiosissima veste induatur ; & impediatur ne sordido, & vili vestimento induatur. Nam terminus in omni productione , tunc fit, quando productio terminatur; vt cùm homo fit albus, tunc noua est albedo: cùm aqua fit aer, tunc nouus est aer. Quando itaque Verbum factum est caro, tunc caro illa facta est, non in seipsa ; sed in hypostasi Verbi; non quidem per Verbi, verùm per humanæ naturæ mutationem (ceu si pyrus insita in malo, sine sui mutatione fieret malus) non quidem inferendo corruptionem hypostasi carnis: nam fas non erat, à corruptione inchoare Verbum euectionem nostræ naturæ, in hypostalin mundi renouatricem futurum. Atque ita dicimus assumptam à Verbo carnem, non quia humanam assumpserit personam, sed indiuiduam , atomam, & singularem naturam sine hominis persona, hoc est, non in propria subsistentia, quasi in basi ; & fundamento proprio innixam , vt impiè docuit Nestorius Constantinopolitanus Episcopus; qui eloquens cùm esset , nec eloquentiam distingueret à sapientia , contemnebat Patres, seque sapientem existimabat, vt refert historia Tripartita. Hic ergo dixit, Christum personam esse humanam à Verbi persona distinctam, esse tamen Verbum munere Dei singulari ; verùm Christum haud assumpsisse humanam personam eiusmodi. Sed hæreticus hic magna ratione consutatus est, & damnatus in œcumenico Concilio Ephesino. ¶ Multæ etiam rationes contra istiusmodi peruersum dogma succurrunt. In primis enim in diuinis tres præter personas , esset etiam quarta videlicet Christi hominis; cùm tamen nullo modo sit admittenda personarum quaternitas. Nā nec quatuor naturæ sunt, imò nec duæ, quia humanitas non est natura Trinitatis, sed Verbi tātùm. Et ita in Christo duæ sunt naturæ tātummodo. Neç etiā sunt quatuor personæ : quia essentia non distinguitur à tribus personis, vt faciat quartam. Humanitas Christi præterea licet à personis differat, non constituit quartam, quia non est deitas, nec persona, vt Rusticus in Acephalos inquit. Secundò, quia vna persona non est alia, etiam cùm sunt vnius naturæ, nedū duarum: & ita ille homo non esset Deus, sicut nec homo equus, nec homo iustus est verus Deus, & consequēter contra sacram Scripturam, & opera eius, quę & hominem & Deum illum arguunt, atq; demonstrant. Nec esset etiam communicatio idiomatū: nec Maria, mater Dei esset dicenda, sed tātùm mater Christi , vt dicebat Nestorius. Tertiò ; si personam humanam haberet, saluare nos nequaquàm posset, nec adorari deberet, & spes nostra in homine sita esset, & collocata , periretque omnis fructus incarnationis, ac fidei eius: imò nec esset incarnatio, nec opus nouum , vel admirandum, sed commune iustificationis opus contra Prophetam , dicentem : *Creauit Dominus nouum super terram : fœmina circumdabit virum*, & contra alium quoque dicentem: *Aspicite in Gentibus, & videte , & admiramini, & obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cū narrabitur:* quæ verba de Incarnationis mysterio Paulus, & alij quidam interpretantur. Vsque adeò autem verū est duas non esse personas in Christo, vt Eutyches declinans in alterū extremū, negauerit duas naturas: id quoque adeò falsum est, vnam tantùm habere naturam, vt Nestorius duas personas posuerit. Quorū vtrunque falsum est, & hæretici inuicem in seipsos pugnantes, & extrema sequentes pro Ecclesia faciant: vt patet in Arrio, & Sabellio, in Manichæo humanitatem, & in Photino Christi Diuinitatem negantibus. Quartò, Humanitas Christi neque in sui propria subsistentia creata est, nec prius fuit homo quàm Deus: quia sic infirmum ac debile esse haberet. Fuitque humanitas Christi, vt vitrum crystallinū auro incrustatum, & vndique protectum, quod quidē fortius in illo quam in se subsisteret: vel vt surculus insertus, & crescens in fortissima arbore, atque in ea subsistens. Ac per hæc ruit Cherinti hæresis; qui vt B. Irenæus refert , dixit Iesum post baptismum cœpisse in se Christum habere in specie columbæ, cuius virtute perfecit miracula: ipso verò Christo ab eo recedēte, Iesus passus est: atq; ita distinguebat hic inter Christū, & Iesum Filium Dei : & prius dicebat fuisse Iesum, quàm Christum Filium Dei. Ideò Ioan. 20. dicitur: *Hæc scripta sunt, vt credatis quia Iesus est Filius Dei:* non dixit , quia Iesus Christus est Dei Filius. Et 1. Ioan. 5. dicitur: *Omnis qui*

Marginal notes (left): Humana natura in Verbo subsistens in seipsa, longè melius & excellentius sibi esse comparauit. — Simile. — Caro Christi in Incarnatione quando facta fuerit. — Contra Nestorium duplicē in Christo esse personam dogmatizantem. Hist. Tripart. lib. 12. c. 4. — Eadem veritas, Verbum nempe humanam non assumpsisse personam, multis rationibus cōfirmatur. — Ratio I.

Marginal notes (right): Secunda. Rustic. sacer scriptor. — Tertia. — Hierem. 31. — Habac. 1. Act. 13. — Quarta. Qualis humanitas Christi sit Verbo coniuncta. — Irenæ. lib. 1. c. 25. Contra Cherintum. — Ioan. 20.

1. Ioan. 5.

credit quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est: quæ verba directo propter Cherintum dicta sunt. Confutatur etiam Luc. 1. *Ideoq́; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*:

Luc. 1.

& Matth. 1. *De qua natus est Iesus qui vocatur Christus*. Et cap. 2. *Sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur*. Ergo ab initio quo natus est, homo fuit, etiam Christus & Filius Dei.

Cyril. Hierosol.

Cyril. Hierosoly. Catechesi 10. ait: *Iudæi quidem concedunt illum esse Iesum, Christum verò esse negant. Absit hoc. Ideò dicit Apostolus: Quis est mendax, nisi qui negat quod Iesus est Christus?*

Quinta.

Quintò, quia si ille homo prius in se subsisteret, hoc ipso tamen quòd stabiliretur in basi subsistentię Dei, non esset amplius humana persona, quæ rationali indiuiduo nihil addit, nisi tantũ rationem per se subsistendi, atque ita cùm Verbum humanam naturam assumpsit, non propterea aliquid humanitatis reliquit, quod non assumpserit? cum reuera persona à natura in creaturis nõ nisi ratione distinguatur.

Persona à natura in creaturis tantùm ratione distinguitur.

Repugnat autem in diuina persona subsistere, & in se subsistere, nihilque propterea amittit humana in Christo natura subsistens; quin verò maximã sibi gloriam, & dignitatem acquirit. Vt enim crystallinum vas vestitum auro maiorẽ sibi comparat firmitatẽ ac robur, quã si in se tantũ existeret: & puer nanus gigãtis humeris impositus nobilius esse habet, quàm in se ipso: ita profectò de Christi Humanitate sentiendum est, quæ subsistens in verbi persona excellentiorem longè, ac nobiliorem status ac dignitatis gradum adepta est; vt diximus.

Mysterij incarnationis in Scripturis & Patribus quã variæ appellationes, & rationes earum.

¶ Vt autem magis hoc mysterium explicetur, de vocabulis, quibus tum in Scripturis, tum à Patribus celebratur, tum de conuenientia, & fine huius altissimi mysterij dicendum est. In primis ergo dicitur Incarnatio, Græcè σάρκωσις (id est, cum carne vnio) vt ignitio ferri (si sic loqui fas est) vnio est ferri cum igne, vt ait Damascenus.

Damasc. lib. 3. cap. 15.

Dicitur Humanatio, id est, vnio cum humanitate: ob eandem caussam appellatur vnio, vel vnitio, vel adunatio: quia coniũguntur duæ naturæ, & vniuntur in eadem hypostasi, hoc est, tota persona, & non aliqua eius pars est id, quo Deitas Verbi subsistit: & similiter est id, quo tota humanitas Christi & non aliqua eius pars existit.

Idem ibidem. c. 11. & alias.

Ita vt Verbi subsistentiam ex gratia in perpetuum mutuatam, vel donatam habeat: vt docet idem Damascenus. Vocatur Cõglutinatio: nam propter Christũ dicitur. *Deus Patribus conglutinatus*. Deuteron. 10. *Et tamen Patribus* (inquit) *tuis conglutinatus est Dominus, & amauit eos, elegitq́; semen eorum, & reliqua*.

Idem eod. lib.

Si ergo conglutinatus est Patribus propter Christum hominem, ergo magis ei est cõglutinatus. Dicitur à Damasceno Substanciatio, Suppositatio, Sustẽtatio; quia Verbũ substat supponitur, & sustentat Humanitatem, ceu fundamentum quoddam, & basis quę domui supponitur: sustentat autem, non secundum esse hominis, quia sic omnia sustentat ille, de quo dicitur: *Portans omnia Verbo virtutis suæ*.

Quomodo Christi Humanitas à Verbo sustentetur.

Hebr. 1.

Sed in esse diuino, & personali: quo modo Iesu Humanitatem sustentat, vt infrà declarabitur. Dicitur Factio ob creaturam quę fit, & Deus in ea: vnde, *Verbum Caro factum est*. Dicitur Descensus, quia terminus ad quem refertur, est inferior creatura: *Vtinam*, inquit Isaias, *disrũperes cælos, & descenderes*, & apud Ioannem: *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*.

Isa. 64.

Ioan. 6.

Dicitur Aduentus à Malachia: *& statim* (ait) *veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis*, & alius: *Si moram fecerit, expecta illum: quia veniẽs veniet, & non tardabit*:

Malach. 3.

Habac. 2.

Dicitur Missio, vnde Paulus: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*: quia procedit à Patre, & venit ad nos.

Gal. 4.

Dicitur Habitatio: *Et habitauit in nobis*, & rursus, *Ecce ego venio, & habitabo in medio tui*, ob vtilitatem, quam humanæ naturæ quasi habitaculo Verbi incarnatio cõtulit.

Ioan. 1.

Zachar. 2.

Dicitur Conuersatio: *Post hæc in terris visus est; & cum hominibus conuersatus est*: quare & Emmanuel vocari voluit, quod est, Nobiscum Deus, per assumptionem nostræ naturæ.

Baruch. 3.

Isa. 7. & Matt. 1.

Dicitur Abbreuiatio, quemadmodum Elisæus extendit se, & abbreuiauit super puerum à se suscitandum, & Propheta. *Verbum breuiatum faciet Dominus super terram*.

4. Reg. 4.

Isa. 10. iuxta 70.

Rom. 9.

Dicitur Anacephalæosis, siue Recapitulatio ab Apostolo, quod omnia eminentissimè contineat, tum quia ad caput, & initiũ, nimirum ad se, atque ad statum innocentiæ primæuum reducit atque reformat.

Ephes. 1.

Dicitur Insitio, de qua illud: *In mansuetudine suscipite insitum Verbum, &c.* Ob Humanitatem diuinitati insitam per speciẽ insitionis, quæ dicitur inoculatio, qua in Verbo sustentatur Humanitas: & tamen (quod mirabile est) præter fructus suos proprios, facit etiam diuinos per communionem idiomatum.

Iacob 1.

Dicitur Apprehensio: *Nusquàm Angelos apprehendit: Sed semen Abrahæ apprehendit*.

Hebr. 2.

Dicitur Attractio: *Attraxi te miserans*, & alibi: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*: quemadmodum Magnes ferrum ad se trahit, ac in se sustentat.

Hiere. 31.

Osea. 11.

Dicitur Immeatio, seu Immansio, & Accessio à Damasceno, quòd vna natura accedat ad aliam, illamque subintret, sicut ad Diuinam Humana: vnde etiam vocatur Osculum, & Astrictio, quæ fit in complexu, eo quòd

Damasc. lib. 3. c. 17. init.

Cant. 1.

Alcuin. lib. de Trin. c. 12.

vna natura sit in alia. Dicitur Induitio quasi purpurę, vt Alcuinus libro de Trinitate docet: quia verbum illâ tegitur, & tamen sustentat carnem, quemadmodum indumentum corpus tegit, & sustentatur ab eo Hinc Apostolus ait: *Habitu inuentus vt homo.*

Philip. 1. *ibidem.*

Quomodo Deus Verbum semetipsum exinaniuerit Apostolo teste.

Dicitur à Paulo exinanitio, non quidem amittendo quicquam magnitudinis suę, celsitudinis, vel plenitudinis, sed illam celando, atque formam seruilem induendo: nõ secùs ac si Rex quispiam regio culto deposito, habitum pastoris indueret, diceretur seipsum exinanire, non quidem regiam amittendo dignitatem, verùm tantisper ad tempus celando, & dissimulando. Vnde Apostolus postquàm dixit: *Exinaniuit semetipsum,* illud declarans subdit: *Formam serui accipiens, in similitudinẽ hominũ factus.* Dicitur Matrimoniũ, videlic. Christi, & Ecclesię.

Ephes. 5.

B. Greg. Naz. Iustin. Mart. Damasc. lib. 3. cap. 6.

Dicitur Oeconomia, seu dispẽsatio à Gregorio Nazianzeno sermo de Pascha, & Damasceno lib. de Orthodoxa fide: qua Christus homo œconomus, hoc est, dispẽsator, seu procurator domus, Ecclesiæ Dei videlicet, sub Deo factus est. Dicitur Visitatio, & Confirmatio, vnde Psaltes: *Deus virtutum cõuertere: respice de cœlo, & vide, & visita vineã istam.* De qua visitatione Zacharias dixit: *Quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suę:* & *perfice ea quam plantauit dextera tua: & super filium hominis,* id est, *super Christum respice, quem confirmasti tibi,* dando ei diuinæ substantiæ basin. Dicitur Susceptio. *Suscepit Israel puerũ suum, &c.* & Propheta: *Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eã.* Est autem suscipere, sursum capere: & Christus homo sursum captus est, quatenus cùm nõ esset, sola gratia, & liberalitate sua fuit id in tempore, quòd Deus ab ęterno erat, quod vt infinitum, & principale consequitur: tã quàm aduenięns, quòd sit hęres vniuersorũ, quòd homo ille adoretur ab omnibus cultu Latriæ: quemadmodum carbo ob ignem, cui coniunctus est, timetur, ac velut purpura propter Regem ea amictum adoratur: vt ait Damascenus: *Inde est, quòd post Deũ mundi sit gubernator, & administrator, & saluator, & finis, & quòd omne genuflectatur, tantumq́ habeat sapientiæ, & gratiæ, quantum creari à Deo potest.* Non ignoro, Patres alij, minus visitatis, ac receptis vocibus interdũ vsos fuisse, adhoc mysterium explicandũ. Vnde Irenęus filium hominis commistum verbo Dei asserit. Augustinus dixit: *Quomodo Deus homini permistus sit.* Gregorius Nazianzenus in sanctum Baptisma: *O nouam inquit, & inauditam mixturam.* Sed hæc ill pio sensu, & Catholico dixisse interpretãdi sunt: quandoquidem eiusmodi voces

Psal. 79. *Luc. 1.* *Ibidem.* *Psal. 47.* *Heb. 1.*

Simile.

Damasc. vbi sup. c. 8. *Philip. 2.*

Iren. lib. 3. cap. 21. *Aug. Epist. 3. paullò ante medium.*

Miscendi, & Permiscendi auersantur iam Theologorum aures, tanquàm minus huic mysterio congruentes. Idcircò Ecclesia canit: *Deus homo factus est: id quod fuit: permansit, & quod non erat, assumpsit, non commixtionem passus, neq; diuisionem.* Bonum tamen est annotasse, Patres interdum ab illa phrasi non abhorruisse. Ait enim Hilarius: *Carnem suã admiscuit sub Sacramento,* & libris de Trinitate, verbum admixtionis repetit. ¶ Ad postremũ verò, Incarnationis opus non fuit absolutè necessariũ, neq; Deo, neq; nobis. Non quidem Deo, quia nulla creatura est ei necessaria ad finem suum, cum seipso sit perfectissimè beatus, atque contentus; creatura autem nec finis eius, nec subsidium necessarium ad finem eius existat. Nobis verò etiam minimè necessariũ fuit Incarnationis mysterium, quia sola voluntate potuisset nobis Deus remissionẽ peccatorum conferre, gratiam, & gloriam in se donare, quemadmodum Angelis ante Incarnationem donauit, qui tamen sunt in essentia Dei, eam, internaque, & externa eius opera fœlicissimè contemplantes. Sicut si oculus in centro Solis positus eum videret, & radios, atque splendorem ex radijs effectum. Etsi ergo Incarnatio simpliciter non fuerit necessaria, fuit tamen conuenientissima, & maximè accommodata, atq; ad gloriam Dei summam, ex opere summo creationis mundi expediens, & conducẽs. Spectat etiam ad immensam Christi, & Matris, hominumque, & Angelorum, ac reliqui mundi totius dignitatem, atque vtilitatem. Quod vt liquidè constet, ponendum est in primis: Incarnationẽ esse quandam vnionem diuinæ cum humana natura, tam sublimem, & admirabilem, vt saluis naturis, vnicum, idque diuinum sit in vtraque (vt Theologi loquuntur) suppositum. Quod quidem fit inenarrabili vi attractionis naturæ diuinę humanam ad se attrahẽtis, eiusque immeationem, & penetrationem in humanam. Deinde etiam per ineffabilem accessionem, insitionemq; humanæ naturæ. Ex quibus mirabile osculum hoc, & strictissimus existit amplexus, qui alia in nulla creatura inueniri potest: quia nõ esset aliàs summum hoc Dei opus: ideò carere debuit exemplo. Vnde B. Augustinus epist. 3. ad Volusianum de hoc mysterio verba faciens, ait: *Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare.* Hæc ille. Etsi verò in creaturis attractio inueniatur, vt in magnete ferunt attrahente: &, in succino trahente paleam; non est tamen ibi penetratio, vel immeatio (vt cum Damasc. loquar) nec communicatio

Vocem commixtionis in Incarnationis mysterio nunc aures Theologorum auersantur.

Hilarius.

Idem lib. 2. & 10. de Trin.

Filij Dei Incarnatio ad salutem simpliciter necessaria quare nõ fuit.

Simile.

Quàm conueniens fuerit Deum incarnari.

Aug. tom. 2. initio.

Attractionis quæ in creaturis inuenitur, ob illa hypostaticæ vnionis discrimen.

Damasc. vbi supra.

idiomatum, & personæ. Adhæc, licet inueniatur in quibusdam penetratio, atque vna hypostasis, vt in corpore, & anima: nō sunt tamen naturæ perfectæ, nec est communicatio idiomatum in illis: & minor est vnio, quia imperfectarum naturarum, ac minus inter se distantium, & solubilium. Quare comparatio illa, qua vtitur Athanasius in symbolo. *Nam sicut anima rationalis*, inquit, *& caro vnus est homo; ita Deus, & homo vnus est Christus*, quam etiam August. vsurpat epist. 57. ex parte quidem vera est, & congrua: ex parte verò neq; vera, neq; congrua, quemadmodum Iustinus Martyr docet in expositione fidei de sancta consubstantiali Trinitate, cuius verba hæc sunt: *Nonnulli vnionē eam veluti animæ cum corpore, mente complexi, ita prodiderunt, & congruens est exemplum, tametsi non ex omni parte, aliquatenus tamen. Quemadmodum namque vnus est homo, & naturas inter se differētes duas in se obtinet: ac per alteram quidem ratiocinatur; per alteram autem, quod ita ratione concepit, efficit: ita Filius cum vnus sit, & duæ naturæ; altera diuina edidit miracula. Altera humilia excipit. Quæ enim ex Patre est, Deus est, res admirādas operatur: quæ verò ex Virgine & homo, crucē, passionem, & consimilia, suapte voluntate naturaliter perfert. Hucusq; si quis exemplum hoc recipiat, rectè se habeat cōparatio. At si rursum rem totā similitudini cōferas, differentia apparebit. Nam homo etiāsi duplicem in se ostendat naturā, non duæ tamen naturæ est, sed ex duabus naturis constat: Vt enim corpus cōponitur quidem ex igne, ex aere, & aqua, & terra, minimè verò iam corpus esse dixeris ignē, aut aerē, aut quicquā aliorum: nō enim idem est cum his, vnde constat. diuersa quippe est ratio cōpositæ rei, & eorū, vnde est composita. Sic homo quamuis ex anima, & corpore constet, alius est tamen, quàm sunt ea, vnde constat.* Hæc ille docens in cōpositione hominis esse duplicē vnitatē, alterā naturæ, & personæ alterā. Non sic in Christo, in quo etsi personæ vnitas insit, remanet tamen duplex natura, quorū vna nō est altera. Est & alia dissimilitudo: quoniam anima separatur à corpore, Diuinitas verò nunquam fuit ab Humanitate diuisa, neq; disiūcta. In ea etiā cōparatione surculi, & arboris, vt diximus, nulla est penetratio, neq; vtrunq; totū, sed pars, nec cōmunicatio idiomatū. At verò in vnione rationalis partis, & sentiētis in homine, id quod sentit, est pars, & item, quod rationale est, absq; eo; solaq; vnio trium personarum in essentia vna, maior est quàm illa Incarnationis, quòd Personæ in vno infinito esse vniantur, cùm tamē in Incarnatione duæ naturæ in infinitum à se inuicē distent: quáuis vna, nempè humana in alterius, id est, diuinæ, subsistentia, siue hypostasi sustentetur, non tamen ob id est naturæ suæ basis, ac sustentaculum. Quemadmodum si domus ex lignis, ac gemmis constructa, & basi gemmea fulciretur, non ideò basis esset gemma, immò nec basis gemmea esset lignum; cùm tamen verissimum sit, quòd Verbum sit homo, quod est omni prorsus admiratione, & stupore dignum. Quòd si eam inuestigare velles, profectò non alia videtur, nisi quòd Verbum non sustentat hominem in dignitate, & gradu hominis, sed in dignitate, & gradu Dei. Sustentat enim quamlibet Deus creaturam in esse suo, & hominem sustentat in esse, & subsistentia humana, siue in basi creata: at verò hominem Iesum in gradu, & persona Dei, siue in basi increata sustentat: non secus ac si Rex suos omnes seruos, & familiares, ac Principes sibi ministrantes, & eorum quemlibet sustentaret in gradu suo, vnum tamē ex eis, peculiari dono, in gradum, & dignitatem Regis euectum sustentaret: nam talis ad tātum dignitatis culmen euectus, deberet habere totum regnum, omnes regni opes, & gazas, atq; omnem honorem, qui Regi impenditur, quasi illi dixisset Rex, volo vt sis mea persona: adhuc tamen ille sic ad regiū decus atque splendorem promotus, persona differret à Rege. Verùm si esse personę Regis valeret infinitum plusquàm regnū, atque illi adhuc suum esse personæ donaret, nihil tamen inde, quod altari daret, amitteret, ibi perfectum exemplum Incarnationis haberemus. Quod si Rex non donaret esse personæ, suamue subsistentiam, sed tātùm naturam duobus alijs, quę tamē natura esset infinita, & quam vt principale consequeretur, quasi accessorium ipsum regnum (si sic loqui fas est) haberemus in illis tribus exemplū Trinitatis expressum: in his enim tribus esset vna tantùm voluntas, vna operatio, quemadmodū & vna essentia est. In Christo igitur cùm duæ naturæ sint, vna est tamen persona diuina solummodò, quæ etiam est in natura humana, quam sustinet, quia est indiuiduum humanum. Et quod vna sit tantum persona in duabus naturis, patet: quia, vt supra probatum est contra Nestoriū, non est humana persona in Christo: & diuina, quia immutabilis, non potest amitti. Deinde manifestum est: quia idem dicitur Deus, & homo; non autem propter eandem naturam, ergo propter eandem personam. Quódque idem, Deus, & homo dicatur, constat: nam Christus & filium hominis, & filium Dei sese vocabat. Et Petrus in Actis: *Certissimè sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum*

cum,

B. Athanas.

Aug. 10. eod.

Iust mart. to. 3. in prin.

Exemplum Athanasij: Nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus, quatenus verum, & congruum sit teste Iustino.

Idem exemplū quatenus sit falsum & incongruum.

Simile.

Quare maior sit vnio diuinarum personarum quam Hypostatica.

Simile.

Tantæ Diuini Verbi cum humana natura vnionis, ita vt Verbum sit homo, quæ ratio sit.

Comparatio.

Quod vna in duabus naturis in Christo sit persona, probatur.

Christum Deū & hominem dici, ostenditur.

Actor. 2.

Rom. 9. *eum, & Christum fecit Deus* (id est Deum & hominem) *hunc Iesum quem vos crucifixistis.* Et Paulus: *Ex quibus Christus secundū carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula*: & Ioan. 4. Ioannes: *Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est*: id est, Qui Diuinitatem ab Humanitate, & Humanitatem à Diuinitate disiungit. Hoc significat: *Verbum caro factum est*: hoc includit in sua notione nomē Emmanuel: hoc dixit Angelus Virgini: *Quod nascetur ex te sanctū, vocabitur filius Dei.* Et quia nascetur ex te, homo erit: & quia vocabitur filius Dei, erit filius Dei, & Deus. Item cùm duę in Christo naturæ, & duę personę esse non possint, vt aduersus Nestorium iā probatum est: nec possit esse vna natura, & vna persona, quemadmodum demonstratum est cōtra Eutychetem; nec rursus possit vna natura esse in duabus personis, quia si esset sola natura humana, amissa esset diuina, & solùm esset homo, nō autem Deus, & si sola esset diuina natura, amissa esset humana natura, & persona humana non esset diuina, & Christus solùm esset Deus, non autem homo. Superest ergo quartū membrum, vt vna sit tantùm persona in duabus naturis, vt egregiè ratiocinatur Boetius libro de duabus naturis cōtra Eutychetem.

Soluere Iesum iuxta Ioānem, quid.

Luc. 1.

Boetius.

Aduersus Bezam duplicem in Christo cōstituentem hypostaticam vnionem.

Proinde falsum est quod Beza libro In Schmidelinum de hypostatica duarum naturarum vnione disputans scripsit: semper se duas vniones hypostaticas in Christo ponere, vnam animę cum carne, alterā Diuinitatis cum Humanitate: quod profectò aliud non est, quàm Nestorij hæresin renouare. Nec enim in Christo est alia vnio hypostatica præter Verbi cum anima, & corpore: nam illa corporis cum anima naturalis est vnio, nisi quod in eo quod non est terminata ad humanam & creatam, sed ad diuinam Verbi hypostasin supra naturam extiterit.

Verbum per Incarnationē minimè mutatum fuisse.

Secundò præmittendum est, vt superiùs diximus, Deum ita nobis profuisse, vt nihil sibi nocuerit: ideò Verbum per incarnationem nō fuit mutatum, vel confusum, vel ad patiendum aptum redditum, verùm omnis mutatio in Humanitate fuit: quēadmodum in flore, qui denuò prodiret, ac sustentaretur à Deo in se, hoc est, in natura floris, in eo Deus certè nihil mutaretur, sed flos. Ideò in Incarnatione, Verbum nihil mutationis accepit, nec descendit de cœlo, nec inclusum secundùm Deitatem est in vtero, vel carne assumpta, quemadmodum anima in corpore includitur, sed Verbum erat vbique per Deitatem, carne autem vno loco circumscriptum: vbique tamē verum erit dicere, Verbum esse carni non vbique existenti vnitum. Quemadmodum maritus extra vxoris Patriam, in qua illa manet, est quidem eius maritus vbique dicendus, quàm in vno tamen loco habet. Facit etiam Verbum propria diuinitatis opera per se, non per humanitatem, vt, conseruare mundum, implere cœlum, & terram, pluere, & similia: quanquàm Humanitas, & sciens, & approbans, etsi opus sit, etiam orans concurrat, vt Damascenus docet libro de Fide Orthodoxa. Cùm autem in via existebat Humanitas, ad miracula concurrebat tangendo, vel manus imponendo, vel in cœlum suspiciendo, vel orando, vel denique verbo imperando. Nec vlla ex parte hic læditur dignitas Verbi, sed, vt dictum est, maximè illustratur in externis operibus suis. Quod idcircò dictum est, quia opera interna diuinarum personarum longè maiora, & nobiliora sunt. In infinitum quippe maius est infininitū in eadē numero natura producere, quàm in eodem infinito producto finitam sustentare, atque ex tota sua substantia vocare ad vnitatem essentiæ, quam ex nihilo quantum ad animam, vel ex materia quantum ad corpus, ad naturam suam illo infinito fulcitam adsciscere. Verùm post illas actiones Dei internas, super omnia opera externa proculdubio Inuenitur incarnatio, vtpote media inter illas internas operationes, & omnia alia opera, quæ extra se operatus est. Nam ex parte personæ est infinita, ex parte verò Humanitas finita, ac terminata. Verbum enim factum est non in se, sed in Humanitate, vel in carne à suscepta, quæ est quantum ad hypostasin ipsummet Verbum. Quòd ergò maximè se manifestet, & exerat Deus in hoc opere Incarnationis, liquidum redditur. In primis enim in eo se prodit charitas, bonitas, suauitas, & amor Dei, cuius propriū est influere, & effundere se in creaturam. Nō potuit autem magis se extra effundere, & communicare, quàm ita inundando in creaturam, vt se eam esse efficiat. Nec rursus facere potuit vt creatura magis ad se refluat, redeatque, quàm faciendo illam Deum. Ex quo fit, vt Deus non respicias creaturam vt seruam, sed vt cognatam & propinquam, amādo eam summo amore, ita vt dicere posset: *Homo sum, humani nihil à me alienum puto:* Creatura quoque respicit Deum non tantùm vt Creatorem, ac Dominum, sed vt parentem, & consanguineum: diuina quoque vt sua, sibique familiaria respicit, quia Deus est. Quēadmodū, si tu velles, maximū amorem erga amicum tuum ostendere, non posses illi magis vniri, ac illi intimus reddi, quàm si talem d rcs

Simile.

Comparatio.

Propria diuinitatis opera quæ sint.

Damasc. lib. 3 cap. 13.

Summum inter omnia opera Dei Incarnationis opus extitisse.

Ratio prima. Dei erga nos amor Incarnatione quantus elucescat.

Proprium amoris Dei quid.

Simile.

ei amplexum, quo illum totum ita penetrares, vt tu esses ille ipse, item vt ille, esset tibi maximè amabilis, & tu illi. Hic est enim appetitus amoris, & ingenium, quemadmodū Philosophi cum ratione tradunt, vt vnum prorsus ex amico, & amante efficiatur: quòd cū in natura fieri non contingat diuina, quia immutabilis est, & vlli permisceri nequeat, fit tamen in comprehensa & ineffabili ratione in eadē persona, ob eius infinitam virtutem, & charitatem: quod exemplo creaturarum omninò caret.

Amoris ingenium quod sit.

¶Secundò in hoc opere apparet Dei potestas, magnanimitas, maiestas, humilitas, atque magnificentia, quæ se ad assumptionē vsq; terræ demisit: Nam caro hominis vilissima terra est, ita vt dicere valeamus: *Ecce Deus quasi vnus ex nobis factus est.* Ostenditur magnificentia, quod creaturam exaltauerit ad summū, quo pertingere poterat, id est, vlque ad personam Dei: nam essentia Dei effici, vel esse Deus natura, neutiquā poterat. Neque contentus fuit Deus illam, cùm nō esset, eleuare vsque ad esse in imagine, & similitudine Dei sitū, sed euehere voluit creaturam vsq; ad proprium esse, nempè diuinam hypostasin, cū qua omnia creata, & in creationem cadentia donata sunt. Vnde dicitur: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius:* & Propheta: *Suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum Principibus, cum principibus populi sui.* Maximam etiam humilitatem docuit, dū semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: estque saltus hic omni admiratione, ac stupore dignissimus, Creatorem velle fieri creaturā, Dominū velle fieri, & esse seruū. Mirabatur olim Michol, vxor Dauidis, Regē Dauidem præ amore Dei, coram arca saltare: at quantò maior, & admirabilior hic saltus Verbi in vterum Virginis, ex illo in præsepium, crucem, mortem, infernum, mundū, cœlum?

II. Ratio. Quales nam ac quantæ Dei virtutes eluceant in Incarnationis mysterio. *Gen. 3.* *Sap. 7.* *Psal. 112. & 1. Reg. 2.* *Philip. 2.* *2. Cor. 6.* *Luc. 1.*

Tertiò, summa ratione quoque diuina sapientia declarata est: maximè namque creaturam reducit ad finem suum. Vt enim flumētum bene habet, cùm fonti cōtinuatur, (sic enim neque deficiet, neq; siccabitur) ita optimè habet creatura, quando Deo Creatori suo coniungitur: qua ex vnione personæ diuinæ exurgit vnio omnium cum Deo per gratiam, & fit Christus caput nostrum, nos eius membra: ille Rex, nos eius regnum: ille sponsus, nos sponsa solùm, & amica: ille Dominus, nos eius possessio & peculium: denique ipse primogenitus inter multos fratres. Elucet deinde sapientia, quia non assumpsit irrationalem aliquam creaturam, quia indecorum esset, & margarita porcis proiecta videtur; neque ita honorasset hominem, neque tam esse amabilis vnio hypostatica. Neque verò etiam Angelum assumpsit, quia non esset ideò communis omnibus, verùm hominē omnium creaturarum epilogum, atque compendium: & vnum tantùm assumpsit, vt esset excellentia (vt dicitur) singularitatis, & vnitatis, vt vnus rex, vnum caput in corpore, vnus Papa in Ecclesia. Tertiò, ostensa sapientia in hoc, quod in carne mortali ad hostiam, victimamq; idonea, & Spiritu innocentissimo, & sanctissimo, & Verbo ad offerendū eam potētissimo, & ad decipiendum Leuiathan, nēpè diabolum, hominem apprehendit, & in hoc etiam, quod tali tempore mundo per legem, & Prophetas, per Philosophos, ac Sibyllas disposito, & continuis bellorum flagellis, penè confracto, atq; labefactato, teste Eusebio Cæsarien. lib. de demōst. Euang. & natura humana debiliori iam, & infirmiori ad suscipiendam disciplinā reddita, vt lib. 2. aduersus Gentes docet Arnobius: & existente eo tēpore Maria Virgine sola digna tanto maternitatis honore, vt asserit Basilius homil. 52. & in loco à Prophetis prædicto, atque Romanis subiecto magna cū pace & quiete regnantibus. His enim modis omnibus declarauit Verbum æternum sapientiam suā in opere Incarnationis.

III. Ratio. *Simile.* *Ephes. 1.* *1. Cor. 12. & Rom. 12. & seq.* *Ioan 3.* *Rom. 8.* *Matt. 7.* *Si irrationalē Deus creaturam, uno* *Angelicum assumpsisset, inde.* *Hebr. 2.* *Leuiathan quid mysticè.* *Euseb. lib. 1. de demonst. Euangel in proœm. tom. 1.* *Arnobius.* *B. Basil. to. 1.*

Deinde ad summā ipsius Christi gloriam hoc opus institutum est. Nam Christus homo quatenus Deo est vnitus, incomprehēsam, & inenarrabilem adeptus est dignitatem: nam in metallo diuinæ personæ Deus inuentus est, quemadmodum & Deus in humanæ naturæ metallo, habitu est inuentus vt homo: habet præterea animam tanta scientia, & gratiæ, atque gloriæ plenitudine cumulatissimam ac refertissimam: habet deinde tale corpus, tanta maiestate, ac diuinitatis plenitudine inhabitatum, atque tot etiam prærogatiuis illustratum: habet præterea electionē summam, vt sit summus doctor, supremum exemplum, maximus mediator, & hominis instaurator, & mundi, remunerator omnium bonorum liberalissimus, vindex omnium malorum iustissimus: positus in lucem Gentium, quia Deus est, quatenus verò homo est, propter gratiam capitis, idcirco eius obedientia, Adæ, atque omnium hominum delere promeruerit contumaciam, & (vt Paulus ait) inobedientiam: eius quoque in sustinenda morte patientia, iusto titulo comparauit, & dæmonem aliorum dominatu priuaret, ac spoliaret. Quia enim deuorauit iniusti vitam, coactus est eam cum omnibus alijs mortuis iustis euomere,

IV. Ratio. *Philip. 2.* *Ioan. 1.* *1. Tim. 2.* *Psal. 49.* *Ephes. 1. & Colos. 1.* *Rom. 5.* *Philip. 1.* *Hebr. 2.*

Damasc. l. 3. *Philipp. 2.*

Eleganti similitudine, Christi ex vnione cum Verbo summa dignitas explicatur.

mere, vt testatur Damasc. lib. 3. & propterea meritò comparauit sibi nomẽ, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c. Et quo magis Christi dignitatem concipere valeamus: finge tibi vno in homine aliquo oẽs omnium creaturarũ perfectiones, & virtutes positas & collocatas esse, vt sapientiam Salomonis, pulchritudinem Absalonis, celeritatem Azaelis, Sampsonis fortitudinem, obedientiam Abrahæ, Iobis patientiam, mansuetudinẽ Moysi, Iosephi prudentiam, sanctitatẽ Dauidis, Tobiæ misericordiã: & ne prolixior sim, sume omnes virtutes, omnia dona gratias, perfectiones, & prærogatiuas, quæ fuerunt, sunt, & erunt, & pone omnes illas simul, & colloca in vno homine, maximus certè & excellẽtissimus hic homo esset habendus. Verùm citra vllã comparationem, maius est, per vnionẽ hypostaseos, Filium Dei esse, quia est sapientia absoluta, nõ huius, vel illius; pulchritudo absoluta & infinita, fortitudo absoluta, & nõ tantùm Sampsonis, vel Achillis. Vnde rectè dictum est:

Psalm. 64.

Beatus, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis: hoc est, in his perfectionibus virtutum, atque summitatibus gratiarum, quæ soli Deo per naturam, & per gratiam vnionis personæ competunt, etiam Christo homini. Interrogauit Assuerus Imperator Aman seruum suum, dicens:

Esther 6.

Quid debet fieri viro, quem Rex honorare desiderat? &c. Respondit, homo, quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus regijs: & imponi super equum, qui de sella Regis est, & accipere Regium diadema super caput suum. Et primus de Regijs principibus, ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens, clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcunq; voluerit Rex honorare. Ad hunc profectò modum, humanitas Christi in equo regio sedet, quoniam in persona, & dignitate Dei sustentatur: habuit regium vestimentũ, videlicet opera diuinitùs edita & plena miraculis, quæ eum Filium Dei, & Regem gloriæ declarabant. Habuit prætereà Regium diadema in capite suo, id est, Sapientiam diuinã, qua dæmones callidissimos decepit, Pharisæorum obturauit ora, Iudæos in admirationem traxit, dicentes:

Christi hominis quale fuerit regium diadema. *Matth. 13.* *Ioan. 7.*

Vnde huic sapientia hæc, & virtutes? nobilissimus quisque, nempè Ioannes Baptista, Apostoli, & Prophetæ equũ eius tenere debent, id est, personã diuinã debent agnoscere, & præ lætitia alta voce clamare,

Esther 6.

Sic honorabitur quemcunq; voluerit Rex honorare.

Christi incarnatio, cum homine & Angelo, cum verò Virgini matri quantum profuerit.

Tertio, homo, & Angelus, & supra vtrumque Maria Virgo, magnã vtilitatem, ac dignitatem ex hoc mysterio incarnationis adepti sunt. Habent siquidẽ in Christo summam Viam, & Vitam, & Veritatem caput, expurgatorem, illuminatorem, præceptorem, perfectorem, & fermentum fermentans in remissionem peccatorum, in iustitiam, in gratiam adoptionis, & gloriam: habent vbi fidem, spem, & amorem exerceant: & homo habet resurrectionis suæ trahentem Magnetem, vimq́ue alios trahendi cõferentem, dantem etiam abundantiam sapientiæ, iustitiæ, humilitatis, & obedientiæ, consolatorem & magistrum. Habent, vnde in omni virtute complectenda, & in omnis vitij, ac peccati fuga sumant exemplum. Postremò, mundus reliquos redit ad suum principium in Christo, in quo inæqualia, æqualiter tamen ex gratia exaltata sunt: nam humores, membra, facultates naturales, anima, corpus, elementa licèt inæqualia, æqualiter à Deo sustinentur in esse diuino. Bonũ etiam totius mundi videtur, quia in vna sui parte Deus est: & purgatur ab omni sua deformitate peccati per gratiam hîc, & in cœlo per gloriam, per iustitiam verò hîc, & in inferno. Atque hactenus quidem de mysterio Incarnationis philosophati sumus.

Ioan. 14.

Idq́; quid mundo mysterium incarnationis contulerit.

Omni ergo studio nitamur, vt tanto honori, quem natura humana suscepit, fidei puritate, vitæq́ue sanctimonia, & bonorum fructibus operum, vel ex parte aliqua respondeamus, Præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cũ Patre, & Spiritu sancto omnis laus, magnificentia, & imperium detur in sæcula sæculorum, Amen.

Beneficium incarnationis à nobis quid postulet.

TRACTATVS XXXVIII.

Quo exponuntur illa verba: Et habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius (gloriam quasi vnigeniti à Patre) plenum gratiæ, & veritatis.

Scopus Euangelistæ.

HACTENVS expresit Ioannes incarnationis mysterium, nunc vel illud prosequitur magis declarando, quomodo Verbum caro factum est: nimirùm intelligẽ incarnationem sic factam, vt per illã in nostra substãtia habitauerit, tabernaculum ex carne sibi construendo, quod inhabitaret. Græcè enim dicitur ἐσκήνωσε, hoc est tabernaculum posuit inter nos, de quo liber Ecclesiastici: *Et qui creauit me*, inquit, (id est genuit) *requieuit in tabernaculo meo.* Et alludit ad tabernaculũ testimonij, in quo Deus in medio filiorum Israël habitabat quasi in domo propria: ita verbi diuinitas in corpore. Vocat autem tabernaculum; vt ostendat nõ fuisse confusas duas naturas per id quod

Eccl. 24. *Quomodo Deus Verbum habitarit in nobis.*

 dixit:

Theophyl. in Ioan. Chrys. hom. 10 in Ioan. tom.3.

dixit: *Verbum caro factũ est*, vt notant Theophylactus, & Chrysostomus: nam aliud est tabernaculum, aliud habitator eius. Atque ita hęc particula, more Hebręo, esset explicatio præcedentis: quemadmodum cùm Apostolus mysterium incarnationis exinanitionem ipsius Dei appellasset, maioris expositionis gratia subdit: *Formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.*

Philip.2.

Qualis hæc phrasis: Verbũ incarnatum habitauit in nobis.

Vel alter sensus esset, quod Deus iam incarnatus habitauit in nobis, siue nobiscum, siue inter nos: sic enim plerumque capitur illa præpositio, vt cùm dicitur: *Benedicta tu in mulieribus*, hoc est, inter mulieres: & Paulus: *Ad obediendum Fidei in omnibus gentibus pro nomine eius, in quibus* (pro inter quos) *estis & vos, &c.* Et hoc autoritate Prophetæ confirmatur, qui de hoc mysterio prophetauit: *Post hæc*, inquit Baruch, *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

Luc.1. Rom.1. Baruch 3.

Incarnati Verbi inhabitationes in nobis aliæ non vulgares.

Habitauit ergo pręsentia corporali inter nos in natura humana nostræ haud dissimili, quasi in domo quadã, & in sensib^9 etiam nostris, & habitat vsq; ad iudiciũ extremum per sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, quo pacto illud intelligi potest: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationē sæculi*: post in æternũ habitabit magis intrinsecè, gloriosiùs quoque, ac diuturniùs ad cacodæmonum confusionem, & damnatorum, qui quidem inuidia rumpentur.

Matth. vlt.

Diuini Verbi ante incarnationem in nobis inhabitatio qualis.

Habitatio igitur ante incarnationem non erat in se, erat tamen in figuris, & cęremonijs: ita vt illa habitatio vmbratilis, & typica duntaxat, ad hanc veram, & figuratam introduceret. Quæ quidē inchoata est ab vtero sanctissimæ Virginis, quem non est quod horreat Verbum æternum, & Sol iustitiæ Christus, quia non inficitur, & mundissimus prius erat, ac sanctificatus à Spiritu sancto in eam superueniente: & mēsibus nouem vt verus homo illum inhabitauit, iuxta illud: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum.* Et vt Cyrillus ponderat, dictum est: *Habitauit in nobis*, quia dum vnam naturam assumpsit, in omnibus nobis per assumptionem vnius quodammodò habitauit, qui ad reparandã omnibus naturam communem venit. Docetque Euangelista, impletas esse Propheticas voces, quæ promittunt Messiam venturum & habitaturum nobiscum. Ait enim Zacharias: *Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.*

Luc.1. Cyrill. lib.1. in Ioan. cap.16. tom.1. init. Zachar.2.

Christi sine semine viri conceptio cur minimè phantastica.

Et quamquam sine viro conceptio Christi perfecta sit, non propterea tamen phantasma est iudicandus: aliàs enim Adam & Eua sine semine formati, homines veri non essent. Qui quidē sensus satis germanus est, & cohærens cum sequentibus, nempè: *Et vidimus gloriam eius.* Nã ex eo quod habitauit, & conuersatus cum illis est, congruè testes oculati esse possunt ad testificandam gloriam eius.

Gen.2.

Cyrillus vbi suprà.

Quorsum Ioannes dixerit, Verbũ carnem factum in nobis habitasse.

Adiecit hoc autem, vt Cyrillus expendit: ne quis existimaret, verbum cùm se ad carnis humilitatem submisisset, & nube carnis nostræ esset indutum, nō illuxisse, vt sol obductus nubibus radios suos non emittit; ait, eius Deitatis lucem, & gloriam non fuisse celatum. Deinde vt oculorum testimonio comprobaret, verum esse quod dixerat, *Verbum caro factum est*: quemadmodum id ipsum mox probat testimonio auditus percepto à Ioanne. Sat autem fuisset Verbum fieri carnem, & statim ad cœlos euolare ad mundi redemptionem. Sed vt persuadeat sibi homo rusticus, quòd habitabit in æternum cum rege in cœlo, opus fuit vt Rex ipse cum eo habitaret in illa sua. Latet etiam in verbo habitandi, beneficium, & vtilitas domus habitatæ. Nam quæ domus habitatore destituitur, deterioris conditionis est domo habitatorē habente; ita ex eo quod Verbum humanam naturam inhabitauit, innumeras ac ingentes vtilitates, commoditates, atque prærogatiuas in hominum genus inuexit, ac contulit: & quemadmodũ vt commodiùs viuamus, non in syluis, aut speluncis degimus, verùm in domibus ad cómoda, & necessaria humanæ vitæ constructis: ita diuina sapientiæ commodissimã hanc, & suauissimã incarnationis rationē excogitauit, qua mũdi salutem aptissimè operaretur.

Simile.

Caietani sensus improbatur.

Minimè autē placet Caietani sensus, intelligētis hoc loco non de habitatione in humana natura assumpta, nec de habitatione exterioris cóuersationis loqui Ioannem: quia non dixit, inter nos, vel nobiscũ, verùm de habitatione spiritali in cordib^9 nostris, ne scilicet putaremus, Verbum ex hoc quod factũ est caro, impeditũ esse & exclusum ab habitatione in cordibus nostris. Sed re vera alienus est hic sensus à Patribus. Deinde ignorauit tropum Hebrææ linguæ, in qua *in*, prępositio, frequenter vsurpatur pro *inter*, & ratio eius oppositũ potiùs cócludit.

In, pro inter, apud Hebræos nō rarò vsurpari cósueuit.

Nam exinde, quod Verbum caro factum est, & habitare in hominis assumpta natura dignatum est, sequitur, quod & in cordibus nostris habitare dignabitur, & ad hoc, vt Apostoli testimonium reddant de gloria Christi visã, nō facit ad rē habitatio cordiũ spiritualis, verùm habitatio in humana natura assumpta, & in externa cóuersatione demóstrata. Sequitur: *Et vidimus gloriam eius.* Quo sermone in primis ostēdit, quomodo scire potuerit, vel Verbum carnem factum, vel tantæ eius

fructum

fructum humiliationis & deiectionis, id est, gloriam eius, quam in se quidem videre difficilè, in nobis verò difficiliùs, quod oculi corporis nostri puluere carnis cœcati erant. Veruntamen quemadmodum oculi cæci nati luto ex sputo Christi confecto peruncti, & loti, ad videndum Christum illuminati sunt; ita mentis nostræ oculi luto carnis Christi peruncti, & aqua baptismi purgati, clari, ac perspicaces, tùm ex parte habitus, tùm ex parte rei obiectæ redditi sunt. Vt enim Sol nube tectus, facilè conspici potest, ab oculis nostris, sic Dei filius assumptæ humanitatis nostræ nube vestitus, visus, ac cognitus est. Quemadmodum etiam, vt ille habitaret nobiscum, & nostras infirmitates assumeret, necessarium fuit, nempè vt verus homo cognosceretur, ita ostensio gloriosæ Deitatis necessaria fuit, nimirùm, vt tanquā verus Deus, ac proinde idoneus Dei, & hominum mediator apprehenderetur. Ait ergo, *Et vidimus*, quo numero multitudinis Ecclesiam generalem complectitur, quæ præ infidelibus vidit, sicut Ecclesia Christi, præ Synagoga, magis vidit, & Ecclesia primitiua præ ea, quæ illam consecuta est, & discipuli præ primitiua, & Apostoli præ discipulis magis viderunt: & Ioannes Euangelista inter Apostolos, magis vidit: nam discipulus Christi dilectus erat, & familiaris, & intelligentiæ dono præ cæteris magis ornatus. Vnde dicitur cucurrisse citius Petro ad monumentum: & viso in litore Christo alijs non videntibus, dixisse, Dominus est. Poterat autem habitare inter nos Christus, neque videri, quemadmodū fecit, quando transiens per medium illorum (scilicet Iudæorūm) ibat: sed vt impijs ignoratum, & minimè visibilem se reddebat: ita interdum à pijs, & fidelibus suam gloriam videri permittebat: *Gloriam eius.*

Ioan. 9. *Comparationes.* *Non omnes ex æquo gloriam Christi viderunt.* *Ioan. 20.* *Infra 21.* *Luc. 4.*

Non quidem ipsam gloriam in se, sed in signis & miraculis ostensam & declaratam, quamquam ex eis oculo corporeo sensuúc comprehensis eueherentur fide ipsa ad gloriam Christi videndam. Quæ fides tam clara & firma in Apostolis erat, vt visio diceretur. *Quod fuit*, inquit Ioan. *ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, &c.* Et Christus Matth. 13. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, &c.* Cùm Prophetæ in figuris, & vmbris posteriora tantùm viderint Verbi. Nos autem reuelata facie, gloriam Domini speculamur, vt ait Apostolus. Claritatem ergo internam Christi fide ex signis colligebant, externam autem famam, & gloriosam opinionem, videlicet opera, signa, verba etiam sensu apprehendebant. Vidit autē Ioannes Christi gloriam, tùm in signis editis à Christo, & propria virtute factis: vnde in primo signo, quod edidit in Cana Galilææ, vt dicitur Ioan. 2. *Manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius*: tùm in miraculis, quæ operabantur Apostoli, quæ ad Christi gloriam illustrandam duntaxat edebant. Hinc est, quòd Petrus dixit claudo ad portam speciosam mendicanti: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Vidit etiam gloriam Christi in Transfiguratione, in qua viderūt gloriam Christi: & voce de cœlo delapsa, *Hic est Filius meus dilectus, &c.* Agnouerunt gloriam quasi vnigeniti à Patre, in Resurrectione, in Ascensione, in Clarificatione Patris æterni dicentis: *Et clarificaui, & iterum clarificabo*: in clarificatione etiam (sic enim cum Scripturis loquar) quam accepit à Spiritu sancto, de qua Domini est illa vox: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet: & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis*: in clarificatione Angelorum, qui in eius mysterijs in se illi ministrabant, & nobis propter eum tātùm ministrant. Verba etiam Iesu plena erant potestatis, & efficaciæ, & loquebatur tanquam potestatem habens, &c. vt ait Matth. rursus: *Ego autem dico vobis.* Eijciebat spiritus verbo, ventis, & mari imperabat, denique omnis natura ei subdita erat, atque omne regnum seruiebat: nam lapis Danielis comminuit statuam Nabuchodonosor.

Verbi gloria incarnati à nobis quatenus visa. *1. Ioan. 1.* *Prophetæ vt viderint gloriam Christi.* *Exod. 33.* *2. Cor. 3.* *Ioan. 2.* *Actor. 3.* *2. Petr. 1.* *Matth. 3.* *Infra 17. &* *2. Pet. 2.* *Ioan. 12.* *Infra 16.* *Hebr. 1.* *Matth. 7.* *Suprà 5. & seq.* *Infrà 8.* *Daniel. 2.*

Dicit autem, *Gloriam eius*, id est, in eo terminatam, & quiescentem. Nam cùm Deus sit, sicut omnium est principium, ita etiam vltimis est finis: nostra autem gloria & Angelorū haud debet in nobis terminari, sed referri in Deum omnis boni nostri auctorem, & causam, iuxta illud: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Apoc. 1. & 21. & 22. *2. Cor. 10.*

Quasi vnigeniti à Patre, Verbum, *Quasi*, in hoc loco, vt Ioannes Chrysostomus homilia in Ioan. 11. & Theophylactus Euthymiusque testantur, non est nota similitudinis, neque parabolæ, sed cōfirmationis certissimæ & veritatis. Quasi dicat, vidimus gloriam, qualem verè deceat, & credibile sit habere vnigenitum, & amantissimū omnium Regis Dei Filium: sicut etiam vulgus cernens cultum regium, purpuram, satellitium, maiestatem, dicere solet, incedit quasi Rex. Quando enim quis gerit personas duas, quædam ei tribuuntur ratione vnius, quædam ratione alterius, vt quædam, v. g. Pontifex facit quasi homo, quædam quasi Pontifex: sic Christo duas habenti naturas, quædam illi tribuuntur ratione humanæ, quædam verò ratione diuinæ naturæ.

Chrys. tom. 3. in princ. *Theoph. ibid.* *Euthym. ibid.* *Illud: Vidimus gloriam quasi vnigeniti a Patre, quo sit accipiendum modo.*

Quasi, etiam in principio dictionis apud

Quasi. particula, duo signat.

Dan. 7.

Nehem. 7.

Hebræos, vt viri docti adnotarunt, nõ tam est similitudinis indicium, quàm affirmans, atque veritatẽ exprimens. Vnde Daniel. 7. dicitur: *Quasi filius hominis veniebat*: id est, verè filius hominis. Et Nehemiæ 7. *Quasi vir verax*: id est, verè vir verax; & ita Isai. 1. *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen* כמעט profectò & verè paruas reliquias, & alijs in locis accipitur. Non ergo, quasi, Latinè, vel ὡς Græcè, vel כ Caph Hebraicè veritatem negat, vel diminuit, sed potiùs veritatem affirmat & exprimit. Dixit autem hoc Euangelista, ad differentiam Prophetarum, qui magna gloria & honore affecti sunt, vt Moyses, Helias, Helisæus, Daniel, tres pueri, qui miracula operati sunt, sed vt serui Dei, & filij adoptiui: at Christus vnigenitus filiusque naturalis: rursus, ad differentiam Angelorum, qui cum multa gloria in terra visi sunt, vt apud Danielem, & Dauidem, ac in Euangelio sæpiùs: verùm vt serui, & qui Domini mandata ad nos destinati exequerentur. Christus autẽ tanquam omnium Dominus & Princeps, & vnigenitus. Ex quo Apost. *Tãto melior*, inquit, *Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit.* Et paulò antè: *Cui enim Angelorum aliquando dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et rursus: *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus* (scilicet Iesus) *quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam*: Genitiuus domus pro ablatiuo. Dauid quoque: *Quis similis Deo in filijs Dei?* hoc est inter Angelos, qui Filij Dei dicuntur, qui ad gloriam Filij vnigeniti nõ perueniunt. Vocat autem Vnigenitum, quia perfectè vim generandi implet, ac terminat, accipiendo quicquid via generationis potest cõmunicari; & semper etiam generatur. Adoptiui etiam filij (quorum comparatione dicitur primogenitus) vnum corpus cum eo fiunt, illorum autem similis Christo est in gloria nemo: ne autẽ accidentaria productio vnigeniti, atque voluntaria minimè, verò naturalis, & substantialis putaretur, dixit, *Vnigeniti à Patre*: quem hactenus Verbum propterea vocauerat, vt materia, & carne constantem, ab eo generationẽ excluderet. Accidunt enim generationi semen, fœmina, tempus, mutatio, quæ defectũ corporis cõsequuntur; ac proinde à Deo, quàm longissimè absunt. Sed satis est, ad productionem naturalem, vt sit generatio viua hypostasis à viuente hypostasi in simili ei in specie ex vi productionis. Ex eo autem, quòd Verbũ per infirma instrumenta signa operatus est, & maiora, quàm per aptissimum Humanitatis suæ organum (dixit enim, *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet,*

Hebr. 1.

Psalm. 2.

Infrà 3.

Psalm. 88.

Iob 38.

Christum vnigenitum Patris cur dicat Euangelista.

Rom. 8. & alibi.

Diuina verbi generatio ab illa hominis quã sit aliena.

Ioan. 14.

& maiora horum faciet) maior gloria Verbi ostensa est; sicut confusa nostra inuidia, & superbia. Magna quippe gloria est, vilia, & stulta, & infirma Christi, nobiliora, sapientiora, & fortiora efficere. Mirè autẽ diuina sapientia Christi appetitum hominũ ostentãdi se ipsos repressit, per alios plura prædicando, & plura edẽdo signa atque miracula, quàm per se ipsum ediderit. Particulam, *à Patre*, quidã referunt ad gloriam, vt indicetur, gloriàm istã Filij à Patre processisse, & Patrem glorificasse Filium suum. Cyrillus verò & Theophylactus cum præcedẽte vocabulo *Vnigeniti* cõiungunt: vt si sensus, *Vidimus gloriã eius, vt gloriam vnigeniti Filij à Patre procedentis*, qui cùm est vna substantia; & vterque sensus verus est, & sustineri potest. Sequitur, *Plenũ gratiæ, & veritatis*: vbi in primis notãdũ est, verba illa (*Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*) esse per parenthesin legenda, vt doctè plerique obseruarunt, vt sententia sit: *Verbum caro factũ est, & habitauit in nobis, &c. plenum gratiæ & veritatis.* Itaque *plenum*, est nominandi casus, & masculini generis: quemadmodũ verbum Λόγος, eiusdem casus est, & generis. Dicitur autem plenus gratia Iesus, quia quatenus homo est, à Deo accepit nõ similitudinem in humana natura ad Trinitatem, vel vnionem per fidem, & amorem, verùm ipsam Deitatem, ac propterea præ omnibus meritò illi dilectus est, ac summè carus: Ob eandẽ etiam vnionis gratiam plenus est veritate increata, quam tamen alij tãtùm participant: tametsi is quoq; pro peccatoribus passus sit, non tamen homines, sed Pater erat finis, quẽ morte sua clarificari decreuerat potissimùm, idque vnũ illi propositum erat: quemadmodũ & Angeli post Patrem, ipsum Christum glorificant, & exaltant. Habuit prætereà Iesus omnem gratiam (vt Theologi vocant) habitualem, quæ creari, & cõmunicari potest: quæ tamen, quia creatura est, infinita nequaquam est. Gratia autem singularis personæ, & capitis, sicut & veritas creata, in eo erant, verùm summo modo. Quemadmodum enim riui spirituum animalium in membris inueniuntur, in capite autem eorum fons, & origo: ita in electis particulares gratiæ inueniuntur, in Christo verò eminentissima quadã ratione vniuersæ colliguntur. Cognouit autem Iesus omnia creata quæ cognosci possunt, viditque creatorem à conceptu suo, & ab eo temporis momento non destitit, neque desinet in perpetuum videre. Quamquam fidem, & spem non habuerit, quòd defectum in se aliquem includant. Erat plenus gratia in conuersatione, & eloquio, quem

Cyrill. lib. 1. in Ioan. c. 17. to. 1. in princ. Theophyl.

Plenus gratiæ cur dictus Iesus.

Simile.

Christus fidem, & spem non habuit, & quamobrem.

admodum gratuita quoque vnio hypostatica, & ad alios gratiosos apud Deum, hominesque reddendos accommodata. Alij verò Deo cooperando, dona gratiæ percipiunt: quod locum maximè habet in Christo, & Maria, qui ita benedictionibus dulcedinis præuenti intelligendi sunt, vt pura gratia in eis reluceret.

Quod si obijcias; quomodo Verbú plenum erat gratia, & veritate, de quo ait Lucas: *Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines?* Dicendum est: Christum & si corporis verum augmentum in dies susciperet, gratia tamen & sapientia eatenus dici proficere, quatenus illa magis exerebat, ac per opera maiora manifestabat, vt suo loco latiùs explicabitur. Interim contenti erimus testimonio Gregorij Nazianzeni, qui Epistola ad Clidonium sic habet: *Si quis eum* (scilicet Christum) *ex operibus perfectionem assecutum fuisse, aut post Baptismum, vel resurrectionem à mortuis, in filium adoptatum fuisse dixerit, quemadmodum quos Græci ascriptitios inducunt; anathema sit. Neq; enim quod cœpit, aut progreditur, aut perficitur, Deus est: tametsi hæc de eo idcircò dicantur, quod paulatim hominibus inclaruerint.* Sic magnus ille Pater. Ad hæc gratia prior est dignitate, veritas prior natura, quam nos pluris facimus: Ideò Euangelista præposuit gratiam veritati. Quod si interdú legamus Sanctos gratia plenos, vt de Stephano: longè tamen aliter Verbum incarnatú plenum fuit gratia. Illi siquidem ob id gratia pleni dicuntur, propter gratiæ quæ est in illis, abundantiam, quæ tamen in mensura data est: non enim habuit maximam gratiam, quæ in humana natura esse potest, nec etiam omnia charismata, sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, vnus quidem sic, alius verò sic: At Christus summa gratia cumulatus est, & omnia charismata eminentissimè habuit. Et quia plenus gratia Christus, tanquam saccus aliquis ruptus est in cruce, vt talentú videri posset: & tanquam ager in cruce aratus, vt thesaurus in eo detectus inueniretur. Quia verò plenus veritate, impleuit figuras Veteris Testamenti: *Nolite*, inquit, *putare quoniam veni soluere legem, aut Prophetas. Non veni soluere legem, sed adimplere.* Palàm etiam docebat, vt qui veritaté possideret, veritateque proposita vrgebat, & cùm res exigebat, reprehendebat etiam vehementiùs, & increpabat. Malè autem habent oculi nostri, quibus inglorius videtur Christus. Quòd si solam crucem sine gloria ostédisset, fortassis homines excusari possent: nunc verò proposita gloria, nullus est excusationi locus.

Luc. 2. Quomodo verú sit, Verbum plenum gratiæ, & veritatis; quod alibi proficere gratia, & sapientia perhibetur?

Lib. 3.

Greg. Nazian. Epist. 1. ad Clidon. paulò ante medium.

Ascriptitij dij apud Græcos.

Gratiam veritati cur præposuerit Euangelista.

Actor. 6.

Alia in sanctis, alia in Christo est gratiæ plenitudo.

1. Cor. 7.

Crux nobis quanta bona adferat.

Matth. 5.

Christus cur dictus plenus veritate.

Ex ea enim oritur studium ardens sequendi Christum, eiusque sequela, & omnium virtutum augmentum, tenebrosi etiam dæmonis fuga, atque omnis peccati. Satagamus igitur, vt simul cum Ioanne illam præ oculis habeamus, vt Patrem honorificemus, & mediatorem linguis, & operibus illustremus, ipsomet Domino Iesu Christo præstante, cui cum Patre, & Spiritu sancto, exhibeatur omnis laus, gloria, & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

Ardens crucis amor quid efficiat.

TRACTATVS XXIX.

In illa verba: Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat, dicens: Hic erat quem dixi, Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.

NOLI admirari prudens Lector, si hoc Ioannis de Christo redditú testimonium hoc loco tractauero: nam ad id efficiendum impulsus sum, & coactus; tùm quod generale sit testimonium, tùm quod post illud immediatè subiunguntur quædam, quæ ad Ioannis testimonia minimè spectant, vt quidam volunt, sed sunt verba Euangelistæ continuata cum prioribus: nempè, *Plenum gratia, & veritatis.* Et, *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Et rursus alludens ad plenitudinem veritatis, subiungit: *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Propositum ergo nobis est, paucula hæc verba cum superioribus coniungere, siue Ioannis Baptistæ sint, siue Ioannis Euangelistæ verba: siue essent hoc loco tractanda, an verò in quartum librum reijcienda, in quo propriè de missione Ioannis, deque testimonijs Christo exhibitis latiùs erit agendum.

Cur hoc Ioannis de Christo testimonium præsenti loco explicetur.

Deinde aduerte, Caietanum magna contétione disputare hoc loco, & asserere, verba illa postremo loco exposita, nimirùm, *Plenum gratiæ, & veritatis*: quæ, vt diximus, Græcè masculinè proferuntur, nó ad verbum præcedens, sed ad sequens, Ioannes, esse referenda: vt sit sensus, Ioannes plenus gratiæ, & veritatis, testimonium perhibet, &c. vt Ioannis duntaxat qualitaté, & virtutes in testificando describat. Nam cùm omnis homo mendax sit, ac proinde testimonium Ioannis ex suo genere fallax: Ioannes benè affectus, optimeque veritate instructus describitur, causa, & effectu: plenitudo siquidem gratiæ causa est plenitudinis veritatis. Neque nouum est in Sacris literis

Hæc verba Plenum gratiæ, & veritatis, ad Ioanné Baptistam esse referenda, vnde putauerit Caietanus. 1. Argum.

Psal. 115.

alios

idiomatum,& personæ. Adhæc,licet inueniatur in quibusdam penetratio,atque vna hypostasis,vt in corpore,& anima:nō sunt tamen naturæ perfectæ,nec est communicatio idiomatum in illis:& minor est vnio, quia imperfectarum naturarum,ac minus inter se distantium,& solubilium. Quare

B. Athanas.

comparatio illa , qua vtitur Athanasius in symbolo. *Nam sicut anima rationalis* , inquit,

Aug. 10. eod.

& caro vnus est homo;ita Deus, & homo vnus est Christus,quam etiam August. vsurpat epist. 57.ex parte quidem vera est,& congrua:ex parte verò neq; vera,neq; congrua, quemadmodum Iustinus Martyr docet in expo-

Iust mart. 10. 3. in prin.

sitione fidei de sancta consubstantiali Trinitate,cuius verba hæc sunt:*Nonnulli vnionē*

Exemplum Athanasij: Nam sicut anima rationalis,& caro vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus, quatenus verum, & congruum sit teste Iustino.

eam veluti animæ cum corpore,mente complexi, ita prodiderunt,& congruens est exemplum, tametsi non ex omni parte , aliquatenus tamen. Quemadmodum namque vnus est homo,& naturas inter se differētes duas in se obtinet:ac per alteram quidem ratiocinatur;per alteram autem, quod ratione concepit,efficit : ita Filius cum vnus sit,& duæ naturæ;altera diuina edidit miracula. Altera humilia excipit. Quæ enim ex Patre est,Deus est,res admirād as operatur:quæ verò ex Virgine & homo,crucē,passionem,& consimilia, suapte voluntate naturaliter perfert. Hucusq; si

Idem exemplū quatenus sit falsum & incongruum.

quis exemplum hoc recipiat,rectè se habeat cōparatio At si rursum rem totā similitudini cōferas, differentia apparebit. Nam homo etiāsi duplicem in se ostendat naturā, non duæ tamen naturæ est,

Simile.

sed ex duabus naturis constat:Vt enim corpus cōponitur quidem ex igne,ex aere,& aqua,& terra,minime verò iam corpus esse dixeris ignē, aut aerē,aut quicquā aliorum:nō enim idem est cum his,vnde constat, diuersa quippe est ratio cōpositæ rei,& eorū,vnde est composita. Sic homo quamuis ex anima, & corpore constet,alius est tamen, quàm sunt ea,vnde constat. Hæc ille docens in cōpositione hominis esse duplicē vnitatē, alterā naturæ,& personæ alterā. Non sic in Christo, in quo etsi personæ vnitas insit, remanet tamen duplex natura , quorū vna nō est altera. Est & alia dissimilitudo:quoniam anima separatur à corpore, Diuinitas verò nunquam fuit ab Humanitate diuisa, neq; disiūcta. In ea etiā cōparatione surculi,& arboris,vt diximus, nulla est penetratio,neq; vtrunq; totū,sed pars, nec cōmunicatio idiomatū. At verò in vnione rationalis partis,& sentiētis in homine, id quod

Quare maior sit vnio diuinarum personarum quàm Hypostatica.

sentit,est pars, & item,quod rationale est, absq; eo; solaq; vnio trium personarum in essentia vna,maior est quàm illa Incarnationis,quòd Personæ in vno infinito esse vniantur,cùm tamē in Incarnatione duæ naturæ in infinitum à se inuicē distent: quàuis vna,nempè humana in alterius,id est,diui-

næ,subsistentia,siue hypostasi sustentetur, non tamen ob id est naturæ suæ basis,ac sustentaculum. Quemadmodum si domus ex

Simile.

lignis,ac gemmis constructa , & basi gemmea fulciretur , non ideò basis esset gemma , immò nec basis gemmea esset lignum; cùm tamen verissimum sit,quòd Verbum sit homo, quod est omni prorsus admiratione , & stupore dignum. Quòd si eam inuestigare velles, profectò non alia videtur , nisi quòd Verbum non sustentat hominem in dignitate, & gradu hominis,sed in dignitate,& gradu Dei. Sustentat enim quamlibet Deus creaturam in esse suo , & hominem sustentat in esse, & subsistentia humana,siue in basi creata: at verò homi-

Tantæ Diuini Verbi cum humana natura vnionis, ita vt Verbum sit homo, quæ ratio sit.

nem Iesum in gradu,& persona Dei,siue in basi increata sustentat : non secus ac si Rex

Comparatio.

suos omnes seruos,& familiares, ac Principes sibi ministrantes, & eorum quemlibet sustentaret in gradu suo, vnum tamē ex eis, peculiari dono,in gradum , & dignitatem Regis euectum sustentaret:nam talis ad tātum dignitatis culmen euectus,deberet habere totum regnum , omnes regni opes, & gazas,atq; omnem honorem,qui Regi impenditur,quasi illi dixisset Rex, volo vt sis mea persona : adhuc tamen ille sic ad regiū decus atque splendorem promotus, persona differret à Rege. Verùm si esse personæ Regis valeret infinitum plusquàm regnū, atque illi adhuc suum esse personæ donaret,nihil tamen inde,quod altari daret, amitteret , ibi perfectum exemplum Incarnationis haberemus. Quod si Rex non donaret esse personæ , suamue subsistentiam, sed tātùm naturam duobus alijs, quę tamē natura esset infinita , & quam vt principale consequeretur , quasi accessorium ipsum regnum (si sic loqui fas est) haberemus in illis tribus exemplū Trinitatis expressum: in his enim tribus esset vna tantùm voluntas,vna operatio, quemadmodū & vna essentia est. In Christo igitur cùm duæ naturæ sint , vna est tamen persona diuina solummodò, quæ etiam est in natura humana, quam sustinet,quia est indiuiduum humanum. Et quod vna sit tantum persona in duabus naturis,patet : quia , vt supra probatum est contra Nestoriū,non est humana persona in Christo: & diuina,quia immutabilis,non potest amitti. Deinde manifestum est:quia idem dicitur Deus , & homo;non autem propter eandem naturam, ergo propter eandem personam. Quòdque idem,Deus,& homo dicatur,constat:nam Christus & filium hominis , & filium Dei sese vocabat. Et Petrus in Actis: *Certissimè sciat ergo omnis domus Israel,quia & Dominum*

Quod vna in duabus naturis in Christo sit persona, probatur.

Christum Deū & hominem dici, ostenditur.

Act. 2.

Rom. 9. *eum, & Christum fecit Deus* (id est Deum & hominem) *hunc Iesum quem vos crucifixistis.* Et Paulus: *Ex quibus Christus secundū carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula:* &
Ioan. 4. Soluere Iesum iuxta Ioānem, quid. Ioannes: *Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est:* id est, Qui Diuinitatem ab Humanitate, & Humanitatem à Diuinitate distungit. Hoc significat: *Verbum caro factum est:*
Luc. 1. hoc includit in sua notione nomē Emmanuel: hoc dixit Angelus Virgini: *Quod nascetur ex te sanctū, vocabitur filius Dei.* Et quia nascetur ex te, homo erit: & quia vocabitur filius Dei, erit filius Dei, & Deus. Item cùm duę in Christo naturæ, & duę personę esse non possint, vt aduersus Nestorium iā probatum est: nec possit esse vna natura, & vna persona, quemadmodum demonstratum est cōtra Eutychetem; nec rursus possit vna natura esse in duabus personis, quia si esset sola natura humana, amissa esset diuina, & solùm esset homo, nō autem Deus, & si sola esset diuina natura, amissa esset humana natura, & persona humana non esset diuina, & Christus solùm esset Deus, non autem homo. Superest ergo quartū membrum, vt vna sit tantùm persona in duabus
Boetius. naturis, vt egregiè ratiocinatur Boetius libro de duabus naturis cōtra Eutychetem.
Aduersus Bezam duplicem in Christo cōstituentem hypostaticam vnionem. Proinde falsum est quod Beza libro In Schmidelinum de hypostatica duarum naturarum vnione disputans scripsit: semper se duas vniones hypostaticas in Christo ponere, vnam animę cum carne, alterā Diuinitatis cum Humanitate: quod profectò aliud non est, quàm Nestorij hæresin renouare. Nec enim in Christo est alia vnio hypostatica præter Verbi cum anima, & corpore: nam illa corporis cum anima naturalis est vnio, nisi quod in eo quod non est terminata ad humanam & creatam, sed ad diuinam Verbi hypostasin supra naturam extiterit.

Verbum per Incarnationē minimè mutatum fuisse. Secundò præmittendum est, vt superiùs diximus, Deum ita nobis profuisse, vt nihil sibi nocuerit: ideò Verbum per incarnationem nō fuit mutatum, vel confusum, vel ad patiendum aptum redditum, verùm omnis mutatio in Humanitate fuit: quēadmodum in flore, qui denuò prodiret, ac sustentaretur à Deo in se, hoc est, in natura
Simile. floris, in eo Deus certè nihil mutaretur, sed flos. Ideò in Incarnatione, Verbum nihil mutationis accepit, nec descendit de cœlo, nec inclusum secundùm Deitatem est in vtero, vel carne assumpta, quemadmodum anima in corpore includitur, sed Verbum erat vbique per Deitatem, carne autem vno loco circumscriptum: vbique tamē ve-
Comparatio. rum erit dicere, Verbum esse carni non

vbique existenti vnitum. Quemadmodum maritus extra vxoris Patriam, in qua illa manet, est quidem eius maritus vbique dicendus, quàm in vno tamen loco habet. Facit etiam Verbum propria diuinitatis opera per se, non per humanitatem, vt, conseruare mundum, implere cœlum, & terram, pluere, & similia: quanquàm Humanitas, & sciens, & approbans, etsi opus sit, etiam orans concurrat, vt Damascenus docet libro de Fide Orthodoxa. Cùm autem in via existebat Humanitas, ad miracula concurrebat tangendo, vel manus imponendo, vel in cœlum suspiciendo, vel orando, vel denique verbo imperando. Nec vlla ex parte hic læditur dignitas Verbi, sed, vt dictum est, maximè illustratur in externis operibus suis. Quod idcircò dictum est, quia opera interna diuinarum personarum longè maiora, & nobiliora sunt. In infinitum quippe maius est infininitū in eadē numero natura producere, quàm in eodem infinito producto finitam sustentare, atque ex tota sua substantia vocare ad vnitatem essentiæ, quam ex nihilo quantum ad animam, vel ex materia quantum ad corpus, ad naturam suam illo infinito fulcitam adsciscere. Verùm post illas actiones Dei internas, super omnia opera externa proculdubio inuenitur incarnatio, vtpote media inter illas internas operationes, & omnia alia opera, quæ extra se operatus est. Nam ex parte personæ est infinita, ex parte verò Humanitas finita, ac terminata. Verbum enim factum est non in se, sed in Humanitate, vel in carne à suscepta, quæ est quantum ad hypostasin ipsummet Verbum. Quòd ergò maximè se manifestet, & exerat Deus in hoc opere Incarnationis, liquidum redditur. In primis enim in eo se prodit charitas, bonitas, suauitas, & amor Dei, cuius propriū est influere, & effundere se increaturam. Nō potuit autem magis se extra effundere, & communicare, quàm ita inundando in creaturam, vt se eam esse efficiat. Nec rursus facere potuit vt creatura magis ad se refluat, redeatque, quàm faciendo illam Deum. Ex quo fit, vt Deus non respiciat creaturam vt seruam, sed vt cognatam & propinquam, amādo eam summo amore, ita vt dicere posset: *Homo sum, humani nihil à me alienum puto:* Creatura quoque respicit Deum non tantùm vt Creatorem, ac Dominum, sed vt parentem, & consanguineum: diuina quoque vt sua, sibique familiaria respicit, quia Deus est. Quēadmodū, si tu velles, maximū amorem erga amicum tuum ostendere, non posses illi magis vniri, ac illi intimus reddi, quàm si talem d res

Propria diuinitatis opera quæ sint. Damasc. lib. 3 cap. 13.

Summum inter omnia opera Dei Incarnationis opus existere.

Ratio prima. Dei erga nos amor Incarnatione quantus elucescat.

Proprium amoris Dei quid. Simile.

ei amplexum, quo illum totum ita penetrares, vt tu esses ille ipse, item vt ille, esset tibi maximè amabilis, & tu illi. Hic est enim appetitus amoris, & ingenium, quemadmodū Philosophicum ratione tradunt, vt vnum prorsus ex amico, & amante efficiatur: quòd cū in natura fieri non contingat diuina, quia immutabilis est, & vlli permisceri nequeat, fit tamen in comprehensa & ineffabili ratione in eadē persona, ob eius infinitam virtutem, & charitatem: quod exemplo creaturarum omninò caret. ¶Secundò in hoc opere apparet Dei potestas, magnanimitas, maiestas, humilitas, atque magnificentia, quæ se ad assumptionē vsq; terræ demisit: Nam caro hominis vilissima terra est, ita vt dicere valeamus: *Ecce Deus quasi vnus ex nobis factus est.* Ostenditur magnificentia, quod creaturam exaltauerit ad summū, quo pertingere poterat, id est, vsque ad personam Dei: nam essentia Dei effici, vel esse Deus natura, neutiquā poterat. Neque contentus fuit Deus illam, cùm nō esset, eleuare vsque ad esse in imagine, & similitudine Dei sitū, sed euehere voluit creaturam vsq; ad proprium esse, nempè diuinam hypostasin, cū qua omnia creata, & in creationem cadentia donata sunt. Vnde dicitur: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius:* & Propheta: *Suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum Principibus, cum principibus populi sui.* Maximam etiam humilitatem docuit, dū semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: estque saltus hic omni admiratione, ac stupore dignissimus, Creatorem velle fieri creaturā, Dominū velle fieri, & esse seruū. Mirabatur olim Michol, vxor Dauidis, Regē Dauidem præ amore Dei, coram arca saltare: at quantò maior, & admirabilior hic saltus Verbi in vterum Virginis, ex illo in præsepium, crucem, mortem, infernum, mundū, cœluu? Tertiò, summa ratione quoque diuina sapientia declarata est: maximè namque creaturam reducit ad finem suum. Vt enim flumētum bene habet, cùm fonti cōtinuatur, (sic enim neque deficiet, neq; siccabitur) ita optimè habet creatura, quando Deo Creatori suo coniungitur: qua ex vnione personæ diuinæ exurgit vnio omnium cum Deo per gratiam, & fit Christus caput nostrum, nos eius membra: ille Rex, nos eius regnum: ille sponsus, nos sponsa solùm, & amica: illè Dominus, nos eius possessio, & peculium: denique ipse primogenitus inter multos fratres. Elucet deinde sapientia, quia non assumpsit irrationalem aliquam creaturam, quia indecorum esset, & margarita porcis proiecta videtur; neque ita honorasset hominem, neque tam esse amabilis vnio hypostatica. Neque verò etiam Angelum assumpsit, quia non esset ideò communis omnibus, verùm hominē omnium creaturarum epilogum, atque compendium: & vnum tantùm assumpsit, vt esset excellentia (vt dicitur) singularitatis, & vnitatis, vt vnus rex, vnum caput in corpore, vnus Papa in Ecclesia. Tertiò, ostensa sapientia in hoc, quod in carne mortali ad hostiam, victimamq; idonea, & Spiritu innocentissimo, & sanctissimo, & Verbo ad offerendū eam potētissimo, & ad decipiendum Leuiathan, nēpe diabolum, hominem apprehendit, & in hoc etiam, quod tali tempore mundo per legem, & Prophetas, per Philosophos, ac Sibyllas disposito, & continuis bellorum flagellis, penè confracto, atq; labefactato, teste Eusebio Cæsarien. lib. de demōst. Euang. & natura humana debiliori iam, & infirmiori ad suscipiendam disciplinā reddita, vt lib. 2. aduersus Gentes docet Arnobius: & existente eo tēpore Maria Virgine sola digna tanto maternitatis honore, vt asserit Basilius homil. 52. & in loco à Prophetis prædicto, atque Romanis subiecto magna cū pace & quiete regnantibus. His enim modis omnibus declarauit Verbum æternum sapientiam suā in opere Incarnationis. Deinde ad summā ipsius Christi gloriam hoc opus institutum est. Nam Christus homo quatenus Deo est vnitus, incomprehēsam, & inenarrabilem adeptus est dignitatem: nam in metallo diuinæ personæ Deus inuentus est, quemadmodum & Deus in humanę naturę metallo, habitu est inuentus vt homo: habet prętereà animam tanta scientia, & gratiæ, atque gloriæ plenitudine cumulatissimam ac refertissimam: habet deinde tale corpus, tanta maiestate, ac diuinitatis plenitudine inhabitatum, atque tot etiam prærogatiuis illustratum: habet prætereà electionē summam, vt sit summus doctor, supremum exemplum, maximus mediator, & hominis instaurator, & mundi, remunerator omnium bonorum liberalissimus, vindex omnium malorum iustissimus: positus in lucem Gentium, quia Deus est, quatenus verò homo est, propter gratiam capitis, idcircò eius obedientia, Adæ, atque omnium hominum delere promeruerit contumaciam, & (vt Paulus ait) inobedientiam: eius quoque in sustinenda morte patientia, iusto titulo comparauit, & dæmonem aliorum dominatu priuaret, ac spoliaret. Quia enim deuorauit iniusti vitam, coactus est eam cum omnibus alijs mortuis iustis euomere,

Margin notes (left): Amoris ingenium quod sit. — II. Ratio. Quales nam ac quantæ Dei virtutes eluceant in Incarnationis mysterio. — Gen. 3. — Sap. 7. — Psa. 112. & 1. Reg. 2. — Philip. 2. — 2. Cor. 6. — Luc. 1. — III. Ratio. — Simile. — Ephes. 1. — 1. Cor. 12. & Rom. 12. & seq. — Ioan 3. — Rom 8. — Matt. 7 — Si irrationalē Deus creaturam, uno

Margin notes (right): Angelum assumpsisset, inde. — Hebr. 2. — Leuiathan quid mysticè. — Euseb. lib. 1. de demonst. Euāgel in proœm. tom. 1. — Arnobius. — B. Basil. 10. 1. — IV. Ratio. — Philip. 2. — Ioan. 1. — 1. Tim. 2. — Psal. 49. — Ephes. 1. & Colos. 1. — Rom. 5. — Philip. 2. — Hebr. 2.

Damasc. c. 1. Philipp. 2. Eleganti similitudine. Christi ex vnione cum Verbo summa dignitas explicatur.

mere, vt testatur Damasc. lib. 3. & propterea meritò comparauit sibi nomé, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c. Et quo magis Christi dignitatem concipere valeamus: finge tibi vno in homine aliquo oés omnium creaturarũ perfectiones, & virtutes positas & collocatas esse, vt sapientiam Salomonis, pulchritudinem Absalonis, celeritatem Azaelis, Sampsonis fortitudinem, obedientiam Abrahæ, Iobis patientiam, mansuetudiné Moysi, Iosephi prudentiam, sanctitaté Dauidis, Tobiæ misericordiã: & ne prolixior sim, sume omnes virtutes, omnia dona gratias, perfectiones, & prærogatiuas, quæ fuerunt, sunt, & erunt, & pone omnes illas simul, & colloca in vno homine, maximus certè & excellẽtisimus hic homo esset habendus. Verùm citra vllã comparationem, maius est, per vnioné hypostaseos, Filium Dei esse, quia est sapientia absoluta, nõ huius, vel illius, pulchritudo absoluta & infinita, fortitudo absoluta, & nõ tantùm Sampsonis, vel Achillis. Vnde rectè dictum est:

Psalm. 64.

Beatus, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis: hoc est, in his perfectionibus virtutum, atque summitatibus gratiarum, quæ soli Deo per naturam, & per gratiam vnionis personæ competunt, etiam Christo homini. Interrogauit Assuerus Imperator

Esther 6.

Aman seruum suum, dicens: *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare desiderat? &c. Respondit, homo, quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus regijs: & imponi super equum, qui de sella Regis est, & accipere Regium diadema super caput suum. Et primus de Regijs principibus, ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens, clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcunq; voluerit Rex honorare.* Ad hunc profectò modum, humanitas Christi in equo regio sedet, quoniam in persona, & dignitate Dei sustentatur: habuit regium vestimentũ, videlicet opera diuinitùs edita & plena miraculis, quæ eum Filium Dei, &

Christi hominis quale fuerit regium diadema. Matth. 13. Ioan. 7.

Regem gloriæ declarabant. Habuit præterea Regium diadema in capite suo, id est, Sapientiam diuinã, qua dæmones callidissimos decepit, Pharisæorum obturauit ora, Iudæos in admirationem traxit, dicentes: *Vnde huic sapientia hæc, & virtutes?* nobilissimus quisque, nempè Ioannes Baptista, Apostoli, & Prophetæ equũ eius tenere debent, id est, personã diuinã debent agnoscere, & præ lætitia alta voce clamare, *Sic ho-*

Esther 6.

norabitur quemcunq; voluerit Rex honorare.

Christi incarnatio, cum homine & Angelo, cum verò Virgini matri quantum profuerit.

Tertiò, homo, & Angelus, & supra vtrumque Maria Virgo, magnã vtilitatem, ac dignitatem ex hoc mysterio incarnationis adepti sunt. Habent siquidé in Christo summam Viam, & Vitam, & Veritatem caput, expurgatorem, illuminatorem, præceptorem, perfectorem, & fermentum fermentans in remissionem peccatorum, in iustitiam, In gratiam adoptionis, & gloriam: habent vbi fidem, spem, & amorem exerceant: & homo habet resurrectionis suæ trahentem Magnetem, vimque alios trahendi cõferentem, dantem etiam abundantiam sapientiæ, iustitiæ, humilitatis, & obedientiæ, consolatorem & magistrum. Habent, vnde in omni virtute complectenda, & in omnis vitij, ac peccati fuga sumant exemplum. Postremò, mundus reliquos redit ad suum principium in Christo, in quo inæqualia, æqualiter tamen ex gratia exaltata sunt: nam humores, membra, facultates naturales, anima, corpus, elementa licèt inæqualia, æqualiter à Deo sustinentur in esse diuino. Bonũ etiam totius mundi videtur, quia in vna sui parte Deus est: & purgatur ab omni sua deformitate peccati per gratiam hîc, & in cœlo per gloriam, per iustitiam verò hîc, & in inferno. Atque hactenus quidem de mysterio Incarnationis philosophati sumus.

Ioan. 14.

Idéquid mundo mysterium incarnationis contulerit.

Omni ergo studio nitamur, vt tanto honori, quem natura humana suscepit, fidei puritate, vitæque sanctimonia, & bonorum fructibus operum, vel ex parte aliqua respondeamus, Præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cũ Patre, & Spiritu sancto omnis laus, magnificentia, & imperium detur in sæcula sæculorum, Amen.

Beneficium incarnationis à nobis quid postulet.

TRACTATVS XXXVIII.

Quo exponuntur illa verba: Et habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius (gloriam quasi vnigeniti à Patre) plenum gratiæ, & veritatis.

HACTENVS expressit Ioannes incarnationis mysterium, nunc vel illud prosequitur magis declarando, quomodo Verbum caro factum est: nimirùm intelligε incarnationem sic factam, vt per illã in nostra substãtia habitauerit, tabernaculum ex carne sibi construendo, quod inhabitaret. Græcè enim dicitur ἐσκήνωσε, hoc est tabernaculum posuit inter nos, de quo liber Ecclesiastici: *Et qui creauit me*, inquit, (id est genuit) *requieuit in tabernaculo meo*. Et alludit ad tabernaculũ testimonij, in quo Deus in medio filiorum Israël habitabat quasi in domo propria: ita verbi diuinitas in corpore. Vocat autem tabernaculum; vt ostendat nõ fuisse confusas duas naturas per id quod

Scopus Euangelistæ.

Eccl. 24. Quomodo Deus Verbum habitarit in nobis.

Theophyl. in Ioan. *Chryſ. hom. 10 in Ioan. tom. 3.* dixit: *Verbum caro factũ eſt*, vt notant Theophylactus, & Chryſoſtomus: nam aliud eſt tabernaculum, aliud habitator eius. Atque ita hęc particula, more Hebręo, eſſet explicatio præcedentis: quemadmodum cùm Apoſtolus myſterium incarnationis exinanitionem ipſius Dei appellaſſet, maioris expoſitionis gratia ſubdit: *Formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* (*Philip. 2.*) Vel alter ſenſus eſſet, quod Deus iam incarnatus habitauit in nobis, ſiue nobiſcum, ſiue inter nos: ſic enim plerumque capitur illa præpoſitio, vt cùm dicitur: *Benedicta tu in mulieribus*, hoc eſt, inter mulieres: & Paulus: *Ad obediendum Fidei in omnibus gentibus pro nomine eius, in quibus* (pro inter quos) *eſtis & vos, &c.* Et hoc autoritate Prophetæ confirmatur, qui de hoc myſterio prophetauit: *Poſt hæc*, inquit Baruch, *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Habitauit ergo pręſentia corporali inter nos in natura humana noſtræ haud diſsimili, quaſi in domo quadã, & in ſenſib⁹ etiam noſtris, & habitat vſq; ad iudiciũ extremum per ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, quo pacto illud intelligi poteſt: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſummationẽ ſæculi:* poſt in æternũ habitabit magis intrinſecè, glorioſiùs quoque, ac diuturniùs ad cacodæmonum confuſionem, & damnatorum, qui quidem inuidia rumpentur. Habitatio igitur ante incarnationem non erat in ſe, erat tamen in figuris, & cęremonijs: ita vt illa habitatio vmbratilis, & typica duntaxat, ad hanc veram, & figuratam introduceret. Quæ quidẽ inchoata eſt ab vtero ſanctiſſimæ Virginis, quem non eſt quod horreat Verbum æternum, & Sol iuſtitiæ Chriſtus, quia non inficitur, & mundiſſimus prius erat, ac ſanctificatus à Spiritu ſancto in eam ſuperueniente: & mẽſibus nouem vt verus homo illum inhabitauit, iuxta illud: *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis vterum.* Et vt Cyrillus ponderat, dictum eſt: *Habitauit in nobis*, quia dum vnam naturam aſſumpſit, in omnibus nobis per aſſumptionem vnius quodammodò habitauit, qui ad reparandã omnibus naturam communem venit. Docetque Euangeliſta, impletas eſſe Propheticas voces, quæ promittunt Meſsiam venturum & habitaturum nobiſcum. Ait enim Zacharias: *Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.* Et quamquam ſine viro conceptio Chriſti perfecta ſit, non propterea tamen phantaſma eſt iudicandus: aliàs enim Adam & Eua ſine ſemine formati, homines veri non eſſent. Qui quidẽ ſenſus ſatis germanus eſt,

Qualis hæc phraſis: Verbũ incarnatum habitauit in nobis. — *Luc. 1.* — *Rom. 1.* — *Baruch 3.* — Incarnati Verbi inhabitationes in nobis aliæ non vulgares. — *Matth. vlt.* — Diuini Verbi ante incarnationem in nobis inhabitatio qualis. — *Luc. 1.* — *Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 16. tom. 1. init.* — *Zachar. 2.* — Chriſti ſine ſemine viri conceptio cur minimè phantaſtica. *Gen. 2.*

& cohærens cum ſequentibus, nempè: *Et vidimus gloriam eius.* Nã ex eo quod habitauit, & conuerſatus cum illis eſt, congruè teſtes oculati eſſe poſſunt ad teſtificandam gloriam eius. Adiecit hoc autem, vt Cyrillus expendit: ne quis exiſtimaret, verbum cùm ſe ad carnis humilitatem ſubmiſiſſet, & nube carnis noſtræ eſſet indutum, nõ illuxiſſe, vt ſol obductus nubibus radios ſuos non emittit; ait, eius Deitatis lucem, & gloriam non fuiſſe celatum. Deinde vt oculorum teſtimonio comprobaret, verum eſſe quod dixerat, *Verbum caro factum eſt:* quemadmodum id ipſum mox probat teſtimonio auditus percepto à Ioanne. Sat autem fuiſſet Verbum fieri carnem, & ſtatim ad cœlos euolare ad mundi redemptionem. Sed vt perſuadeat ſibi homo ruſticus, quòd habitabit in æternum cum rege in cœlo, opus fuit vt Rex ipſe cum eo habitaret in illa ſua. Latet etiam in verbo habitandi, beneficium, & vtilitas domus habitatæ. Nam quæ domus habitatore deſtituitur, deterioris conditionis eſt domo habitatorẽ habente; ita ex eo quod Verbum humanam naturam inhabitauit, innumeras ac ingentes vtilitates, commoditates, atque prærogatiuas in hominum genus inuexit, ac contulit: & quemadmodũ vt commodiùs viuamus, non in ſyluis, aut ſpeluncis degimus, verùm in domibus ad cõmoda, & neceſſaria humanæ vitæ conſtructis: ita diuina ſapientiæ commodiſsimã hanc, & ſuauiſsimã incarnationis rationẽ excogitauit, qua mũdi ſalutem aptiſsimè operaretur. Minimè autẽ placet Caietani ſenſus, intelligẽtis hoc loco non de habitatione in humana natura aſſumpta, nec de habitatione exterioris cõuerſationis loqui Ioannem: quia non dixit, inter nos, vel nobiſcũ, verùm de habitatione ſpiritali in cordib⁹ noſtris, ne ſcilicet putaremus, Verbum ex hoc quod factũ eſt caro, impeditũ eſſe & excluſum ab habitatione in cordibus noſtris. Sed re vera alienus eſt hic ſenſus à Patribus. Deinde ignorauit tropum Hebrææ linguæ, in qua *in*, prępoſitio, frequenter vſurpatur pro *inter*, & ratio eius oppoſitũ potiùs cõcludit. Nam exinde, quod Verbum caro factum eſt, & habitare in hominis aſſumpta natura dignatum eſt; ſequitur, quod & in cordibus noſtris habitare dignabitur, & ad hoc, vt Apoſtoli teſtimonium reddant de gloria Chriſti viſa, nõ facit ad rẽ habitatio cordiũ ſpiritualis, verùm habitatio in humana natura aſſumpta, & in externa cõuerſatione demõſtrata. Sequitur: *Et vidimus gloriam eius.* Quo ſermone in primis oſtẽdit, quomodo ſcire potuerit, vel Verbum carnem factum, vel tantæ eius

Cyrillus vbi ſuprà. — Quorſum Ioannes dixerit, Verbũ carnem factum in nobis habitaſſe. — Simile. — Caietani ſenſus improbatur. — In, pro inter, apud Hebræos nõ rarò vſurpari cõſueuit.

fructum humiliationis & deiectionis, id est, gloriam eius, quam in se quidem videre difficilè, in nobis verò difficiliùs, quod oculi corporis nostri puluere carnis cœcati erant. Veruntamen quemadmodum oculi cæci nati luto ex sputo Christi confecto peruncti, & loti, ad videndum Christum illuminati sunt; ita mentis nostræ oculi luto carnis Christi peruncti, & aqua baptismi purgati, clari, ac perspicaces, tùm ex parte habitus, tùm ex parte rei obiectæ redditi sunt. Vt enim Sol nube tectus, facilè conspici potest, ab oculis nostris, sic Dei filius assumptæ humanitatis nostræ nube vestitus, visus, ac cognitus est. Quemadmodum etiam, vt ille habitaret nobiscum, & nostras infirmitates assumeret, necessarium fuit, nempè vt verus homo cognosceretur, ita ostensio gloriosæ Deitatis necessaria fuit, nimirùm, vt tanquã verus Deus, ac proinde idoneus Dei, & hominum mediator apprehenderetur. Ait ergo, *Et vidimus*, quo numero multitudinis Ecclesiam generalem complectitur, quæ præ infidelibus vidit, sicut Ecclesia Christi, præ Synagoga, magis vidit, & Ecclesia primitiua præ ea, quæ illam consecuta est, & discipuli præ primitiua, & Apostoli præ discipulis magis viderunt: & Ioannes Euangelista inter Apostolos, magis vidit: nam discipulus Christi dilectus erat, & familiaris, & intelligentiæ dono præ cæteris magis ornatus. Vnde dicitur cucurrisse citius Petro ad monumentum: & viso in litore Christo alijs non videntibus, dixisse, Dominus est. Poterat autem habitare inter nos Christus, neque videri, quemadmodũ fecit, quando transiens per medium illorum (scilicet Iudæorũm) ibat: sed vt impijs ignoratum, & minimè visibilem se reddebat: ita interdum à pijs, & fidelibus suam gloriam videri permittebat: *Gloriam eius*.

[Margin: Ioan. 9. Comparationes.]
[Margin: Non omnes ex æquo gloriam Christi viderunt.]
[Margin: Ioan. 20. Infra 21.]
[Margin: Luc. 4.]

Non quidem ipsam gloriam in se, sed in signis & miraculis ostensam & declaratam, quamquam ex eis oculo corporeo sensuúe comprehensis eueherentur fide ipsa ad gloriam Christi videndam. Quæ fides tam clara & firma in Apostolis erat, vt visio diceretur. *Quod fuit*, inquit Ioan. *ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, &c.* Et Christus Matth. 13. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, &c.* Cùm Prophetæ in figuris, & vmbris posteriora tantùm viderint Verbi. Nos autem reuelata facie, gloriam Domini speculamur, vt ait Apostolus. Claritatem ergo internam Christi fide ex signis colligebant, externam autem famam, & gloriosam opinionem, videlicet opera, signa, verba etiam sensu apprehendebant. Vidit autẽ Ioannes Christi gloriam, tùm in signis editis à Christo, & propria virtute factis: vnde in primo signo, quod edidit in Cana Galilææ, vt dicitur Ioan. 2. *Manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius*: tùm in miraculis, quæ operabantur Apostoli, quæ ad Christi gloriam illustrandam duntaxat edebant. Hinc est, quòd Petrus dixit claudo ad portam speciosam mendicanti: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Vidit etiam gloriam Christi in Transfiguratione, in qua viderũt gloriam Christi: & voce de cœlo delapsa, *Hic est Filius meus dilectus, &c.* Agnouerunt gloriam quasi vnigeniti à Patre, in Resurrectione, in Ascensione, in Clarificatione Patris æterni dicentis: *Et clarificaui, & iterum clarificabo*: in clarificatione etiam (sic enim cum Scripturis loquar) quam accepit à Spiritu sancto, de qua Domini est illa vox: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet: & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis*: in clarificatione Angelorum, qui in eius mysterijs in se illi ministrabant, & nobis propter eum tãtùm ministrant. Verba etiam Iesu plena erant potestatis, & efficaciæ, & loquebatur tanquam potestatem habens, &c. vt ait Matth. rursus: *Ego autem dico vobis.* Eijciebat spiritus verbo, ventis, & mari imperabat, denique omnis natura ei subdita erat, atque omne regnum seruiebat: nam lapis Danielis comminuit statuam Nabuchodonosor.

[Margin: Verbi gloria incarnati à nobis quatenus visa.]
[Margin: 1. Ioan. 1. Prophetæ vt viderint gloriam Christi.]
[Margin: Exod. 33.]
[Margin: 2. Cor. 3.]
[Margin: Ioan. 2.]
[Margin: Actor. 3.]
[Margin: 2. Petr. 1.]
[Margin: Matth. 3.]
[Margin: Infra 17. & 2. Pet. 2.]
[Margin: Ioan. 12.]
[Margin: Infra 16.]
[Margin: Hebr. 1.]
[Margin: Matth. 7.]
[Margin: Suprà 5. & seq.]
[Margin: Infrà 8.]
[Margin: Daniel. 2.]

Dicit autem, *Gloriam eius*, id est, in eo terminatam, & quiescentem. Nam cùm Deus sit, sicut omnium est principium, ita etiam vltimis est finis: nostra autem gloria & Angelorũ haud debet in nobis terminari, sed referri in Deum omnis boni nostri auctorem, & causam, iuxta illud: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.*

[Margin: Apoc. 1. & 21. & 22.]
[Margin: 2. Cor. 10.]

Quasi vnigeniti à Patre, Verbum, *Quasi*, in hoc loco, vt Ioannes Chrysostomus homilia in Ioan. 11. & Theophylactus Euthymiusque testantur, non est nota similitudinis, neque parabolæ, sed cõfirmationis certissimæ & veritatis. Quasi dicat, vidimus gloriam, qualem vere deceat, & credibile sit habere vnigenitum, & amantissimũ omnium Regis Dei Filium: sicut etiam vulgus cernens cultum regium, purpuram, satellitium, maiestatem, dicere solet, incedit quasi Rex. Quando enim quis gerit personas duas, quædam ei tribuuntur ratione vnius, quædam ratione alterius, vt quædam, v. g. Pontifex facit quasi homo, quædam quasi Pontifex: sic Christo duas habenti naturas, quædam illi tribuuntur ratione humanæ, quædam verò ratione diuinæ naturæ.

[Margin: Chrys. tom. 3. in princ.]
[Margin: Theoph. ibid. Euthym. ibid.]
[Margin: Illud: Vidimus gloriam quasi vnigeniti à Patre, quo sit accipiendum modo.]

Quasi, etiam in principio dictionis apud

Hebræos,

Quasi, particula, duo signat.

Dan. 7.

Nehem. 7.

Hebræos, vt viri docti adnotarunt, nō tam est similitudinis indicium, quàm affirmans, atque veritatē exprimens. Vnde Daniel. 7. dicitur: *Quasi filius hominis veniebat*: id est, verè filius hominis. Et Nehemiæ 7. *Quasi vir verax*: id est, verè vir verax; & ita Isai. 1. *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen* כמעט profectò & verè paruas reliquias, & alijs in locis accipitur. Non ergo, quasi, Latinè, vel ὡς Græcè, vel כ Caph Hebraicè veritatem negat, vel diminuit, sed potiùs veritatem affirmat & exprimit. Dixit autem hoc Euangelista, ad differentiam Prophetarum, qui magna gloria & honore affecti sunt, vt Moyses, Helias, Helisæus, Daniel, tres pueri, qui miracula operati sunt, sed vt serui Dei, & filij adoptiui: at Christus vnigenitus filiusque naturalis: rursus, ad differentiam Angelorum, qui cum multa gloria in terra visi sunt, vt apud Danielem, & Dauidem, ac in Euangelio sæpiùs: verùm vt serui, & qui Domini mandata ad nos destinati exequerentur. Christus autē tanquam omnium Dominus & Princeps, & vnigenitus. Ex quo Apost. (*Hebr. 1.*) *Tātò melior*, inquit, *Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit*. Et paulò antè: (*Psalm. 2.*) *Cui enim Angelorum aliquando dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et rursus: (*Infrà 3.*) *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus* (scilicet Iesus) *quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam*: Genitiuus domus pro ablatiuo. Dauid quoque: (*Psalm. 88. Iob 38.*) *Quis similis Deo in filijs Dei?* hoc est inter Angelos, qui Filij Dei dicuntur, qui ad gloriam Filij vnigeniti nō perueniunt. Vocat autem Vnigenitum, quia perfectè vim generandi implet, ac terminat, accipiendo quicquid via generationis potest cōmunicari; & semper etiam generatur. Adoptiui etiam filij (quorum comparatione dicitur primogenitus) (*Rom. 8. & alibi.*) vnum corpus cum eo fiunt, illorum autem similis Christo est in gloria nemo: ne autē accidentaria productio vnigeniti, atque voluntaria minimè, verò naturalis, & substantialis putaretur, dixit, *Vnigeniti à Patre*: quem hactenus Verbum propterea vocauerat, vt materia, & carne constantem, ab eo generationē excluderet. Accidunt enim generationi semen, fœmina, tempus, mutatio, quæ defectū corporis cōsequuntur; ac proinde à Deo, quàm longissimè absunt. Sed satis est, ad productionem naturalem, vt sit generatio viua hypostasis à viuente hypostasi in simili ei in specie ex vi productionis. Ex eo autem, quòd Verbū per infirma instrumenta signa operatus est, & maiora, quàm per aptissimum Humanitatis suæ organum (dixit enim, (*Ioan. 14.*) *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet*) maior gloria Verbi ostensa est; sicut confusa nostra inuidia, & superbia. Magna quippe gloria est, vilia, & stulta, & infirma Christi, nobiliora, sapientiora, & fortiora efficere. Mirè autē diuina sapientia Christi appetitum hominū ostentādi se ipsos repressit, per alios plura prædicando, & plura edēdo signa atque miracula, quàm per se ipsum ediderit. Particulam, *à Patre*, quidā referunt ad gloriam, vt indicetur, gloriam istā Filij à Patre processisse, & Patrem glorificasse Filium suum. Cyrillus verò & Theophylactus cum præcedēte vocabulo *Vnigeniti* cōiungunt: vt si sensus, *Vidimus gloriā eius, vt gloriam vnigeniti Filij à Patre procedentis*, qui cùm est vna substantia; & vterque sensus verus est, & sustineri potest.

Christum vnigenitum Patris cur dicat Euangelista.

Diuina verbi generatio ab illa hominis quā sit aliena.

Cyrill. lib. 1. in Ioan. c. 17. & 10. in princ. Theophyl.

Sequitur, *Plenū gratiæ, & veritatis*: vbi in primis notādū est, verba illa (*Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*) esse per parenthesin legenda, vt doctè plerique obseruarunt, vt sententia sit: *Verbum caro factū est, & habitauit in nobis, &c. plenum gratiæ & veritatis*. Itaque *plenum*, est nominandi casus, & masculini generis: quemadmodū verbum λόγος, eiusdem casus est, & generis. Dicitur autem plenus gratia Iesus, quia quatenus homo est, à Deo accepit nō similitudinem in humana natura ad Trinitatem, vel vnionem per fidem, & amorem, verùm ipsam Deitatem, ac propterea præ omnibus meritò illi dilectus est, ac summè carus: Ob eandē etiam vnionis gratiam plenus est veritate increata, quam tamen alij tātùm participant: tametsi is quoq; pro peccatoribus passus sit, non tamen homines, sed Pater erat finis, quē morte sua clarificari decreuerat potissimùm, idque vnū illi propositum erat: quemadmodū & Angeli post Patrem, ipsum Christum glorificant, & exaltant. Habuit præterea Iesus omnem gratiam (vt Theologi vocant) habitualem, quæ creari, & cōmunicari potest: quę tamen, quia creatura est, infinita nequaquam est. Gratia autem singularis personæ, & capitis, sicut & veritas creata, in eo erant, verùm summo modo. Quemadmodum enim riui spirituum animalium in membris inueniuntur, in capite autem eorum fons, & origo: ita in electis particulares gratiæ inueniuntur, in Christo verò eminentissima quadā ratione vniuersæ colliguntur. Cognouit autem Iesus omnia creata quæ cognosci possunt, viditque creatorem à conceptu suo, & ab eo temporis momento non destitit, neque desinet in perpetuum videre. Quamquam fidem, & spem non habuerit, quòd defectum in se aliquem includant. Erat plenus gratia in conuersatione, & eloquio, quem

Plenus gratia cur dictus Iesus.

Simile.

Christus fidem, & spem non habuit, & quamobrem.

admodum

admodum gratuita quoque vnio hypostatica, & ad alios gratiosos apud Deum, hominesque reddendos accommodata. Alij verò Deo cooperando, dona gratiæ percipiunt: quod locum maximè habet in Christo, & Maria, qui ita benedictionibus dulcedinis præuenti intelligendi sunt, vt pura gratia in eis reluceret.

Luc. 2.

Quomodo verũ sit, Verbum plenum gratiæ, & veritatis; quod alibi proficere gratia, & sapientia perhibetur?

Quod si obijcias; quomodo Verbũ plenum erat gratia, & veritate, de quo ait Lucas: *Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines?* Dicendum est: Christum & si corporis verum augmentum indies susciperet, gratia tamen & sapientia eatenus dici proficere, quatenus illa magis exerebat, ac per opera maiora manifestabat, vt suo loco latiùs explicabitur. Interim contenti erimus testimonio Gregorij Nazianzeni, qui Epistola ad Clidonium sic habet: *Si quis eum* (scilicet Christum) *ex operibus perfectionem assecutum fuisse, aut post Baptismum, vel resurrectionem à mortuis, in filium adoptatum fuisse dixerit, quemadmodum quos Græci ascriptitios inducunt*; *anathema sit. Neq; enim quod cœpit, aut progreditur, aut perficitur, Deus est: tametsi hæc de eo idcircò dicantur, quod paulatim hominibus inclaruerint.* Sic magnus ille Pater. Ad hæc gratia prior est dignitate, veritas prior natura, quam nos pluris facimus: Ideò Euangelista præposuit gratiam veritati. Quod si interdũ legamus Sanctos gratia plenos, vt de Stephano: longè tamen aliter Verbum incarnatũ plenum fuit gratia. Illi siquidem ob id gratia pleni dicuntur, propter gratiæ quæ est in illis, abundantiam, quæ tamen in mensura data est: non enim habuit maximam gratiam, quæ in humana natura esse potest, nec etiam omnia charismata, sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, vnus quidem sic, alius verò sic: At Christus summa gratia cumulatus est, & omnia charismata eminentissimè habuit. Et quia plenus gratia Christus, tanquam saccus aliquis ruptus est in cruce, vt talentũ videri posset: & tanquam ager in cruce aratus, vt thesaurus in eo detectus inueniretur. Quia verò plenus veritate, impleuit figuras Veteris Testamenti: *Nolite*, inquit, *putare quoniam veni soluere legem, aut Prophetas. Non veni soluere legem, sed adimplere.* Palàm etiam docebat, vt qui veritatẽ possideret, veritateque proposita vrgebat, & cùm res exigebat, reprehendebat etiam vehementiùs, & increpabat. Malè autem habent oculi nostri, quibus inglorius videtur Christus. Quòd si solam crucem sine gloria ostẽdisset, fortassis homines excusari possent: nunc verò proposita gloria, nullus est excusationi locus.

Lib. 3. Greg. Nazian. Epist. 1. ad Clidon. paulò ante medium.

Ascriptitij dij apud Græcos.

Gratiam veritati cur præposuerit Euangelista.

Actor. 6.

Alia in sanctis, alia in Christo est gratiæ plenitudo.

1. Cor. 7.

Crux nobis quanta bona adferat.

Matth. 5.

Christus cur dictus plenus veritate.

Ex ea enim oritur studium ardens sequendi Christum, eiusque sequela, & omnium virtutum augmentum, tenebrosi etiam dæmonis fuga, atque omnis peccati. Satagamus igitur, vt simul cum Ioanne illam præ oculis habeamus, vt Patrem honorificemus, & mediatorem linguis, & operibus illustremus, ipsomet Domino Iesu Christo præstante, cui cum Patre, & Spiritu sancto, exhibeatur omnis laus, gloria, & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

Ardens crucis amor quid efficiat.

TRACTATVS XXIX.

In illa verba: Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat, dicens: Hic erat quem dixi, Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.

Cur hoc Ioannis de Christo testimonium præsenti loco explicetur.

NOLI admirari prudens Lector, si hoc Ioannis de Christo redditũ testimonium hoc loco tractauero: nam ad id efficiendum impulsus sum, & coactus; tùm quod generale sit testimonium, tùm quod post illud immediatè subiunguntur quædam, quæ ad Ioannis testimonia minimè spectant, vt quidam volunt, sed sunt verba Euangelistæ continuata cum prioribus: nempè, *Plenum gratiæ, & veritatis.* Et, *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Et rursus alludens ad plenitudinem veritatis, subiungit: *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Propositum ergo nobis est, paucula hæc verba cum superioribus coniungere, siue Ioannis Baptistæ sint, siue Ioannis Euangelistæ verba: siue essent hoc loco tractanda, an verò in quartum librum reijcienda, in quo propriè de missione Ioannis, deque testimonijs Christo exhibitis latiùs erit agendum.

Hæc verba: Plenum gratiæ, & veritatis, ad Ioannẽ Baptistam esse referenda, vnde putauerit Caietanus. 1. Argum.

Deinde aduerte, Caietanum magna contẽtione disputare hoc loco, & asserere, verba illa postremo loco exposita, nimirùm, *Plenum gratiæ, & veritatis:* quæ, vt diximus, Græcè masculinè proferuntur, nõ ad verbum præcedens, sed ad sequens, Ioannes, esse referenda: vt sit sensus, Ioannes plenus gratiæ, & veritatis, testimonium perhibet, &c. vt Ioannis duntaxat qualitatẽ, & virtutes in testificando describat. Nam cùm omnis homo mendax sit, ac proinde testimonium Ioannis ex suo genere fallax: Ioannes benè affectus, optimeque veritate instructus describitur, causa, & effectu: plenitudo siquidem gratiæ causa est plenitudinis veritatis. Neque nouum est in Sacris literis

Psal. 115.

alios Sanctos gratia, vel Spiritu sancto plenos dici: Nam Stephanus, & Zacharias, vxorque eius Elizabeth, ac filius eius Ioannes Baptista, Paulus quoque, ac reliqui Apostoli, Spiritu sancto dicuntur repleti; Apostolus etiam iubet, vt impleamur omnes Spiritu sancto. Contendit prætereà Caietanus, non posse locum esse parenthesi dicta propter coniunctionem copulatiuam, *& vidimus.*

Actor. 6. Luc. 1. Ibidem. Ibidem. Ephes. 5.

II. Argum.

Prima ratio in contrarium.

Sed profectò ista argumenta nihil euincunt, & solui facilè possunt, & vel vnica auctoritas Ecclesiæ cum vniuersis Patribus & Græcis, & Latinis verba ad Christum, & nō ad Ioannem referens, omnibus ratiunculis Caietani, & Erasmi, quem ille secutus est, longè antecellit.

II. Ratio.

Prætereà etiam verba, quæ sequuntur, nempè, *de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Et, *Deum nemo vidit vnquam*, videntur declarare verba præcedentia, *plenum gratiæ, & veritatis*, de Verbo, non de Ioanne dicta fuisse. Nam & si libenter concedamus, in Scripturis sanctorum multos plenos dici gratiâ, vel repletos Spiritu sancto: in illis tamen talis nō inuenitur plenitudo, quæ in alios se effundat; secùs de plenitudine Christi, quia cœpit tanquam caput, ad influendum in omnia membra: & veluti fons ad vniuersam Ecclesiam irrigandam.

III. Ratio.

Quod verò dicit Caietanus, non posse locum esse parenthesi propter coniunctionem copulantem, &, ponderis nihil habet: Nam Gen. 14. dicitur, *Melchisedech Rex Salem, proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, &c.* vbi verba illa, (*erat enim Sacerdos Dei altissimi*) per parenthesin leguntur: & tamen Hebraicè, nō causaliter (vt dicitur) sed copulatiuè habetur, *Et erat Sacerdos Dei altissimi.* Quòd si quis cōtendat, coniunctionem, &, pro causam reddēte accipiendam, vt Hieronymus vertit, non admodum repugnabo. Nam & hic mihi licebit eodem modo coniunctionem pro causæ redditione accipere; vt sit hęc sententia: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, &c. plenū gratia, & veritatis.* Et vnde nosti, Ioannes, Verbum carnem esse factum, & habitasse in nobis? Subiungit per parenthesin (*quia vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre.*) Vt ergo ad textum redeamus; cùm sublimia de Verbo enarrasset Ioannes, incipiens ab æterna eius generatione ad incarnationem vsque, qua *Verbum caro factum est*, inde ad ascensionem vsque progressus est dicendo, *Et habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, &c.* Hæc autē altissima cùm essent, ac planè diuina mysteria, nos autem increduli, & infideles; proptereà testes adhibere voluit. Ac primum quidem se produxit in testem, quia maximè rem cognoscebat, familiariusque cum Christo ab initio suæ prędicationis ad crucem vsque, imò & vsque ad ascensum eius fuerat versatus. Sed quoniam apud homines carnis ductū sequentes, poterat eius reddi testimonium suspectum; & ob id, quòd discipulus Iesu, atque ab eo dilectus vocatur, existimari poterat affectu carnis locutus; ideò post eum, qui primus hic producitur testis, & alibi de eo dicitur: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, &c.* Et in Apocalypsi: *Mittens per Angelum seruo suo Ioanni, qui testimonium perhibuit Verbo Dei:* Iam secundus adhibetur testis, nempè Ioannes Baptista: qui propter carnis affectum reijci non poterat, quandoquidem conuersatus cum Christo haud fuerat; nec lucri alicuius aut compendij causâ; nam potiùs negans Iesum esse Messiam in lege promissum, ipse fuisset in Messiam receptus. Nunc verò singula verba ponderemus.

Hierony.

Aliorum, et suum de incarnati Verbi mysterijs testimonium Ioannes cur adferat Euangelista.

Ioan. 20. & 21.

Apoc. 1.

Testimonium Ioannis Baptistæ cur allatum.

Ioannes, inquit, *testimonium perhibet de ipso.* Vbi officium Ioannis repetit, de quo suprà pluribus egerat, *Homo homo missus à Deo, &c.* non vt ex testimonio serui Dominum fide dignum faciat; verùm quia in pretio, & magnus apud turbas habebatur Baptista; eum idcircò ad testificandū de Christi diuinitate sibi adiungit: ac si diceret, Nō sum ego solus, qui talia de Christo prædicem: *In principio erat Verbum, & Verbum erat, &c.* Sed & vester Apostolus, cui iure optimo tantùm defertis; imò & propheta eximius idē mecum asseuerat de Christo Iesu. Ioannes ergo tantus apud Deum, & apud homines, tamque à corruptionis suspicione alienus, remotusque, vt neque propter laudem, neque ob munera, vel humanam gratiam à veritate pronuntianda, vel minimum declinauerit: qui potiùs seipsum illis commodis priuabat, atque Iudæorum Iesum Christum acri odio prosequētium maleuolentiæ obiectabat: tantus verò testis, & tam recens debuit à Ioanne Euangelista produci; cùm tamen alij Euangelistæ Prophetas neque tantos, neque tam recentes ad confirmanda sua dicta soleant allegare, *Testimonium perhibet.* Non tam ob Christi videlicet indigentiam, qui Deus erat, sed propter Iudæorum imbecillitatem (quia plus deferebant Ioanni, quàm sibi) nam vt formam serui, sic testimonium à seruo accipere non est dedignatus. Non secùs, ac si Princeps aliquis à rusticis sibi subditis non agnitus, benè tamen de illis merendi cupidus, rusticum præcipuum adhibeat in testem, qui

Ioan. 1.

Qualis testis Ioannis Baptista.

Cur tale'rit de Christo testimonium Ioannes, quo non egebat.

Ioan. 5.

Philip. 2.

Exemplum.

aperte testificetur de Rege apud alios rusticos: instructio enim, & (si ita loqui fas est) manuductio homini per homines sociabili suauis est, ordinemque atque amorem conciliat. *Perhibet*, de præsenti ait, *perhibet*, qui instanter & perseueranter Ioannes Spiritu sancto ab vtero repletus, testimonium dabat plenitudini veritatis, & gratiæ in Christo. Quiuis enim delectari, & honorari debet in Domino de vocatione sua, ad quam à Deo vocatus est. Et hoc sanè testimonium ad confirmandã gratiæ plenitudinem dicitur, & veritatis in Christo, quod posteà narraturus est in Bethania, vel Bethabara redditum. *De ipso*, de ipso Verbo videlicet, quod adeò impressum cordi erat via cognitionis & amoris, vt ipsum non exprimat, existimans omnes de eo cogitare; vt illa mulier, quæ dicebat, *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, &c.* Et de Christo nouo homine, siue Deo, gratia tantùm, & non corrupta natura perhibere potest testimonium. *Et clamat*, Græcè dicitur Κέκραγεν, id est, clamauit, nisi ponatur præteritum pro præsenti. Vnde interpres Chrysostomi vertit, *Clamabat*; noster verò interpres, & Cyrillus de præsenti dicunt, *Clamat*: Et Propheta dixerat: *Exalta in fortitudine vocem tuam, &c.* Parùm curans, si propter eiusmodi clamorem prospera mundi perderet, vel aduersa eius incurreret. Ioannes etiam clamat ardenter, tanquam lucerna ardens, ac velut Seraph quidam clamans alter ad alterum. Clamat etiam palàm, nõ iam ampliùs in figuris; & publicè, non autem paucis: quia prædicator est publicæ, & vniuersalis doctrinæ Christi. Magnus autem clamor erat talis, & talis, ac tantæ vocis, à pectore Trinitatis, Angelorumque procedens, vt corda tam surda atque dura omnis ætatis, loci, ac temporis faciliùs penetraret. In limbo etiam, & in inferno audita est hæc vox, & annunciata, cuius magnitudo, & veritatis securitas, virum tam grauem clamosum reddebat: quemadmodum Iesum in templo clamasse legimus, cùm dixit: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.*

Luc. 1.
1. Cor. 7.
Ioan. 1.
Infra 20.
Gratia sola, nõ natura deprauata testari potest de Christo.
Chrys. hom. in Ioan. 12. to. 3.
Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 18. tom. 1.
Isai. 40.
Ioan. 5.
Isai. 6.
Ioannes Christum esse Messiam quomodo clamaret.
Ioan. 2.

Hic erat quem dixi: *Hic*, inquam solus, & quẽ ego solus, & primus præsentem mundo ostẽdo, olim ab omnibus desideratum. Vnitas quoque hypostasis masculinè aptissimè ad gignendum semen longæuum, ex Sponsa Ecclesia significatur voce, *Hic*. Erat autem in principio ideò dictum: *Vt testimonium perhiberet de lumine*, scilicet Deitatis. Subdit: *Quem dixi*, Ecce obiectum gratiæ, & gloriæ testificandum, & laudãdum; & peccati, & inferni ad repugnandum, & contradicendum ei. Et antequàm illum repentè monstraret, prænunciat; quò maiori desiderio exciperetur, & in bonum eorũ conseruaretur.

...cxx. 2.
...rima ratio, ...r Ioannes ...hristum relatiuo, Hic, significauerit ...cens, Hic ...e quẽ dixi, ...

Secundò, ne res noua, & suspecta, neque habens consensum, vel testimonium prouidentiæ Dei de tanto bono pronunciantis videri posset: ideò Pater ad Filium Ioannem dixit; *Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis, &c.*

II. Ratio.
Luc. 1.

Tertiò, ne communio amborum putaretur, & ex composito testimonium reddidisse; explicat quod latebat sub illo. *Hic*: & præ exultatione, ac desiderio, quo à toto mundo audiatur, clamat in præsentia Iesu ad se venientis: meliusque eius incomprehensibilis natura, & infinitas designatur eiusmodi verbis, quàm nominibus laudis.

III. Ratio.

Hic etiam; ne Ecclesia alium pro eo excipiat. *Multi enim*, Christus inquit, *venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus; & multos seducent.* Et infrà: *Tunc si quis dixerit vobis, Ecce hic est Christus, aut illic; nolite credere.*

Sequitur: *Qui post me venturus est*. Venerat iam Christus, sed nondum apparuerat, nec adhuc cœperat se manifestare. Vt enim verè dicitur non venisse, qui non fletit; ita qui nondũ apparuit, nec per opera se ostendit, & prodidit. Venit autem Christus post Ioannem, vt Dominus post præcursorem, vt Sol post Luciferum, vt Verbum post vocem, & à conceptione Christus vsque ad cœlum exclusiuè est secutus Ioannem: nam in ijs quæ de habitu ad actum prodeunt, quæ minùs perfecta sunt, solent præcedere. Ideò Moyses Propheta remotè præcessit Christum, Ioannes verò immediatè post se venturum præiuit, vti pronubus, & paranymphus quidam, Sponsum Sponsæ suæ, hoc est, Ecclesiæ coniungens, quam vt nudam Æthiopissam ducebat, eam vt dotaret, ac fœcundaret, & demùm gloriosam, ac saluam efficeret. Et cum ait, *Post me*, intellige, immediatè, & ad consimilia opera præstanda, quæ ego præstiti. Non tamen post me, tanquam successor in eodem regno: nec enim idem fuit regnum Christi, & Ioannis, sed tanquam in excellentiori regno, priori abolito. Quemadmodum etiam post Moysen venit Ioannes, sed ad maius regnum quàm Moyses, & Christus ad maius illo Ioannis: atque hoc modo sibi inuicem Moyses, Ioannes, & Christus succedebant.

IV. Ratio.
Matth. 24.
Vt venerit post Ioannem Christus.
Exod. 2. & Num. 12.

Ante me factus est, Christus ante Ioannem non secundùm antecessionem temporis factus est, cùm ex Lucæ Euangelio constet, sex mensibus eo fuisse posteriorem: sed antecessio intelligitur de superiore gradu dignitatis, gloriæque præstantia,

Quomodo Ioanne sit Christus anterior.
Luc. 1.

qua Christus erat supra Ioannem inter omnes decorandus, atque honestandus, iuxta ipsius Ioannis dictum: *Illum oportet crescere, me autem minui.*

Ioan. 3.

Quod ergo dicitur, *Ante me factus est*, perinde est ac si dixisset Ioannes (vt omnes veteres Patres interpretantur) Præpositus est mihi, suprà me exaltatus est; quò Christum intelligamus & seriùs natum fuisse, & seriùs quàm Ioannem cócionari cœpisse; veruntamen auctoritate anteuertisse. Idque gnauis cursoribus vsu venit, vt seriùs digressi à linea assequantur, eosque præcurrant, qui multò antè præcesserant: ita vt Christus simili ratione præcursorem anteuerterit suum.

Simile.

De Verbo quod factum sit ante Ioannem, nullo modo accipi posse aduersus Arrianos.

Neque te perturbet Verbum, quod Arriani in hac auctoritate vrgebant: quia videlicet videatur insinuari Verbum Dei factum, siue creatum: quod quidem nullo ferè negotio solui potest. Nam verbum Græcum γέγονεν significat, & factus est, & fuit, & natus est, quod hîc etiam verti posset, deque æterna Verbi à Patre generatione intelligi: quamquã præstat cum Græcis, & Augustino intelligere, *Ante me factus est*: id est, gratia anterior me est, & dignior. Et tunc rectè sequitur: *Quia prior me erat.*

Aug. tract. 3. in Ioan. tom. 9. init.

Nó ergo intelligitur de diuina natura, quia sic non valeret ratio sequens: *Quia prior me erat.* Quare hæretici debili lentius proprij ramusculo innixi, in immane præcipitium extra arcam ruere non formidant. De humanitate ergo tantummodò intelligitur, vel de excellenti Christi prædestinatione, seu electione: vel de gratia & dignitate explicandum.

Illud ad solam tantummodo Christi Humanitatem esse referendú.

Verbum igitur, *Ante me factus est*, positum est pro eo quod est, cœpit esse: qui post me veniebat, cœpit esse ante me. Hoc est, Qui sequebatur, iam præcessit, & cœpit maior me agnosci, & superior. Neque enim Christus simpliciter dicitur factus, in Scripturis, licèt dicatur factus homo, & factus hominibus notior: Sicut cùm dicimus, In dies fit stultior, vel sapientior, cùm idem homo maneat.

Idem ibidem.

Atque ita Ioannes factus est posterior, qui fuerat prior: & contra, Christus factus est prior, qui fuerat posterior. Annotauit etiam B. Augustinus dictionem, *Ante*, Græcè dici ἔμπροσθεν, non πρὸ vt intelligas dignitatis esse, non temporis, præstantiam, & excellentiam. Quòd ergo dicitur, *Ante me factus est*, id est, mihi præpositus, & dignior me factus est, phrasis est vsitata in sacris literis.

Hebraismus.

Nam Dan. 2. dicitur: *Lapis qui abscissus erat de monte, sine manibus, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.* Et Baruch 2. habetur: *Facti sumus subtus, & non suprà*: hoc est, humiliati, & non exaltati. Ephraim etiam præpositus fratri suo primogenito Manasses dicere poterat,

Gen. 48.

vel aliquis in persona eius, nimirum, *Qui post me venit, ante me factus est.* Et vt notant Euthymius, & Chrysostomus, quod futurum erat more Prophetiæ, quasi iam factum sit, pronunciatur.

Euthym. in Ioan. Chrys. vbi suprà.

Præterito pro futuro [illegible] ob vaticinij firmitatem.

Quamquam & commodè alio modo posset intelligi, *Ante me factus est*; id est, in prædestinatione diuina, & mente Dei mihi prælatus est, etiam antequam mundus fieret. Et solus Christus vir maior Ioanne Baptista inter cómuni more conceptos, & natos inuenitur. Vnde nó est exceptio, quod sequitur, *Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.*

Matth. 11.

Nam prima propositione absolutè prolata, nempè, *Non surrexit maior Ioanne Baptista*, additur secunda, quæ vera est: *Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.*

Ibidem.

Quia prior me erat, inquit, duratione, quia æternus Deus, vt interpretatur Augustinus: Verbum enim, *Erat*: nota est æternitatis, vt superiùs diximus. Decebat enim Deum, hominem perfectissimum assumere; ideò bona ratio est, *Quia prior me erat.*

Aug. tract. 3. in Ioan. to. 9. in princ. ante dimid.

Alij Euangelistæ dicunt, *Fortior me est.* Et quamquam Græcè dicatur, πρῶτος id est, primus; ponitur tamen positiuum vice comparatiui, vt Grammatici loquuntur; & ita potest esse sensus, potior, potentior, siue celebrior.

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

Iesum fortiorem esse Ioanne, quid.

Leontius notat Græcè dictum, πρῶτος pro πρότερος. Prior namque erat dignitate, quia Deus erat; & quia homo, in prædestinatione Dei, quia Christus & heri, & hodie; ipse & in sæcula, vt Apostolus inquit.

Leontius Episcopus.

Hebr. vlt.

Vide ergo, quàm validú fuerit testimonium Ioannis, atque sufficiens: complectitur eius enim officium. Deinde nota excellentissimam Ioannis humilitatem, animique summissionem, dicentis: *Ante me factus est.*

Ioannis humilitas excellentissima.

Tertiò Christi deitatem, dicendo: *Quia prior me erat.* Quartò nota etiam, ac contemplare acrius sapientiam Ioannis: Nam, ne discipulorum offenderentur animi, re tota planè explicata, sed posteà intellecta, admirarentur de veritate dicentis, & sapientia celantis, sufficiens protulit testimonium; quia verumque continet, & vtriusque discrimen, & commodum etiam. Siquidem apertè dixit Christum maiorem se, & occultè Deum.

Eiusdem sapientia singularis.

Quod quidem ideò pronunciauit, nempè, quo probaret Verbum carnem factum, plenumque gratiæ, & veritatis.

Ioan. 1.

Dicendo enim, *Qui post me venturus est*, incarnatio ostenditur: at dicendo, se Spiritu sancto repleto maiorem, ostendit, probatque plenú esse gratiæ, & veritatis. Hinc aptè ipse subiungit (aut Euangelista secundùm aliquos, & veriùs) *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Curemus igitur, vt Ioannem Baptistam imitemur, vita, & verbo testificantes

Ioannes imitatione dignissimus.

cantes de Iesu Domino nostro, non vllo commodo nostro, aut carnis affectu permoti, verùm fide viua eius incomprehensam gloriam, ac dignitatem penetrantes, vt alij nostra opera ad Christum cognoscendum, sequendumque inflammentur. Nam quemadmodum ipse dixit: *Qui me confitebitur coram hominibus, cõfitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Et qui testificatur de Filio Dei apud homines, testimonium de illo reddet ipse Christus, Redemptor clementissimus, Iudex incorruptus, & testis oculatissimus; cui cum Patre, & Spiritu sancto ab vniuersa creatura exhibeatur semper honor, gloria, & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

Matth. 10.

TRACTATVS XXX.

Quo exponuntur verba illa: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: Quia lex per Moysen data est: gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.

IN dubium reuocant Patres hęc verba; an prolata sint à Ioanne Baptista, an verò ab Euangelista Ioanne, & vtrumque sanè probabiles habet rationes. Huius ergo est sententiæ Theophylactus, vt Ioannis Baptistæ esse putet: idem sentit Origenes, cuius à B. Thoma in Catena Aurea, verba citantur. Nonnus etiam Græcus paraphrastes Ioannis Euangelistæ verba hęc Baptistæ tribuit; & videntur addita esse alijs verbis à se olim dictis, ne Euangelista tam citò intercipiat, atque interrumpat sermonem Baptistæ. Quod si sic se res habeat, tunc hi duo Cherubin, id est Baptista vltimus Veteris Testamenti, atque Euangelista primus Noui, in propitiatorium Christũ mutuò respiciunt. Et sicut vnus dixit, *In principio erat Verbum*; sic alter, *Ante me factus est; quia prior me erat*, hæresim Ebionitarum iugulantes. Tenuis enim flatus veritatis ad immundas, & importunas hæreticorum muscas abijciendas, ac dissipandas, satis est. Etenim si Christus, Ioanne ante se concepto, prior erat; prior etiam erat antequam incarnaretur: nam *erat lux vera illuminans omnem hominẽ venientem in hunc mundum, &c. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus*; videlicet Moyses, Prophetæ, & omnes, ad quos sermo Dei factus est, & ego ipse: rectèque prior Ioanne comprobatur, quia ex plenitudine eius omnes accepimus. Chrysostomus autem homilia 14. in Ioan. & Cyrillus, verba hæc

Ioannis Baptistæ, an verò Euangelistæ sint hæc verba.
Prima opinio.
Theophyl.
Orig. tom. 6. in Ioan.
B. Thom. tom. 5.
Nonnus in Ioan.
Vterque Ioannes, Præcursor, & Euangelista, duo Cherubin Veteris & Noui Testamenti.
Ioan. 1.
Infra 10.
2. Opinio.
Chrys. hom. 3.
Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 22.
... 1. in princ.

Euangelistæ esse dicunt, & affirmant, nempè confirmantis ea quæ à Ioanne Baptista dicta sunt; quæ sentẽtia magis veritati consentanea videtur: Tum quia in testimonio Ioannis de Christo infra seriò recitato, hæc verba, *de plenitudine, &c.* non habentur. Deinde, quia subdit: *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Non enim Baptistæ quicquam aliud Christus enarrauerat, cùm de se testificaretur, sed Apostolis ipsis posteriùs enarrauit omnia, iuxta id, quod idem ipse ait Euangelista: *Quod vidimus oculis nostris, & audiuimus, &c. annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Et durum videtur, quod ait Origenes, Deum enarrasse per Angelos: nam enarratio Dei, qua Pater est vnigeniti, non Angelis, non Prophetis, sed soli Filio Dei videtur seruata, qui dixit, *Pater, manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.* Et rursus: *Nemo nouit Filium, nisi Pater: neq; Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Fauet etiam huic sententiæ, quod cum superius dixerit: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius: gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis*, quia de Apostolis & fidelibus dictum videtur, pro quo confirmando Ioannis Baptistæ testimonium allegauerat. Nunc rursus ad explicandum reuertitur, quomodo Verbum fuerit plenum gratia, cùm dicit, *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Et rursus ad probandum, esse plenum veritatis, subiungit, *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Præterea hi, quibus loquebatur Ioannes Baptista, nondum de plenitudine illius acceperant, vt posset verè de illis dici: *De plenitudine eius, & nos omnes accepimus.* Ac proinde rectius tribuitur Euangelistæ, qui quo tempore hæc scribebat, & ipse, & Apostoli, & discipuli, ac primitiui omnes Christiani, de plenitudine eius omnes acceperant. Leontius verò in hunc lòcum scribit: *Causam,* inquit, *reddit eius, quod dixit, Ante me factus est; quia prior me erat. Subiungendo, quòd ex eius plenitudine omnes nos accepimus. Quomodo enim nõ ante erat prior ipse, qui implet ipsos, qui de plenitudine acceperunt? Plenitudinem autem ipsius, vocat inspirationem, quæ fuit in Adam, quam & dedit Apostolis post resurrectionem, nempè Spiritum sanctum. Pro gratia enim Adæ concessa, à qua excidimus, ditiorem Christus donauit nobis per lauacrum Spiritus sancti inhabitationem: & hoc est, quod ait: Et gratiam pro gratia.* Hæc ille. Ait ergo: *De plenitudine eius*, hoc est, non est ita Verbum plenum gratiæ, & veritatis, vt ea abscondita & latentia in eo perma-

1. Ioan. 1.
Origen. in Catena.
Ioan. 17.
Matth. 11.
Leontius Episcopus.
Tom. 20. & Actor. 2.
Cum dicitur De plenitudine eius nos omnes accepimus, quænam sit illa plenitudo.
Tit 3.

Ecclef. 20. neant: nam, vt Salomon ait: *Scientia abſcondita* (id eſt veritas) *& theſaurus* (ſcilicet gratiæ Dei ditantis) *inuiſus: quæ vtilitas in vtroq;?* Ita enim dæmon nobis inuidens ſcientiæ cõmunicationem, & gratiæ effuſionem, impedire conatus eſt. Plenitudo autẽ Chriſti hominis, vt Apoſtolus exponit, Deitas eſt: *Coloſſ. 2. & 1.* *In ipſo,* inquit, *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Sola namque diuinitas mentem hominis implere valet, maximè in Chriſto, cui eſſe perſonæ infinitũ donatum eſt. Conſequenter autem plenitudo Chriſti eſt omnis ſcientia, & gratia, quæ ſub creationem cadit, & cuius anima Chriſti potuit eſſe capax: quæ illi nõ vt vaſculo, quod exhauriendo minuitur, communicata eſt; ſed vt fonti alios perpetuò ſcaturienti, aliosq; implenti, imò etiam fontes efficienti: *Qui,* inquit, *biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam.* Et in alio loco: *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ideò B. Stephanus plenus fide, & Spiritu ſancto deſcribitur: Maria virgo excellentiori modo gratia plena, ſalutatur. Verùm nullus ſanè ita capax factus eſt, vt eſſe eius hypoſtaticum acceperit, quemadmodum Chriſtus. Nam ſicut Ioannes Magnus dicitur coram Domino, magnus item Chriſtus; ſed alia, atque alia eſt magnitudo vtriuſque: ſic etiam alia, atque alia eſt Chriſti plenitudo, & Sanctorũ plenitudo. Aliorum ſiquidem plenitudo eorum propria nequaquam eſt, vt Paulus affirmat, inquiens; *Abundantius his omnibus laboraui: non ego, ſed gratia Dei mecum.* Secùs eſt de plenitudine Chriſti dicendum: nam Chriſtus, quatenus Deus eſt, ſe totum impleuit, & plenitudo eius, ſua eſt, ac propria. Probè autem Euangeliſta non dixit, *Plenitudinem eius accepimus: ſed, De plenitudine eius accepimus:* non enim totam plenitudinem, ſed partem eius accepimus. Et quamquam Deitatem totã accipiamus, (nam diuidi nequit) id eſt, Spiritũ ſanctum, & Trinitatem, de qua dixit: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus:* attamen nõ ſecundùm effectum vnionis hypoſtaticæ, vel tantæ gratiæ, ac ſapientiæ creatæ, quantam Chriſtus accepit. De plenitudine ergo, tanquam ex toto, & cauſa efficienti principali, vt Deus eſt, & meritò vt homo eſt (nam Chriſtus, & Deus eſt, & mediator mundi eſt) partem accipimus, non quaſi ab eo deciſam, ita vt gratia eius imminuatur, quod eſſe non poteſt, cùm omnes de plenitudine accipiant; ſed quia in Chriſti capitis, & mediatoris noſtri gratiam, Deus eam, quę eius poteſt eſſe pars, gratiam nobis infundit. Quare quod ad Moyſen Num. 2. dixit:

Qualem Chriſtus habuerit gratiæ plenitudinẽ.

Ioan. 4.

Infra 5.
Actor. 6. &
Infra 7.
Luc. 1.

Infrà 7.

Sanctorũ plenitudo qualis.

1. Cor. 15.

De plenitudine, non autem Chriſti plenitudinem nos accepiſſe Euangeliſta cur dicat.

De plenitudine Chriſti accipere quid.

1. Tim. 2. & Hebr. 8. 9. & 12. & 1. Ioan. 2.

Auferam de ſpiritu tuo, tradamq; Septuaginta viris de ſenibus Iſrael, vt ſuſtentent tecum onus populi, &c. perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Dabo propter te ſpiritum minorem tuo, tibique ad regimen populi ſubſeruientem. Ita de Chriſto ſemper gratiam, cuius creatura Deo vnita poteſt eſſe compos, habente, intelligere par eſt. Sic etiam Maria Virgo, & ſi Deo non vnita, gratiam, cuius capax eſſe poterat, habuit; verùm quia finita eſt, ſi paulatim tolleretur, minueretur profectò, ac tandem conſumeretur. Ergo ad excludendam gratiæ imminutionem, ſignificandamq́ue gratiam præſertim maiorum & ſuperiorum non eſſe fœculentam, neque ſpumoſam; vt eſſe ſolet, quod ferè initio vel fine ex dolio hauritur, prudenter dixit: *De plenitudine eius:* Poſſumus namque non ineptè philoſophari, ſi homines in exordio ſæculorum gratiam quaſi ſpumam, acceperint; in fine autem mundi quaſi fœces noſtra culpa haurimus; boni autem ſemper de plenitudine cõpioſè per fidem hauriunt. Accuſanturque hoc verbo gratiam nolentes recipere; vel receptam, à ſe expellentes: vel paruis, paucisque donis contenti, ampliorem iuſtitiam neque haurientes, neque ſitientes, Chriſto ita plenè exiſtente, & ſuas gratias affatim eructante. De plenitudine ergo, id eſt, ex adipe frumenti, & bono vitis, ſiue de primitijs Spiritus. *Nos omnes.* Ab initio mundi, ad finem vſque eius exiſtentes, etiam antequã filius Dei homo eſſet: propter merita tamẽ eius præuiſa, & à Deo acceptata, omnes accipiebant. Cognouerunt quoque Prophetæ, omnes accepturos de plenitudine Chriſti, iuxta illud Iſaiæ: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* *Iſai. 52.*
Et in alio loco: *Omnes ſitientes venite ad* *Iſai. 55.*
aquas: Et qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite abſq; argento, & abſq; vlla cõmutatione vinum, & lac. Quam ob cauſam Chriſtus Abrahæ, Moyſi, Prophetis, Ioanni Baptiſtæ & Apoſtolis eſt prçferendus, longeq́ue anteponendus. Vel alio modo exponi poteſt, ſcilicet *Nos,* maximè primitij, vt Baptiſta, Apoſtoli, ac diſcipuli, qui primitias Spiritus acceperunt, vtpotè Chriſto coniunctiores, vt in alios effunderent. *Accepimus,* abſque dubio id, quo Chriſtus plenus erat, atque in eo vberrimè redundabat, nempè gratiam, & veritatem, vt poſteà declarabit. De præterito autem dixit, *Accepimus:* quia primitiui muſto pleni erant in die Pentecoſtes. Vt enim dixit Petrus, *Non enim ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt:* *Actor. 2.*
Sed alio modo, hauſto Spiritu cœlitùs, ebrij ſunt: id eſt, ſui, & ſuorũ obliti, ſine timore, & infirmitate conſtantes, magnani-

Quid illud ad Moyſen dictũ: Auferam de Spiritu tuo, tradamq́ue ſeptuaginta viris de ſenibus Iſrael, vt ſuſtentent tecum onus populi.

Quinam de Chriſti plenitudine non accipiant.

Rom. 8.

Alius sensus. mique redditi. Quamquam etiam intelligere possimus, nos in ipso Christo accipiente plenitudinem, de ea accepisse. *Quemadmodum*, Paulo teste, *conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus.* Ephes. 2. Simeon quoque dixit: *Viderunt oculi mei salutare tuum, Quod parasti ante faciem omnium populorum.* Luc. 2. Subdit: *Et gratiam pro gratia.* Vbi particula, Et, ponderanda est: nã potiùs per interpretationẽ, quàm per coniunctionem sumi debet, vt testatur D. Chrysostomus. Chrys. homil. 13. in Ioan. tom 3. Frigidus autem est sensus Caietani, exponentis, *Gratiam pro gratia*, id est, gratiam sub ratione gratiæ: quasi verò vlla sit gratia, quæ non talis sit. Quid sit illud: & gratiam pro gratia. *Nam si gratia; iam non ex operibus*, vt dicitur Rom. 11. Parùm autem erat de plenitudine accipere, si parum, & semel tantùm acciperemus. Et idcircò declarat, singulos accepisse nos gratiam pro gratia, id est, vnam & alteram gratiam: & præter hoc, vnã intuitu alterius, quod est amplioris argumentum liberalitatis. Vt enim Dominus dixit: *Omni habẽti dabitur, & abundabit:* id est, benè vtenti dono gratiæ Dei, dabitur augmentũ gratiæ. Matth. 25. & Luc. 8. Sicut ob gratiam Christi capitis, quæ nostra quodammodò est, quoniam frater, & caro, & gloria nostra est, accipimus gratiam electionis; nam elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt ait Apostolus. Ephes. 1. Pro gratia electionis accipimus gratiam vocationis tot vijs & modis ad se pertrahentis. Pro gratia vocationis, gratiam iustificationis, siue reconciliationis accipimus, cuius beneficio filij Dei nominamur, & sumus. 1. Ioan. 3. Pro illa rursus recipimus gratiam secundæ iustificationis, de qua in Apocalypsi: *Qui iustus est, iustificetur adhuc*: Apoc. vlt. per quam nobis comparamus meritum bonorum operum, ad perseuerantiam, vitamque æternã consequendam. Ad extremum, vt exponit Augustinus, Aug. tract. 3. in Ioan. ante medium, tom. 9. initio. pro gratia bonorum operum, quę gratia Dei habemus, gratiam vitæ æternæ, omnem plenitudinem in se continentem, acquirimus, quæ nihil est aliud, quàm consummata gratia, quæ rectò vsu gratiæ prę cedentis redditur, iuxta illud Apostoli, *Gratia Dei, vita æterna.* Rom. 6. Mundus autẽ in vniuersum, accepit pro gratia legis naturæ, iam obscurata & ex parte amissa, gratiam legis, quæ magna erat: *Non fecit*, inquit, *taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Psalm. 147. De hoc etiam ait Baruch: *Hic est Deus noster, & nõ æstimabitur* (scilicet à Sapientibus) *alius aduersus eum.* Explicatur illud: Hic est Deus noster, & nõ æstimabitur alius aduersus eum, &c. (Nimirùm accipiendo alterum pro eo tanquam inutili; nullus enim terram dedit populo suo, nec rectè viuendi legem, sed vanitatem sacrificandi.) *Hic adinuenit omnem viam disciplinæ*, (nempè ad illius populi, & pro illo tempore necessariam ad actus humanos.) *& tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, &c.* A Christo ergo accepimus gratiam legis, etsi per Moysen. Iudæorum præ Gentibus prærogatiuam. Quæ gratia erat, *Quia non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Psalm. 147. Et Apostolus: *Quid ergo amplius Iudæo est? aut quæ vtilitas circuncisionis? Multum per omnem modum. Primùm quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Rom. 3. Accepimus & pro illa gratiam Noui Testamenti, defectus legis Mosaicæ supplentem, Effectus gratiæ Noui Testamenti. quæ vires ad præstandã legem nequaquam suppeditabat: obscuritatem etiam, vmbrasque legis complentem, & sua luce illustrantem. Ideò rectè subdit: *Quia lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Ita Chrysostomus, & Cyrillus interpretantur. Chrys. hom. 13. in Ioan. 10. 3. Cyrill. lib. 1. c. 21 in Ioan. tom. 1. Et sicut dicitur: *Pellem pro pelle dabit homo*, hoc est, aliam pro sua; ita dicitur gratiam dare pro gratia, id est, vnam pro alia. Iob 2. Pro gratia ergo in Adam perdita, in qua olim stetimus, & pro gratia legis, quæ plenitudinem non habebat, quæque iram operabatur, gratiam Christi accepimus in Nouo Testamento. Rom. 4. Legis Mosaicæ defectus. Subditur: *Quia lex, &c.* quasi dicat, vnam vel alterã gratiam quilibet accipit; & mundus gratiam legis, ac Noui Instrumenti de Christi, & non alterius plenitudine accipit. Et sapienter, cùm Ioannes Baptista Christum sibi prætulisset, nunc cum Moysi profert Euangelista, vitata personarum tamen comparatione, quæ solet esse odiosior. Quàm eatrè Christũ Moysen maiorem ostẽdat Euangelista. Lex igitur tantum vmbra erat, & in tabulis lapideis descripta, & mortis occasio. Hebr. 10. Exod. 31. Diciturque per Moysen data, quasi Dei donum, & gratia, vmbratilis tamen: Lex per Moysen data quatenus sit. non quidem de plenitudine sapientiæ eius, quia Moyses gubernare populum nesciebat. Nam cùm iudicare solus vellet, reprehensus à Iethro socero suo est, dicente: *Non bonam rem facis: Stulto labore consumeris & tu, & populus iste, qui tecum est, vltra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere.* Exod. 18. Erat prætereà Moyses balbus, & tardioris linguæ, ita, vt diceret: *Mitte, quem missurus es, &c.* II. Ratio. Suprà 4. Ibidem. Et superiùs dixerat: *Qui sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto?* Suprà 3. Ad hæc populus ille imperitus erat rei militaris, & castrametari nesciebat: III. Ratio. data ergo lex per Moysen, non per eum, sed à Deo Verbo, vt Baruch ait, adinuenta. Ideò cùm Moyses gratiam non posset conferre, lex illa minimè iustificabat. Sequitur: *Gratia, & veritas.* Quibus vocibus adumbratur lex Euangelica, quæ gratiam perfectam offert, & intelligentiam veram. Gratia & veritas maximè propria legis Euangelicæ. Et opponitur hæc veritas vmbris, & figuris legis. Meritò ergo dicitur gra-

tia, quæ confert remissionem peccatorum, & filiorum Dei adoptionem, & regnum vitæ æternæ. Et hæc gratia quidem omnis temporis, & ætatis, homines coram Deo iustificans, etiam in Lege, à Christo fuit profecta: Ille enim heri, & hodie; ipse & in sæcula, vt ait Apostolus. Ac proinde Apostolus Iudas in sua Catholica Epistola scribit, quod Iesus populum de terra Ægypti saluauit. Veritas quoque in Lege olim adumbrata, vt omnia Christi, Ecclesiæque mysteria. Omnis etiam creata veritas legis illi populo accommodata. Quoniam autem gratia, atque eius veritatis intelligentia à Christo, & non à Moyse proficiscebantur; Idcircò Iudæi minimè intelligentes, promptam legis obseruationem pollicebantur, dicentes: *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.* Verùm cùm conuersi fuerint ad Deum, auferetur velamen: & habentes scientiæ clauem, Christum, agnoscent propriarum virium debilitatem, & in figuris agnoscent veritatem. *Per Iesum Christum.* Iesus & Deus est, & homo: & ab eo vt Deus est, vltra naturam accipimus etiam gratiam, quam Deus creat, & infundit tanquam autor, & efficiens principale: à Christo autem homine vt mediatore & capite nostro, solam ac nudam accipimus gratiam, atque omnes veritates ad salutem, earumque intelligentiam quam maximè vtiles, vt saluet Iesus: ab eo siquidem ceu instrumento operante, & meritis suis concurrente, habemus omnia. Nam Christus vngit voluntatem humanam gratia sua, intellectumque veritate ad seruanda externa mandata: ita vt cæremoniarum præcepta, legesque, fide Christi saltem implicita, ad salutem prodessent. Erat autem hæc clausula Iudæis in lege confidentibus, quæ lex neminem ad perfectum adducebat, apprimè necessaria, vt ab ea ad Christum reuocarentur, atque illi fiderent. Lex ergo, & gratia, & veritas à Christo sunt: sed Iudæus accepit gratiam legis, quæ super naturam est, & sine merito data; at Christianus gratiam, & veritatem accepit, quia vt vir iam maturus, & perfectus, accepit simul cum gratia donum intelligentiæ Diuinæ legis, quam Iudæus vtpote puer non potuit accipere. Vnde Apostolus ait: *Quum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus; quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Annotant veteres Patres, rectè dictum esse, legem per Moysen datam: quia legis autor non fuit, sed minister; gratiam autem, & veritatem per Iesum Christum factam, veluti per auctorem gratiæ ipsius & fontem. Quod verò hîc Ioannes Euangelista docet, idem est cum eo, quod Paulus ad Corinthios scribit: *Christus Iesus factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Nam per gratiam factam per Iesum Christum intelligi possunt omnia officia: qualia sunt, corda intus illuminare, & extra verbo docere, iustificare, sanctificare, & quod perierat, saluum facere. Comparauit autem inter se Moysen, & Christum, nó vt pares, sed vt Dominum, ac seruum; legem verò, & Euangelium non tanquã bonum, & malum, sed tanquam perfectum, & imperfectum. Et primùm quidẽ vnum tantùm Moysi tribuit, nempè legem, cuius nec auctor quidẽ fuit, verùm minister tantùm: Christo verò duo adscribit, nimirùm gratiam & veritatem, quarum non fuit minister, sed verus auctor, & fons.

> Hebr. 13. — Vnde vox illa professa Iudæorum audacior: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. — Exod. 24. — 2. Cor. 3. — Gratia & veritas per Iesum Christum est facta dupliciter. — Hebr. 7. — Quid amplius Christiano fit supra Iudæum. — 1. Cor. 13. — Lex per Moysen data, à Ioanne dicatur quare secundum Patres. — 1. Cor. 1. — Per gratiam factam per Iesum Christum quid accipiendum sit.

Ex his autem verbis, & proximè sequentibus elicimus, animam Christi ab instanti Conceptionis Diuinam essentiam vidisse, & beatam extitisse, & in primis ex illo verbo: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre:* deducimus, animam Christi vnitã Verbo, & perfectam extitisse, & omnibus numeris absolutã. Si enim vnita Verbo non fuisset, beata perfectè non fuisset. Magna enim perfectio deest humanæ menti, si felicitas absit: at videre Deum per speculũ in ænigmate, imperfecti hominis est. Quia ergo ab instanti conceptionis non sapiebat vt paruulus, sed vt vir, iuxta id: *Fœmina circumdabit virum*; ergo ab vtero vidit Deum facie ad faciem.

> Quod anima Christi statim à sua creatione & vnione cum verbo Deum viderit. — Ioan. 1. — Prima ratio ex illo loco: Et vidimus gloriam eius, &c. — 1. Cor. 13. — Hierem. 31.

Deinde cui datur esse diuinum & personale, quod multò maius est & excellentius, dabitur & animæ eius Dei visio, quod longè minus est, quia creatum est, & animæ Christi maximè conueniebat. Maior item est vnio animæ Christi cum Deo Verbo, quã vnio beatorũ: sed ex hac claritas in intellectu beati existit, vt videat Deum facie ad faciem, ergo magis ex illa claritas videndi Deum oriri debet: nã recipiens quò magis est vicinum causæ influenti, eò plenius recipit eius influxum. Ad hæc gloria fit in anima, ex eo quod Diuinitas sit præsens intellectui, sicut lumen in aëre ex præsentia solis: Cùm ergo lux ipsa ingressa fuerit in animam Christi, sed & eidem fuerit in esse personali coniuncta, claritas gloriosa exinde sequitur, vt splendor sequitur solem: & vt dicitur Ezech. 43. *Gloria Dei ingrediebatur per viam Orientalem, & terra splendebat à maiestate eius.* Attingitur prætereà Deus à natura intellectuali per cognitioné, & amorem: at anima Christi propinquissimè attingebat

> II. Ratio. — III. Ratio. — IV. Ratio. — Ezech. 43. — V. Ratio.

Deum,

Deum, quia erat Deo propinquissima: ideo eius propriæ actiones, quæ sunt notitia, & amor, nō longè, sed proximè Deum attingebant. Mēs verò cùm est viatrix, peregrinatur à Domino, longeque repromissiones aspicit: cùm autem videt per speciem, præsens, & propinqua, vt 2. Corinth. 5. & Hebr. 11. tradit Apostolus. Si ergo anima Christi peregrina, & hospes erat super terram, non erat Deo per cognitionem proxima, sed Angeli erant Deo propinquiores. Et intellige in illa vnione esse intellectuale primò fuisse spectatum, & quæsitum. Vnde Augustinus libr. de Agone Christiano: *Inuisibilis, ait, & incōmutabilis veritas per spiritum animam, & per animam corpus accepit.* Et epist. 3. ad Volusianum: *Ipsa magnitudo Diuinæ virtutis animam sibi rationalem, & per eandē corpus humanum, totum p omninò hominem in melius mutandum coaptauit.* Damasc. quoque libr. 3. vnitum ait fuisse Verbum Dei carni per medium intellectum. Idē docet Thomas 3. part. quæst. 6. artic. 2. & eleganter explicat. Ideò Euangelista acutè non dixit filium: aut vitam, aut lucem: sed Verbum carnem factum: Verbum siquidem prolem mentis aptè significat, & naturam intellectu prædictam præ sefert: *Qui enim attingit à fine in finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, id quod per se intelligibile erat, menti prius intellectuique coniunxit, & per illum corpori.

2. Cor. 5. Heb. 11.

Aug. c. 18. to. 3 inter med. & finem.

Damasc. c. 6 ante medium.

B Tho. to. 12 Quare non Filius, aut vita, aut lux, sed Verbum dicitur factum caro.

Sap. 8.

Et confirmatur hæc argumentatio: quia Filius Dei in hoc natus est, & ad hoc venit in mundum, vt testimonium perhibeat veritati: *Ecce, ait, testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus.* Vt verò testis perfectus sit, opus est vt probè cognoscat illud, de quo laturus est testimonium. Si dux item, & præceptor consummatus habendus est aliquis, scire illum oportet, & finem quo ducat, & veritatem omninò quam doceat. At Christus testis veritatis erat, à Patre dux, & præceptor constitutus, quocirca necesse erat, vt à Dei Verbo mens potissimum, & ratio hominis in illa vnione perficeretur. Viderunt Apostoli gloriam animæ Christi in corpore, tanquā in speculo, ideò aptè dixit eorum Princeps Petrus: *Sed speculatores facti illius magnitudinis: Gloriam, autem, quasi vnigeniti à Patre*, quando audierunt vocem delapsam à magnifica gloria: *Hic est Filius meus dilectus* (testis oculatus) *ipsum audite.* Doctor veritatis exploratæ, ac visæ est; *ipsum audite.* Dux est qui viam & terminum sciat, *ipsum audite*, atque ideò videte, & contrectate naturam Humanam eius.

Ex eo quod Christus verus, & perfectus fuit testis, & dux apud Prophetam, ide euincitur.

Ioan. 18. Isa. 55.

Testis & Ducis necessariæ conditiones.

Apostoli gloriam animæ Christi quando viderint, & gloriam quasi vnigeniti à Patre.

Matth. 17. 2. Pet. 1. Ibidem.

Secundum testimonium est pro eadem

II. locus.

veritate: *Et habitauit in nobis plenum gratia, & veritatis.* Ex quo Thomas colligit bifariam (siue plenitudinem gratiæ ponas, siue plenitudinem veritatis) animam Christi essentiam Diuinam vidisse. Gratia enim via in ordine ad gratiam patriæ, imperfecta est, & tantum deficit à plenitudine, quantum à perfectione deficit: quare si imperfecta gratia in Christo fuit, non fuit gratia plenus. Quòd si obijcias beatam Virginem, etiam dum vitam mortalem ageret, plenam gratia fuisse, nec tamen Deum vidisse: verùm hūc scrupulum tollit Thomas 3. par. q. 7. art. 10. Non enim fuit Christus gratia plenus ex parte, sed omni modo, quia in ipso cōplacuit omnem plenitudinem inhabitare, Coloss. 1. & cap. 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, nulla ei gratiæ perfectio, aut plenitudo defuit. Et ita habuit gratiam cōsummatam, cum qua gloria animæ coniuncta est. Talis enim, ac tanta fuit illa coniunctio in vnitate hypostatis, vt omnes actus tam Diuinæ, quàm Humanæ naturæ essent actus hypostatis Verbi. Fuit ergo eius gratia, quòd homo ille esset Deus, vnde & alibi ait: *Dedit illi nomen quod est super omne nomen*, scilicet Pater eius Filio dedit vt esset Deus.

B. Tho. 3. p. q. 7. art. 10.

Qualis in Christo fuerit gratiæ plenitudo, præ cæteris.

Luc. 1. Idem.

Colos. 1. & 2.

Qualis vnio animæ Christi cum Verbo, quam indissolubilis.

Philip. 2.

Quòd verò illa anima habuerit scientiæ, & veritatis plenitudinem, probat tertia parte, quæst. 9. artic. 1. & quæst. 2. & 10. articul. 4. Non enim inhabitasset in Christo omnis plenitudo, si plenitudo scientiæ adesset. Iam cùm venit quod perfectum est, euacuatur id quod ex parte est: non ergo cognoscebat ex parte anima Christi, sed plenè atque perfectè; ergo nō erat ea fides, sed visio. Quare ne fucus fiat huic loco Ioannis, illa verba (*Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*) per parenthesim sunt legenda, & legendum: *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, plenum gratia, & veritatis.*

Christi animā plenam scientiæ (vt gratiæ) & veritatis fuisse.

1. Cor. 13.

Tertium testimonium est, quod statim consequitur: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*: quæ verba ostendunt apertissime præcedentia illa: *Plenum gratia, & veritatis*, referenda esse ad CHRISTVM, non ad Ioannem.

III. locus.

Ioan. 1.

I. Ratio ad probandum, Christum gratiæ, & veritatis, vt hæc in cæteros derivaret, plenum esse debuisse.

Si ergo Christus accepit gratiam, & veritatem, vt ex eo gratia, & veritas in omnes emanarent, ergo habuit illas Christus in maximo, & perfectissimo gradu, sicut Sol lucem habet in summo gradu, vt ab eo omnia lumen accipiant. Et sicut summa, & perfecta lux, omnes lucis effectus edere potest; ita gratia, & veritas Christi, omnes

gratiæ,& veritatis: at effectus gratiæ consummatæ,& veritatis,præcipuus, & perfectus est,videre Deum. Deinde naturæ humanæ salus,finis fuit assumptæ.Humanitatis,per quam Deus tanquam per instrumétum operatus est salutem in medio terræ. Vnde Apostolus: *Christum authorem salutis*, scribit,*multos filios in gloriam adduxisse*:& alibi: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, &c. vt adoptionem filiorum reciperemus*.Instrumenti porrò dispositio & qualitas præcipuè pensatur ex fine.Salus autem animę intellectu sano constat,& voluntate sana: at voluntas per gratiam sanatur, intellectus per veritatem: perfectã igitur habuisse debuit gratiam,& veritatem is, per quem cęteris omnibus salus futura erat: nam principium in vnoquoque genere oportet esse perfectum, vt Sol in genere lucis, ignis in genere calidorum. A principio ergo Christi voluntas perfectè amabat Deum ex gratia perfecta, & perfectè cognoscebat ex perfecta veritate, at animæ fœlicitas in perfecto Dei amore, & cognitione sita est, ergo ab initio Christus in anima beatus fuit.

I. Ratio. Psalm.73.

Hebr.2. Gal.4. Animæ intellectus,& voluntas quomodo sanentur.

Illud etiam quod est in potentia, reducitur in actum pᷓ id quod est in actu: oportet enim esse lucidum, per quod illustrantur alia. Cùm ergo per Christum cæteri sint habituri gratiam, veritatem, & gloriam, ipse profectò, qui alios ad eum finem mouere cœpit,& gratiam habuit, veritatem & gloriam,idque ab initio. Nam illa quæ à primis caussis mouentur in finem, quædam solent temporis successione perfici: at caussæ ipsę primæ mouentes, à principio suam habent à natura perfectionem: Deus ergo etsi per Christi Humanitatem, gratiam, veritatem, & gloriam erat cæteris communicaturus in tempore, at Christi animæ ab initio statim contulit. Cur verò corpori gloriam ab initio non dederit, caussæ bonæ non desunt.

III. Ratio. Quid proprium primarum caussarum.

Quartum testimonium est: *Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus Filius,qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*. Pro quorum verborum maiori intellectu perpende, nullum fidei negotium ritè transigi, si omnes testes auriti sint, & oculatus nullus, quin, vt ait Augustinus, auritis credimus, qui audierunt à fide dignis, qui oculis suis se vidisse testificantur. Cùm ergo Moses, & Ioannes Baptista primus & postremus è lege antiqua, atque adeò Prophetæ omnes Christi testes fuerint ex auditu vniuersi, oportuit, vnum esse pro omnibus, qui ex visu testimonium daret: testis autem

IV. locus. Ioan.c.1. Quod oportuerit Christu oculatum esse maxime testẽ, non auritum tantummodo. Augustinus.

is, qui pro tot numbus hominum testimonium daret, esse non poterat, nisi & iustus esset, ne scilicet vellet fallere;& sapiens etiam, ne vtique falleretur: quare opus fuit plenum fuisse gratia, & veritate: ne aliquid in optimo, & certissimo teste desideraretur. Nam gratia plenus iustissimus erat: quia veritate plenus, veracissimus. Quia ergo plenitudo testificationis ex visu est; ideò ex auditu testis plenus veritate non est, cum Scriptura dixisset de Ioanne: *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine*; de Christo verò: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & de Moyse: *Lex per Moysen data est*: illa etiam subtexit: *De plenitudine eius nos omnes* (etiam Moyses, & Ioannes Baptista, Prophetæ, Apostoli, prorsusque testes omnes in vniuersum) *accepimus*: quia & *Lux erat, & plenus gratiæ, & veritatis*, & gratia, & veritas per eum facta erat: & denique testis ex visu erat. *Deum quippe nemo vidit vnquàm*; id est Moyses, Ioannes, Prophetæ, & Apostoli, ac Euangelista. Vnigenitus Filius,qui est in sinu Patris, qui vidit arcana, ipse enarrauit. Et ne hoc tantùm ad Christi Diuinitatem referas, & non ad Humanitatem,& ratio, & authoritas per hibet. Ratiò quidem: quia Christus testis erat veritatis à Patre destinatus non solùm quia Deus, sed quia homo: quare ex vtraque natura opus erat testimonium esse perfectum. Authoritas verò eiusdem Christi est, qui hanc rem manifestius exposuit, dicens: *Amen Amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, &cæt.* Et, *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cælo*. Est autem verbum non præsentis, sed prçteriti temporis, vt Græcus textus habet. Quod enim Ioannes dixerat: *Deum nemo vidit vnquàm*, id nunc alijs verbis ait Christus, *Nemo ascendit in cælum*. Tunc enim homo secundùm animam in cœlo esse dicitur, cùm videt Deum: quo sensu latroni est dictum: *Hodie mecum eris in Paradiso*, & de Angelis; *Semper vident faciem Patris mei qui in cælis est*: & semper in cœlis esse dicuntur, quamuis in terra sæpè sint. Ante Christum ergo sicut nemo viderat Deum, ita in cœlum nemo ascenderat. Et vt apertissimè cerneres sermonem de Christo secundùm naturam humanam, appositè subiunxit: *Filius hominis qui est in cælo*. In quam sententiam ipse quoque Patri postea locutus est: *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem*.

Duo in teste desiderantur quæ quidem in Christo summa fuere.

Ioan. 1. Ibidem. Ibidem. Ibidem.

Quinam potissimum acceperint de plenitudine Christi.

Id: Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit, de Christo etiam vt homine accipiendum, quæ ratio,& Scriptura demonstrent. Ioan. 3. Ibidem.

Luc.23. Matth.18.

Ioan. 17. Supra 3.

tatem meam quam dediſti mihi. Nouit etiam Ioannes Baptiſta hãc Chriſti perfectam teſtificationem, dum dixit: *Quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur.* ¶ Nec obſtat, veteres Theologos hos locos ad Chriſti Diuinitatem retuliſſe, ſecundum quam Chriſtus, & videbat Deum, & vbique erat. Sed ea ætate Patribus bellum erat cum Arrianis, ideò omnibus teſtimonijs quibus poterant, Diuinitatem Filij aſtruebant, & neſcio quomodo Filius hominis, quia Deus erat, tunc cœlum aſcenderet, ſed quia homo: quomodo autem aſcendiſſet niſi ſecundum animam?

Illam ſententiam iam allatam ac ſimiles, veteres Patres de Chriſto, vt Deo cui tantũ intellexerunt.

Quintum teſtimonium, quo etiam vtitur Thomas, habetur Ioan. 8. *Etſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verũ eſt teſtimoniũ meum: quia ſcio vnde veni, & quo vado.* Et infra: *Si dixero quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo.* Eſt autem ſermo de ſcientia, vt à fide diſtinguitur, vt oſtendunt illa verba: *Ero ſimilis vobis mendax.* Iudæi enim fidem habebant eo tempore, etſi cum Chriſto certarent. Quòd verò ſecundùm Humanitatem loquatur, illud probat: *Scio eum, & ſermonem eius ſeruo.* Hoc verò Thomæ argumentum refutari poteſt, dicendo, eſſe quandam ſcientiam ſanctorum, quæ cum charitate coniuncta eſt, & ſi euidẽtiam non habeat: *In hoc ſcimus*, inquit Ioannes, *quoniã cognoſcimus eum, ſi mandata eius obſeruamus. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* Quod ſi quis ita interpretetur hoc teſtimonium, vix refelli poterit. Sed dicere poſſumus, in veteribus Patribus, Concilijs, Pontificibus Summis quædam eſſe argumenta probabilia, quæ ſuadeant, non autem cogant, & probabilia argumenta neceſſarijs coniuncta non veniunt reprehendenda, ſed commendanda, vt ſunt illa quæ ſequuntur: *In quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ, & Scientiæ abſconditi.* Certè ſi ſcientia beatorum illi defuit, non fuerunt omnes ſapientię & ſcientiæ theſauri in Chriſto.

V. locus. *Ioan. 8.* *S. Thom.* Qua ſcientia Chriſtus ſe ſcire Deum aſſereret, eiuſque ſermonẽ ſeruare.

Refellitur his ſenſus ab aduerſarijs: ſed alia tamen firmiori ratione fulcitur.

1. Ioan. 2.

Alij etiam probabiles quidã loci producũtur pro eiuſdẽ oſtenſione veritatis.

[.] locus. *[C]oloſ. 2.*

Item Chriſtus fuit non ſolùm caput hominum, ſed etiam Angelorum, teſte Paulo Epheſ. 1. & Coloſſ. 2. Incongruum verò eſt, vt membra capiti ſcientia, & claritate antecellant. Illud quoque: *Si miniſtratio mortuis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, &c. Quomodo non magis miniſtratio Spiritus erit in gloria?* Non ergò decebat, vt primus Noui Teſtamenti adminiſter ſpiritus atque animæ gloria careret, ex qua non ſolùm facies, ſed totũ corpus glorificaretur ex integro, vt Matth. 17. & Origenes hom. 2. in Exodum docet.

[S]ecundus. *[E]pheſ. 1.* *[C]oloſ. 1.*

[2.] Cor. 3. [T]ertius.

[M]atth. 17. *[O]rig. so. 1.*

Argumenta etiã quæ in Theologis pro ſunt aliquid non decere Deũ, ſatis indicant quod eſſe oporteat interdum. Vnde nõ decebat Verbum aſſumere animã intellectualem imperfectum ſcientia, & ſapientia, & ideò Deo indignam. Et cùm cæteris data ſit gratia ſecũdùm menſurã donationis Chriſti, ſoli Chriſto datus eſt ſpiritus non ad menſuram.

Quæ etiam argumenta eandem veritatem fac le perſuadeant.

Epheſ. 4. *Ioan. 3.*

Secundò ſunt veteres Patres, & tota ſchola eorum, qui ſcripſerunt in libros Petri Lombardi Magiſtri ſententiarum. Lege Thomam tertia parte, quæſt. 9. artic. 2. & quæſt. 34. artic. 4.

Idipſum etiam non ineptè colligitur ex veterum traditione Doctorũ.

Inter veteres Patres primus occurrit Origenes, qui in Ioann. ſuper illa verba: *Nunc glorificatus eſt Filius hominis, & Deus glorificatus eſt per ipſum*, ſcribẽs, ait: *Redeamus ad illud: Nunc glorificatus eſt Filius hominis, & Deus glorificatus eſt per ipſum. Agnoſcens Patrem Filius glorificatus eſt ipſa Patris agnitione, quæ maximum bonum, & tale, vt Filius glorificetur in perfecta cognitione exiſtens, qua agnoſcit Patrem. Arbitror verò etiam quod ſeipſum agnoſcẽs (quæ ipſa res nõ procul à priori abeſt) glorificatus ſit, eo quod ſeipſum agnouerit; an verò etiam vniuerſorum cognitio magnitudinem gloriæ ipſius cõpleat; quæ ſunt occulta, quæq; aperta cognoſcentis, quæres: Et vide ne fortè hanc glorificationem Filius hominis habeat, quia vnitus ſit Sapiẽtiæ, cùm ipſe ſit, αὐτοσοφία, vel, vt vocant, αὐτὸ ὤν, hoc eſt Sapiẽtia ipſa, vel Filius ipſe. Hac enim gloria, qua glorificatus eſt Filius hominis, à Patre, qui hoc illi donauit, glorificatus fuit.* ¶ His verbis videtur docere Origenes, Filium hominis ex vnione cum Verbo accepiſſe tam notitiam, qua Patrem, & Verbum cognoſcit, quàm, illam, qua cognoſcit omnia creata, & hanc ſecundam cognitionem velut auctarium eſſe prioris.

Orig in c. 13. Ioan to. 2. *Ioan. 13.*

Illud: Nunc clarificatus eſt Filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo: egregie expendit Origenes.

Chriſti proprium, ex eodem.

Expenditur & dictum Origenis.

Euſebius libro 10. Demonſtrationis Euangelicæ de Chriſto paſſioni vicino explanans Pſalmũ 21. in eius perſona ait: *Quemadmodum igitur tua tunc, qui es altiſſimus, virtus, me in concipiendo obumbrauit, in pariendo autem extraxit de ventre matris meæ: ita quoque non parua mihi adeſt conſolatio, quòd multò magis de morte ſis extracturus. Atq; equidem hoc ſperans tibi confiſus ſum, qui meus Deus, & Dominus, & Pater es. Et confiſus ſum nõ nunc primùm in te ſperare incipiens, ſed tunc quoque, cùm ab vberibus matris meæ infantilem alimoniam accipiens, putabar, vt reliqui hominum infantes, imperfectus eſſe, & abſque vſu rationis. Non enim eram talis, licet mihi cæteris hominibus ſimile eſſet corpus. Sed neque item vi, neque ſubſtantia pleriſque eram ſimilis, verùm potiùs liber, ac ſolutus tanquam agnus tuus, qui Deus es, cùm ab [...] vſque ætate lacte nutrirer, dico autem*

Euſeb. 10. 2. *Pſal. 21.*

Quid illud Chriſti per Prophetam de ſe ipſo ad Deũ, ſpes mea ab vberibus matris meæ, ſecundum Euſebium.

ab vbe-

ab vberibus matris meæ. Cæterùm hoc nondum quispiam magnum arbitrabitur si intelliget, quemadmodum prius quoq; in te proiectus sum ex vtero, & de ventre matris meæ Deus meus es tu. Quũ enim adhuc intra cellam gestantis me in vtero latere, te tamen Deum meum videbam tanquàm is, qui & inconfusus, & imperturbatus in tanta communicatione corporei oneris permansissem, ac potiùs incorporeus tũc quoque fuerim, & ab omnibus vinculis liber.

Leo Papa episto. 95. ad Leonem Augustinum: *Deitas assumptam naturam beatificans, vt glorificata in glorificante permaneret.* Hoc ille de Incarnatione loquens Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 17. in id: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre,* ait: *Plenus erat veritate ac gratia.* Non enim mensura sibi datur vt cæteris, nec de foris accedit, sed vt in perfecto perfecta substantialiter inest, à Patre naturaliter habita. Sed si plena est, inquies, gloria eius gratiæ, & veritatis, quomodo sapientia, ætate, & gratia profecisse apud Lucam scribitur? aut quid accedere potest ad plenum, vltra quod nihil est? Sed non vt Verbum & Deus profecisse intelligitur, verùm quia magis eum indies homines admirabantur, illorum potiùs de Iesu opinio quàm illius perfecta crescebat gratia; vt magis indies cognoscẽtes, magis illum procedere, ac gratia crescere arbitrarentur.

Cyrill. Alex. to. 2. in princ.

Si erat Christus plenus gratiæ & veritatis (inquit Cyrillus) quomodo sapientia, & gratia ille dicitur profecisse.

Luc. 2.

Augustinus libro 4. de consensu Euangelistarum ait: *Postremò suas oues Petro se amanti, eumq; amorem ter confitenti commendãs, dicit eundem Ioannem sic se velle manere donec veniat: vbi etiam mihi videtur alto docuisse mysterio, istam ipsam Ioannis Euangelicam dispensationẽ, quæ in lucem liquidißimam Verbi sublimiter fertur, vbi Trinitatis æqualitas, & incommutabilitas videri potest, & quæ maximè proprietate distat à cæteris homo, cuius susceptione Verbum caro factum est, perspicuè cerni, cognosciq; non posse, nisi cùm ipse Dominus venerit: ideò sic manebit donec veniat: manebit autem nũc in fide credentium, tunc autem facie ad faciem cõtemplandum erit cùm apparuerit vita nostra, & nos cum ipso apparebimus in gloria.* Hæc Augustinus, qui proprium dicit esse homini suscepto à Verbo videre æqualitatem Trinitatis, non autem esset illi proprium, nisi de eo in carne mortali existente esset sermo.

Aug. c. 10. circa fin. tom. 4. Ioan. 21.

1. Cor. 13. Colos. 3.

Verba ponderantur Augustini.

Item Augustinus ait, interpretans illud Psalmi: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: sed veniens in ea quæ transeunt, non abstuli oculum ab eo qui semper manet, hoc prouidens, vt in eum post temporalia peracta recurrerem.* Hæc Augustinus in Christi persona loquens. Cui super eundem locum consonat Euthymius, dicens in Christi persona, *Ante omnes alios ego semper videbam Deum, qui mihi in oculis animæ meæ quasi in conspectu ipso apparebat.*

Idem tom. 8. in princ.

Euthym.

Remigius super eundem locum in persona Christi loquens de Deo, ait: *Illum merito benedico, quia in paßione ne deficerem prouidebant, id est, porrò videbam Dominum remuneratorem, vel mihi aßistentem in conspectu meo, id est, intus in corde, vbi est verus intuitus, semper, id est, & in paßione, & in morte.*

Remigius.

Theodorus Episco. Caron. in libro cõtra Monophysitas, quem scripsit circa tẽpus quartæ Synodi: *Ostendit post resurrectionem gloriam suam: non enim extrinsecus subijt gloria, sed potiùs illam, quæ abscondita erat manifestauit. A principio enim vnionis hypostaticæ inconfusa (scilicet inerat) huius rei testimonium fuit transfiguratio scilicet, quòd antequàm resurgeret, & à mortuis caro eius perfectißima deificatione deificata fuit à principio suæ in vtero formationis.* Hæc ille, qui carnem dicit deificatam, vt animam, quæ carni erat vnita, per vnionem beatam ostendat, licet eius beatitudo foris in carne non appareret, quæ tamen apparuit in transfiguratione.

Theod. Caron. Episc.

Matt. 17.

Alcuinus libr. 2. de Trinit. & mysterijs Christi cap. 11. *Per quam verò durum est, & à firmitate fidei penitus alienum; vt dicamus, animam Christi non plenam suæ deitatis habere notitiam, cum qua naturaliter vnam creditur habere personam. Vnde Ioannes Baptista Christum singulariter ac sine mensura datam spiritus largitatem dixit: Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum: hominibus ad mensuram dat, vnico Filio ad mensuram non dedit, quia omnis plenitudo diuinitatis in eo habitat.* Hæc Alcuinus, qui plenitudinẽ diuinitatis, & spiritus Christo homini datũ dixit, cùm Verbum caro factum est: & per eã vnionem probat animam Christi diuinitatẽ plenè cognoscere.

Alcuin.

Ioan. 3.

Colos. 1. & 2.

Ioan. 1.

Damascenus lib. 2. c. 22. post medium: *Si autem consilium ob ignorantiam est, omninò & electio. Deus profectò omnia sciens, simpliciter non consultat. Neque in anima Domini dicimus consilium vel electionem: non enim habuit ignorantiam. Nam etsi naturæ erat ignorare futura: attamen secundùm hypostasin vnita Deo Verbo, omnium cognitionem habebat, non gratia, sed (vt dictum est) propter vnionem in vno supposito.* Hæc ille, qui cùm docet animam Christi non habuisse ignorantiam, nec consilium, vel electionem, idque ob vnionem hypostaticam: & nõ ob gratiam, absque vnione, videtur etiam docere animam ab vnione fuisse beatam.

Ioan. Damasc.

Cur in Christi anima, non fuit cõsilium, vel electio iuxta Damascenum.

Idem libr. 3. cap. 22. initio: *Proficere autem dicitur sapientia, & ætate, & gratia: ætate quidem crescens: per incrementum autem ætatis,*

Idem. Luc. 2.

sapientiam quæ ipsi inerat, in apertum promens. Et paullò inferius: *Qui verò proficere ipsum dicunt sapientia, & gratia, vt horum accessionem, additionemq́; subinde suscipientẽ, non ex extrema carnis existentia vnionem factam astruunt, neque secundùm hypostasin adorant vnionem, A Nestorio vana sapiente persuasi, habitudinariam vnionem, & nudum incolatum falsò prædicant, non cognoscentes neque ea quæ dicunt, neque de quibus differunt. Nā si verè vnita est Deo Verbo caro extremæ existentiæ, magis profectò in ipso existet, & hypostaticam ad ipsum habebit identitatem. Quomodo ergo non perfectè ditata est omni sapientia & gratia? Non ipsa quidem per gratiam participans vt nos, neque secundùm gratiam ea quæ Verbi sunt participans, sed potiùs propter vnionem secundùm hypostasin, humana, & diuina vnius Christi facta particeps.* Hæc ille docens ex ipsa vnione cum Verbo ditatam fuisse carnem, hoc est Humanitatem, omni sapientia, & in sapientia nequaquam creuisse, vel mutationem suscepisse. Nunquàm igitur anima illa visione Dei priuata fuit, sed semper noster Iosue vidit Terram Promissionis ad quam nos ducebat, idcircò dixit: *Qui mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit.*

Contra habitudinariam Nestorij vnionem animæ Christi cum Verbo.

Ioan. 12.

Bernardus etiam homil. secunda super missus est, circa medium: *Vir igitur erat Iesus ne dùm etiam natus, sed sapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit sapientiæ, vel potius non minus fuit sapientia Iesus conceptus, quam natus, paruus, quia magnus. Siue ergo latens in vtero, siue vagiens in præsepio, siue iam grandiusculus interrogans doctores in templo, siue iam perfectæ ætatis docens in populo, æquè profectò plenus fuit Spiritu sancto, Nec fuit hora in quacunque ætate sua, quæ de plenitudine illa quam in sui conceptione accepit in vtero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adijceretur, sed à principio perfectus, à principio in quam plenus fuit Spiritu sapientiæ & intellectus spiritu consilij, & fortitudinis, spiritu scientiæ, & pietatis, & spiritu timoris Domini.*

Bernardus.

Superfunt argumenta in contrarium refellenda. Primum, in Christo fuit fides, iuxta illud Isaiæ: *Erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius*: at fides visione euacuatur. Fuit etiam spes secundùm illud quod in Persona Christi dicitur Psalmo 21. *Spes mea ab vberibus matris meæ*: at spes comprehensione exinanitur, iuxta id Apostolus ait: *Quod enim videt quis quid sperat?* Fuit etiam timor. Marc. 14 *Cœpit pauere, & tadere*: Timor autem est futuri mali, & incerti, vt testis est Aristoteles libro secundo Rhetoric. non ergo vincebat Deum. Respondemus, in primo loco fidem, & iustitiam accipiendum esse pro fidelibus, & iustis, vt interpretatur Hieronymus. Septuaginta etiam interpretes eodem videntur tendere, sed apertissimè paraphrasis Chaldæa, quæ habet: *Et erunt iusti in circuitu eius, & fideles accedētes ad eum.* Vel fides pro fidelitate accipienda est, per quam quæ promisit Christus, impleuit. *Nunquid*, ait Apostolus, *incredulitas illorum* (Iudæorum scilicet) *Fidem Dei euacuauit?* id est, fidelitatem, qua se veracem in dictis & promissis ostendit. Ad alterum de spe dicendum, quod Deus dicitur spes Christi, eo quod in Deo erat fiducia eius, & non in homine, quia etiam multa ab eo sperabat se consecuturum, licet non gloriam animæ, quam ab instanti Conceptionis habuit.

Rationes aduersariorum proponuntur, & diluuntur.

Isa. 11.

Psal. 21.

Rom. 8.

Mar. 14.

Philosoph.

Rhet. 2.

Huius dicti, Erit fides (scilicet Christi) cinctorum renum eius, primus sensus.

Hieron. 10. 5.

Alter.

Rom. 3.

Quomodo Deus fuerit spes Christi.

Ad illud verò quod de timore dicitur, respondemus, in Christo fuisse timorem naturalem, quatenus appetitus sensitiuus læsionem corporis refugit, & per tristitiā si sit præsens, abhorret, & per timorem, si sit futura, & hoc modo timor fuit in Christo, sicut & tristitia. Alio modo secundùm incertitudinem futuri euentus: qua ratione in Christo timor non fuit, vt docet Damascenus libro tertio, de Fide Orthodox. cap. 21.

Qualem Christus habuerit timorem.

Ioan. Damasc.

Secundo argumentantur: quia sapientia, & gratia proficiebat Christus non solùm apud homines, sed etiam apud Deum: non ergo erat beatus, quia beati augmenti, & profectus sunt incapaces. Respondemus Christum dictum fuisse crescere in sapientia, vel gratia, non quidem in se ipso, sed in hominum existimatione: quam solutionem inuenies in loco proprio fusiùs tractatam, & confirmatam, ita vt illam retractare nihil sit aliud, quàm actum agere.

II. Ratio.

Luc. 2.

Profectus Christi in sapientia & gratia apud Deum & homines, quomodo intelligendus sit.

L. v. r. 111.

Tertium argumentum: In visione beata nulla est rerum cognitarum successio: at Deus Christi animæ quædam demonstrabat, quędā verò celabat postea demonstraturus. Ait enim Ioannes cap. 5. *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit, & maiora his demonstrabit ei opera.* Præterea etiam quædam ignorare dicitur Filius, vt diem iudicij: non ergo ab initio beatus fuit & omnia nouit.

III. Ratio.

Matth. 24.

Respondemus, his duobus testimonijs, Arrianos Christi diuinitatem, & sapientiā impugnasse: Patres verò ea de Christo secundum humanam naturam interpretantes, putabant se aduersarijs respondisse, & eorum argumenta elusisse. Sed Ambrosius libro 5. de Fide, cap. 8. cū Aerio disputan-

Eius loci: Pater Filio maiora demonstrabit opera, pr. sensus antiquorum Patrum.

Ambr. 10. 1.

Alter Ambrosij sensus.

non audet asserere, Christum secundũ Humanitaté, aut in sapiẽtia creuisse, aut quicquam penitùs ignorasse, si has voces propriè capiamus. Contrariam verò sententiã ait quosdam tenuisse. At Thomas authoritate Ambrosij nixus, non dubitat asserere, Christum non secundùm sapientiam diuinam, ac beatam, aut infusam, sed secundũ aliam acquisitam, & experimẽtalem quippiam aliquando ignorasse, quod posteà didicerit, iuxta illud: *Didicit ex ijs quæ passus est, obedientiam.* Hac ergo scientia experimentali Pater demonstrabat Filio opera mirabilia quæ faciebat; maiora suo tempore demonstraturus, quia & maiora facturus: atque hac scientia experimentali ignorabat Iudicij diem, quia antequàm sit, non poterat illum experiri.

S. Thom.

Quid, & quomodo ignorauerit Christus, atque didicerit iuxta Thomam.

Hebr. 5.

Possunt tamen hi duo loci alio modo explicari. Reprehensus fuerat Christus à Iudæis, quòd solueret sabbathum, & quòd se æqualem Deo faceret: respondit; Nõ potest Filius à se facere quicquam, nisi quòd viderit Patrem facientẽ. Vbi primò æqualitatem potentię cum Patre agnoscit, & illi accepta refert quæcunque operatur. Deinde arguentes redarguit. Cur me reprehenditis Iudæi, cum eàdem ratione me, & Patrem meum reprehendatis? quia quę facio, non ex me, & ex capite meo facio, sed ex Patris autoritate, & quæ ille facit, hęc eadẽ ego non clausis oculis, sed certissimo visu cernens similiter facio. Et vt probet se videre Patrem operantẽ opera, subdit: Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei quę ipse facit: nec solùm quę antehac fecit, corã Filio fecit, sed & maiora quæ facturus est, demonstrabit, & eo spectante faciet.

Tertia loci eiusdẽ explicatio satis idonea.

Quibus verbis non negat Filiũ res prius intelligere omninò, quàm fiant, sed humano more loquitur, se nostro sermoni attẽperans. Nam tunc aliquid ostendere dicimur, cùm ita pręsens est, vt non ad intellectum, sed quasi digito ad sensum illud demonstremus, quæ solet esse nobis maxima certitudo. Ita Deus res ęternas nostro tempori, & captui attemperat.

Quippiam quando alicui ostendere vulgò dicamur.

Subditque: Vt vos miremini. Vbi de demonstratione quadam futura videtur loqui quę pateat ad sensum cęteris: nihil ergo ex his verbis contra gloriam animæ Christi haberi potest.

Quartum argumentum: Præstantius est gloriam, & honorem consequi per opera virtutis condigna, quàm sine vllo merito habere: Christus ergo animæ suæ beatitudinem tanquàm virtutis pręmium accepit, ergo non est in primo instanti visionẽ Dei, & gloriam consecutus. Neque enim fieri potest, vt simul quis mereatur beatitudine, & simul sit beatus; quemadmodũ nec quòd simul sit in via, & in viæ termino. Et cõfirmatur Isaiæ testimonio cap. 53. *Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit, & saturabitur.* Et iterum: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Soluẽdus est hic scrupulus ex doctrina B. Thomę. Habere enim aliquod donũ à se, vel per se, nobilius est, quàm habere illud per alium: semper enim caussa quæ est per se, potior est ea quæ est per aliud, vt dicitur in octauo Physic. Hoc autem dicitur aliquis habere per se ipsum, cuius est sibi aliquo modo caussa. Prima etiam caussa omnium bonorum nostrorum per autoritatem est Deus, & sic nulla creatura est caussa. Vnde Apostolus: *Quid habes, quod non accepisti.* Potest tamen secundariò quis sibi esse causa alicuius boni, quatenus cooperatur Deo: & sic qui habet aliquid per meritum proprium, habet illud quodammodò per seipsum: inde nobilius est habere, quod habetur per meritum, quã quod sine merito. Quia verò Christo omnis perfectio tribuenda est; ideò asserendum, quòd citra meritum habuerit illud, quod alij per meritum habent, nisi sit tale, cuius carentia magis dignitati Christi præiudicet, quàm accrescat per meritum. Hinc est, vt nec gratiam, nec scientiam, nec animę beatitudinem, nec diuinitatem promeruerit: nam cùm meritum non sit nisi eius quod nondum habetur, opus esset vt Christus istis aliquando caruisset. At illis carere magis diminuit dignitatem Christi, quã augeat meritum. Gloriam tamen corporis, ascensionem, & venerationem, quæ vbique minor est, quàm dignitas merẽdi, quæ pertinet ad virtutem charitatis, ideò meruit, non autem priora. Vnde rectè dicitur: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Et subdit: *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit* (scilicet semen longæuum) *& saturabitur.*

IV. Ratio in oppositum.

Isa. 53.

Psal. 44.

Hebr. 1.

Thom. 3. par. q. 19. art. 3.

tex. 39. to. 11.

Arist. to. 11.

1. Cor. 4.

Quęnã Christus sine merito, quæ verò cum merito sit à Deo consecutus.

Isa. 53.

Ad illud verò: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterà vnxit te, &c.* Dicendum, *Propterea*, sic interpretãdum, id est: vt egregia & heroica hæc opera faceres: *Propterea, vnxit te Deus olim*, id est, constituit te regem, vt hæc pro subditis tuis faceres.

Quomodo illud accipiendũ sit: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: Propterea vnxit te Deus, &c.

Quintum argumentum. Cùm Propheta dixisset in persona Christi: *Non derelinques animam meam in inferno:* subdit: *Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vultu tuo:* nõ ergo ante mortem erat adimpletus lætitia vultus sui, nec facie ad faciem Deũ videbat. Dicẽdum, in eo Psalmo de resurrectione æternę vitæ agi non solùm in Christo,

Ratio V. aduersariorum.

Psal. 15.

Actor. 2.

Lsensus horũ verborum: Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplebis me lætitia cũ vultu tuo.

Christo, sed etiam in membris suis. Nam illa omnium capitis & membrorum resurrectio, vitaque delicijs plena, fructus Passionis Christi fuit, quia vt testatur Paulus, conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus; cùm ipse excitatus sedeat à dextris Dei. Loquitur ergò in persona nó tantùm sua, sed membrorū, vt Thom. in eius Psalmi explanatione tradit. Vt illud: *Saule, Saule, quid me persequeris?* cùm tamen membra persequeretur. Ita: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, scilicet in membris meis.* Potest deinde accipi de Christo, quòd post resurrectionem adimpletus sit lætitia: quia ante tempus illud eius corpus vacuum erat illa voluptate, quæ à visione Dei in corpus emanauit: & anima non vndique plena erat lætitia, quia appetitus sensitiuus mœrori & tristitiæ patebat.

Ephes. 2. Mat. vlt. Thom. Act. 9. Alter sensus.

VI. Ratio. Postremum argumentum. Non potest esse cum maximo gaudio summa tristitia coniuncta, at qui Deum videt, hic maximè gaudet: Christus verò maximè tristatus est iuxta id: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* & alibi per Prophetam: *Repleta est malis anima mea.* non ergò Deum videbat, ne demus duo cótraria in eodem subiecto simul extitisse, & fuisse simul repletam animam malis, & maxima lætitia perfusam. Sed tripliciter hoc potest expediri. Primò asserédo, quòd in appetitu Christi rationali, qui est voluntas, nulla prorsus extitit tristitia, quia Deo plenissimè fruebatur. Et vt à superiori facultate nó deriuabatur gaudium ad inferiores, vt salutis nostræ opus Christi passione perfici posset: sic ab inferiori facultate non perueniebat ad superiorem dolor. Non fuit ergò in Christi voluntate tristitia, sed in alio subiecto, népe in appetitu sensitiuo, qui propriè est tristitiæ subiectū: ideò aptè dixit: *Tristis est anima mea.* Appetitus enim animalis quatenus animalis, non est rationalis, sed sensitiuus. Atque huic sententiç fauet Thom. 3. part. q. 15. art. 4. & 6. & q. 46. art. 7. & 8. vbi & Scoti argumenta in contrarium diligenter refutat Caietan. & sic non sunt in eodem subiecto proximo contraria, quia gaudium erat in voluntate, tristitia verò in appetitū sensus.

Matth. 26. Psal. 87. De eo quod in Christo fuit dolor atque tristitia. I. Solutio. B. Thom. Caietanus.

II. Solutio. Secundò expeditur hoc argumentum, si dicamus, Christum in appetitu rationali, qui est voluntas, tristitiam, & quidem summam habuisse: Nam in hostia pro peccato contritio, & volūtatis tristitia maximè desideratur: & cùm hic dolor spiritualis sit peccato contraria medicina, quo voluntas præcipuè delectata fuit in peccato, consonum ergò fuit, vt Filius Dei, qui se hostiam pro nostris peccatis ei offerebat, nō solùm corporis & animæ sentientis dolores pateretur, sed angores quoque spiritus, & voluntatis labores spontè pro nobis susciperet, vt ita diuinæ iustitiæ pro nobis satisfieret. Vnde & Ambrosius dixit ad Gratianum Imp. *Sicut susceperat voluntatem meam, suscepit hostiam meam.*

B. Ambros. tom.

Hic autem dolor voluntatis intellectualis propriè hominis est tristitia: nam qui in solo appetitu sensitiuo reperitur; hic potiùs animālis dolor est quàm hominis: decuit autem, vt per humanum propriè dolorem humana peccata soluerentur. ¶ Et cùm dixit Propheta: *Repleta est malis anima mea*; omnem animæ appetitum dolore repletum significauit: nam pronómen, mea, rationalem magis quàm sensitiuum appetitum præ se fert. Quæ si vera sunt, vt videtur, non obstant quin per Diuinam potentiam simul esse potuerint summum gaudiū supernaturale, & tristitia maxima in codé subiecto. Tum quia nec propriè contraria erāt, quia oppositio debet esse circa idem: tum quia quod præter naturæ ordinem à Deo efficitur, id ad naturæ legem referre velle, stultum est. Miraculum enim fuit, quòd Christus simul fuit viator & cóprehensor: quòd à gloria animæ nihil ad corpus deriuaretur, aut à superioribus facultatibus ad inferiores. Item quòd inferioribus potentijs perturbatis, non perturbarétur superiores, nec à sua perpetua operatione & delectatione, quam in vero Verbo habebant, cessarent. Ita etiam propter mysterium redemptionis inter hæc miracula reponendum, quòd volútas etsi Deo frueretur, susciperet tamen spontè tristitiā, quantam maximam poterat capere: & capere potuit tantam, quanta maxima esset in rerum natura, vt dolor & tristitia pro peccatis nostris non minor esset, quàm iocunditas & voluptas ex peccato captata.

Id dictum in Christi persona: Repleta est malis anima mea, quem sensum habeat.

Quatuor Diuinæ virtutis in Christo adhuc viatore perfecta miracula.

Tertiò expeditur argumentum hoc dicédo, quòd sicut Christus per totam vitam suam gloriam animæ premebat, ne in corpus efflueret, sic in passione gaudium retinuit, quod suapte natura ex clara Dei notitia prodiret in voluntatem necessariò, non secùs atque ex Sole lumen, & calor ex igne manare solet: sed retraxit aliquādo Sol radios suos, & ne calefaceret, compressus est ignis. ¶ Nec obstat quod Benedictus 12. definiuit, Beatitudinem in visione & fruitione consistere; Christus autem dum in terris ageret, beatus erat. Respondemus enim id tradidisse Pontificem de beatitudine consummata; Christus tamé etsi habuerit beatitudinem, non tamen accidētia, quæ inde consequuntur, quia decuit eum, (ait Apostolus,)

III. Solutio, & quidé probabilior. Matt. 26. Dan. 3. Benedicti 12. huius nominis definitio illa: Beatitudo in visione & fruitione cōsistit, vt sit accipienda. Heb. 2.

Vnde constet fruitionem sine gaudio posse, & delectatione cõsistere. Matth. 26. Heb. [illegible]

stolus,) per passionem consummari. Item fruitio sine gaudio potest intelligi: fruitur enim homo arboris suæ fructibus, cùm per morbum voluptatem nullam capiat ex eis: ita Christus videbat & fruebatur, licèt à Deo derelictus gaudium non persentisceret: quare pro proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta. Atq; hic tertius soluendi modus plausibilior esse videtur, quo maiores in nobis pœnitentiæ, amoris, & gratitudinis igniculos excitet. Oculos igitur in cœlum attollamus, vt Christum omnis nostri autorem boni atq; mediatorem agnoscamus: ab eo gratiam ad præstandam legem efflagitemus: ab eo sapientiam, & lumen ad diuinas Scripturas perscrutandas imploremus, atque cum Salomone dicamus: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam,* &c. *Mitte illam de cœlu sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te.* Si enim ita Christum inuocauerimus, de inexhausta gratiæ suæ plenitudine nobiscum communicabit, quò vacuũ cordis nostri implere possimus, vires nobis ad id Domino nostro Iesu Christo suppeditante, cui cum Patre & Spiritu sancto sempiterna laus, gloria, imperiumque reddatur in secula seculorum. Amen.

Sap. 9.

TRACTATVS XXXI.

In quo explicantur illa verba: *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit.*

Exod. 33.

QVoniam Euangelista superiori sermone dixerat legem per Moysen datam, quam à Deo acceperat, & existimari poterat Deum à Moyse visum fuisse, quòd Deus ad illum facie ad faciem loqueretur: & rursus de eo lib. Numerorum cap. 12. scribitur: *Ore enim ad os loquor ei:* palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum videt. Propterea occurrit his verbis Euangelista (vt interpretatur Euthymius ac Theophylactus ex Chrysostomo) cùm ait: *Deum nemo vidit vnquam:* & de hominibus est, non de Angelis sermo, vt quidam volunt, alij & de Angelis. Itaque Moyses ne per modũ quidem transeuntis Deum vidit. Alia etiam reddi potest ratio connexionis horum verborum cum præcedentibus. Dixerat namque, *de plenitudine eius,* nos veritatem per Christum factam, & gratiam accepisse: inter veritates autem illæ nobiles videtur, & maximè vtiles ad salutem, quæ de crea-

Euthym. in Ioan. cap. 1. Theoph. ibid. Chrysost. hom. 14. in eundem tom. 3.

Quænam alijs veritates præstare videtur.

tore loquuntur, & ad salutem æternã promouendam summ operè conferunt. Hinc per Prophetã Deus dixit: *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia,* &c. & alibi: *Non glorietur sapiens in sapientia sua; & non glorietur fortis in fortitudine sua; & non glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire, & nosse me;* veritates autẽ quę de creaturis percipiuntur, neque hominem explent, nec eum beatum reddunt: quin potius (vt Salomonis verbis vtar) *sunt vanitas & afflictio spiritus.* Quia *non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* Vnde & alio loco ait Spiritus sanctus, *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.* Et rursus: *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Propterea magna ratione Euãgelista, prætermissis quæ ad creaturas pertinent, veritatibus, saltat eleuando intellectus nostros ad diuinam veritatem, dicens, *Deum nemo vidit vnquam.* Ad cuius luculentiorẽ sententiæ interpretationẽ in primis illud præmittinecesse est, Deum accipi posse bifariam: vno modo secundùm essentiã suam, scilicet pro substantia & essentia diuinitatis, secluso omni respectu, siue relatiõe ad personas diuinas: alio verò modo potest accipi secundùm personas. Et cùm Dei & vnigeniti Filij mentio fiat: Deus sumi potest pro primã persona Patris. Deinde præmittendũ, verbum, *Videndi,* in diuinis literis non tantũm vsurpari pro actu oculorũ, aliorumve sensuum, quemadmodum Thomę lateris vulnus tangẽti ait Dominus. *Quia vidisti me Thoma, credidisti,* &c. hoc est: Quia tetigisti, siue tactus sensu comprehendisti. Sumitur et à aliquãdo pro actu sensuum interiorum, & maximè pro vi imaginandi: nam eo modo multi Prophetæ visiones viderunt, quatenus Deus per se, vel per Angelos rerũ sensibilium in mentibus Prophetarum similitudines ad aliquid spirituale significãdum imprimebat. Vnde dictum à Daniele est: *Intelligentia opus est in visione* (Prophetica) sumitur & pro actu ipsius intellectus, qui supra omnes sensus externos & internos videt maximè, siue beatus sit, siue viator qui videt. Ad hęc fides qua diuina percipimus, & quæ donum supra naturam est, videndi vocabulo non rarò in Scripturis exprimitur, iuxta illud: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Postremò accipitur pro visiõe beata, quæ fit per lumen gloriæ, de qua dixit Christus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deũ videbunt.* Et in omnibus & singulis istis significatis semper attendenda est differẽtia inter habitum & actum videndi.

His ergò præmissis, sit prima veritas: Deus trinus & vnus, vel Deus Pater oculo corpo-

Isai. 48. Hierem. 9. 1. Cor. 1. 2. Cor. 10.

Quales sint quæ de creaturis percipiũtur veritates.

Eccles. 1. Ibidem.

Sap. 9.

Deus bifariam consideratur. Videndi verbum in Scriptura quot modis capi consueuit.

Ioan. 20.

Daniel 10. Quale sit donum fidei. Ephes. 2.

Ioan. 14.

Matth. 5.

Deus trinus & vnus secundùm essentiã

oculo corporeo, vel sensu etiam interno videri non potest.

corporeo, vel sensu etiã interno in se, hoc est, in essentia sua videri nequaquã potest. Hinc dicitur Deus inuisibilis 1. Timot. 1. & cap. vlt. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Nam cùm Deus spiritus sit, & incorporeus, secretusque omni concretione mortali, non habet in se sensibile vllũ proprium, vt lucem, vel colorem: nec sensibile commune, quo sensu aliquo cõprehendatur: sensus quippe facultas est organo affixa, neque alia præter singularia sensibilia potest percipere. Potest tamen Deus, si velit, videri, sentiri, & intelligi non quidem in se, sed in subiecta creatura, in qua apparet, vel etiam specie imaginaria vel intelligibili (vt sic loquar) abstracta, vel denique infusa: quod planũ ac manifestũ fit. Deus enim visus est ab Abraham, quãdo *tres vidit, & vnum adorauit*; & à Moyse in rubo ardenti. Auditus est etiam à Petro in Transfiguratione voce veniente de cœlo ad Christũ à magnifica gloria. Auditus est insuper De⁹ à Iudæis in mõte Synai, dum legem ferret. Quanquam hæc omnia Angelorum ministerio Deum ipsum repræsentantium fiebant, non autẽ à Deo immediatè, qui non potest aliquo modo in se moueri, cũ suapte natura sit immobilis. Sentiebatur & diuinitas in Humanitate sibi vnita, sensu aliquo comprehensa; quemadmodum nos quoque sensu videndi, gustandi, & tangendi perceptis accidentibus Eucharistiæ eum continentibus atq; repræsentantibus, possumus dici sensu Deum percipere. Visio etiam Prophetarum imaginaria, *multifariam, multisq; modis*, prout Dominus volebat, Deum repræsentabat: Philosophi verò, contemplando creaturas, & lumine intellectus agentis, & speciem abstrahendo in illa, & per illam Deum cognoscebãt, teste Apostolo ad Rom. 1. qui ait: *Quod notum est Dei: manifestum est in illis. Deus enim illis reuelauit.* Prætereà, Deus etiã intellectu præditis de se visionem cœlitus infundit, vt agnosci possit: quemadmodũ docet D. Gregor. de illa visione Iacob, qui dixit: *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Ioannes ergò cùm ait, *Deum nemo vidit vnquam*, non loquitur de tali visione, cùm constet Deũ multipliciter in subiecta creatura, specieve creata, fuisse visum.

Ioan. 4.

Qua ratione videri Deus possit.

Gen. 18. Exod. 3. Matth. 17. 2. Pet. 1. Exod. 19. & 20. Act. 7. & Gal. 3.

Prophetæ & Philosophi Deum quomodo cognouerint. Heb. 1. Rom. 1. Gen. 32. B. Greg. lib. 13 Moral. ca. 37. & li. 23. c. 7. tom. 11.

Quid naturali intellectus vi rteDeus per essentiam videri nequeat, Scripturis ostenditur. Iob 36. Exod. 33.

Secunda veritas sit, Deus naturali virtute atq; efficacia intellectus per essentiam videri nequit: quod & Scripturis, & rationibus clarum euadet. Ait enim Iob cap. 36. *Omnes homines vident eum, vnusquisque intuetur procul. Ecce magnus Deus vincens scientiam nostram.* Tum Exod. 33. *Non me videbit homo, & viuet*: & rursus intrà: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*: & Paulus Deum inuisibilem vocat, & de illo ait: *Quòd lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominũ vidit, sed nec videre potest.* Ratio quoque idem ostendit: quia omnis creata cognitio naturalis fit per species intellectui ad eam deseruientes (intelligibiles Philosophi vocant) sed nulla talis species, cùm finita sit, Deum repræsentare potest. In Deo etiam sunt Sapientia, Bonitas, Potentia, & alia id genus huiusmodi: at nulla datur species, quæ omnia ista valeat repræsentare, & sub aspectum ponere: quomodo etiam finita mẽs nostra infinitum, composita simplicem, mutabilis immutabilem, temporalis æternum capiat? Ad hæc, species, qua homo intelligit, quia à sensibus desumpta est, habet conditiones materiæ, sicut etiam anima, quæ sensui vnita est: Tantùm ergò naturalia valet naturaliter cognoscere. Quibus omnibus simul cum suis attributis & causis per se cognitis, si nihil aliunde ex diuina reuelatione, siue significatione intelligeret (quanquam nullus ea omnia cognouerit) quietus ex parte aliqua remaneret hominis intellectus, multaq; Dei tunc attributa cognosceret: nihil tamen de mysterio Trinitatis, vel incarnationis valeret apprehendere aut concipere. Simili etiam ratione Angeli intellectus, omnes Angelos, eorumq; proprietates perfectè cognoscens, & Deum, vt caussam primam, ac finem omnium, quietus quidẽ esset & contentus ex parte, vt de homine diximus, tametsi nihil de diuinis Trinitatis & incarnationis mysterijs intelligeret: sed non proptereà Deum videre ille dici posset. Quare etsi anima rationalis, vel Angelus in cœlo empyreo esset: non tamẽ Dei viderent essentiam illi magis, quàm nos nunc fortè videamus.

1. Tim. 6.

Idem euincitur triplici ratione.

Tertia veritas: Diuina essentia ab anima rationali, corpore exuta, supra naturam videri potest lumine gloriæ à Deo infuso: quam quidem veritatem obtinuit Ecclesia contra magnam hæreticorum turbam, vt contra Armenios, Arnaldistas quosdam ab Arnaldo Brixiensi appellatos, tum contra Petrũ Abailardũ & Almaricum, nescio quem, aliosque non paucos, qui omnes asserebant, Dei essentiam à beatis nequaquã videri, sed claritatem eius quandam ab essentia separatam: quod Scripturis apertè reuincitur. Ait enim Christus, *Quia Angeli eorum semper vident faciem Patris vestri, qui est in cælis*: & rursus: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, &c.* item: *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*: & Paulus: *Vi-*

Diuina essentia ab anima rationali corpore exuta, supra naturam videri potest per lumen gloriæ diuinitus infusum.

Matth. 18. Ioan. 17. Ioan. 14. 1. Cor. 13.

dimus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum: id est, euidenter & immediate. Adhæc, dilectus discipulus: *Cùm apparuerit,* inquit, *similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* (1. Ioan. 3.) Posita etiam fide, quæ credit visionem essentiæ diuinæ futuram, & charitatem item illam desiderante, tamen animus non acquiesceret, si illam nō assequeretur, nec per cōsequens esset beatus. Quamobrem cùm intelligendi vis omnium rerum naturalium sit capax, profectò vt hic habitus ad ictum reducatur, cognitionem illam beati omnes accipient à Deo. Facultas autem Deum videndi, quia diuina, non naturalis est, haud æqualiter omnibus communicatur: vnde nec æqualiter Deum videbunt beati.

(Essentia diuina videri potest ab anima corpori vnita, non exercente sensuum functiones, virtute diuina. 2. Cor. 12.)

Quarta veritas. Essentia diuina virtute, natura superiori, videri potest ab anima corpori vnita, & non exercente functiones sensuum: quemadmodum de Paulo in abstractione eius à corporis sensibus, & de Moyse, ac beata Virgine quidam affirmāt. Si enim anima separata videre potest, vt diximus, cùm in raptu, siue acerrima quadam contemplatione extasi dicta (in quo anima in corpore proculdubiò est, alias n. corpus putresceret) non sit anima occupata circa circa sensuum functiones, imò etiam si daremus, quòd videret, vel sentiret ob cōnexionem facultatum, habituumve, qui vniti sunt in vna essentia; fieri solet, vt vna summè intenta atque occupata, altera necessariò vacet, nec suos actus expromat, aut certè admodum imperfectos: tūc profectò si eiusmodi anima Deum videret, naturaliter sequeretur cessatio necessaria aliarum facultatum: è conuerso verò virtutibus sentientis & vegetantis vitæ operantibus, & corpore mortali aggrauāte, necessariò impediretur animus à summa atque acerrima contemplatione. (Sap. 9.) Quo fit, vt quo quis magis est immersus appetitionibus sensus, eò minus intelligat ac gustet diuina: cōtrarium aūt euenit spiritualibus hominib. quibus gustato spiritu, desipit omnis caro.

(Maior, minorve gustus diuinorum, vnde sit.)

Quinta veritas. Potest Deus Opt. Max. supra naturā videri ab anima corpori vnita opera etiam sensuum exercente. Nam id in Christo viatore dormiente, & docente verum erat, & fortè post Christi mortē in Virgine aliquando, vt quidam volunt; & in beatis omnibus post repetitionem corporum in resurrectione futura manifestū fiet. (Deum adhuc viator quis ratione videre qui posset.) Modus autem quo id fieri posset, haud est obscurus. Fieri enim miraculo potest, vt intellectus intelligat sine conuersione ad phantasmata speculanda: atque ideircò Angelos, & animas specie infusa, sine specie autem vlla Deum videre posset. Deinde dicimus illam virium connexionē prædictam solui posse, maximè quia locus animę nihil facit ad visionem Dei. (Luc. 23.) Nam Limbus, descēdente in eum Christo, sanctis Patribus redditus fuit Paradysus, & cœlum empyreum, dum Angeli in via erant, minimè eis Dei visionem pręstabat: quemadmodum neque hic mundus eam abstulit à Christo viatore, vel à Maria eius matre, vel Moyse vel Paulo, qui à nonnullis asseruntur Deum vidisse. (Exod. 33. 2 Cor. 2.)

(Deus vel à beatis animabus, aut Angelis lumine gloriæ corroboratis comprehendi minime valeat.)

Sexta veritas. Deus etiam à beatis animabus, aut Angelis lumine gloriæ corroboratis, comprehēdi neutiquam valet. Dicitur enim à Iob: *Deus magnus vincens scientiam nostram:* tum à Hieremia, *magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* (Iob 36. Hieremi. 32.) Comprehenderetur autem, si cognosceretur, quantum in cognitionem cadit, est enim infinitè (vt sic dicam) cognoscibilis, quod ab intellectu finito fieri nequaquam potest. (1 Cor. 9. Philip. 3.) Quod verò Apostolus ait: *Sic currite, vt comprehendatis,* & de se pro alib: *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu.* In illis locis Apostolus vocem comprehensionis accepit, non pro cognitione rei quantum venire in cognitionem potest, sed prout est terminus inquisitionis & sequelę. (Quomodo accipiendum verbum Apostoli, sic currite, vt comprehendatis, & illud: sequor autem, si quo modo comprehendam, & reliq. Simile. 1. Cor. 9.) Dicitur enim canis comprehendere leporem, quando ad eum peruenit, & illum sistit, quasi dominus pręda. Ideò qui citiùs currendo peruenit ad metā, dicitur comprehendere brauium. Quod ergò Chrysostomus in Ioann. ex illis verbis colligit, naturam, substantiam, & essentiam Dei à nulla posse creatura directa, & vt Theologi loquuntur, intuitiua mentis visione conspici; ac proinde Angelos dici videre faciem Patris, quia cogitationem atque imaginationem, seu apprehensionem, quam pro viribus suis de Deo efficiunt, capiuntque, visionem appellari: (Chrysost. hom. 14. in Ioan. sub init. to. 3. Matth. 18.) Deique Filium ante incarnationem non fuisse ab Angelis visum, post assumptam verò carnem illis se in aspectum dedisse, id quod ex Paulo probare contendit, qui ait: *Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis;* (1. Tim. 3.) quasi post incarnationem tantùm, non antè Angelis apparuerit: benignè interpretandum est, vt docet beatus Thomas prima parte, & in quartum Sentent. & ex Augustini libro de videndo Deum, regulam tradit explicandis huiusmodi sententijs accommodatam. (D. Tho. 1. part. quæst. 12. a. 1. 1. tom. 10. Idem tom. 2. Aug. tom. 2.)

Nam

Qui loci in scriptura Deũ videri à nullo posse mortali negant, vt sint accipiendi iuxta B. Thom. I. sensus.

Nam vel intelligendæ sunt, neminem corporeis oculis vidisse Deum. Chrysostomus enim in loco prædicto sic ait: *Quòd si omnis natura creata est, quanam ratione increatum videre poterit? Etsi corpoream virtutem, quamuis genitam, non possumus manifestè conspicari, & hoc sæpenumerò in Angelis ostensum est; multò minùs incorpoream & ingenitam substantiam. Quare Paulus: Quem, inquit, vidit nemo hominum, neq; videre potest.* Hæc ille: quę manifestè de cognitione sensuum, & oculorum videntur intelligenda. Secundò, neminem spiritali mentis oculo suapte natura & virtute visurum Diuinæ substantiæ naturam, quamdiu in hac mortali carne viuit. Tertiò, nullum vnquam vidisse aut videre Dei posse substantiam visione comprehensionis. Hinc ibidem Chrysostomus: *Vt igitur multi quisque pro captu suo ipsum viderunt, substantiam autem nemo vidit: sic multi Deum cognoscimus, non tamen ipsam substantiam qualis est, nisi solus eius vnigenitus, qui certam notionem visumq; & comprehensionem habet, qualem Filium de Patre habere par est.* Hæc ille. Simili quoque ratione soluenda sunt, quæ Theophylactus Chrysostomi doctrinam secutus, affirmat, cùm Angelos negat Dei substantiam vidisse, licèt videant prout sibi cōceditur. Idem dogma secutus est Theodoritus, qui in dialogo, qui inscribitur immutabilis, docet longo sermone, Deum nec à Moyse visum, nec ab Angelis videri in substantia & essentia, verùm per similitudines quasdam, eo modo quo olim visus à Prophetis, & per quandam gloriam, quæ eorum viribus respondet. Sed hæc eadem prope ratione, vt dictum est, interpretanda sunt, sineq; intelligenda, aut apertè deserenda & neganda.

II. sensus. III. sensus. Idem ibidem. Matth. 11. Theophyl. in Ioan. c. 1. B. Theod. par. 1. à medio.

Septima veritas. Etsi propter authoritatem Augustini Epist. 112. & Basilij, Homil. 1. in Hexameron, & Ambrosij lib. 1. in Hexam. cap. 2. probabile valdè sit, Moysen & Paulũ tm Diuinam essentiam vidisse: tum quia (vt supra allegauimus) de Mose dicitur Exod. 33. *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Tum quia Num. 12. scribitur: *Ore ad os loquor ei: palàm & non per ænigmata & figuras Dominũ videt.* Vbi Hebręa habent: *Ore ad os loquor ei; & in visione, non in ænigmatibus & figura Dominũ videbit.* Vbi non negatur Dominum videre per figuras, sed asseritur ad oculum videre ipsam figuram Domini. Et de Paulo 2. Corinth. 12. habetur: *Raptus est in Paradysum, & audiuit arcana verba, &c.* Probabilior tamen videtur sententia quorundam Patrum, qui constanter tenent, Deum ab homine visum fuisse nũquam. Et huius sententiæ in primis est Athanasius ad Antiochum Principem (si tamen eius sint authoris illæ quæstiones) *Nudam*, inquit, *Dei essentiam nullibi vidit vllus, pro humana verò infirmitate, Deus assumpta forma sua, maiestate longè inferiori Prophetis apparuit.* Idem docet Cyrill. lib. 1. in Ioan. & Chrysost. Hom. 26. super secundam ad Corinth. Epistolam, & Homil. in Ioan. 14. Hieron. lib. 3. aduersus Pelagianos, & in cap. 1. Isaiæ. Theophyl. & Euthym. in hunc locũ apertè testantur, Moysen Deum non vidisse secundùm essentiam, verùm per similitudines. Euaristus etiam Papa Epistola ad Episcopos Africanos apertissimè negat, vel Moysen, vel Prophetam vllum Diuinam essentiam vnquã vidisse, nisi per ænigmata & figuram. Item Dionysius Areopag. lib. de Mystica Theologia cap. 1. scribit, *Moysen cum electis sacerdotibus ad summitatem Diuinarum ascensionum peruenisse*, & subdit: *Ibiq; non ipsi congreditur Deo, neq; ipsum cernit (est enim inuisibilis Deus) sed locum, vbi stetit.* Sic ille. Videre autem facie ad faciem in scripturis, nō semper est videre essentiam Dei, nam Iacob Gen. 32. dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea*; de quo tamen, quod videri per essentiam Deum, sensit nemo, sed Angelum Deũ ipsum repræsentãtem, vt exponit Oseas cap. 12. & quod dicitur Exod. 3. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*: interpretatur B. Stephanus Act. 7. inquiens: *Apparuit illi in deserto mõtis Syna Angelus in ighe flammæ rubi.* Tum Iudic. 6. dicit Gedeon, *Vidi Angelum Domini facie ad faciem*: neque tamen asseruit quisquam quòd essentiam Angeli viderit. Et in eodem cap. vbi dicitur quod Dominus loquebatur ad Moysen facie ad faciẽ, paulò post dicitur in persona Domini: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet.* Et infrà: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Quæ verba D. Augustinus libro de essentia Diuinitatis sub initiũ sic interpretatur: *Posteriora*, inquit, *Filij Dei incarnatio accipitur, quæ postremo tempore ob redemptionem generis humani facta est: de qua posteriori parte Filius in monte Synai ad Moysen per Angelum ait: Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris. Ac si diceret: Incarnationem meam videbis in nouissimis diebus, diuinitatem meam videre non poteris.* Hactenus ille. Paulus verò nullibi refert se Deum vidisse, sed tantùm ait se *raptum vsque ad tertium cœlum, & audiuisse arcana verba*, &c. Quomodo etiam, si Deum vidisset, dicere potuisset: Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Et ita accipienda quæ Isaias ait: *Vidi Dominum*

August. to. 2. Basil. to. 1. in princ. Ambros. to. 4. initio. Exod. 33. Num. 12. 2. Cor. 12. Opposita sententia.

B. Athanas. lib. quæst. & responsionum q. 12. to. vlt. initio. B. Cyrill. in Ioan. cap. 21. & 22. tom. 1. initio. Chrysost. to. 4. Idem tom. 3. initio ferè. Hier. to. 2. & tom. 5. init. Theoph. in c. 1 Ioan. Euthy. ibid. Euaristus PP. Epist. 4. Areop. Dionys. Moses cum electis sacerdotibus ad summitatem diuinarum ascensionum peruenit, teste Dionysio. Exod. 33. Deum videre facie ad faciẽ in scripturis non semper est videre essentiam Dei. Gen. 32. Osee 12. Exod. 3. Act. 7. Iudic. 6. Exod. 33. Posteriora Dei quęnam sint secundùm Augustinum. Aug. tom. 4. à medio. 2. Cor. 12. 1. Tim. 6. Isai. 6.

num sedentem super soliũ excelsum; & Ioan.12. *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam Dei*; & Daniel: *& Antiquus dierum sedit*, & Moyses, *Ostende mihi gloriam tuam*: Iacob: *Vidi Deum facie ad faciem*, &c. Intellige enim ex Augustino ad Dulcitium: *Solent* (inquit) *imagines rerũ nominibus appellari: vt dicimus, Vidi in somnis Hectorem, id est, eius imaginem*, & li.12. de Genesi ad literam; *In Exodo scriptum est: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifestè vt videam te*; cùm paulò superius legatur: *Locutus Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut quis loquitur ad amicum suum. Sentiebat ergò quid videbat, & quod non videbat desiderabat.* Et Orig. homil. 1. in Isai. prope finem scribit: *Aiunt ideò Isaiam esse sectum à populo, quasi legem præuaricantem, & extra scripturas annunciantem. Scriptura enim dicit: Nemo videbit faciem meam, & viuet: iste verò ait: Vidi Dominum Sabaoth. Moyses (aiunt) non vidit, & tu vidisti? Et propter hoc eum secuerunt, & condemnauerunt eum vt impium. Non enim sciebant, quia duabus alis velauerũt faciem Dei Seraphim. Vidi Dominum. Sed faciem non vidit Isai. nec Moyses vidit: Posteriora vidit (vt scriptum est) Moyses. Veruntamen vidit Dominũ, etsi faciem eius non vidit.* Et Greg. lib. Moral. *Quamdiu hic mortaliter viuitur, videri per quasdam imagines Deus potest: sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest: vt anima gratia Spiritus afflata per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim eius essentiæ non pertingat. Hinc est enim quod Iacob, qui Deum se vidisse testatur, hũc non nisi in Angelo vidit. Hinc est quod Moyses, qui cum Deo facie ad faciem loquebatur, sicut loqui solet homo cum amico suo: et inter ipsa verba suæ locutionis dicit. Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifestè, vt videam te.* Ac subdit: *De Deo per primum Ecclesiæ prædicatorem* (Petrum intellige) *dicitur: In quem desiderant Angeli prospicere.* Et Epiphanius in Hæresim Audianorum fusè probat, Deum à Prophetis visum fuisse, ac non visum propter visionis imperfectionem. Videtur ergò multò probabilius, neque Moysen, neque Prophetas, neque Paulum Deum vidisse. Quod manifestè hæc quæ interpretamur, verba exprimunt, dicentia: *Deum nemo vidit vnquam*: hoc est, Diuinam quidem essentiam in se ipsa nemo (id est, nullus homo) vidit, id est, cognouit sensu illo, vel intellectu naturali: comprehensione verò, vel etiam supra naturam nemo, etiamsi sit Angelus: quia Græcè dicitur: οὐδεὶς hoc loco, & 1. Ioan. 4. & ita Ambros. lib. 1. in Lucam c. 1. etiã de Angelis interpretatur, quòd visione perfecta & comprehensiua Dei careant, Deũ verò, hoc est, Patrem, vt refertur ad vnigenitum, nemo cognouit, etiam cognitione naturali, quæ in hac vita haberi potest. Vnde Dominus dixit: *Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Quod intelligendum est nõ de cognitione comprehensionis, vt quidam volunt, quia sic ad illam, neque reuelatio ipsa diuina sufficeret: sed de ea notitia, quæ ex virtute naturali intellectus potest haberi, aut comparari. Quod si videre nihil aliud sit hoc loco, quàm clarè cognoscere ea claritate, quam præstat notitia reuelationis, ac fides, quæ longè maior est naturali notitia propter altius lumen, & phantasmata perfectiùs repræsentantia, & similitudines externas: vnde & plures veritates, vtilioresque perfectius percipiuntur, quàm lumen naturale dictet: tunc sensus erit, quod per eiusmodi fidei lumen infusum, nemo vnquam viderit Deũ per essentiam: quod verissimum, scripturis, & rationi consonũ inuenitur. Hoc autem fidei lumen non æquè omnibus impertiuit Deus Opt. Max. cùm in Euangelio legamus quosdam esse modicæ fidei, alios verò magna præditos fide, ita vt mõtes etiam transferant: quemadmodum & natura non æqualia omnibus præbuit organa, quæ variantur pro diuersitate seminis, cibi, loci, influxuumque cœlestium, *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Vnigenitus dicitur naturalis Dei Filius perfectè vim gignendi terminans, & ad quem vnum vt naturalem filium, tota visionis de iure spectat hæreditas: ac proinde potestatem habens admittendi alios ad capiendam hæreditatis partem, quæ illos attingit. Adhæc si vnigenitus est, creatus non est, vt Arrius, & Eunomius docent: nam si creatus esset, vnigenitus non esset, sed haberet creaturam sororem, & quæcunque sunt creaturæ partes, vt docet Theodoritus libro quinto de diuinis decret. cap. de Filio. Et quia Filius similis Patri maximè existit; propterea etiam maximè cognoscit: quia oculus atque intellectus non nisi per speciem similem rei in se conceptæ vel videre, vel intelligere potest. Propterea sapienter dixit dilectus Discipulus: *Cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* Visio namque consequitur similitudinem præcedentem. Dicitur autem Filius esse in sinu Patris: non quòd Deus sinum habeat, nam sinus corporum est, sed quòd consubstantialis & coæternus sit Patri Filius, ab eoq; inseparabilis, vt Euthymius, ac Cyrillus docent. In sinu ergò, hoc est in vtero, vel in abdito paternæ substantiæ. Vt e. n. Pater, ita & Filius inuisus est & incomprehensus: oc-

culta

Margin notes (left): Dan. 7. Exod. 33. Gen. 32. August. lib. quæstio. ad Dulcitium, quæst. 6. 10. 4. Idem c. 27 prope initium tom. 3. — Orig. tom. 1. Isaias cur à Iudæis occisus, secundum Origenem. Exod. 33. — B. Greg. li. 18. Moral. c. 37. circa med. tom. 2. — Idem cap. 39. initio. 1. Pet. 1. B. Epiphan. lib. 3. in hæresi 70. — Angeli perfecta & comprehensiua Dei visione carent. — Ambros. 10. 5. init.

Margin notes (right): Matth. 11. Illud: Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, quomodo intelligendum sit. — Fidei lumen non æquale sortiuntur omnes. — Matth. 8. & Infrà 14. & 16. Supra 8. & Infrà 15. 1. Cor. 13. — Filius Dei cur dictus vnigenitus. — Aduersus Arrium & Eunomium creaturam negantes Dei Filium. B. Theodo. par. 2. à med. 1. Ioan. 3. — Vnigenitus Filius cur dicatur esse in sinu Patris. — Euthym. in Ioan. cap. 1. Cyril. ibid. lib. 1. c. 22. tom. 1. initio.

culta etiam Patris secreta penetrans: ad hęc absconditus quatenus homo, ab omni peccato in prædestinatione Dei: Patri quoque charissimus, & ab eo, calore sui amoris, nimirum Spiritus sancti fotus, vt summa etiam, & pretiosissima possessio in sinu recõditus. Per Incarnationem autem, Patris sinum minimè reliquit, verum nouo modo cœpit esse in vtero, qui ante ibi, & vbique erat, cœlum ac terram ipse complẽs simul cum Spiritu sancto, & cum Patre, cuius in sinu erat. Neque verò etiam in illo modo existendi in sinu, successio aliqua est. Ideò solus ipse vidisse Patrem insinuatur, vt per eum conuenienter veritas, & diuina significatio ad nos perueniat: non per Moysen, qui nec Deum vidit, nec Deus erat, sed per Iesum Christum, qui Deum vidit, & Deus erat. Pulchrè autem in Psal. 102. Arnobius inquit: *Sicut fluuius quamuis per multas terrarum prouincias vadat, de sinu tamen fontis sui numquam recidet: ita Filius Dei ad nos veniens, de Patris tamen non sinu recedit.* Sequitur: *ipse enarrauit,* Notat Chrysostomus, hac voce expressiorem, ac certiorem declarari voluisse doctrinam: siquidem Græcis est, ἐξηγήσατο. & ἐξηγήματα dicuntur commentarij, quibus explicatius edisseruntur obscurius dicta. Quod enim rectius dixerat Pater per Prophetarum oracula; id Filius explicat ad plenitudinem vsque, cuius ante meminit. Habet etiã emphasin, vt notat Theophylactus, quod Christus ea quę vidit, nõ solum clarius enarrauit, quam Moyses, vel Prophetæ, (dilucidius enim enarramus ea, quæ vidimus) verum etiam quod lex non nisi tectè Iudæis tantum loquebatur: at Christus apertè per Euangelium omnibus mundi nationibus loquitur. Enarrauit ergo externa reuelatione (quam appellant) atq; luminis interna infusione, quæ quidẽ fidei sunt absq; euidentia, in quibus voluit, communicauit, quæ verò gloriæ, cum euidentia. Tota ergo diuina verias à mundi exordio reuelata, Christi sapientiæ attribuitur. Etsi hæc verba Ioannis Baptistæ sunt, vt vult Origenes, quoniam nondum Christus prædicauerat de enarratione per Angelos & homines, in quibus, & in Christo, vt homo est, immò & in Philosophis, ac dæmonibus omnem enarrauit veritatem ad Dei gloriam, salutemq; nostram spectãtem: vel propheticè locutus est Ioannes Baptista, præteritum pro futuro ponens. Et in omni tempore, prout est in sinu Patris, non autẽ in omni tempore, quatenus homini tribuitur eruditio, ac reuelatio à Christo: quia semper Verbum erat, & aliquando homo doctor futurus. Ideò Spiritus sanctus, vt spiritus Christi est, docere dicitur, & reuelare: nam Spiritus à Christo procedit, & ipse dixit: *Ille me clarificauit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Eatenus ergo docet, & annũciat, quatenus de eo quod Verbi est, accipit: ad Verbum verò omnis sapientia, atq; omnis reuelatio referenda est. Vnde in Prophetis frequenter legitur, *Factum est Verbum Domini* ad talem, vel talẽ Prophetam.

Hier. 23. & Sapient. 2. — *Arnobi. simile.* — *Chrys. hom. 14 in Ioan. tom. 3* — Ἐξηγήματα Græcè quid. — *Theophyl.* — Deũ quomodo enarrauerit vnigenitus Filius. — *Orig. tom. in Ioan. 6.* — *Ioan. 16.*

Antequam autem huic Tractatui finem imponam, duos alios sensus huius sententiæ subiungam.

Duo alii sensus eiusdem sententiæ.

Primus est, si id, quod dixit, *Deum nemo vidit vnquam*: sumatur pro persona Patris, quemadmodum subiuncta relatio vnigeniti filij nos cogit accipere, tunc sensus esset, Deum Patrem, vt pater est, ac per hoc Filium habentem, id est, mysterium Trinitatis, nemo vidit, nisi vnigenitus Filius eius, qui pars ipsius est quodammodò; ac proinde ipse solus, qui vidit, enarrare nobis potuit & explicare. Nam cum illud mysterium in scripturis obuelatum esset, ac tectum, apertè & manifestè toti mundo aperuit ipse. Dixit enim: *Pater, manifestaui nomen tuum.* & rursus: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, &c.*

I. sensus. — *Ioan. 17. Supra 15.*

Alter est sensus Euthymij, qui ait, his verbis: *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit,* confirmari præcedentem sententiam, nempe: *Deum nemo vidit vnquam,* vt eruatur hic sensus; ipse Filius Dei docuit, quod Deum nemo vidit vnquam. Nam de hoc varijs locis (vt ille inquit) Christus locutus est. Iam verò quia Christus Dominus dicitur *Speciosus forma præ filijs hominum,* hoc est, *cum in forma Dei esset,* præ alijs, qui non sunt natura dij; ideò *diffusa est gratia in labijs eius;* ad enarrandum mysteria Euangelica. Ei ergo credendum, qui potest & vult vires ad audiendum porrigere, & nullo suo vel labore, vel detrimento admittere ad hæreditatem. Ille igitur loquatur nobis (non dæmon impostor, non homo suapte natura mendax) illum per Prophetas, per se, per Apostolos, perq; Ecclesiam mysteria regni cœlorum edisserentem audiamus, vt verè possimus dicere, *Domine, quo ibimus? verba vitæ æternæ habes,* ac rursus: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes; sed non vt lex tua:* id nobis præstante ipso Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto semper sit laus, honor, gloria, & imperium in secula seculorũ, Amen.

Alter sensus. — *Euthym. Proœmio in Ioan.* — *Psalm. 44.* — *Philip. 2.* — *Psalm. 115.* — *Roman. 3.* — *Ioan. 6.* — *Psal. 118.*

TRACTATVS XXXII.

In quo Proœmium B. Lucæ explicatur: simul & scopus in Euangelio describendo aperitur.

Propositum autoris.

HACTENVS ex Ioanne illa exposuimus, quæ præcedere Verbi Incarnationem videbantur: idem quoque præstandum in B. Luca nobis est, qui quidem præcursoris Ioannis annũtiationem, & conceptum, quo tempore præcedunt, Fi-lij Dei corporationẽm describit. Verum ante omnia de Proœmio, quod suo Euãgelio præmittit, nobis hoc loco philosophandum est. Proœmium verò sic habet: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationes, quæ in nobis completæ sunt, rerum: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi & viderunt, & ministri fuerunt sermonis: Visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, vt cognoscas eorum verborũ, de quibus eruditus es, veritatem.*

Præsenti tractatione quæstiones resoluendæ.

Nonnulla dubia hic in primis enucleãda sunt, quorum primum illud est; Cur solus Lucas proœmio vtatur, & præter aliorum Euangelistarum morem librum suũ vni alicui priuatim dicauerit. Secundum dubium: Quisnam sit ille Theophilus; cui tam Euangelium, quam librum Actuum Apostolicorum Lucas dedicauit. Tertium qui sint ij, qui Euangelicam historiam scribere conati sint? Nunquid Matthæus, & Marcus, an verò ex hæreticis aliqui. Quartum: quomodo dicat; Visum est mihi assecuto omnia, cum Euangelium commendare literis, non ad humanos conatus, vel hominum arbitria, verum ad Spiritum sanctũ inspirantẽ, atq; impellentẽ spectet? Quintum, qui verum sit se accepisse Euangeliũ ab his qui viderunt, & ministri fuerunt sermonis: cum superiore libro discussum sit, Lucam, vnum è septuaginta discipulis Domini extitisse. Sextum: quæ sint partes veri, atq; integri Historiographi, quasq; hic insinuare videtur Lucas, vt fide dignus inueniatur? Septimum: quædam circa literã Græco ex fonte sunt adducenda, & ponderanda. Postremum: quis sit scopus B. Lucę, latè, atq; explicatè tradamus.

Dicandorum librorum causæ potissimũ quænam esse soleant.

I. Ratio.

Circa primum: Nobiles scriptores, qui alijs libros suos dicare consueuerunt, eò vt plurimum spectare soliti sunt, vt eorum, quibus consecrantur, eruditione, & doctrina, atque autoritate (si eruditi, sapientes, ac magni alioqui existant) probentur, vel improbentur, illorumq; censuram, & limam subeãt. Qua ratione multos magnos viros, Romanorum Pontificum, atque aliorum doctissimorum Episcoporum nominibus libros suos legimus nuncupauisse. Nam illorum est falsa, siuè minus catholicè scripta corrigere, ac reprobare, rectè, verè, & orthodoxe mandata literis cõprobare, ac suis (vt moris est) testimonijs, & authoritate confirmare. Rursus alij sunt, qui aut ignorantes obtrectatorum, atq; maleuolorum lectorũ linguas, quas in aliorũ labores, & vigilias inuido animo carpendas atq; dilacerandas exercere solent, ob eam caussam magnis Principibus, vel illustrib⁹ viris plerunq; consecrant, vt eorum autoritate, & prę̃sidio, nominisq; splendore protegantur, atq; defendantur: nemo est enim adeò impudens, vel tam audax, ac temerarius, qui contra iudicium, & fauorem Principũ vel mutire, vel hiscere ausit. Sunt & alij, qui libros dedicant suos ijs, quibus vtiles, & ad eos instituendos accommodatos esse iudicant: quam ob causam inuenies non rarò libros de Re militari Imperatoribus & Regibus, atq; etiam alijs magnis Principibus bellum colentibus fuisse dicatos: Adolescentibus verò, qui bonas literas discunt libros de Rethoricis, vel Dialecticis discipulis: at Magistratibus, & viris in administratione Reipublicæ constitutis, luculentos sanè de Politia, vel de iure administrãdo Tractatus. Postremo quidã eo consilio id faciunt, quò beneuolentiã, & gratiã eorũ, quibus dedicantur, sibi cõciliare & promereri valeant, dũ pro beneficijs fortitan acceptis gratũ, ac beneuolum erga illos animũ suum eiusmodi nuncupatione declarant, atque testificantur. Non negauerim quidem posse multas alias causas vel turpes vel fertiles, venalesve librorum nuncupãdorum inueniri: hic tamen de honestis tãtum fit mentio. Certè quod ad Euãgelistas attinet, non solum nihil seruile, aut turpe, verum etiam nihil humanum fuit, & vel ad hominum patrocinium sibi asciscendum, ac comparandum, vel ad hominum gratiam promerendam excogitatum, aut scriptum, absit. Qui enim impulsu sancti Spiritus, & afflatu, & scopo sibi tantummodo gloriæ Christi proposito, ad iuuandam Ecclesiam scripserunt, certum est ipsos nihil humanum spectasse. Omnes enim Christo æterno Deo potissimũ suos libros cõsecrarunt; deinde verò ad benè de Ecclesia merendum. Nam Matthæus abiturus ad gentes, fratribus ex Iudęa rogantib. Euangeliũ cõscriptũ dicauit; Marcus verò Romanis importune efflagitantibus edidit Euangelium; Ioannes item vrgentib. Asię Episcopis

Secundo.

Tertia.

Postrema ratio.

Sacri Euangelij scriptores quatuor quò tantum in scribendo spectasse videbatur.

ſcopis, vt ex Eccleſiaſtica hiſtoria conſtat, hiſtoriam Euangelicam ſcripto commendatam tradidit. Lucas demum, etſi Theophili tantum videatur facere mentionem, in eo tamen Græcis omnibus Eccleſijs, & inter eas Antiochenę maximè, in qua principatum obtinebat Theophilus, ſcripſiſſe eſt exiſtimandus. Quod autem ſolus Lucas præter aliorum conſuetudinem hanc dedicationem Theophilo præſtitam expreſſerit, id quod alij non fecerunt, ſignificare voluit Spiritus ſanctus, multos in Eccleſia futuros, qui libros ſuos nemini dicarent: multos è conuerſo, qui à dicandi more nō abhorrerent: & tam hos, quam illos perinde gratos eſſe Deo, atque acceptos, cum iuiuſtis & honeſtis de cauſis ad dicandos libros ſuos, vel non dicandos permoueātur.

Cur Lucas ſolus præter aliorum Euangeliſtarum morem librū ſuum vni alicui priuatim dicauerit.

Habuit etiam Lucas peculiarem dedicandi rationē: nam cum in Procœmio hoc multorum Euangelicæ ſcriptorū hiſtorię prouētum ſuo ſeculo fuiſſe indicet, vigilantia, & attentione Superiorum opus erat, quo ſpiritus an ex Deo eſſent, probarent: quare inprimis Theophilum virum fidelem, & primarium in Eccleſia Dei, ſibi in iudicem, & cenſorem delegit. Ad hęc deſcribit Lucas Chriſtum ſummum ſacerdotem ſe ipſum pro noſtra ſalute Deo Patri offerentem, at cuius alterius obſecro eſt libros germanos à fictitijs, falſiſq; diſcernere, & ſpiritus vtrum ex Deo, an ex cacodæmone ſint, probare, quàm ſummi Sacerdotis? Quamobrē B. Lucas meritò à reliquorum Euangeliſtarum more in ſcribendo diſcedens, vt iam diximus ſępè, Euangelium ſuum alicui dedicandum eſſe exiſtimauit.

1. Ioan. 4. & 1. Corint. 12.

Heb. 5. infra 9. & aliàs.

Quod verò vni tantum viro fideli hoc Euangelium nuncupetur, ratione haud equidem caret. Nam, vt diximus, in illo vno vt columna & baſi, atq; aliorum omnium ſuperiori reliqui fideles intelliguntur, vel vt oſtenderet Deus Optimus Maximus ſe animarum ſalutem ita eſurire, ac ſitire, vt ſicut pro vno quolibet noſtrum Chriſtus venit in hunc mundum, & mortuus eſt; ſic etiam pro vnoquoque noſtrum ſcriptum fuiſſe Euangelium intelligamus, quippè tantum poteſt charitas, quæ non eſt dedignata, neque verò grauata, tam egregium volumen vel vnius homuncionis gratia ſcribere, quo eum in fide, quam acceperat, multò redderet confirmatiorem, ac firmiorem.

Cur vni tantū viro fideli Euangelium ſuū Lucas nuncupauerit.

Vis charitatis Diuini in nos amoris.

Quod verò etiam vni Theophilo, ex tanto fidelium numero, dedicatum ſit Euangelium, rationem ſuam habet, tametſi textus illam non exprimat. Fortaſſis enim vel hic vrgebat operis editionem, vt eſt veriſimile: quemadmodum & alij tres non niſi rogati, ac penè coacti ſcripſerunt, vel hic forſitan ſumptus ad ſcriber d m neceſſarios ſuppeditabat, cum diues eſſet & potens. Vel ſanè B. Lucas, cum Antiochenus eſſet, voluit Antiocheno Principi, & benè de Eccleſia merenti gratificari, vt quoties ille ſui nominis mentionem in Euangelio factam legeret, toties in Chriſti amorem incenderetur, & ad præſtandum libro Euāgelico patrocinium, etiam ad ſanguinis & vitæ profuſionem excitaretur. Tantos enim in Chriſtiana philoſophia progreſſus fecerat iſte Theophilus, dignus vt iudicaretur, cui tantus Euangeliſta duo egregia, dicam diuina volumina (Euangelium nempè, & Actus Apoſtolorū) dono daret. Præfatione verò in Actis, vt hic, non vtitur, tantū eum appellaſſe contentus, arbitratus eam duntaxat, quæ hic ponitur vtrobique poſſe ſatisfacere: quæ res ſanè declarat B. Lucæ in ſcribendo ſobrietatem, animumq; ab omni ambitione alienum. Mirum eſt enim quam paucis verbis præfationem abſoluat, tantam hiſtoriam, ac tantæ maieſtatis ſcripturus. Hoc prœmium à pleriſque viris eruditiſſimis præmittitur non ſolum Lucæ, ſed etiam alijs Euangeliſtis hiſtorię Euangelicæ ſcriptoribus, vt quibus illud non minus conueniat, quam proprio ipſius Lucæ libro. Nam etiam in illis cuncta, quæ in hoc opere de dictis & geſtis Domini noſtri miniſtri ſermonis nobis tradiderunt, diligenter aſſecuti, vnicuique Theophilo, id eſt, Dei amico, in ſuum ordinem redegerunt. & hæc de primo.

Cur Lucas. ſicut hic, in Actibus Apoſtolicis Procœmio non ſit vſus.

Lucæ in ſcribendo ſobrietas eximia.

Quod ad ſecundum attinet. Quis nam fuerit hic Theophilus, vix ſatis eſt inter ſcriptores expeditum. Quidam enim (inter quos eſt Iſidorus in lib. Etymologiarum, & Nicolaus de Lyra) exiſtimant fuiſſe Epiſcopum Eccleſiæ Antiochenę: id quod autoritate Euſebij Cęſarienſis autoris grauiſſimi, confirmari videtur. Accedit etiā ratio decori: nā ad Epiſcopū Euangelij prędicatorē & interpretē par erat Euangelicū librū deſtinari. Verum hæc ſententia, ſi verba ipſius Euſebij conſulas, ſtare non poteſt. Cōſtat enim (vt ſuperiore diximus lib.) Lucā 15. (vel poſt paulò vigeſimū) anno à Chriſti aſcenſione ſcripſiſſe: atq; eo tempore hic Theophilus, ad quem Lucas librum mittit, vitam agebat. Theophilus verò ille Antiochenæ antiſtes Eccleſię, vt docet Euſebius hiſt. Eccleſiaſt. lib. 4. cap. 20. ſextus poſt Apoſtolos Eccleſiæ Pontificatum tenebat. Primus enim fuit poſt Petrum Euodius: Secundus, Ignatius: Tertius, Heros: Quartus, Cornelius: Quintus, alius Heros:

Quiſnam fuerit iſte Theophilus.

Iſid. Hiſp. al. Nic. de Lyra. Euſeb. Cęſar. lib. 4. hiſt. Eccleſ. ca. 20. & 24. tom. 1.

Prolegom.

Euſeb. vbi ſupra.

Sextus

Sextus verò, Theophilus iam dictus, qui sub Aniceto, & Sothere, Romanis Pontificibus, floruit, vt Eusebius innuit. At eo tẽpore, quod ferè centum annos comprehẽdebat, nec Lucas, nec Theophilus amplius agebant in viuis: nec ex decentia vlla, vel verisimilitudine debemus quicquam contra veritatem asserere.

Altera opinio

Alij verò putant Theophilum, nomen esse significandi gratia à B. Luca confictũ. signant enim Dei amatorem, vel Dei amicum, vel à Deo amatum, vt omni Deum diligenti, vel à Deo dilecto, librum hunc esse dicatum intelligamus. Huius sententię est Origenes homilia prima in Lucam, & Ambrosius, & frater Xistus in Bibliotheca sua. Sed certè opinio hæc suspectum pariter redderet nomen ipsius scriptoris: & in dubium veniret, an Lucas scripserit, an alius. Nam etsi in parabolis liceat nomina fingere ad significandum; non tamen facilè hoc in historia permittitur. Deinde in suspicionem falsitatis, & fictionis vocari posset Euangelij Lucæ autoritas. Nam qui vnum finxit, & aliud potuit fingere. Tertio loco expende, Theophilum vocasse optimum, siue strenuum, hoc enim epitheton repugnat omnibus lectoribus esse dicatum. Ad hæc, posita veritate historiæ atque hominis Theophili dicti, qui magno spiritu feruebat, vt ait Leontius, satis elici mystico in sensu potest libros diuinos ad amicos Dei, vel à Deo amatos conscribi, sicut Pauli doctrina vni homini, vel vni cuius scripta ad omnes pertinent. Dicendum ergo est, Theophilum hunc, vt testatur Theophylactus, virum Senatorij ordinis fuisse, fortassis principem: nam vbi nos habemus, *Optime Theophile*, Græcè dicitur κράτιστε, id est, strenuè, vel præstantissime, vel primatum obtinens, quod quidem cognomen Principibus, Præsidibusque tribuitur. Hinc idem Lucas ca. 26. Actorum, describens Paulum Apostolum ad Festum Præsidem Iudææ, verba facientem, illum salutat, κράτιστε Φῆστε, sicut hic, κράτιστε Θεόφιλε, & Act. 23. *Claudius Lysias optimo præsidi Fœlici salutem*, vbi & Fœlicẽ κράτιστον vocat. Hoc etiam confirmatur autoritate Clemẽtis Romani in lib. 10. Recognitionum, qui de sãcti Petri operibus loquens, quę post expulsum Simonem Magum de vrbe Antiochię, perfecit, in fine sic habet: *Tantam itaq; Spiritus sanctus in illa die gratiã sua virtutis ostendit, vt omnes à minimo vsque ad maximum vna voce cofiterentur Dominum, & ne multis immorer, intra septem dies plus quam decem millia hominum credentes Deo, baptizati sunt, & sanctificatione consecrati, ita vt omni auiditatis de fide tio, Theophilus, qui erat cunctis potentibus in ciuitate sublimior, domus sua ingentem Basilicam Ecclesiæ nomine consecraret: in qua Petro Apostolo constituta est ab omni populo cathedra, & omnis multitudo quotidie ad audiendum verbum conueniens, credebat sana doctrina, quam sanitatum efficacitas affirmabat*. Hæc Clemens. Deinde Episcopus Cabilunensis in Topographia, quam adiunxit Martyrologio, sic habet: *Petrus primus Antiochiæ sedet annos septem, vbi Theophili præfecti filium suscitasse fertur*. Hæc ille. Si ergo in ore duorum, vel trium stat omne verbum, ex his tribus testibus habemus Theophilum Senatorẽ, vel Principem, vel Præfectum fuisse. Qua historiæ veritate constituta, Theophylactus illorum non refragatur sententię, qui Dei amicum interpretantur Theophilum: nam Dei amicus, sicut ipsa charitas, veritatem diligit, ac mirè in eã afficitur: & Christus ad Apostolos dixit: *Vos dixi amicos, quia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*. Meritò etiam secundum Latinam versionem, Theophilus, optimus dicitur: nec enim optimus dicendus est, nisi qui Deum diligentem redamat, & qui dignus est Euangelica doctrina. Vnde & Origenes pulchrè in hęc verba sic scribit: *Putat aliquis, quod ad Theophilum quempiam Euangelium scripserit: omnes, qui nos auditis loquentes si tales fueritis, vt diligamini à Deo: & vos Theophili estis, & ad vos Euangelium scribitur. Si quis Theophilus est, iste optimus, & fortissimus est, hoc quippè significantius Græco sermone dicitur κράτιστος. Nemo Theophilus infirmus est*. Sic ille. Præterea Ambrosius egregiè super hoc nomine philosophatur, ait enim: *Scriptum est autem Euangelium ad Theophilum; hoc est, ad eum, quem Deus diligit. Si Deum diligis, ad te scriptum est: Si ad te scriptum est, suscipe munus Euangelistæ, pignus amici in penetralibus animi diligenter asserua. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui datus est nobis, frequenter inspice, sæpius discute. Fides pignori prima debetur: fidem sequitur diligentia, ne commissa tibi pignora, aut tinea, aut ærugo consumat. Quod tibi commissum est, consumi potest: Euangelium consumi non potest. Euangelium bonum pignus est, sed vide, ne vel in animo tuo illud aut tinea, aut ærugo consumat*. Hæc Ambrosius. Et hactenus de secundo dictũ sit.

Circa tertium verò, quinam illi sint, qui conati sint scribere Euangeliũ, discutiendum est. Non enim in primis videtur de Matthæo, vel Marco intelligere Euangelista Lucas, qui ante ipsum scripserunt, vt ait Euthymius, tum ex modo loquendi obiurgatorio. *Quoniam multi quidem conati sunt*,

Marginal notes (left column): Altera opinio. — Orig. tom. 2. — Ambr. lib. 1. in Lucam, in proæm tom. 5. — Fr. Sixtus. — Hæc opinio quã sit improbabilis. — Leontius Episcopus. — III. opinio. — Theophyl. in Lucam. — Clem. Roman.

Marginal notes (right column): Episc. Cabil. — Deut. 9. & Matth. 18. — Theophilus amicum Dei sonat. — Ioan. 15. — Orig. homil. in Lucam 1. in fin. tom. 2. — B. Ambr. vbi supra. — Quo loco nobis habendũ Lucæ Euãgeliũ. — 1. Tim. vlt. Rom. 5. — Quinam illi qui Euangelicam historiam scribere conati sunt. — Euthym. in Luc. init.

sunt, &c. Quasi dicat conati sunt, sed non successit conatus: inquit enim Origenes: *Hoc quod ait, conati sunt, latentem habet accusationem eorum, qui absq; gratia spiritus sancti ad Euangelia scribenda prosiluerunt.* Hæc ille. Ambrosius quoque enarrans hæc ait: *Conati vtiq; illi sunt, qui implere nequeunt:* Et infra, *Qui conatus est ordinare suo labore, conatus est, neque implebit.* At Matthæus, & Marcus non tentarunt scribere, sed scripserunt, certissima fide comprobata, & confirmata. Illis etiam negotium scribēdi prosperè, nec magno sine fructu successit: nec à seipsis sine Spiritus sancti ad scribendum impulsu, afflatuue, scribere conati sunt: neque Lucas duos illos Euangelistas ab Apostolis, ac præsertim à Petro & Paulo, atque vniuersa Ecclesia comprobatos, increpare auderet, seque illis præferre, præ modestia minimè fuisset ausus. Hic autem sermo, *Quoniam multi conati sunt scribere, &c. Visum est mihi omnia assecuto*: apertè insinuat, quod ipse præ alijs plura sit assecutus, quod tamen contra Matthæum, quia multa suis oculis vidit, nihil valeret: nec etiam contra Marcum à B. Petro instructum: neque vnus Euangelista se alteri prÿferret, cum quod ad munus hoc attinet, pares omninò essent, & æquales.

Orig. vbi sup. in princip. Qui Euangelicam historiā scribere conati sunt. Ambr. li. 1. in Luc. in prooe. mio, to. 5. init.

Secundò, non videtur posse intelligi de Euangelijs Thomæ, Bartholomæi; Matthiæ, Thaddæi, duodecim Apostolorum, Basilidis, & similium: nam istorum Euangeliorum autores hęretici erant, & sub nomine Apostolorum, vt magis fidelibus imponerent, Euangelia sua falsa, & perniciosa palliabant, & tegebant. At tempore Apostolorum, & B. Lucę nōdum hęretici prodierant. Tametsi enim Apostoli præsciret in Ecclesia futuras hęreses, illis tamen viuis nec dum è tenebris in lucē eruperant. Ideò de illis dicere haud poterat Lucas, multos conatos esse scribere historiam Euangelicam. Deinde ætate Apostolorum facilè erat libros nothos, & sprios, Apostolorumque nominibus falso inscriptos detegere, atque reuincere. Prætereà grandioribus, & grauioribus verbis egisset Lucas in hæresiarchas tantam pestem ac lucem in Ecclesiam introducentes, ne malum serperet atq; manaret latius. Ex quo Clemens Alexandrinus libr. 7. Stromatum, hęreses post exactos Apostolos fuisse exortas, docet his verbis: *Quod enim Catholica Ecclesia posteriora fecerunt sua conciliabula hæretici, non opus est multis verbis. Nam Domini, qua fuit in aduentu doctrina, cum cœpisset ab Augusto, medio tempore Tiberij, consummatur: Apostolorum autem eius doctrina, vsque Pauli ministerium, Neronis tempore consummatur. Inferius autem circa tempora Adriani imperatoris fuerunt, qui hæreses excogitarunt, & peruenerunt vsque ad ætatem Antonini natu maioris.* Hæc ille. Cuius verba intelligenda videntur de Marcione, Basilide, & similibus: nam tempore Apostolorum fuit Simon Magus, Alexander, Hymenęus, & Philetus, qui negabat resurrectionem: fuerunt etiam Nicolaitæ, & Ebinoitæ, & Cherinthiani, & Apostolus dixit: *Post vnam, & secundam correptionem deuita.* Egesippus etiam, vt ab Eusebio citatur, & à Nicephoro libro quarto histor. Ecclesiast. capite septimo, meminit temporis quo primum cœperunt hęreses, his verbis: *Post quam Iacobus Iustus martyrio est defunctus, sicuti & Dominus, idem ob verbum, in locum eius, patrui eius Cleopha filius Simeon est suffectus, quem omnes fratrem Domini patruelē secundum esse retulerunt. Propterea autem Ecclesiam vocauerunt virginem, quod nondum esset inanibus, & vanis corrupta doctrinis. Primus eam deprauare cœpit, quod in petitione Episcopatus repulsam tulisset, Sheobutes vnus è septem hæreticis & plebeius, à quibus & Simon est, &c.* Ex his igitur Patrum testimonijs euincitur, hæreses non nisi de medio sublatis Apostolis Ecclesiam diuidere cœpisse. Quare B. Lucas de huiusmodi scriptoribus, qui longo post tempore Euangelia ediderunt, sermonem facere nequaquam potuit. Superest ergo, vt de fidelibus quibusdam loquatur, qui non nisi perfectè, atque fideliter instructi, nec integrè scripserunt, & multa, quæ ex incertis vulgi rumoribus hauserant, pro compertis narrarunt. Quod sequentia verba confirmat, scilicet: *Quæ in nobis completa sunt rerum (siue quæ inter nos certissima fidei sunt) sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi & viderunt, &c.* Vbi incertæ ac dubiæ historiæ opponit certam atque exploratā fidē, quā habentes, nullus amplius nobis dubitationi locus relinquitur: quod quidem in externa hominum philosophia non facilè reperias, in qua philosophi magni tantummodo sunt opinatores.

Apostoli & Euangelistæ quod minimè censendi sint inter eos qui Euangelicam scribere historiā conati sunt.

Clemens Alexandrinus.

Hæreses quando primum sint excogitatæ, teste Clemente. tom. 2.

Egesippus. Euseb. lib. 4. hist. Eccles. ca. 22. tom. 1. Niceph. Callx

Ecclesiam primus deprauasse fertur Theobutes hæreticus è septem vnus.

Quantum ad quartū obijci meritò possit, minimè Lucam debuisse Euangelium suum in humana eruditione, & memoria fundare, cum liber rationis lumine, & peritia humana conscriptus, tametsi aliàs omnia verissima, ac luce ipsa clariora contineret, haud reciperetur in canonem. Debuit ergo potius dicere se à Spiritu sancto directum, siue adductum ad scribendum, non autem suo arbitrio, aut voluntate. Respōdemus, Lucā rectè ad scribendum se impulsum cōprobasse: tū quod probatio per notiora

Quomodo dicat Euangelista: visum est & mihi assecuto omnia &c. cū scribere Euangelium non humani conatus vel arbitrij verum Spiritus sancti inspirantis sit atque impellentis.

tiora nobis fieri debeat: dirigi verò à Spiritu sancto haud erat aliquid externum sibi, vel alijs apparens, quod adeò promptè valeret percipi: quiuis enim de se hoc potest asserere. Tum etiam quia etsi B. Lucas certus erat se à Spiritu sancto directum, videri posset species quædam iactantię, vel superbiæ, si id asseruisset. Vnde nec Matthęus, nec Ioannes illud de seipsis asserunt. Sancti etiam viri nisi coacti diuinitus non solent id de se dicere. Hinc Apostolus ait: *An experimentũ quæritis eius qui in me loquitur Christus?*

2. Cori. 13.

Tum denique, quia asserẽdo se instructum ab his qui viderant, cum essent viri grauissimi & sanctissimi, ac pleni Spiritu sancto, tantundem dicebat, modestius tamen, quam si directum se ab Spiritu sancto dixisset. Per eos autem qui viderunt, non tantum intelligendi sunt Apostoli, qui multa quæ videre poterant, non viderunt: multa etiam videre haud potuerunt, maximè quę circa Iesum paruulum facta sunt: Ideò hæc à matre sua sanctissima habuit Lucas (qui propterea à quibusdam dicitur Virginis Euangelista) vel ab Angelis qui viderunt.

Qui nam per eos qui viderunt, & ministri fuerunt sermonis, designentur.

B. Lucas à quibusdam cur dicatur Virginis Euangelista.

Quod ergo ait: *Visum est, & mihi assecuto omnia*, bonam DEI voluntatem ad scribendum inspirantem, nequaquam excludit, quemadmodum nec Lucæ voluntatẽ, quæ diuinam consequitur. Vt enim cum Deus dicitur dare nobis velle, & perficere pro bona voluntate, haud nostram excludit, imò illam ponit, vt prima causa secundam: sic nostra bona voluntas minimè excludit, imò includit diuinam. Vnde in Concilio Apostolorum dictum est: *Visum est Spiritui sancto, & nobis*; vt vnam & eandem Dei, & creaturæ voluntatem agnoscas. Hactenus de quarto.

Philip. 3.

Act. 15.

Ad quintum verò dicendum est, si B. Lucas non fuit ex numero Septuaginta, nullus esset scrupulus, cum nihil viderit. Si autem illorum è numero fuit, vt multi Patres tradunt, fieri potuit, vt aliqua Christi gesta viderit; attamen humilitatis, ac modestiæ gratia hoc subticuerit: Tum quia sermone Christi scandalizatus de dãda sua carne ad manducandum, vt probatum antea est, discesserat: tum etiam quod multa ab Apostolis ipsis qui viderunt, acceperat: idcircò iure optimo se inter eos qui non viderunt, connumerat. Deinde Euangelista non allegat reuelationem sibi immediatè à Deo factam, vt Paulus ad Galat. 1. se illam accepisse testatur: nec oculos suos in testimoniũ profert, sed communem fidei reuelationem, & diligentem comprehensionem omnium, & memoriam eorum quę scribenda erant in posterum; cui tamen Deus per Spiritum sanctum astitit, ne in scribendo errare posset.

Qui verum sit Lucam accepisse Euangelium ab his qui viderunt, cum constet eum vnum è LXX. discipulis Domini extitisse.

Galat. 1.

Circa sextum, Quoniam vt superiore libro disseruimus, Euangelistæ ceu historiographi Christi gesta literis commendarunt, videtur Euangelista Lucas (qui quidem prę cęteris quod attinet ad linguas, & humanas disciplinas fuit eruditior, ac cultior) polliceri se partes principales historici præstiturum, de quibus libr. 2. Machab. cap. 2. in hunc modum habetur: *Sicut enim noua domus architecto de vniuersa structura curandum est, ei verò qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt: ita æstimandum est, & in nobis Etenim intellectum colligere, & ordine sermonem, & curiosius partes singulas quasque disquirere, historiæ congruit authori: Breuitatem verò dictionis sectari, & executiones rerum videre, breuitati concedendum est.* Hæc ibi. Vbi discrimen assignat inter historicum, & eum, qui historias in epitomen atque compendium redigit, qui breuiator dicitur: quæ verò de historico asserit, cum his cohærere videntur maximè quæ Lucas hic pollicetur. Nam inprimis historici est, veritatem satis vndique, & diligenter colligere, deinde singulas partes exequi, postremò ordine, ac methodo, quo dulcius sapiant, tradere. Hic autem Lucas primum ait se omnia assecutum: deinde promittit diligentiam in scribendo: Tertiò, ordinem pollicetur, & si reuera Lucas ordinem potius secundum spiritum, & mysterium, quam secundum historiam obseruet, licet in quibusdam illum pręstet. Prius enim de conceptu, & ortu Ioannis, quam Christi agit: Deinde de doctrina, signis, morte, resurrectione, & ascensione Domini ordinate pertractat, quemadmodum aliàs iam diximus. Dicitur autem omnia assecutus, ne falli ipse, vel fallere possit. Ex quo Irenæus: *Plurima*, inquit, *& magis necessaria Euangelij per hunc* (scilicet Lucam) *cognouimus, sicut Ioannis generationem, & Zachariæ historiam, & aduentum Angeli ad Mariam, & exclamationem Elisabeth, & Angelorum ad pastores descensum, vt ea, quæ ab illis dicta sunt, & Annæ, & Simeonis de Christo testimonium, & quod duodecim annorum in Hierusalem relictus sit, & Baptismum Ioannis, & quot annorum Dominus baptizatus sit, & quia in decimoquinto anno Tiberij Cæsaris, & in magisterio illud, quod ad diuites dictum est: Væ vobis diuitibus, &c.* Hæc ille. Quartò, subiungit Lucas finem sibi in scribendo Euangelio propositum: *Vt cognoscas*, inquit, *eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Est enim, in fide semel suscepta confirmare Theophilum, atque in illo simul omnes, qui Christi fidem profitentur.

Prolegom.

2. Machab. 2.

Quenã partes optimi Historiographi fideque dignissimi.

Lucas in scribendo moré quẽ seruet ac teneat.

Ille cur dicat se assecutum omnia.

Irenæ. lib. 3. c. 14. circa med.

Plurima & magis necessaria Euangelij nos per Lucã cognouisse Irenæus testatur, & quænã illa.

Luc. 1. &

Ibidem.

Infra 2.

Ibidem.

Infra 3. & 7.

Supra 3.

Ibidem.

Infra 6.

Lucas cur scripserit Euangelium.

fitentur. Nullus quippè liber Canonicus immediatè propter infideles est scriptus, (Quomodo enim Fidei lumine destituti, diuinam, Euangelicamve percipere possent doctrinam?) verum propter fideles instruendos, & in fide, atque charitatis operibus confirmandos. Et dicendo: *vt agnoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem:* sensus est, intelligas rerum, quas traditione accepisti, quæque Scriptura ipsa antiquior est, veritatem. In quibus verbis Lucas nón obscurè indicat, originem plenissimæ scientiæ esse, traditionem Apostolicam, Euangeliumq; esse nihil aliud, quá earum narrationem rerum, quas antiqua Prophetarum oracula prædixerunt, quæque sunt in nobis completæ, qui post Christum existimus. Hæc de sexto.

Origo plenissimæ scientiæ traditio est Apostolica. Euangelium quid sit.

Circa septimum, ad illustrandum hoc proœmium, quædam ex Græca litera attingemus. In primis quod dicitur: *Multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum:* Græcè habetur, Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων. In primis igitur Verbum ἀνατάξασθαι, idem est quod συντάξασθαι, id est, studiosè aliquid componere, & scribere, vnde σύνταγμα, volumen significat studiosè conscriptum, & elaboratum. Verbum autẽ πληροφορεῖσθαι, est aliquid certissimè nosse, & pro compertissimo habere. Vt sit sensus: Quoniam plerique earũ rerum narrationem scribere aggressi sunt; quæ indubitatæ sunt inter nos, & certissimæ siue exploratissimæ, seu maximè persuasæ fidei. Est enim πληροφορία ea, de qua nihil amplius dubitare possumus, certitudo. Sequitur: *sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis:* vbi Græcè legitur, καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου. Est autem αὐτόπτης, qui quæ narrat, ipse vidit. Ministri verò sermonis, qui Græcè, ὑπηρέται τοῦ λόγου, etsi de Euangelico sermone intelligi possit, cuius ministri fuerunt Apostoli: melius tamen ad Christum Dei Patris Verbũ referri videtur. Disputant enim Ambrosius, & Origenes, quomodo cum sermo, siue verbũ auditu percipiatur, potuerit videri, vt hic dicitur: Et ideò ad Verbum æternũ referunt, Hieronymus quoq; in proœmio in Matth. *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministrarunt.* Ita vt hęc sit sententia: sicut ipsi nobis tradiderunt, qui ab initio Verbi spectatores, atq; ministri fuerunt. Atque in hũc modum interpretatur Epiphanius in hęresin 51. & Ambrosius, & Euthymius in expositione huius loci. Vel qui ab initio prędicationis & signorũ Christi, nisi etiam velis complecti diuinam Virginẽ Mariam, quæ sola potuit tanquam testis oculata testificari de conceptione Christi, & natiuitatis, & alijs infantię mysterijs quæ solus Lucas latè persequitur: *Visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile.* Quę Gręcè sic habentur: Ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς καθεξῆς σοι γράψαι, κράτιστε Θεόφιλε. In quibus duo verba diligenter consideranda sunt alterum est παρηκολουθηκότι. Est enim verbum παρακολουθέω, idem quod assectari, seu assiduum, atque indiuiduum alicui comitem se præbere, quomodo assequi & consequi Latini dicunt, pro, animo, vel oratione comprehendere. Et ita sensus esset: *Visum est & mihi, qui omnia ab initio assecutus sum.* Alterum Verbum est ἄνωθεν, quod interpres vertit, *Ab initio*, non autem dixit, ἀπ' ἀρχῆς, vt in superiori clausula dixerat: denique significat prædictum aduerbium Gręcũ, nempè *desuper*, & *ab initio ad finẽ*. Primo modo sensus esse potest: *Visum est & mihi omnia desuper*, hoc est, cœlitus à diuina gratia, *assecuto*. Secundo modo sensus esset: *Visum est & mihi, qui omnia à principio actorum Christi ad finem assecutus sum.* Et verba illa: *Sicut tradiderunt nobis*, referri non debent ad pręcedentia, sed magis ad sequentia: nam si ad præcedentia referrentur, nullus alius esse posset sensus, nisi quod spectatores illi ac ministri Verbi Lucę tradiderant, plures aggressos completarum rerum, atque certissimarum narrationẽ conscribere, quod minimè Lucas videtur sentire, sed potius ad consequentia est referendum, ita vt sensus sit: quod cum plerique de rebus exploratissimæ fidei inter Christianos scribere aggressi essent historiam, visum sit & illi, quemadmodum ab illis Christi ministris acceperat, quibus ab initio prędicãtis Christi assiduum se comitem prębuerãt, exactè ad Theophilum scribere. Est ergo pulchra ratio: *Quoniam complures aggressi sunt contexere narrationem, &c. Visum est & mihi:* hoc est, quando iam cœptum est hoc agi, *Visum est, & mihi scribere.* Forsitan obijciet quispiam, an non superuacaneum est, quod ab alijs factitatum iam sit, rursus velle repetere, & veluti actum agere. Non, inquit, quia illi neque omnia, neque à certis testibus acceperant, neque exacta diligentia vsi fuerant. Subditur: *Vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Quę Gręcè sic habent: Ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν. Inprimis ponderandum verbum, ἐπιγνῷς, id est, *vt agnoscas*: Cognoscimus.n. ante nobis incognita; agnoscimus verò ante cognita.

Quædam ex Græco fonte producitur ac ponderantur.

...σύνταγμα ...quid sit.

...πληροφορία ...quid sit.

...αὐτόπτης ...Græcè quid.

...Ambr. vbi ...ra. ...Orig. hom. in ...Luc. 1. to. 2 ...Hieron. tom. ...

...Epiphanius ...Ambr. vbi ...ra. ...Euthym. in ...cap. 1 B. Lu.

I. sensus huius sententiæ: Visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter, &c.

Alter sensus.

De quibus dicatur sicut tradiderunt nobis.

Qualis hæc ratio sit: quoniam complures aggressi sunt contexere narrationẽ, &c.

Cognoscere agnoscere quid differant.

Verbum more Hebræo pro facto frequenter sumitur.

Secundò ponderandum, dixisse per tropum Hebræum, *Verborum*, pro, rerum: res enim dum dicuntur, verba sunt: vt hic sit intellectus: *vt agnoscas rerum, quas accepisti, veritatem.*

Vox Catechumenus vnde descendat.

Tertiò ponderandum verbum κατηχήθης, est enim κατηχεῖν, viua voce erudire, & instruere aliquem. Hinc ad Baptismum accedentes, qui Christianæ fidei mysterijs imbuuntur & initiantur, catechumeni dicebantur. Vt sit sensus: Vt certissimè agnoscas, quæ vtcunq; catechumenus agnouisti.

Postremò perpendendum est verbum, *Veritatem*. Nā interpres visus est Græcè legisse ἀλήθειαν, modo verò legitur ἀσφάλειαν, nisi interpres pro veritate acceperit. Est autem ἀσφάλεια munitio, certitudo, & ea

Ἀσφάλεια. Græcè quid.

securitas, qua quis ab errore, atque deceptione metuere non possit: Vnde Græci dicunt, ἀσφάλειαν διδόναι, hoc est, idoneos sponsores dare. Sensus ergo est: vt certiora ea iam esse credas, quæ prius viua voce didicisti. Solemus autem auditis certius fidē habere, dum videmus à fide dignis testibus etiam scripto legenda omnibus tradi. Atque hæc de verbis ad dilucidandam magis & illustrandam Euangelistæ literam.

B. Lucæ proœmij clarior interpretatio Ioannis Gagnei.

Posset autem totum hoc proœmium, vt Ioannes Gagneus annotauit, sic commodius & apertius verti: *Quia plerią, earum rerum narrationē cōscribere aggressi sunt, quas pro certissimis ipsi, & compertissimis habemus, quemadmodum eas nobis tradidere, qui ab initio diuini Verbi, & Christi speculatores oculati, assiduique ministri fuerunt: ita & mihi visum est, qui à principio omnium illorum assecutor, & comes indiuisus fuerim, vel qui omnia à principio ad calcem assecutus sim, & ab illis didici accuratius deinceps ijs de rebus, optime Theophile ad te scribere: vt quibus de rebus instructus ante fueras, & eruditus, certissimam veritatem agnoscas.*

Quo tēdat Lucæ narratio.

Ad postremum verò dicendum de scopo B. Lucæ. Qui cum faciem bouis, siue vituli describat, Christum Sacerdotem, medicum, liberatoremq; potentissimum ostēdit. Quod enim Sacerdos extiterit, multa ostendunt. Nam inprimis exorditur à Sacerdote Zacharia Sacerdotij sui munere in templo fungente, quando nuncium accepit per Angelum de Præcursore: Asserit Mariam cognatam Elisabethæ, quæ de tribu erat Sacerdotali; vt aliquo modo Christum ad Sacerdotalem stirpem pertinuisse indicet: recenset Cantica, siue hymnos, siue psalmos, tum Zachariæ, tum B. Deiparæ, tum Simeonis, & encomium ab Elisabetha perhibitum, quo matrem Domini celebrauit: Psallere autem Domino, Sacerdotis est munus, vt constat ex Dauide, qui cantores,

Christum fuisse Sacerdotē ex eodem ostenditur. Luc. 1. Ibidem. Ibidem. Ibidem. Infra 2. Supra 1. 1. Paralip. 24. Luc. 2. Ibidem.

& Psalmistas instituit ex tribu Leui. Refert & hymnum Angelicum, Christum oblatū Domino in templum, hostiamque pro eo datam Deo, matrem purgatam secundum legem Moysi, Sacerdotum ministerio; Annam in templo perseuerantem, Christo testimonium dedisse; Simeonem in templo cum agnouisse, ac tum illi, ac tum parentibus eius benedixisse; Christum prætereà singulis annis in festo Paschæ ad templum venisse, in templo item sedisse, Sacerdotū doctrinam audientem, & illos interrogantem. *Verbum quoque Domini*, ait, *factum super Ioannem Zachariæ* (nempè Sacerdotis) *filium in deserto sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha:* Conciones & exhortationes Ioannis Baptistæ fusiùs cæteris commemorat, non ignorans ad Sacerdotes pertinere concionandi munus: Christi Genealogiā recenset, & non per regalem stirpem. Recenset Christum in Synagoga lectoris officio functum: describit legationē Sacerdotum nouæ legis, Septuaginta quoque duos discipulos missos ad prædicandum: Inducit sæpè Christum orantē, quod est Sacerdotum; nam cap. 5. *Secedebat in desertum, & orabat.* cap. 6. *Exijt in montem orare, & erat pernoctās in oratione Dei* cap. 9. *Cum solus esset orans.* Et rursus ibidem: *Ascendit in montem vt oraret.* Capite quoque 11. *Cum esset in loco quodam orans, vt cessauit, rogatus est à discipulis, vt eos demodo orandi instrueret.* Cap. 22. *Factus in agonia prolixius orabat:* & in Cruce pro crucifigentibus deprecatus est Patrem, vt eis peccatum dimitteret: vbi maximè Sacerdotem offerentem exprimit. Nec describit eum conquerentem quod sit derelictus à Patre, aut quod sitiat, aut quod matrem suam cōsoletur, sed quod consolatur latronem secum morientem; & (quod maximè est sacrificantis) Spiritum in manus Patris offerat. Idem præ cæteris explicat doctrinam Christi, tot præsertim propositis simul parabolis, quod est Sacerdotis. Dulcissimum Christi amorem ad trahendos & conuertendos peccatores peculiariter expēdit, vt cap. 7. de peccatrice; cap. 9. de non perdēdis igne cœlesti Samaritanis Christum non recipientibus: cap. 10. in eleganti illa parabola Samaritani medentis vulnerato, Cap. 13. in historia Galilæorum, quorum sanguinē miscuit Pilatus cum sacrificijs, cum dixit: *Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? &c.* Idem quoque ibidem ostendit in parabola ficulneæ non reddentis fructum, & per triennium expectatæ. Idem indicat tribus primis parabolis, Ouis perditæ, ac drachmæ perditæ, ac duobus filijs: Capite 18. in

Ibidem. Leuit. 12. Luc. 2. Ibidem. Ibidem. Ibidem. Infra 3. Ibid. & seq. Ibid. & seq. Infra 4. Infra 10. Supra 5. Infra 6. Infra 4. Ibidem. Infra 11. Infra 22. Infra 23. Matth. 27. Ioan. 19. Ibidem. Luc. 23. Supra 7. Infra 9. Infra 10. Infra 13. Ibidem. Infra 15. Ibidem. Ibid. & seq. Infra 18.

Infra 19. Infra 22. Infra 23. historia Pharisęi, & Publicani; ca. 19. in historia Zachæi: ca. 22. in respectione Petri: vnde *& fleuit amarè*: cap. 23. in susceptione latronis. Est autem munus Sacerdotis aliorum salutem promouere.

Ad idem facit, quod vocat Christum frequenter Saluatorem omnium, vt ex Isaiæ prophetia cap. 4. Lucas profert, & ca. 6. *Virtus*, inquit, *de illo exibat, & sanabat omnes.* Capite 5. *Virtus Domini erat ad sanandum eos.* cap. 19. *Venit Filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat*: vbi etiam fleuisse dicitur super Hierusalem: at flere pro alijs ad Sacerdotes spectat, iuxta illud: *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini.* Capite etiam 16. docet vt Moyses, & prophetæ audiantur, & mortuorum apparitionibus pręferantur. Ipse quoque cap. 17. misit leprosos ad Sacerdotes. Idem Lucas prę cæteris vltimam Christi cœnam describit, & mysterium illud frequentandum ad finem vsque seculi docuisse illum tradit, & instituisse Sacerdotes Noui Testamenti illo verbo: *Hoc facite in meam commemorationem.* Inducit etiam Christum explicasse Cleophæ, & socio Scripturas, *Incipientem à Moyse, & omnibus Prophetis, & aperuisse sensum, vt intelligerent Scripturas*: at explanare Scripturas, Sacerdotis est munus: & cum cęteri Euangelistæ, referant illum mulieribus apparuisse; hic illis omissis, docet Christum apparuisse Petro summo Sacerdoti. Ipse quoque Christum narrat eleuatis manibus suis benedixisse Apostolis, quod est munus Sacerdotis. Producit ad ascésionem vsque Euangelium suum, quo Christum pro nobis intrauisse in cœlum ostendat tanquam in Sancta Sanctorũ, vt ibi appareat vultui Dei, & interpellet pro nobis: Deniq; ręfert Apostolos adorantes regressos in Hierusalem cum gaudio magno; & quod erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum. Vt sicut cœpit à templo, & Sacerdotio Zachariæ, ita finiat in tēplo, & Sacerdotibus Noui Testamenti cultum latriæ Deo præstantibus, & vndique liquidum fiat Lucam Christum descripsisse Sacerdotem.

(Margin: Supra 4. Isai. 61. Luc. 6. Supra 5. Infra 19. Ibidem. Ioel. 2. Luc. 16. Infra 10. Infra 22. Ibidem. Infra 24. Ibidem. Ibidem. Ibidem. Hebr. 6. & 7. Luc. vlt.)

Medicum etiā Christũ fuisse, vnde probetur ex Luca. Quod verò etiā medicus extiterit Christus (sicut & Lucas) liberatorq; potentissimus, ex multis ostendere possumus. Videtur enim toto in suo opere hac ratione agere: Homo ille, cuius ingressus in mundum; cuius conuictus, & conuersatio; cuius conatus & labor; cuius eruditio, & doctrina; cuius mors, & à morte resurrectio per modum spiritalis antidoti, & salutaris medicina extitit: verè, ac certissimè fuit, est & erit omnium hominũ Saluator: atqui Christus Iesus, &c. ipse ergo verè est mundi seruator, propitiator, liberator, & recōciliator, vt eius nomen indicat. Subsumpta autem, siue minor propositio latè demonstratur, & probatur à B. Luca. Nam in primis Christi in mundum ingressus spiritalis medici quandam gessit similitudinem tum in Angelica annuntiatione Zachariæ facta, quod attinet ad Pręcursorem: *Qui præcedet*, Angelus inquit, *ante illum, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum*: Tum in altera annuntiatione facta Virgini idem ostenditur: nam illi dictum est: *Paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, &c.* & visitans cognatam suam Elisabethā, audiuit eam exclamantem, atque dicentem: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Deinde post egressum eius ab vtero Lucas Angelum introducit acclamantem ad pastores, ac dicentem: *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus*; Et Simeon in templo cecinit: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, Quod parasti ante faciem omnium populorum, &c. Et Anna vidua confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel*: quæ habentur in primo & secundo capitib. Ad hæc in progressu eius ad populũ, voce cœlesti Saluator est acclamatus: *Tu es*, inquit, *Filius meus dilectus, in te complacuit mihi.* Ideò baptismus eius, & Pręcursor baptizans, ab eo baptizari petens, Christi etiam genealogia ad Adā, & ad Deum vsque describitur: & spiritus in specie columbę descendentis super eum, & permanens, declarat eum verum, & spiritalem mundi Saluatorem.

(Margin: I. Ratio. Luc. 1. Ibidem. Matth. 11. Luc. 1. Infra 2. Ibidem. Ibidem. Infra 3. & seq.)

II. Ratio. Secundò eius conuictus, & conuersatio tota imitatione dignissima, & salutaris existit: namque per dies quadraginta & noctes in deserto ieiunium pertulit & pro nobis pœnitentiam egit, diabolumque, cuius à crudelissima tyrannide liberādi eramus, atque pręseruandi, planè debellauit, atque prostrauit. Deinde ingressus in Synagogam, legit locum Isaiæ Prophetę, & explicuit se missum vt medicum ad sanandum contritos corde, singularemque medici liberalitatem prę se tulit: quia *Transibat benefaciendo, & sanando omnes infirmitates*, vt habetur cap. 4. Præterea conuersatur Iesus cum peccatoribus, vt eos à morte peccati liberet: hinc Petrus ad eum dixit; *Exi à me, quia homo peccator sum Domine.* Conuiuium Publicani peccatoris minimè recusauit, & murmurantibus dixit: *Nō egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent*; & in curando pa-

(Margin: Infra 4. & seq. Ibidem. Isai 61. Act. 10. Luc. 4. Infra 5. Ibidem. Ibidem.)

Infra 6. ralytico,& leproso, liberare se ostendit à lepra originalis maculæ,atque peccati personę paralysi. Quę omnia cap.5.continentur. *Vera Sabbati religio constat.* Ostenditur insuper Christus verus Sabbathi obseruator, & Pharisæos simul docuit veram Sabbathi obseruantiæ rationé in eo positā esse, vt à benefaciendo propter Sabbati religionem, ne desistamus: præmissaque oratione eligens Apostolos, ceu ministros medicinę spiritalis,ac nostrę salutis constituit: Quæ singula cap. 6. demonstrat. *Ibidem.* Deniq; totum misericordiæ suę fontem aperuit,quando misericordia motus seruum Centurionis moribundum sanauit; & adolescentem viduę filium vnicū vitæ restituit: ad pœnitentiam quoque & lacrymas mulieris peccatricis inflexus,donauit illi remissionem peccatorum, & in pace dimisit, vt 7.cap.habetur.

III.Ratio. *Matth. 13. & seq.* Tertiò,conatus, & summus Christi in hominum salute promouenda labor maximè declaratur:Nam propterea multas parabolas expediebat,vt homines ad salutem prouocaret: discurrebat per omnes regiones,sanando omnes languores,ac morbos, eijciendoque dæmonia, vt cap. 8. dicitur. *Supra 8. & Infra 17. Supra 10.* Deinde ca.9.per Apostolos ministros verbi,regnum cœlorum euangelizari mandauit,dando illis potestatem sanandi, & immundos spiritus de corporibus pellendi. Præscripsit etiam ipsis viuendi regulam, *Ibidem.* ne vita à prædicatione dissentiret. in 10. verò ca.prēter duodecim numerum Apostolorū, creauit 72. discipulos, *& misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitate,& locum,quo erat ipse venturus,* vt sua prędicatione homines ad Christum medicum fide excipiendum, prępararent atq; disponerent.

IV.Ratio. Quarto loco,tota Christi doctrina atque eruditio eò potissimum spectabat,vti peccatorum morbos propelleret,ostendēdo se mundi Saluatorem, atq; liberatorē. Hæc autem Christi doctrina à decimi capitis media part initium sumit(vt dicitur)exclusiuè,&ad 21. vsq; caput protenditur,inclusiuè. Doctrinas verò morales sexdecim continet,ad salutem hominum pertinentes.

Matth.13. Prima est contra immisericordiam, ab eo loco,*Dico vobis,quod multi Prophetæ,& Reges voluerunt videre,quæ vos videtis,&c.* moxq; subiungit parabolam ab Hierusalem in Hierico descendentis;&spoliati, ac sauciati à latronibus;quem solus Samaritanus sanauit,non Leuita,aut Sacerdos: quia solus Christus,non lex per Leuitam Moysen lata,neq; sacrificia& immolationes animalium,quę à Sacerdotibus Deo offerebantur, peccatum expiabant. *Hebr. 9. & seq.*

Secunda contra sollicitudinem,&cordis inconstantiam fuit,cum dixit: *Porro vnū est necessariū.* Quamobrem Apostoli orare docentur,*Pater noster*:atque ibi de attentione orationis contra euagationem mentis, deq; in ea seruanda perseruantia philosophatur, vsque ad illud:*Erat (Iesus) eijciens dæmonium.* *Matth.6.* *Infra 12.*

Tertia,contra malitiam,&inuidentiā, Iudæos introducit, dicentes:*In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia:* tum contra quærentes signa de cœlo, vsque ad illa verba:*Nemo accendit lucernam,&c.* *Ibidem.et 16*

Quarta contra hypocrisim, ac simulationem: *Vide,* inquit, *ne lumen quod in te est, tenebræ sint.Væ vobis hypocritæ, &c.* ad finem vsque 11.capitis. *Supra 8.*

Quinta, contra amorem seculi, & bonorum temporalium:vnde parabolam diuitis inducit,aientis:*Anima (mea)habet multa bona posita in annos plurimos, &c.* Et concludit,*Nolite solliciti esse animæ vestræ.* *Ibidem.* *Ibidem.*

Sexta contra vanam ac periculosam securitatem ; idcircò hortatur ad cauendum pro virili nostro, & fugiendum inopinatū inseparatum ipsius mortis&iudicij aduentum:*Sint,*inquit, *lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes,&c.* vsque ad finem cap. *Ephes.6. & 1.Pet.1*

Septima aduersus eos, qui pœnitentiā non agunt,&contra obstinatos, docēs:*Nisi pœnitētiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Et subdit parabolam de ficu infructuosa triennio expectata, si forte redderet fructum,&c.&tandem subdit:*Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta:* duratque hęc pars per totum 13.cap. *Matth.23.*

Octaua in conuiuiorum superfluitatē, &splendidè plus æquo viuentes, cum ait; *Cum facis conuiuium,voca pauperes,debiles,&*: ideò de cœlesti conuiuio tractat sub parabola:*Homo quidam fecit cœnam magnam, &c.* docetq; sublatione crucis perueniri ad illud cœleste conuiuium,integro 14,cap.

Nona contra elationem mentis, & superbiam, qua aliqui contemnunt inferiores, atq; sanctiores se existimant; ideò inducuntur peccatores,&publicani ad Iesum appropinquantes:qua de benignitate murmurabant Pharisæi:sed Dominus toto 15. cap. respondit in tribus parabolis, Altera centū ouium,& vna perdita:altera, drachmarum decem,& vna amissa: tertia duorū filiorum , quorum alter minor prodigus ad patrem reuertitur. *Matth.18.*

Decima contra auaritiam diuitum, gulam & lautam vitam : qua de caussa inducitur parabola diuitis epulonis, & villici iniquitatis altera,id quod toto 16. cap. absoluitur.

Vndecima doctrina contra scandalum in fidem, contraque apostasiam, seu defectionem ab ea, traditur, cũ ait Christus, *Impossibile est, vt non veniant scandala, &c.* ideò Apostoli dicunt: *Domine, adauge nobis fidem,* quare de persecutione futuri Antichristi prædicit quædam, in qua quidem *vnus assumetur, & alter relinquetur,* quę omnia per totum 17. ca. narrat Lucas.

Ibidem. Infra 24.

Duodecima, contra modicam in Deum pietatem, & proximum, & in deuotionem, ariditatemq; spiritalem differit: hortaturq; ad orationem sub parabola viduæ iudicẽ infestantis. Commonefacit humilitatis seruandæ in orando Deo, sub Pharisæi, & Publicani parabola: adhortatur etiam ad thesauros cœlestis patriæ degustando: *Omnia, quæcunq; habes, vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Assumens etiã duodecim discipulos suos secretò, suæ mortis, & crucis admonet: quę maximè contra indeuotionem, quam vocant, faciunt. Additur miraculum de cœco, qui ob clamoris instantiam illuminari meruit: *Iesu,* inquit, *fili Dei miserere nobis:* quæ 18. cap. comprehẽduntur.

Supra 23. Supra 19. Infra 20. Ibidem. & Marc. 10.

Decimatertia doctrina contra otiosos, & manus remissas habentes, inducit parabolam serui nequam, & otiosi, qui minam suam reposuerat in sudario. Iungitur historia Zachæi, qui fidei suæ merito, & operationis, domi suæ Dominum recipere meruit: & habentur hæc à principio cap. 19. vsque ad mediam eius partem, vbi dicitur: *His dictis præcedebat.*

Decimaquarta doctrina contra rancorẽ & iracundiam: vnde sponte in Hierusalem venit, insidens super pullum asinę, vbi paulò post debebat occidi: *Et videns ciuitatem, fleuit super illam:* quæ vsque ad finem cap. 19 habentur.

Matth. 21. & Marc. 11. & Zach. 9.

Decimaquinta contra Pharisęorũ, Sadducæorum atque Scribarum astutiam, qui præ inuidia gloriæ Christi, voluerũt cum eo disputare eorum fraudes, atque fallacię, & mille nocendi artes, multis parabolis & doctrinis detectæ sunt, ac confutatæ: id quod toto 20. cap. expeditur.

Matth. 22. & Marc. 12. Infra 13. & Matth. 24.

Decimasexta ac postrema doctrina cõtra timorem, & inconstantiam, quæ ex illo oritur: quare persecutiones, ac vexationes plurimas, quas fideles propter ipsum erant toleraturi, prędicit, confirmatq; ad earum patientem tolerantiam, per totum 21. caput.

Ratio V.

Quintò principaliter decessus, & mors Christi salutaris medicina fuit, & veri Saluatoris: ob eam causam inducit Christum Eucharistiæ instituentem medicinam, & dicentẽ: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hic est calix Nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Ipseq; Apostolos sacerdotes constituit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationẽ,* quò salutem, & Christi redemptionem cunctis fidelibus applicare valeant. Hic etiam enarratur sanguineus Christi sudor decurrens in terrã, in spiritalis, ac salubris balnei signũ: Christumq; impetrasse crucifigentibus veniam: Et post egressum spiritum de corpore, agnitum hominem iustum, ac Filium Dei à Centurione: quæ omnia ca. 22. & 23. cõcludũtur.

Matth. 26. & Marc. 14. & 1. Corint. 11

Sextò & vltimò, Christi hominis ad nos per resurrectionem regressus verè medicinalis, atq; salutaris fuisse describitur: nam apparuit multis Dominus plagasq; sui corporis contrectandas, nempe ad sanandas plagas spiritales animorum à fidei firmitate labantium, exhibuit, medicumq; se, & saluatorem hominum esse probauit, dicendo: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam; & prædicari in nomine eius pœnitẽtiam, in remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolymis.* Promisit etiam Spiritum sanctum, quo omnes peccatorũ reliquiæ abolentur, atque à futuris criminibus & culpis omnes præseruantur: atque ea ratione se animorum nostrorum, siue spirituum ostendit medicum, ac profitetur: suo etiam tempore corporũ nostrorũ suscitator, atq; exornator (ne dicam glorificator) futurus: *Quando* (vt B. Pauli verbis vtar) *reformabit corpus humilitatis nostri configuratum corpori claritatis suæ:* ipsomet Christo Domino nostro pręstante, cui cum Patre, & Spiritu sancto impendatur omnis honos, gloria, & imperium in secula seculorũ Amen.

VI. ac postrema ratio. Matth. vlt. & seq. & Marc. vlt. & seq. Act. 1.

TRACTATVS XXXIII.

De Præcursoris Annunciatione, & Conceptione ex cap. 1. Lucæ: Fuit in diebus Herodis, &c.

AETERNAM Verbi à Patre generationem consequitur illa, quæ fuit ex tempore, nempè ingressus in mundum per Incarnationem, & Natiuitatem. Quia verò sine præcursore non extitit; ideò ipsius præcursoris primordia sunt tractanda; quæ opportunè enarranda data sunt B. Lucæ. Cum enim Verbum occultum veniret, & carne tectum atq; inuolutum, lucerna Ioannis egere decreuit, vt aliquo modo cognosceretur, Verbumq; v

Ioan. 5.

æternum, voce proclamante ostenderetur. Quippè mirificè conueniebat; in omnibus ferè mysterijs Præcursorem ad illud omnifariam delineandum antecedere, atque ad manifestandum annuntiationem eius annunciatione sua, impositionem nominis Iesu impositione nominis sui, conceptum conceptu, natiuitatem natiuitate, desertum deserto, prædicationem prædicatione, baptismum baptismo, confessionem confessione, discipulos discipulis, persecutionem persecutione, mortem denique violentam morte violenta anteire, descẽsumque ad inferos, descensu ad inferos suo; quò sic semper crescentem atque sequentem Christum lucem nostram, idem Præcursor minuendus, moxque de medio tollendus, indicaret. Hinc B. Chrysostom. homilia in Lucam pulchrè habet: *Euangelij narrationis exordium à Zacharia sumit, & natiuitate Ioannis; mirum ante mirum edisserens, minus ante maius. Nam quoniam virgo paritura erat præparauit gratia, vt prius anus conciperet.*

B. Chrys. to. 2 circa finem. Luc. 1. Matth. 1.

Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ Sacerdos quidam nomine Zacharias. Admirabilis est profectò in Euangelistis dicendi simplicitas: nam cum de tantæ maiestatis rebus scriberent, nunquam tamen iudicium suum interserunt, ne vel amoris gratia, vel odij (qui gemini affectus veritatem historię viciare consueuerunt) quicquam scripsisse comprobemur; quod non facilè in externis historiarum scriptoribus inuenitur. Nam affectibus plerunq; indulgent, quodque vnus laudat, sæpe alter vituperat, vt frequenter cogamur eos habere suspectos. Illud etiam admiratione dignum, quod cum omnes Euangelistæ de eadem rescribant, diuersis tamen vtantur exordijs; quæ tamen ea maiestate constent, vt mirum sit aliis tacuisse, quod vnus dixerit. Nam ecce, Lucas & Marcus à Præcursore Ioanne exordiuntur, diuersa tamen ratione: Marcus enim à prædicatione Ioannis perfecti viri, Euangelium inchoat; Lucas verò à conceptu, & infantia Ioannis. Quemadmodum etiam Matthæus & Ioannes a Christi generatione scribendi sumunt exordium: sed Ioannes quidem à generatione æterna, quę est secundum diuinitatem; Matthæus vero à generatione temporali, quę est secundũ carnem. Descripturus ergo B. Lucas Christum, verum Pontificem, electum medicum, oleoque Spiritus sancti spiritali consecratum, meritò à Sacerdote Zacharia exorditur, in quo finis antiqui Sacerdotij, siue Leuitici intelligitur; vt cederet nouo Sacerdoti aduenienti iuxta ordinem Melchisedec. Et congruè Lucas medicus, medicum spiritalem Christum describit. Aptè quoque facies bouis, vituliue ei tribuitur; vt verum bouem designet Christum aratro crucis laborantem, ad terrena, duraque hominum corda proscindenda: & vitulum in holocaustum pingue, atque hostiam Patri acceptissimam oblatum. Conuenienter etiam Lucas, Pictor extitit, vt nonnulli ex Patribus tradiderunt; inter quos Simeon Metaphrastes in eius vita hęc de illo memoriæ prodidit: *Hoc autem inquit, inter cætera gratissimum est, quod ipsum quoq; typum assumpta Humanitatis Christi mei, ac signum eius, quæ illum pepererat, & assumptam humanitatem dederat, primus hic cera, ac lineamentis tingens, ad hæc vsque tempora in imagine honoretur, tradidit, tanquam non satis esse existimãs, nisi etiam per imaginem, ac typum versaretur cum his, quos desiderabat, quod feruentissimi amoris signum est.* Hæc ille. Voluit igitur B. Lucas feruentissimus Christi, & Matris eius amator, non solum oratione atque verbis, ipsum Christum, ac Matrem eius auribus nostris inculcare, verum etiam pictura, atq; lineamentis diuersis, oculis nostris subijcere, minimè ignarus illius sententiæ:

Isai 7.

Euangelistarũ quam simplex & minimè affectata narratio.

Duo lædunt historiæ veritatem, & quænam sint.

Christi Sacerdotium ab illo Zachariæ cur Lucas exorsus sit. Psal. 109. & Hebr. 5. & 7. Coloss. 4

Lucas Medicus & Pictor id in boue figuratus, pulchre triplicem Christi exprimit functionem. Ezech. 1. & Apoc. 4.

Simeon Metaphr. apud Lipom. p. 1. hist. circa finem. Lucas Christi & Virginis feruentissimus amator, eorum simulachra, quibus coleretur, effinxit.

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus, &
quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Horat. in Arte

Veram ergo Christi imaginem in Euangelio, Ecclesiæ verò faciem suis coloribus in Actis Apostolicis describit. Agit autẽ germanum historicum: nam tempus natiuitatis Præcursoris, & locum, & nomina progenitorum diligenter perscribit. Cum ergo dicit: *In diebus Herodis Regis*, non infrequens est in Scripturis Hebraismus, pro eo quod est, regnante Herode in Iudæa. Sicut etiam Isaias ait; *Visio Isaiæ, &c. In diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ Regum Iudæ*: id est, illis regnantibus. Meminit autem Herodis: non solum ad historię euidentiam, quod etiam à Prophetis factum fuit; sed vt ex hoc etiam Herodis regno facilius intelligatur, Messiam iam aduenisse, quando impleta fuit prophetia Iacob: *Non auferetur sceptrum de tribu Iuda, nec Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* Herodes igitur Idumæus, siue Ascalonita, primus Iudæę Rex alienigena fuit, regni inuasor, ac vsurpator, & per tyrannidem regnum conseruans. Subducitur Sacerdotem Zachariã fuisse de vice Abiæ. Quibus verbis insinuat Lucas historiã 1. Paralip. 24. Nam Dauid diuini cultus studiosissimus, religionẽ diffundere cupiẽs, devigintiquatuor

Ecclesiæ primam faciem à Luca describi, vbi licet eam intueri, ac contemplari.

Tropus Hebraeis frequẽs.

Isai. 1.

Herodis Regis cur meminerit B. Lucas. Gen. 49. & Matth. 2.

Herodes quis ille.

Zachariam Lucas cur dixerit fuisse de vice Abiæ. Dauid Rex Diuini cul-

tus propagādi studiosissimus

generationibus filiorum Aaron, viginti quatuor Sacerdotes instituit, qui singulis hebdomadibus (pro sorte) in templo deseruirent. De familia Eleazari fuerunt XVI. de familia Thamari VIII. & in distributione & sortibus ministerij octaua sors fuit Abiæ, ex quo Zacharias Præcursoris pater originem duxit. Euthymius vicem appellat, hebdomadarium ministrum, Græcè ἐξ ἐφημερίας. significat enim ἐφημερία, statutū diem ministrandi.

Euthym. in Lucæ cap. 1. Ἐφημερία quid. *Num 36.* *Ibidem.* Sacerdos virginem tantū ducere debebat vxorem, non viduam, non repudiatam, non meretricem. *Num. 21.* Elisabethæ mater Præcursoris cui nomen expressum ab Euangelista. *Luc. 7. & Matth. 11.* Coniugium à Sacerdotibus cui olim in lege permissum. *Num. 12. ac sæpe infrà, & alibi. & Heb. 7.* Sacerdotes tempore ministerij abstinebāt coniugio. *Heb 10.* Nouæ legis Sacerdotes cur cœlibes.

Subiungitur: *Et vxor eius de filiabus Aaron.* Fuit ergò eiusdem cum viro tribus: quod lege cautum erat, ne tribus confunderentur, & hæreditates vnius tribus in aliam transirent; ac proinde probè instituta à patre Aaronita Sacerdote, quia nec viduæ, nec meretrices, nec repudiatæ Sacerdotibus coniungi poterant. Erat ergò nobilis, & propter probitatem suam digna fuit quę ab Euangelista nominaretur. Cùm enim de more aliorum Prophetarum matres in ignoratione versentur, neque in Scripturis legantur, sola mater Præcursoris plusquàm Prophetæ appellata est & expressa. Erat autem eo tempore Sacerdotibus coniugium licitū, quia ex sola Leuitica Tribu, & in ea ex sola familia Aaron assumi poterant Sacerdotes: quocirca opus fuit, vt familiæ ex Aarone oriundæ conseruarentur, ne fortè tota sacerdotalis progenies extingueretur. Et quanquam Sacerdotes liberis operam darent, tempore ministerij tamen à congressu cum vxoribus abstinebant. At in lege gratiæ, cuius vetus fuit typus & vmbra, quocunque de genere hominum assumit Sacerdotes, qui omni tempore orationi & sacrificio ministrent; ac propterea à coniugio, vt lege Ecclesiastica cautum est, perpetuò abstinent. Ideò Apostolus ait: *Volo omnes vos homines esse sicut me ipsum.* Et rursus, *Dico non nuptis, & viduis: Bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego*; ad cœlestem & virginem vitam adhortans. Cùm ergò dicitur: *Et vxor illius de filiabus Aaron*; intellige quantum ad parentem, siue progenitorem: nam quod ad matrem Elisabeth attinet, de tribu Iuda illam fuisse, rationi valdè est consonum. Alioquin quomodo Maria mater Domini cognata eius extitisset, vt Lucas affirmat? aut dicendum esset, Mariæ Virginis matrem fuisse de tribu Leui. Sed primum probabilius videtur. Ex quo multorum ferebat opinio, Ioannem Elisabethæ filium esse Messiam, eo quòd eius auia esset de tribu Iuda. Idem etiam contingeret, si mater Zachariæ progenitoris Ioannis Baptistæ, fuisset de tribu Iuda.

1. Cor. 7. *Ibidem.* Elisabeth vxor Zacharię quomodo intelligenda de filiabus Aaron. *Luc. 1.* Ioannem Zachariæ filium plerique Messiam cur olim crediderint.

Hic autem iuxta spiritum & allegoriam aliquid est annotandum: neque enim mysterio vacat, quod Euangelista dixit, *Fuit*; *& quidam*; *& nomine Zacharias*; &, *de vice Abia*; *& vxor eius Elizabeth*: nam his omnibus antiquum illud ac priscum, omni dignum explosione Sacerdotiū indicauit; & ita antiquatum, cui nouum iamiam succederet: atque ob id inquit, *Fuit*, quasi dicat, Iam nō est ampliùs, sed cessauit. Vt cùm dicitur apud Poetam:

Fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum.

Hoc loco ab Euangelista quænam insinuata mysteria. *Virgil. 2. Æneid. circa med.*

Ait etiam humili & cōtempta voce, *Sacerdos quidam*, non tam vnitatem, quàm ignobilitatem denotans. Subdit præterea, *Nomine Zacharias*, qui interpretatur, *Memoria Domini*, vt effectum sacrificij veteris Domini fuisse memoriam intelligas, nempe vt recordaretur mittere verum Pontificem, qui spiritus nostros mundaret, nempe vetus illud carnem mundabat tantummodò. Innuit insuper venisse iam tēpus, quo Dominus Deus promissionis de Filio suo mittendo antiquis Patribus factæ reminisci debebat, de quo ipse in Cantico suo ait: *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti.* Et B. Virgo: *Suscepit Israel puerum suum, memorari misericordiæ suæ.* ¶ Dicitur quoque, *in sorte, seu octaua vice Abia*; quò significetur Sacerdotium illud, ad id, quod octaua significat, qua instauratio, & à peccatis ad vitam nouę gratiæ reuocatio insinuatur, impotens atq; imbecillum fuisse. Octaua siquidem Domino debetur, quia in ea surrexit Domin⁹ rediuiuus à morte. Octaua die circumciditur puer Iesus. In octaua item die iustorum requies celebratur: Excellentium quoque Sanctorum etiam celebramus octauas. Denique octo beatitudines, quibus itur in cęlum, in Euangelio lectitamus.

Zacharias quid denotet. Sacrificij veteris & noui distinctio. *Luc. 1.* *Ibidem.* Octaui mysterium numeri in Scripturis. Quæ fuerit Sacerdotium vetus. *Ioan. 20.* *Luc. 2.*

Congruè autem vocatur Abia, id est Pater Dominus, qui victimam meliorem vitulis optans, atque desiderans, per Filium debuit clarificari. Nullus enim ita honorauit Deum vt Patrem, atq; Christus: nullus adeò sanctè timuit illū, & coluit, vt ille qui dicebat, *Abba, Pater.* Vxor verò aptè legem sensui carnis nimis tribuentem, & imperfectam Synagogam repræsentat, cui tantisper coniunctum erat sacrificium Leuiticum, donec semen veniret, hoc est, Christus Dominus, teste Paulo. Quod & Elisabethæ nomen pulchrè delineat: significat enim, Dei mei septenarium; vel, Dei mei satietas; vel, Dei mei iuramentum: Quia septima legi dabatur, quæ non ducebat ad octauam, in qua peccata circūcidimus. Deus

Matth. 5. Abia quid mysticè. *Psal. 39.* *Heb. 10.* *Marc. 14.* Zachariæ vxor Elisabeth, elegans Synagogæ typus. *Gal. 3.* Elisabetha quid sonet.

 etiam

etiam plenus erat victimis, & holocausto arietum, vt Isaias 1. Bonum etiam legis erat iusiurandum, *quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis*. Id quod adiuuat quoque mysteriũ. Nam cùm Elisabeth sit nomen vxoris summi quondam Sacerdotis Aaron; vt illa quæ olim puella iuncta est Aaron in matrimonium; nunc vetulam, atque ad generandos Dei filios impotentem esse cognoscas. Nam vt dicitur, *Elisabeth sterilis erat, & ambo processerant in diebus suis*. Nihil enim ad perfectum adduxit lex, vt testatur Apostolus.

Gen. 22. Luc. 1. Exod. 6. Legis fœcunditas, eiusdem sterilitas in Aaronis atque Zachariæ eiusdem nominis coniugibus pulchre adumbrata. *Luc. 1. Heb. 7.*

Subijcitur in Textu: *Erant autem ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela: Et nõ erat illis filius, eo quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.* In his verbis primum considerandum est, Spiritum sanctum Præcursoris parentum laudes ponere: nõ tantùm vt intelligamus illorum iustitiam & sanctitatem, cuius beneficio, steriles licèt, filium talem ac tantum habere Ioannem promeruerunt; verumetiam vt confidentius iustitiæ præcepta Præcursor populis daret, quò hæc ipsa, non quasi nouitia didicisset, sed velut hęreditario iure à parentibus accepta, seruaret. Eadem ratione Paulus matrem Timothei Eunicen, & auiam Loidem laudat, quæ in fide insignes extiterunt. Non paruum certè beneficium censendum est ex bonis nasci progenitoribus: nam vel in caussis argumentum sumitur pro eo, qui ex honestis parentibus & legitimo sit matrimonio natus, vt eos ipse imitatus esse credatur. Interdum tamen nõnulla gloria in filio est, qui turpes parẽtum mores exhorrens, ipse sibi virtutem amplectendam proponit, suisq; prælucere incipit.

Parentes Præcursoris cur in Euangelio commendentur. *2. Tim. 1.* Ex bonis nasci progenitorib. non minimũ Dei beneficiũ est.

Secundò aduertendum est, dici iustos ante Deum, vel in conspectu Dei: quia contingit interdum, vt quis sit iustus ante homines, qui tamen in conspectu Dei non sit, vt illi, de quibus est Christi illa sententia: *Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus; Deus autem nouit corda vestra.* Et alibi comparat eos Dominus sepulchris, quæ foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Ideò Propheta vigilanter orat: *Dirige in conspectu tuo viam meam.* Nimirum quia plerunq; in conspectu Domini hominum recta via creditur, etiam quæ à veritatis itinere deprauatur: vt exponit B. Gregorius. Econtrariò verò nonnulli sunt, imò quàm plurimi, qui hominum iudicio iniusti atque impij habentur, intus autem, siue in oculis Dei iusti existunt: de quibus Apostolus ait: *Non enim qui in manifesto Iudæus est, &c. Sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis in Spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Et de Nathanaele pronuntiauit Christus Dominus: *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est.* Verùm hominum iudicium, vt fallax, & parum penetrans, quippe externis tantùm rerum imaginibus illigatum & affixum, à iusto negligendum est. Ideò Apostolus dixit: *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Ecce Elisabeth & Zacharias iniusti habebantur ab hominibus, eo quòd nullam prolem ex coniugio suscepissent. Nam iuxta legem, probro dabatur sterilitas; at reuerà longè secus coram Deo res agebatur, *qui est scrutator cordium & renum*, cuius iudicio certo aut stamus, aut cadimus.

Zacharias & Elisabeth cur iusti dicantur ante Deum. *Luc. 16. Matth. 23. Psalm. 5. B. Greg. li. 35. Moral. c. 4. in fin. tom. 1. Rom. 2. Ioan. 1.* Iusto cur negligendum humanum de se iudicium. *1. Cor. 4. Exod. 23. & Deut. 7. & Luc. 1.*

Tertiò notandum est, istos fuisse iustos ante Deum, ergo simpliciter iustos: at quomodo iusti, aut quibus exemplis esse probantur iusti? Respondent Hæretici, sola fide. Quid Lucas? *Ex operibus: incedentes*, inquit, *in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Hoc loco hæretici nobis bellum indicunt. Scribit enim Strigelius in Lucæ primum; *Erant ambo iusti, Fide*, inquit, *& non operibus.* & Brentius, & Lossius hæc verba edisserentes, aiunt: *Loquitur de iustitia fidei per imputationem: nam hac iustitia sola ante Deum sumus verè ac propriè iusti.* Verùm cæteris arrogantior Beza, sic habet: *Qui verò ex hoc loco, & similibus conantur iustitiam operum stabilire, quorum meritis vel insolidum, vel ex aliqua parte nitatur, illos & indoctos, & blasphemos esse sciant, cùm tota Scriptura ipsis repugnet.* Hæc illi, nimium sibi tribuentes; Et dum apertissima textus Euangelici verba inuertunt, ac violentè aliò detorquent, planè se indoctos & blasphemos omnibus ostentant. Nam audi, quæso Euangelistam: *Erant iusti ambo ante Deum*: vnde, aut quomodo iusti? nunquid à sola fide, aut ab imputata iustitia? minimè: Sed, *incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Et si enim sine fide nullus sit ante Deum iustus, non tamen illa sola, sed inchoata illa iustitia per fidem studio bonorum operum perficitur. Id quod ex Scripturis, imò ipsis Hæreticis facilè est euincere. Vt enim sapientes, & fortes, & mansuetos, & prudentes illos vocamus, qui sapientia, aut fortitudine, aut mansuetudinis, siue prudentiæ actibus sunt ornati: ita iustos vocamus non nisi illos, qui iustitiam, siue opera iusta operantur. Hinc Ioannes, quasi huiusmodi Hæreticos prauè Verbum Dei interpre-

Psalm. 7. & alibi aliàs. Rom. 14. Aduersus hæreticos imputatiuam, non veracem, inhærentemque somniantes iustitiam. *Strigelius. Brentius hom. 3. in Luc. Lossius. Beza.* Quibus Scripturarũ testimonijs manifestum sit fidẽ sine operibus bonis ad salutem non sufficere.

tantes

tantes denotare vellet, dixit: *Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est.* Vt enim Deus iustus est re ipsa, & non per imputationem vllam: ita qui facit iusta opera, non fidem (quam nemo propriè facit) iustus est reuera, & iusti titulo dignus. Ezechiel ait *de viro, qui in præceptis Dei ambulauerit, & iudicia eius custodierit, vt faciat veritatem; hic iustus est, vita viuet, ait Dominus Deus.* Et apud Matthæum, iusti qui dicuntur ire in vitam æternam, illi sunt qui opera charitatis ad proximum habuisse inueniuntur. Alibi etiam ait Dominus: *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet:* vbi iustus non capitur pro credente tantùm, neque pro illo cui iustitia imputatur, quod hominum fugit cognitionem; sed pro illo, qui pro Dei vel Ecclesiæ iusto ministro recipitur: vt Hieronymus exponit ibidem. Ita dicitur ad Abraham: *Ambula coram me, & esto perfectus.* & ab Apostolo fratre Domini idem Abraham offerens Isaac filium suum super altare, iustificatus appellatur. Et Iob dicitur *Simplex & rectus, ac timens Deum,* (ac ob id seruans præcepta affirmatiua) *& recedens à malo;* & proinde negatiua custodiens. Et ante eum Abel iusti testimonium consecutus est, vberiorem hostiam, quàm Cain offerens Deo. Denique factores legis iustificantur. Et, *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam.* Sic in Nouo Testamento iusti, vocantur Ioannes Baptista, & parentes eius Zacharias, & Elizabeth, Ioseph Virginis Sponsus: Simeon ille grandæuus appellatur *Iustus, & timoratus, expectans consolationem Israel: Ioseph etiam ab Arimathæa, vir bonus & iustus* à Luca vocatur; *qui non consenserat consilio & actibus Iudæorum, cùm expectaret & ipse regnum Dei.* Imò ipse Dominus Iesus, qui nulla fide præditus erat, neque per iustitiam imputatam, sed per veram, ac sibi inhærentem, qua Deo pro se, & pro omnibus qui eius membra existerent, meruit integrè satisfacere, Iustus vocatur à Stephano. Vides igitur, quàm longè ab scopo iaculentur, & quantis Scripturarum testimonijs quasi arietibus impetantur, qui soli Fidei iustitiam assignãt? Quòd si Patres consulas, videbis inclytum esse iusti nomen, & omnem virtutum chorum complecti: vt Chrysostomus in Matthæũ annotauit. Idem in Matthæum ait: *Iustitia, est omnium mandatorum plena custodia.* Et Gregorius Nyssenus in quartam beatitudinem scribens, explicat, omnem virtutis speciem nomine iustitiæ designari. Et ex Latinis Ambrosius libro de Paradiso, sic habet: *Vbi iustitia, ibi concordia virtutum est*

1 Ioan. 3. — Ezech. 18. — Matth. 25. — Matth. 10. — Hierony. in c. Matt. 10. 10. 9 — Gen. 17. — Iacob. 2. — Gen. 22. — Iob 1. — Matth. 23. — Gen. 4. — Rom. 2. — Heb. 11. — Matth 1. — Luc. 2. — Luc. 23. — Act. 7. — Chrysost. hom. 4. in Matth. tom. 2. initi. — Idem hom. 12. in Matt. ibid. — Greg. Nyssen. — Ambros. lib. de Paradiso, c. 3. tom. 4.

cæterarum: *non enim pars est iustitia, sed quasi mater est omnium.* Adde, vt per suos magistros magis cõfundantur, Zuinglium, qui locutionis illius Hebraicæ formula in iustos, Liphne Adonai, eos iustos intelligit, qui metu Dei & affectu iustitiæ innocentiæ & sanctitati student: qui bona conscientia, & sincera quasi in conspectu Dei omnia videntis versantur. Et Caluinus in Harmonia Euangelica sic habet: *Qui simpliciter exponunt Zachariam & Elisabeth fide iustos fuisse, quia gratis Deo propter mediatorem placuerunt, in alienum sensum torquent Lucæ verba.* Quanquam Lutherus sermone de Pharisæo & Publicano ausus est asserere, Lucam duriùs scripsisse, quòd sic loquatur, quasi iustitia ex operibus veniat. Sed profectò discipuli eius tolerabiliores & æquiores sunt Magistro. Quòd si obijcias, *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Respondendum cum Hieronymo epistola ad Rusticum: *Iusti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit.* Et dialogo secundo contra Pelagianos, agens de Ezechia Rege, ait: *Non ex eo quod parua peccauit, iustitiæ nomen amisit: Sed ex eo quod multa bona fecit, iusti vocabulum possidet.* Ac subdit, *Scripturæ certis comprobari nõ eò peccatores esse iustos, qui aliquando peccauere; sed ex eo iustos permanere, quòd multis virtutibus floreant.* Idem in eodem libro: *Absque vitio,* inquit, *quod Græcè* κακία *dicitur, hominem posse esse* ἀναμάρτητον, *id est, sine peccato esse, nego.* Sic ille. Falsum ergò commentum est, à Centuriatoribus contra Scripturas apertas assertum, iustum hic & alibi passim non actiuè accipi, hoc est, pro eo, cui legis impletio per Christum facta imputatur, & caret iustitia inhærente, & reuerà est iniustus. Sunt enim in Sacris literis iusti, & iusti ante Deum, & perfecti, & sancti, & immaculati, & beati, qui non tantùm fidem habent, quæ est omnis iustitiæ fundamentum, sed ij præcipuè, qui præter fidem præclaras virtutum actiones ediderunt, ac diuinæ gratiæ cooperatores fuerunt, vt veros sanctitatis & iustitiæ fructus proferrent, quibus præmia æterna consequerentur. Nõ enim virtutum habitibus, sed actionibus præmia respondent. *Ideò iustis laboribus respondet corona iustitiæ: Et iustitia iusti super eum erit:* Et, *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum.* Et, *Seminanti iustitiam, merces fidelis.* Et magnum est in Scripturis inter fidelem & iustum discrimen; & plures sunt fideles, quàm iusti: Quia fide libus dicitur, *Vt faciant iudicium & iustitiam:* Vt *Sacrificent sacrificium iustitiæ;* Vt Ingre-

Zuinglius. — Caluinus. — Lutherus. — Eccles. 7. — Hieron. tom. 1 epist. 46. sub finem. — Iusti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit. — Idem tom. 2. — Idem lib. 2. in eod. tom. — Centur. 1. li. 1. cap. 10. — Qui sint propriè, ac vocentur in Scripturis iusti & sancti. — Omnis iustitiæ fundamentum, fides. — Ezech. 18. — cap 5. — Prouer. 11. — In Scripturis inter fidelem & iustũ, quale discrimen sit. — Iacob. 5. — Psal. 14.

Matth. 5.
Luc. 1.

diantur sine macula, & operentur iustitiam. Vt præstent abundantiorem iustitiam: *Vt in iustitia & sanctitate operentur omnibus diebus vitæ suæ.* Sed de his satis: iam ad Lucam redeamus.

In via Domini non progredi, retrogredi est.
Iacob 2.
Incedere in iustificationibus Domini, quid.

Incedebant ergò isti: quia in via Domini nō progredi, est retrogredi. Et *In omnibus,* inquit, *vijs,* scilicet moralibus, nam vt frater Domini ait: *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Et iustus potens est totam legem seruare, quicquid tandem hæretici homines opiniosissimi oblatrent. Addit, *Et in iustificationibus Domini.* Hoc est, in eiusmodi cæremonijs, ritibusque ad Dei cultum pertinentibus: qui ex fide seruati iustificabant, siue iustitiam augebant. Posteà addit verbum, *Sine querela.* Quod de iudicialibus intelligi & exponi potest; Vt ita in omnibus mandatis, in omnibus cęremonijs, atque in omnibus iudicijs inuenirentur incedere.

Orig. hom. 2. in Luc. 10. 2.
Quid illud: sine querela, secundum Origenem.
Deut. 16.

Origenes hæc Lucæ verba ponderans, ait: *Dicat mihi quispiam: si laus ista perfecta est, quid sibi vult hoc quod dicitur, sine querela? Sufficiebat enim dicere, ambulantes in omnibus vijs & iustificationibus Domini; nisi posset fieri, vt ambulet quis in omnibus mandatis Dei, & tamen sine querela non ambulet. Nisi hoc ita esset, nunquam in alio loco nosceremus scriptum referri: Iustè id, quod iustum est, sequere. Nisi enim esset iustum aliquid, quod non iustè sequeremur, nequaquam nobis præciperetur, vt iustè id, quod iustum est, sequeremur. Quando enim facimus mandatum Dei, & in conscientia nostra vana gloria sordes respergimus, vt placeamus hominibus, aut alia quacunque, non placet Deo boni operis caussa præcedit: quamuis faciamus præceptum Dei, tamen illud absque querela nō facimus, & iniustè id quod iustum est, sequimur, &c.* Sic ille.

Mundus lucē Sanctorum pati non potest.

Possumus etiā de bono, & rectè facto accusari à mundo, qui lucem Sanctorum pati non potest: at vt Christus dixit: *Beati estis, quum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos.*

Matth. 5.
De quibus, vel à quibus nulla sit querela, paucissimi.

Græcè tamen vno verbo legitur, ἄμεμπτοι, id est, irreprehensi: quod agēdi & patiendi significatione accipi non repugnat, de quibus videlicet nemo queri possit, vel qui ipsi nihil quererentur: quorum alterum, aut etiam vtrumuis rarò in hominibus reperies. Non est tamen intelligendum, quenquam sine omni peccato vitam hanc potuisse traducere, sicut B. August. epistola 95. ad Innocentium Papam, quosdam intellexisse docet. Non enim quodcunque delictum, sed graue peccatum est, quod in querelam venit, vt ibi ipse explicat. Vnde & Apostolus dicens Philippensibus cap. 1. *Omnia facite sine murmurationibus, vt sitis sine querela simplices filij Dei.* vbi esse sine querela videtur actiuè positum pro illis, qui & si verbis & factis lædantur, non conqueruntur tamen.

Magnum decus apud Iudæos sterilitas erat.

Magna est aūt horum coniugū ex hoc commendatio, quod cùm liberis carerēt, iamque omnis spes generandi esset adempta, nihil tamen quererentur, neque murmurarent; tametsi apud Israelitas opprobriū sterilitas non effugeret. Nam sanctū quodammodò erat illud semē, quod à magno illo, Deoque charissimo Abrahamo erat deductū, quod sicut adaugere, felicitati tribuebatur; sic esse infœcundū, res infelicissima habebatur; præsertim cùm ex eo sanguine tam illustri Messias Christus venturus expectaretur. Vnde in historia Regum legimus, æmulam Annæ matris Samuelis, identidem illi obiecisse, quòd cōclusisset Dominus vuluam illius & Rachel de sterilitate dolēs ac mœrens, dixit ad virum suum Iacob: *Da mihi liberos, alioqui moriar.* Et propheta quidam, cū Spiritu Dei actus, magnum aliquod malū à Domino imprecaturus esset, dixit: *Da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia;* videlicet ne generarent, vel non haberent, quo natum infantem alerent atque educarent.

1. Reg. 1.
Gen. 30.
Osea 9.

Quartò notandum, Paulum idem de se ipso ad Philippenses: *Secundùm iustitiam,* inquit, *quæ in lege est, conuersatus sine querela, &c.* Sed certè alia ratione: quàm Baptistæ Ioannis parentes fuisse dicuntur, sine querela. Pauli enim illud, de iustitia coram hominibus proculdubiò est intelligendum: quod verò dicitur de parentibus Ioannis, intelligitur *Sine querela,* & corā Deo, & coram hominibus. Tametsi B. Hieronym. in epistol. ad Algasiam, iustitiam Zachariæ & Elizabeth, quæ hic prædicatur, foris fuisse, & coram hominibus asserat: cōtra apertum textum, qui habet: *Erant ambo iusti ante Deū.* at Pauli quæ dicitur sine querela, iustitia coram hominibus intelligenda est. Nullus enim Paulū accusarat violatę legis, & quasi secundùm legis iustitiam supplicio dignus esset. Repugnat autem intelligi de iustitia coram Deo: quomodo enim verè iustus secundùm legis mandata, quæ non seruabat, Christum persequens, & Ecclesiā Dei, concludens in carcerem, insequens per Synagogas eos qui credebant in Christum, vt in Actibus testatur ipse de se. Non ergò Pauli iustitia, cum illa progenitorum Ioannis Præcursoris comparanda est, quamuis aliter visum fuerit B. Augustino, qui quodā loco sic ait: *Quid autem de Zacharia & Elizabeth laudabile dictum est, quòd nō in eo comprehendatur, quod de se Apostolus cùm in Christum nondū credidisset professus est? Dixit enim se secùndum iustitiā, quæ in lege est, fuisse sine querela.*

Philip. 3.
Pauli Apostoli conuersatio sine querela qualis.
Hieronym. ad Algasiam, q. 8. tom. 3.
Act. 9.
Suprà 8.
Aug. lib. 2. de peccato. me. & remiss. c. 13. tom. 7.

Hæc

Hęc ille. Attamen reuerà, vt diximus, longè diuersa ratio est Pauli, atque horum.

Quæ caussæ extiterint Zachariæ & Elizabeth sterilitatis. Et quo anno ferè fluxus genitalis mulieribus sistitur.

Quintò considerandum, duplicem fuisse caussam Zachariæ & Elizabeth tantæ sterilitatis: Primam quidem vxoris naturalis infertilitatem ac infœcunditatem, ne putes illam filios quidem genuisse, sed iam mortuos esse. Secundam verò, *quòd processissent in diebus suis*, & quò plus procedebant, eò fiebant impotentiores. Nã ferè anno quinquagesimo fluxus genitalis mulieribus sistitur, raro 52. frequentiùs 48. at masculus non generat vltra 70. annum: tantumq; de Rege Masinissa Plinius refert, quod ad 80. annum vim gignendi seruauerit.

Plin. lib.7. cap.14.

Sextò aduertendum, eximios viros, ac singulari Dei gratia præditos, nõ nisi à sterilibus matribus diuina virtute & miraculo tantùm fuisse progenitos, vt Isaac ex Sara, Iacob ex Rebecca, Ioseph ex Rachele, Samsonem ex vxore sterili Manue, Samuelem ex Anna vxore Elcanæ, Mariam Virginem ex sancta Anna Ioachim coniuge: ex Elisabeth deniq; Ioannem Baptistã: Nimirum vt nemo sibi quicquã adscribat, sed omnem gloriam bonorum omnium filiorum inprimis largitori Deo ferat acceptam. Ergò sterilitas contigit aliquando ob maiorem gloriã Dei, vt miraculo Deus Opt. Max. vuluam aperiẽdo, de misericordia laudetur, vt Saræ, Rebeccæ, & Elisabeth exemplum docet: vt sicut partus est supra naturam, ita & proles sit sancta atq; mirabilis. Secundò, ad humiliationem, vt cõtigit Racheli, ne Liam minus venustam, & minus dilectam, despiceret. Tertiò, in pœnam peccati; vt accedit Michol vxori Dauid, quæ cùm Regem coram arca Dei saltantem derisisset, sterilis facta est vsque in diem mortis. Quartò, ad augendam gratiam in coniugatis: tunc enim ferè feruentius orant pro prole habenda, & pro illa scilicet in fide, ac bonis moribus instituenda sollicitiùs adlaborant: quemadmodum parentes sancti Nicolai fecerunt. Quintò, ob salutem coniugatorum, qui si prolem pro voluntate sua consequerentur, vel ad Deũ non aspicerent, vel illum (quod peius est) aspernarentur, dum immodicè diuitijs ad prolem ditandam congerendis, cumulandisq; vacarent, salutis suæ facti prorsus immemores. Sextò, ac postremò, vt discamus legem, corporalium filiorum procreationem minimè exegisse: nã si vir aut mulier suapte natura steriles essent, ad rem impossibilem illos cogere videretur. Vnde Theophylactus in hunc locum sic ait: *Iustorum mulieres, & iusta sæpè steriles fuerunt, vt discas legem non exigere corporalium filiorum procreationem, sed spiritualium.* Hæc ille. Hæc autem Elisabethæ sterilitas, teste B.Chrysostomo, ideò fuit, vt præcedens B. Virginis illam, de conceptu eiusdem virginis & partu ne miraremur. Septimò cõsiderandum, fœlix esse coniugium, vbi vterque coniugum pari zelo ac studio, quæ pietatis sunt, sectantur: contrà verò, infœlicissimum, vbi sic viuitur, vt nescias Gentiles ne sint, an Christiani, tanto opprobrio corpora sua dedecorantes, diuinasque matrimonij leges contemnentes: medium verò est, vbi saltem coniugum alter pietatem colit, ac Deum timet: vt enim Paulus inquit: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & mulier infidelis per virũ fidelem, &c.* Et ad hoc pars fidelis & sana contẽdere debet, vt verbo, & conuersatione, & precibus cõiugem Christo lucrifaciat.

Gen.21. Infrà 25. Infrà 30. 1.Reg.2. Præstantiores Veteris Testamenti quique viri, de matrib. ferè infœcũdis cur geniti. Caussæ sterilitatis. Prima. *Gen. 21. Infrà 25.* Secunda. *Infrà 30.* Tertia. *2.Reg.6.* Quarta. Quinta. Sexta atque postrema. *Theophyl. in Lucae.1. sub init.* *B.Chrysost.* Felix quale coniugium, ac rursus infœlix. *1.Cor.7.*

Sequitur in textu, *Factum est autem, cùm Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, secundùm consuetudinem Sacerdotij sorte exijt, vt incensum poneret: ingressus in templum Domini: & omnis multitudo populi erat foris orans hora incensi.* Hoc loco ante omnia quęstio resoluenda est, qua depositione incensi sit sermo, & quo de Sacerdote, summone, an priuato aliquo? Nam quotidie incensum ponebãt communes Sacerdotes in altari thymiamatis: semel etiam in anno ingrediens in Sancta Sanctorum Sacerdos, dum regrederetur, debebat orare super altare incensi. Ad cuius nodi explicationem pręmittendum est, Leuitas destinatos fuisse inferioribus ministerijs templi, Sacerdotes verò, qui quidem omnes de filijs Aaron originem ducebant, superioribus officijs destinati erant, nempe offerendi iuge sacrificium, ponendi in altare thymiamatis incensum, atque illud adolendi. Ex his erat vnus summus Sacerdos, qui cæteros regebat, quique semel quotannis in die expiationis seu propitiatiõis intrabat in Sancta Sanctorum, non sine sanguine. Potestas tamen regia, tametsi purè secularis esset, summos olim Sacerdotes, iusta si causa subesset, sine peccato eligebat, vel deponebat, vel cum peccato ipso facto, pro arbitratu suo, idem præstabat. Vnde cùm ex Eleazaro primogenito Aaron, Pontificem Dominus instituisset, Num.20. & in eo consequenter omnes eius successores: tamen posteà Heli, qui erat de familia Ithamar fratris Eleazar, fuit à Deo in Pontificem electus, reiectis, propter demerita ipsorum filijs Eleazar: vt habes 1. Regum 2. Heli verò successit Abiathar: Salomon tamen repudiato Abiathar, rursus elegit Sadoch de familia Eleazar, vt 3.Reg.2. habes. Verùtamen

Exod.30. & Heb.9. Quænam Leuitarum, quæ Sacerdotum essent officia. *Ibidem.* *Num.20.* *1.Reg.2.* *3.Reg.2.*

men cum pro diuino cultu amplificando, instituisset Dauid 24. Sacerdotes, qui per vices sua quisque hebdomada in templo ministrarent, sexdecim de Eleazari familia nominauit, quibus præposuit Sadoch, & 8. de familia Itamar, quibus præfecit Abimelech. Itaque Sadoch & Abimelech primates erant, vsque 1. Paralip. 24. dicitur, vocabantur Principes sanctuarij, & principes domus Dei. Præter illam autem principatus tenendi rationem, Sadoch solus & verus erat Summus Pontifex. Cùm ergò quæritur an Zacharias summi Sacerdotis, an verò simplicis officio fungeretur, dubium est inter Doctores, & in controuersiam venit.

An Zacharias fuerit summus Sacerdos nec ne.

1. opinio.

Nam ex Patribus quidam Zachariam summum fuisse Sacerdotem censent, Inter quos Ambro. in hæc verba, hoc loco scribit: *Videtur, inquit, hic sanctus Zacharias summus designari Sacerdos, quia sicut lectum est de priori tabernaculo, in quod semper intrabant Sacerdotes ministeria consummantes, vno tantùm anni tempore* (legendum puto, non vno tantùm anni tempore, vt sequens clausula cogit) *Intrabant in templum, in secundo autem, semel in anno singularis summus Sacerdos, non sine sanguine, quem offerret pro se & populi delictis. Hic est ille summus Sacerdos, qui adhuc sorte quæritur, quia verus adhuc ignoratur. Qui enim sorte legitur, humano iudicio non comprehenditur. Ille igitur quærebatur, & alius figurabatur. Ille quærebatur verus in æternum Sacerdos, cui dicitur: Tu es Sacerdos in æternum, &c.*

Ambr. lib. 1. in Luc. c. 2. init. to. 5. in princ.

Beatus Augustinus in Ioannem interpretans illa verba: *Vnus autem ex ipsis Caiphas cùm esset Pontifex anni illius*, ita scribit: *Potest autem mouere, quomodo dicatur Pontifex anni illius, cùm Deus vnum constituerit summum Sacerdotem, cui mortuo vnus succederet. Sed intelligendum est, per ambitiones & contentiones inter Iudæos postea constitutum, vt plures essent, & per annos singulos vicibus ministrarent. Nam & de Zacharia hoc dicitur: Factum est autem, cùm Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ antè Deum secundùm consuetudinem Sacerdotij, sorte exijt, vt incensum poneret ingressus in templum Domini. Hinc apparet plures eos fuisse, & vices suas habuisse: nam incensum non licebat ponere nisi summo Sacerdoti, & fortè etiam vnum annum plures administrabant, quibus alio anno alij succedebant, ex quibus sorte exibat, quis vt incensum poneret.* Hæc Augustinus, asserens Zachariam summum Sacerdotem, & plures potuisse simul esse summos Sacerdotes, ex quibus sorte eligebatur, qui ponere deberet incensum.

Psal. 109. Heb. 7. B. Aug. tract. 49. in Ioan. in fin. tom. 9. Ioan. 11. Exod. 30. & Heb. 9.

Augustino adiungimus Hieronymum, qui epistola 4. ad Rusticum ait: *Ioannes Baptista sanctam matrem habuit, Pontificisque filius erat, & tamen nec patris affectu, nec matris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret castitatis.* Sic ille. Pontifex autem non aliquis, sed summus esse intelligitur.

Hiero. tom. 1. init.

Accedit tertiò Beda presbyter in hæc Lucæ verba scribens: *Non noua nunc sorte lectus est, cùm incensum esset adolendum: sed prisca tunc sorte prælectus, cùm primo ex ordine sui pontificatus in vicem Abia succederet. Incensum autem in Sancta Sanctorum à Pontifice deferri expectãte extra templũ omni populo; decima die septimi mensis est iussum. Et hanc diem expiationis siue propitiationis vocari*, & reliq. Sic ille.

Beda lib. 1. in Luc. c. 2. to. 5.

Ex Græcis verò tum Theophylactus, tum Leontius Episc. Neapoleos Cypri putant sermonem esse de ingressu in oraculum semel in anno in die propitiationis, proinde Zachariam summum esse Sacerdotem insinuant.

Theoph. Leontius. Exod. 30. & Heb. 9.

Historia scholastica 1. cap. historiæ Euangelicæ refert, Dauidem instituisse viginti quatuor Sacerdotes, inter quos tamen vnus erat maior, qui dicebatur Princeps Sacerdotum. Hanc sententiam sequitur Paulus Burgensis Episcopus in additione prima super Euangelium B. Lucæ, ac pro ea quidẽ acriter decertat. Sequuntur & illam Isidorus clariùs, atque alij nonnulli: & qui huius sententiæ sunt, his vtuntur rationib.

Hist. schol. 1. Paral. 24. & seq. Paul. Burg. Isido. Clar.

Prima est, quòd summus Sacerdos adolere debebat incensum in die expiationis, quando intrabat in Sancta Sanctorum, vt habetur Leuit. 16.

Hæc opinio quib. rationib. innititur.

Secunda, quòd illo tempore dum summus Sacerdos ingressus est Sancta Sanctorum, præcipitur, vt omnes extra templum expectent, quemadmodum hic dicitur: *Omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.*

Tertia, quod ab illa solennitate, quæ erat 10. Septembris, in qua ex Zacharia concepit Elisabeth, currũt præcisè nouem menses ad Ioannis natiuitatem.

Quarta, quoniam in die expiationis tantùm summo Sacerdoti præcipitur Leuit. 16. vt super altari thymiamatis pro populo preces fundat: & hoc est argumẽtum Caietani.

Caietani.

Quinta, Burgensis ex Augustino in Ioan. nullum ducit inconueniẽs, fuisse simul duos summos Sacerdotes ex institutione diuina, qui sortirentur de ministerio.

Paul. Burg. Aug. vbi supr.

Caietanus tamen, & ante eum Thomas VValden. tenet Zachariam non fuisse dignitate summum Sacerdotẽ, verum officio tantũ, & ministerio ingrediendi in Sancta Sanctorum, quia dicitur in templum ingressus. Albertus Magnus hoc loco existimat Zachariam fuisse summum Sacerdotem inter viginti quatuor illos, de quibus 1. Paralip.

Caiet. Tho. VVald. Alber. Magn.

ralip. 24. ita vt vnusquisque in administratione vicis suæ ingrederetur in Sancta Sanctorum vt administraret: illo autem anno accidisse, vt Zacharias 10. de Septembris administraret, & in Sancta Sanctorum ingrederetur.

Altera opinio. Hæc autem sententia, etsi probabilitate non careat propter Patrum testimonia, & rationes prædictas: tamen illis non obstantibus alij magni viri contrariam partem, vt Scripturis, & rationi magis conuenientem tuentur: è quorum numero est Nicolaus de *Nicol. de Lyra.* Lyra, & Episcop. Abulensis pluribus in locis mordicùs tenet, Zachariam neutiquàm *Abulen. Episc. in c. 30. Exod.* summum fuisse Sacerdotem. Ab his stant *Ioan. Arbor.* Ioannes Arboreus, Cornel. Iansenius, atq; *Cor. Iansen.* alij permulti. Mouentur autem his potissimum rationibus.

In primis quidem, quòd Lucas inter Sa- *Nititur illa quadruplici ratione.* cerdotem simplicem, & summum Sacerdotem distinguere consueuit, siue inter ἱερέα, & ἀρχιερέα: hic tamen non ἀρχιερέα, sed ἱερέα vocauit.

Deinde quia nullus historicus, vel Iose- *Ioseph. histor.* phus, vel Eusebius Cæsarien. vel Niceph- *B. Hieronym.* orus Callistus hunc Zachariam connumera- *Qua de hic positione in- cesti sit sermo.* uit inter summos Sacerdotes.

Tertiò, quia dicitur: *Factum est autem; cùm sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum:* quod de summo Sacerdote nequaquã diceretur, qui si vellet, semper alioqui posset, & si nollet, cogi haud posset ministrare, cum ius eius esset perpetuum, & vna tantùm dies eius ministerio destinata erat, nempè dies propitiationis. Et confirmatur, quia dicitur: *Et factum est; vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam:* ac summi Sacerdotis dies ad ministerium prȩfiniti non erant.

Quarto, quia dicitur, *quòd apparuit illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi:* hoc autem, vt tradit Scriptura Exod. 30. & vltim. & Iosephus ac Hieronymus, erat in loco nuncupato sanctum, non in Sancto Sanctorum. Quòd si Zacharias intrasset in Sancta Sanctorum, non potuisset Angelum videre, velo post se excluso. Nisi dicas Angelum, ante ingressum Zachariæ in Sancta Sanctorum, vel post egressum, apparuisse sibi in via: maximè quia Leuit. 16 dicitur, quod *cùm egreditur de Sancto Sanctorum, exeat ad altare, quod coram Domino est, & oret pro se*, atque in hoc exitu siue deprecatione, idem potuit contingere & ipsi Zachariæ. Verùm hoc stare non potest, quia nulla mentio de sanguine apud Lucam, sed tantùm de suffitu incensi, cùm tamen Deus ibi præcipiat: *Cùm autem exierit ad altare, quod coram Domino est, oret pro se, & sumptum sanguinem vituli atque hirci, fundat super cornua eius per gyrum, &c.* *Hebr. 9.* Paulus etiam ad Hebrȩos ponderat, illum vnicum Sacerdotis ingressum in Sancta Sanctorum sine sanguine non fuisse: Quanquàm sint, qui dicant post templi instaurationem per Esdram factam, altare thymiamitis fuisse collocatum non in sancto, sed in Sancto Sanctorum: & hoc videtur probari beati Pauli authoritate ad Hebræos 9. qui intra San- *Ibidem.* ctum Sanctorum videtur reponere thuribulum aureum, his verbis: *Post reuelatum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum; & arcam Testamẽti circumtectam ex omni parte auro, &c.* Idem sensisse videtur Augusti- *B. Aug. to. 4.* nus libro 2. in Exodum, quæst. 133. in fine. *Improbatur* Verùm hȩc opinio consistere haud potest: *hæc opinio.* nam cùm quotidiè deberent Sacerdotes in altari thymiamitis incensum adolere, semel manè, & semel ad vesperam, vt Exod. 30. dicitur, quotidiè minores Sacerdotes intrarent in Sancta Sanctorum, quod repugnat his, quæ dicũtur à Moyse Leuit. 16. & Paulo ad Hebræos 9. Deinde testatur lib. 2. Machabȩorum, cap. 2. altare illud incensi restitui non potuisse in reditu è Babylone, quando restauratum est templum. Hæc enim sunt eius libri verba: *Et veniens ibi Hieremias, inuenit locum speluncæ, & tabernaculum. & altare & arcam incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. Et accesserunt simul quidam, qui sequebantur, vt notarent sibi locum, & non potuerunt inuenire. Vt autem cognouit Hieremias, culpans illos dixit, quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat.* Hæc ibi. Non fecit autem congregationem populi, nisi sub Christi aduentu, aut vt alij volunt, sub secundo. Tertiò, thuribulum illud siue pro altari thymiamatis sumatur, vt videtur sanè apud Paulum necessariò sumẽdum ad Hebrȩos 9. Cùm describendo sanctum, altaris thymiamatis haudquaquàm meminerit, & tamen meminit candelabri, & mensæ, & propositionis panũ, siue propriè sumatur pro thuribulo, quo adhibendum thus erat in die expiationis, propriè non poterat esse in Sancto Sanctorum. Quia si in eo loco cõcedas repositum fuisse thuribulum, non semel, sed ter in die expiationis summo Sacerdoti non Sanctum Sanctorum intrandum fuisset. Semel quidem ad illud sumẽdum, & prȩparandum pro thure ponendo. Deinde, cùm ingrediebatur, non sine sanguine.

Quartò cùm ad reponendum intra Sanctorum rediret, & ita bis intraret in Sancta Sanctorum sine fumo, cùm tamen intran-

Ad extremum, ait: *Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.* Vbi primùm vide probatum morem populi ad commune sacrificium, quod pro omnibus offerebatur, confluẽtis: Deinde considera, quãta reuerentia, quantaq; religione, populus ille Iudaicus typica illa atq; adumbrata mysteria prosequeretur, & coleret. Nec enim audebat appropinquare. Qua in re peccatur à Christianis grauissimè, qui impudenter atque irreuerenter nõ modò appropinquant ad sacrosancta & tremenda Eucharistiæ mysteria, verumetiam oculis impudicis, & interdum plenis adulterio, ac fornicatione illa spectant: illis se videntur ingerere, non cogitãtes, quem Dominum præsentem habeãt, & quid olim Ozeæ arcã inclinantem tangenti acciderit. Essetq; peruersus iste mos disciplina Ecclesiastica, & Christiana censura coercendus, ne malum serpat latius. Adhęc, vide quid agat populi multitudo, dum sacrificio intendebat sacerdos: *Erat, inquit, foris orans.* Et tu ergo, dum sacerdos quę sua sunt, agit, noli risui, detractionibus, vel fabulis vacare, quéadmodùm quidam impudentissimi factitant: sed potiùs in templo Deum exora, vt quod sacerdos sui, totiusq; Ecclesiæ nomine precatur, Deus Opt. Max. pro sua bonitate & misericordia ratum, & gratum habere dignetur; Præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto ab omni creatura reddatur semper honos, gloria, & imperium in secula seculorum: Amen.

Christianorũ abusus damnabilis.

2. Reg. 6.

Tempore sacrificij quid nobis agendũ Iudæorum exemplo.

TRACTATVS XXXIV.

De apparitione Angeli ad Zachariam, deq; commendatione Ioannis Baptistæ. Luc. 1.

APPARVIT *autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi, & Zacharias turbatus est, videns; & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus; Ne timeas Zacharia, quoniam ex audita est deprecatio tua: & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: & erit gaudiũ tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt.* In his verbis in primis notandum, quéadmodum Angeli transfugę, hoc est, Dæmones nõ possunt non præsentes esse, vbi sacra sibi fiunt, videlicet vbi vitijs, sceleribus, ac impudicitijs homines vacant: ita & electi Angeli nusquã inueniuntur certiùs, quàm vbi nos virtutibus, & pietatis officijs incumbimus, maximè verò, vbi oratio ad Deũ funditur, cuius ad Deum deferendæ ipsi sunt ministri, vt habes Tob. 10. & Act. 12. Itaque qualem operum tuorum spectatorem desideras habere, talia & operare.

Deinde notandum Angelum dici apparuisse: quoniam non quibusuis conspiciendum se præbet, à quibus videri vult. Quare in locum hunc ait Ambrosius: *Benè apparuisse dicitur ei, qui eũ repentè conspexit.* Et hoc specialiter, aut de Angelis, aut de Deo scriptura diuina tenere consueuit, vt quod nõ potest præuideri, apparere dicatur. Sic enim habes: *Apparuit Deus Abrahę ad ilicẽ Mãbre. Nam qui antè non præsentitur, sed repentino videtur aspectu, apparere memoratur. Non enim similiter sensibilia videntur, & is, cuius in voluntate situm est videri, & cuius natura est non videri, voluntatis videri.* Hæc ille. Angeli tamen nõ vt sunt, sed pro visu, oculisue hominum produnt sese, ac manifestant, in quodcunq; Dominus iusserit corpus se transformãdo. Fuit autem visio hæc corporea, vt corporeus Angeli situs à dextris altaris incẽsi demonstrat, & vis verbi Græci ὤφθη. id est, visus est, ostendit, & non dixit ἐφάνη id est, apparuit: quo verbo vtitur Matt. 1. & 2. de Ioseph loquens Euangelista. Non autem in somnis, vt Chrysostomus putàt, quia nulla mentio somni; & diurno tempore quo vigilare consueuimus, apparuit Angelus; & eo tempore quo orandum erat, dum adoleret incensum; tum quia ad incarnationis Christi mysterium, & ad præcursorem eius prænuntiandum corporalis apparitio magis conueniebat.

Quibus tantũ Angelus apparet.

Ambro. lib. 1. in Lucam cap. 3. init. tom. 5 in princip.

Gen. 18.

Angeli quatenus videantur.

Angeli Gabrielis ad Zachariam qualis visio fuerit.

Chrysost. ho. 4. in Matth. tom. 11. cant.

Tertiò notandum, Angelum ad dextrã altaris incensi apparuisse; quemadmodum in resurrectione Domini mulieres introeuntes in monumentum, viderunt iuuenẽ sedentem in dextris. Amant videlicet electi Angeli dexteram, quoniam socij eorum futuri, quos pastor Christus collocabit ad dexteram in iudicio. Læta etiam, & fausta, quæ per dexteram significantur, hic Angelus annunciaturus venerat, tam de hominum seruatore Messia, quàm de eius præcursore, qui mox illum præire debebat: quod lætum parentibus eius erat, atque iucundum. Ad hæc preces tunc exaudiuntur, cùm spiritualia, quæ in dextera designantur, vel pro nobis, vel pro alijs postulamus. Assistunt & Angeli orantibus, vt eos ad orandum excitẽt magis, & inflammẽt, quidq; petendum sit, doceant, atq; ad perseuerandum in oratione adiuuent iuxta illud; *Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum.* Stat autem Angelus, quia Dei administer, in ministerium missus propter eos, qui hæredita-

Cur visus sit Angelus Zachariæ stans à dextris altaris incensi.

Mar. 16.

Matth. 25.

Læta & fausta per dexteram designantur.

Angeli cur assistant orantibus.

Psal. 67.

Cur stans Angelus appareris.

Heb. 1.

& sub vesperam, vt dicitur Exod. 30. Et hoc à Sacerdote quolibet ministrante. Ex quo Nadab & Abiud filij Aaron, & minores Sacerdotes interfecti sunt à Domino, quòd alieno igne sacrificauerint, vt Leuit. 10. scribitur.

Leuit. 10.

Ad illud verò quod populus expectabat foris, & nullus erat in tabernaculo, dū Pontifex ingrediebatur Sanctum Sanctorum: dicendum est, sic se habere: at longè diuersum illud esse præceptum Leuit. 16. in quo dicitur, vt intrante summo Sacerdote, nullus esset in tabernaculo: id est, vt omnes Sacerdotes exirent in atrium. Aliud verò erat, vt thus imponēte, ac proinde sacrificāte minore Sacerdote populus maneret foris in atrio, quòd populus interiora Sancti, vel Sancti Sanctorum intrare nunquam posset. Imò quia hic tantùm de foris expectante populo, & orante fit mentio, colligitur manifestè de simplici Sacerdote, non de summo sermonem esse, quia tunc etiam foras in atrium Sacerdotes prodirēt. Si enim modò ad Missæ sacrificium, quod tot in templis, locisq; celebratur, tātus hominū numerus finem sacrificij complen expectare consueuit; quid dicendum de Iudæis, qui ad vnum tantum locum, in quo solo sacrificare licebat, libenti animo confluebant?

Infra 10.

Ad quartum, quod à decima die Septemb. ad 24. Iunij, in qua editus est in lucē præcursor, ex quibus sublatis diebus ministerij, paullò plures dies qui impleant nouem menses, effluxerint, ac proinde positio illa incensi Zachariæ summi Sacerdotis fuit, dicendum nihil conuincere, quoniam fieri potuit, vt sors, siue hebdomada ministerij Zachariæ contigerit in illo septimo mense, imò & illa hebdomada, & illo eodē die. Nam præter ingressum summi sacerdotis ad Sancta Sanctorum, intrabant quotidiè minores sacerdotes ad ponendum incensum in altari thymiamitis, vt dictum est. Expletoque post paucos dies ministerio, poterat Zacharias in domum suam reuerti, atque ex eo concipere Elisabeth.

Ad illud verò, quòd summus Sacerdos egressus de Sancto Sanctorum iubetur, super altare thymiamatis preces fundere, respondendum, nec item euincere. Nam vt minores etiam Sacerdotes quotidiè adolentes incensum, ne nudam tantùm cæremoniam operarentur, probabile valdè est preces fundere conueniſſe, iuxta illud Dauidis: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Nam si populus foris expectans orabat, quomodo Sacerdotes, quorum est, populorum esse (sic dicam) mediatores, & sequestros, in peragen[illegible] sacrificio non orarent?

Psalm. 140.

Sacerdotum officium.

Ratio autem Caietani, nempè quòd dicatur Zacharias non templi partem, sed tēplum ipsum ingressus, ergo & in Sancta Sāctorum, inualida est, & vana. Nam templum generale vocabulum est, & capitur pro omnibus eius partibus, atq; etiam pro atrio templi, vbi vulgus diuersabatur. Vnde dicitur: *Ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis:* & alibi: *Intrauit Iesus in templum Dei, & eijciebat omnes vendentes, & ementes in templo.* Christus autem laicus cùm esset, vtpotè de tribu Iuda, non intrabat in Sancta Sanctorum. Et hæc quidem de hac quæstione probabiliter sint dicta, quæ videntur nobis veriora, & Scripturis consonantiora.

Templum olim pro omnibus eius partibus sumebatur non raro.

Hierem. 7.

Ioan. 10.

Matth. 21.

Iam postremò verba textus ponderanda sunt, vt non casu, verùm diuina Prouidentiā, factum putes, legem aduentu gratiæ perfici, ac maturari: peculiaris siquidem Dei prouidentia designatur in Euangelio, quoties dicitur: *Et factum est*, subdit: *Cū Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ*, id est, in octaua, pro qua psallebat Dauid in titulis quorundam psalmorum, 6. & 2. sequitur: *Ante Deum.* Quia peculiari ratione in templo adesse creditur; vt omnes ibi sacrificantes Sacerdotes, siue laici diuinis officijs intenti Deum cogitent, eumque quasi præsentem, vt verè est, habeant.

Quid illud: in ordine vicis suæ.

Tertiò addit, *Secundùm consuetudinem Sacerdotij, sorte exijt, vt incensum poneret.* Vbi in primis consuetudinis meminit, qua vnus alteri succedit, & quæ vim legis obtinet, quam consuetudinem Dauid familiarum 24. ministeria per hebdomadas diuidendo introduxerat. Ideò non dixit Euangelista: *Secundùm præceptum, vel legem*, quia nil tale Moyses constituerat. Quod verò subdit, *Sorte exijt, vt incensum poneret*, dupliciter exponi potest, vel vt Beda superiùs appellatus, interpretatur, nempè modò nō exijsse sorte, sed olim tempore Dauidis: nam tūc Abiæ & successoribus octaua sors contigit. Vel, vt alij probabiliter existimant, cùm de eadem familia, & sorte Abiæ plures essent Sacerdotes, sorte deligebatur, quis eorum incensum adoleret. Græcè enim dicitur, ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι: id est, designatus est, qui incensum poneret, siue, qui thus incenderet. Vana est autem ponderatio eorum, qui putant Euangelistam dixisse thus ponere, & non adolere; quasi verò sermo sit de thure ponendo, & non adolendo, cùm Græcè vnicum sit tantum verbum, quod est thus, vel suffitum adolere.

Consuetudo vim legis obtinet.

Beda in Lucam tom. 5.

Caietanus.

intranti hinc fumo Deus comminatus esset mortem. Ad hæc ignium receptacula ad ministerium etiam altare thymiamitis erãt in altari holocaustorum, vt habetur in textu Exod. 27. & 37. Ergo thuribulum illud aureum, de quo Paulus ad Hebr. 9. reuera altare erat thymiamatis: vnde & Græcè dicitur θυμιατήριον, quam vocem 70. reddunt in Veteri Testamento, θυσιαστήριον, θυμιάματος, quia intendit enumerare vasa, quæ erant in tabernaculo, quod sanctum appellatur, & probabile est, tantum, ac tale vas memoriæ delectu non omisisse. Refert ergo Apostolus, oraculum, siue Sanctum Sanctorum, habuisse intus arcam, & propitiatorium; extra velum autem, thuribulum, siue altare thymiamatis habuisse. Et quanquàm in sancto tria essent vasa, nempè candelabrum aureum, & propositionum, atq; altare thymiamatis: tamen quia alia duo non ita ad oraculum pertinebãt, & illorum alterum erat ad Septentrionem, alterum ad meridiem, altare autẽ in medio situm erat, proptereà dicitur ad Sanctum Sanctorum pertinere. Hinc est, quod Exod. 30. & Leuit. 16. semper dicitur altare thymiamatis stare ante arcam Domini, vel coram arca Domini, id quod de mensa, vel candelabro nequaquàm dicitur, imò Leuit. 16. satis apertè dicitur thuribulum fuisse extra velum, illis verbis: *Assumptoq; thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, vltra velum intrabit in sancta summus nempè Pontifex*. Et hactenùs de loco illo Pauli satis difficili sanè, dictum sit.

Exod. 27. *Infra 37.* Expenditur locus Apostoli ad Heb. 9. sanè difficilis. *Exod. 30.* *Infra 10.* *Leuit. 10.*

Zacharias igitur minor Sacerdos fuisse videtur, quia in altari thymiamatis, quod extra sanctum continebatur, ministrauit. Quòd verò duo simul esse possent summi Sacerdotes, vt ex Augustino in Ioannem Burgẽsis Episcopus, sumpsisse videtur, mihi probabile non est, neque ex diuina vlla dispensatione, quæ accipiatur ex 1. Paralipomen. 24. nec ex vlla Romanorum Pontificatum vendentium abusione, alicubi legimus duos simul summos Sacerdotes eodẽ anno administrasse. Vnde de Caipha perhibetur, quòd esset Pontifex anni illius significans illis verbis Euangelista Caiphã eo anno collegam nullum habuisse, quanquàm non ignorem plures eodem anno esse potuisse summos Sacerdotes, sed sibi inuicem succedentes, dum priori defuncto, vel propter auaritiam deposito, alter, & alter substituitur. Et vt testatur Iosephus, singulo quoq; anno venalis erat pontificatus. quod etiã tempore, quo Græci regnabant, accidit: nam Iason, Menelaus, & Lysimachus pecunia illum redemerunt, vt dicitur 2. Machab. 4. Vnus ergo tantum erat summus Sacerdos, ob figuram nostri summi Sacerdotis Christi. Hebr. 9. & Petri, ac successorum eius. Idem quoque ex diuina cõstitutione constat, qui vnum elegit Aaron, & eius filium vnum Eleazarum in patris locum subrogauit.

Quòd duo nõ essent simul summi Sacerdotes. *Aug. vbi supra prodvctus* *Burgen. Episc.* *Ioan. 11.* *Iosephus.* Vnus tantum tum in lege summus Sacerdos. *2. Mach. 4.* *Exod. 28.* *Num. 20.* *Deut. 10.*

Idem prætereà confirmatur ex vnitate debita vni Ecclesiæ Iudæorum, ex officio, quod pluribus cohærere non poterat, nempè semel intrare in Sãcta Sanctorum. Nam & tempore, quo summus Sacerdos ægrotabat ita, vt ministrare non posset, eius filius successor, vel ab eo designatus alius Sacerdos, summi Sacerdotis ministerio fungebatur: nec opus erat per sortes exquirere eum, qui ministrare deberet. Huc accedit, quòd cum multitudo summorum Pontificum non minus esset contra ius diuinum, quàm modo sit, certè Zachariam virum sanctum, ac tanto testimonio celebratum ab Euangelista, simul cum alio Pontificatum administrasse, vix possumus sine eius iniuria, cogitare. Quod ergo Matth. 26. Mar. 14. vel Lucæ 22. dicitur summos Sacerdotes, vel Principes Sacerdotum simul contra Iesum consilium iniisse, & caussam eius examinasse, atque eum condemnasse: intellige principales & præcipuos Sacerdotes, maximè, si erãt capita illarum 24. familiarum, quæ Dauid ad templi ministerium instituit, vt habetur 1. Paralip. 24. vel intellige summos Sacerdotes successione, Pontificatum à Romanis annuatim redimentes. Cùm enim non sibi inuicem post mortem, verùm pro voluntate arbitrioq; Romanorum ipsi succederent, etsi plures eodẽ anno summi Sacerdotes esse non possent, erãt tamen plures, qui fuerant aliquãdo summi Sacerdotes, & simul viuebãt, vt possit verum esse, quod aiunt Euangelistæ, summos Sacerdotes, vel Principes Sacerdotum simul conuenisse. Nam & apud nos qui semel duxit exercitum, tametsi officio defunctus sit, semper tamen dicitur, & appellatur Dux.

Quid per summos Sacerdotes, qui in Iudæge [?] pingunt [?] in necem Domini conspirasse [?]. *Mat. h. 26.* *Mar. 14.* *Luc. 22.*

Ad rationes ergo in contrarium respõdentes, dicimus ad primam, alterius sentẽtiæ doctores opinando potiùs, & cum formidine, quàm asserendo quicquam & definiendo fuisse locutos.

Diluuntur propositæ in contrarium rationes.

Ad illud, de ponendo incensum in die expiationis intra Sanctum Sanctorum, semel in anno, & ingrediente Sacerdote, nebula oraculum tegeret, ne summus Sacerdos Deum videns, periret, minimè stringit. Nam bis quotidiè idem fieri solitum erat, ex mandato Domini, manè videlicet,

reditatem cap.ût salutis;& quo in templo, & sacrificio mente erectā,& in Deū eleuata stare doceat;& quoniā ad fortiora prænuncianda mittitur, stat diuina iuxta fortitudinem, quam nomen Gabrielis designat.

Gabriel fortitudinem sonat.

Quartò aduerte, Zachariam videntem turbatum esse, & timorem super eum irruisse: à re ergo insolita turbat' est, timuitque. Non enim ad homines vulgato hominum more spirituales illę, & purę intelligentiæ veniunt; sed repentè, & præter opinionem oculis sese nostris aspiciēdas exhibere solitæ sunt. Sed fortassis obijcies: Qui fit igitur, vt Abraham, Loth, Tobias ad Angelorum non fuerint perturbati præsentiam? Respondemus: quandoquidem non Angelico, at humano more conspiciendos sese Angeli prębuerunt; nempè humanam induti formam, & hominum instar agentes, & conuersantes: secùs verò est cùm repentè vestibus splendidis induti apparent; nam tunc ferè terribiles existunt. Hinc Daniel cap. 10. viso Angelo exhorruit, & dixit; *Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remāsit virium.* Sic etiam Maria Virgo turbata est ad aspectum, sermonemq; Angeli, sicut & sanctæ fœminę, quæ Christi sepulchrum visendi gratia accesserunt, de quibus Euangelista testatur *quòd exeuntes fugerunt de monumento, Inuaserat enim eas tremor, & pauor.* Adhęc neque temere Zacharias turbatus est: nam vulgò receptum erat, eum stat im moriturum, qui Deum, vel Angelum sibi ou..xat apparentem vidisset. Nam Gedeon in libr. Iudic. cap.6. cùm vidisset Angelum ad se loquentem in hęc verba prorupit: *Heu mihi Domine Deus: quia vidi Angelũ Domini facie ad faciem. Dixitq; ei Dominus, Pax tecum: ne timeas, non morieris.* Eadē ratione vbi Manue Samsonis pater intellexit Angelum sibi apparuisse, dixit ad vxorem (vt habetur Iudic. 13.) *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Postremò Iacob post longam cum Angelo luctam vsque ad Auroram dixit; *Vidi Dominum facie ad faciē, & salua facta est anima mea,* id est: Non sum mortuus, vt putantur morituri qui vident Deum, sed saluus factus sum. Ita fortè Zacharias cogitans secum ipse, meritò turbatus est. Demum Zacharias turbatus timuit, quia solus erat, & nemo alius in illo loco: & quia se cœlesti oraculo indignum esse censebat. Quia iustus omnia timet, si ad se respiciat: qui verò non timet vanè securus est.

Zacharias Angelo viso quare turbatus sit, timuitque.

Gen.16. Infra 19. Tob.6. & inde.

Cur Abraham Loth, & Tobias ad Angelorum non fuerint perturbati præsentiam.

Luc.1.

Mar.16.

Gen.32.

Iustus omnia timet: qui verò non timet, vanè securus est.

Quinto, respondet Angelus: *Ne timeas Zacharia.* Angelorum apparentium mos est, his, quibus apparent, timorem incutere; deinde verò blandiri, & consolari. Et quò magis alliciat, nomine proprio vocat Zachariā: quēadmodum simili visione turbatam Virginem, eam Angelus nominādo est consolatus. Dixit enim: *Ne timeas Maria; inuenisti enim gratiam apud Deum:* & sanctis mulieribus sepulchrũ Christi inuisentibus: *Nolite expauescere.* Cacodęmon verò vice versa in principio blandiri, & allicere, postea verò contristare, & terrere consueuit. Quemadmodum virtus primo quidē aspectu aspera est, posteà verò blāda: at contra, vitium principio quidem amœnum, & blandum, in fine verò amarum. Vnde Salomon dixit: *Est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.*

Angeli locis etiam apparentes primo quidē terrent, deinde consolantur.

Luc. 1.

Mar.16. & Matth. vlt.

Dæmon apparens, principio blanditur quidem & allicere, postea verò contristare, & terrere consueuit.

Prou.16.

Sextò sequitur: *Quoniam exaudita est deprecatio tua.* Dubitatur qualis fuerit oratio Zachariæ, an pro auferendo vxoris suæ sterilitatis opprobrio; an verò pro aliquo bono communi, & generali, ac proinde pro aduentu Messiæ, id quod Augustinus videtur sentire libr. quæst. Euangeliorum his verbis: *Primò hoc attendendum est, quàm non est verisimile, vt cum pro populi peccatis, vel salute, vel redemptione ille offerret, siquidem populus eum expectabat offerentem, quòd potuerit relictis publicis votis, homo iustus, & senex, vxorem habens anum: pro accipiendis filijs orare: præsertim quia nemo orat accipere quod se accepturum esse desperat. Vsque adeò autem ille iam se habiturum filios desperabat, vt hoc Angelo promittenti non crederet. Ergo quod ei dicitur: exaudita est oratio tua: pro populo intelligendum est, cuius populi quoniam salus, & redemptio, & peccatorum abolitio per Christum futura erat, ad hoc nunciabatur Zachariæ filius nasciturus, quia præcursor Christi destinabatur.* Hæc ille. Adde Zachariam pro salute populi fuisse precatum, & pro aduentu Messiæ, pro quo tam celebres laudes, & gratiarum actiones Deo decantauit, cum soluto linguæ vinculo dixit: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redeptionem plebis suæ.* Ecce Patrum cu Deo luctā completā, orationem scilicet iugem, & indefensam pro aduentu Messię, & dicentium: *Obsecro Domine mitte, inquit, quem missurus es: Emitte agnum Domine dominatorem terræ; Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes: Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Hęc erat omniũ Patrum oratio, hęc eorum expectatio, hoc eorum desiderium, & votum. Et confirmatur hic sensus, quia addit: *Et vxor tua Elisabeth pariet tibi filium:* Non.n. dixit, exaudita est deprecatio tua, quia vxor tua pariet tibi filium; sed præter impetratū Messiæ aduentū, addit in cumulum, & additamentũ per copulam, *Et vxor tua pariet tibi filium,* qui illum tollētem peccata mundi, populo ostendat, vt Augustin.

Quid orauerit Zacharias in templo.

August. lib. 1. quæst. Euang. q. 1. 10 4. inter med. & initium.

Luc.1.

Exod.4. Isa.16. Infra 64. Supra 45.

Ioan. 1.

etiam plenus erat victimis, & holocausto arietum, vt Isaias 1. Bonum etiam legis erat iusiurandum, *quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.* Id quod adiuuat quoque mysteriũ. Nam cùm Elisabeth sit nomen vxoris summi quondam Sacerdotis Aaron; vt illa quæ olim puella iuncta est Aaron in matrimonium; nunc vetulam, atque ad generandos Dei filios impotentem esse cognoscas. Nam vt dicitur, *Elisabeth sterilis erat, & ambo processerant in diebus suis.* Nihil enim ad perfectum adduxit lex, vt testatur Apostolus.

Gen. 22. *Luc. 1.* *Exod. 6.* Legis fœcunditas, eiusdem sterilitas in Aaronis atque Zachariæ eiusdem nominis coniugibus pulchre adumbrata. *Luc. 1.* *Heb. 7.*

Subijcitur in Textu: *Erant autem ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela: Et nõ erat illis filius, eo quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.* In his verbis primum considerandum est, Spiritum sanctum Præcursoris parentum laudes ponere: nõ tantùm vt intelligamus illorum iustitiam & sanctitatem, cuius beneficio, steriles licèt, filium talem ac tantum habere Ioannem promeruerunt; verumetiam vt confidentius iustitiæ præcepta Præcursor populis daret, quò hæc ipsa, non quasi nouitia didicisset, sed velut hæreditario iure à parentibus accepta, seruaret. Eadem ratione Paulus matrem Timothei Eunicen, & auiam Loidem laudat, quæ in fide insignes extiterunt. Non paruum certè beneficium censendum est ex bonis nasci progenitoribus: nam vel in causis argumentum sumitur pro eo, qui ex honestis parentibus & legitimo sit matrimonio natus, vt eos ipse imitatus esse credatur. Interdum tamen nónulla gloria in filio est, qui turpes parẽtum mores exhorrens, ipse sibi virtutem amplectendam proponit, suisq; prælucere incipit.

Parentes Præcursoris cur in Euangelio cõmendentur. *2. Tim. 1.* Ex bonis nasci progenitorib. non minimũ Dei beneficiũ est.

Secundò aduertendum est, dici iustos ante Deum, vel in conspectu Dei: quia contingit interdum, vt quis sit iustus ante homines, qui tamen in conspectu Dei non sit, vt illi, de quibus est Christi illa sententia: *Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus; Deus autem nouit corda vestra.* Et alibi comparat eos Dominus sepulchris, quæ foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Ideò Propheta vigilanter orat: *Dirige in conspectu tuo viam meam.* Nimirum quia plerunq; in conspectu Domini hominum recta via creditur, etiam quæ à veritatis itinere deprauatur: vt exponit B. Gregorius. Econtrariò verò nonnulli sunt, imò quàm plurimi, qui hominum iudicio iniusti atque impij habentur, intus autem, siue in oculis Dei iusti existunt: de quibus Apostolus ait: *Non enim qui in manifesto Iudæus est, &c. Sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis in Spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Et de Nathanaele pronuntiauit Christus Dominus: *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est.* Verùm hominum iudicium, vt fallax, & parum penetrans, quippe externis tantùm rerum imaginibus illigatum & affixum, à iusto negligendum est. Ideò Apostolus dixit: *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Ecce Elisabeth & Zacharias iniusti habebantur ab hominibus, eo quòd nullam prolem ex coniugio suscepissent. Nam iuxta legem, probro dabatur sterilitas; at reuerà longè secus coram Deo res agebatur, *qui est scrutator cordium & renum,* cuius iudicio certo aut stamus, aut cadimus.

Zacharias & Elisabeth cur iusti dicantur ante Deum. *Luc. 16.* *Matth. 23.* *Psalm. 5.* *B. Greg. li. 35. Moral. c. 4. in fin. tom. 1.* *Rom. 2.* *Ioan. 1.* Iusto cur negligendum humanum de se iudicium. *1. Cor. 4.* *Exod. 23. & Deut. 7. & Luc. 1.*

Tertiò notandum est, istos fuisse iustos ante Deum, ergo simpliciter iustos: at quomodo iusti, aut quibus exemplis esse probantur iusti? Respondent Hæretici, sola fide. Quid Lucas? *Ex operibus*: *incedentes,* inquit, *in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Hoc loco hæretici nobis bellum indicunt. Scribit enim Strigelius in Lucæ primum; *Erant ambo iusti, Fide,* inquit, *& non operibus.* & Brentius, & Lossius hæc verba edisserentes, aiunt: *Loquitur de iustitia fidei per imputationem: nam hac iustitia sola ante Deum sumus verè ac propriè iusti.* Verùm cæteris arrogantior Beza, sic habet: *Qui verò ex hoc loco, & similibus conantur iustitiam operum stabilire, quorum meritis vel insolidum, vel ex aliqua parte nitatur, illos & indoctos, & blasphemos esse sciant, cùm tota Scriptura ipsis repugnet.* Hæc illi, nimium sibi tribuentes; Et dum apertissima textus Euangelici verba inuertunt, ac violentè aliò detorquent, planè se indoctos & blasphemos omnibus ostentant. Nam audi quæso Euangelistam: *Erant iusti ambo ante Deum:* vnde, aut quomodo iusti? nunquid à sola fide, aut ab imputata iustitia? minimè: Sed, *incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Et si enim sine fide nullus sit ante Deum iustus, non tamen illa sola, sed inchoata illa iustitia per fidem studio bonorum operum perficitur. Id quod ex Scripturis, imò ipsis Hæreticis facilè est euincere. Vt enim sapientes, & fortes, & mansuetos, & prudentes illos vocamus, qui sapientia, aut fortitudine, aut mansuetudinis, siue prudentiæ actibus sunt ornati: ita iustos vocamus non nisi illos, qui iustitiam, siue opera iusta operantur. Hinc Ioannes, quasi huiusmodi Hæreticos prauè Verbum Dei interpre-

Psalm. 7. & alibi aliàs. *Rom. 14.* Aduersus hæreticos imputatiuam, non veracem, inhærentemque somniantes iustitiam. *Strigelius.* *Brentius homil. 3. in Luc.* *Lossius.* *Beza.* Quibus Scripturarũ testimonijs manifestum sit fidẽ sine operibus bonis ad salutem non sufficere.

tantes

tantes denotare vellet, dixit: *Filioli, nemo vos*
1. Ioan. 3. *seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille*
iustus est. Vt enim Deus iustus est re ipsa, &
non per imputationem vllam: ita qui facit
iusta opera, non fidem (quam nemo pro-
priè facit) iustus est reuera, & iusti titulo
Ezech. 18. dignus. Ezechiel ait *de viro, qui in præceptis*
Dei ambulauerit, & iudicia eius custodierit, vt
faciat veritatem; hic iustus est, vita viuet, ait Do-
Matth. 25. *minus Deus.* Et apud Matthæum, iusti qui di-
cuntur ire in vitam æternam, illi sunt qui
opera charitatis ad proximum habuisse in-
Matth. 10. ueniuntur. Alibi etiam ait Dominus: *Qui*
recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti ac-
cipiet: vbi iustus non capitur pro credente
tantùm, neque pro illo cui iustitia imputa-
tur, quod hominum fugit cognitionem;
sed pro illo, qui pro Dei vel Ecclesiæ iusto
Hierony. in c. ministro recipitur: vt Hieronymus expo-
Matt. 10. 10. 9 nit ibidem. Ita dicitur ad Abraham: *Ambu-*
Gen. 17. *la coram me, & esto perfectus.* & ab Apostolo
Iacob. 2. fratre Domini idem Abraham offerens
Gen. 22. Isaac filium suum super altare, iustificatus
Iob 1. appellatur. Et Iob dicitur *Simplex & rectus,*
ac timens Deum, (ac ob id seruans præcepta
affirmatiua) *& recedens à malo*; & proinde
negatiua custodiens. Et ante eum Abel iu-
Matth. 23. sti testimonium consecutus est, vberiorem
Gen. 4. hostiam, quàm Cain offerens Deo. Deni-
Rom. 2. que factores legis iustificantur. Et, *Sancti*
Heb. 11. *per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam.*
Sic in Nouo Testamento iusti, vocantur
Matth 1. Ioannes Baptista, & parentes eius Zacha-
Luc. 2. rias, & Elizabeth, Ioseph Virginis Spon-
sus: Simeon ille grandæuus appellatur *Iu-*
stus, & timoratus, expectans consolationem Is-
rael: Ioseph etiam ab Arimathæa, vir bonus &
Luc. 23. *iustus* à Luca vocatur; *qui non consenserat con-*
silio & actibus Iudæorum, cùm expectaret &
ipse regnum Dei. Imò ipse Dominus Iesus,
qui nulla fide præditus erat, neque per iu-
stitiam imputatam, sed per veram, ac si-
bi inhærentem, qua Deo pro se, & pro o-
mnibus qui eius membra existerent, me-
ruit integrè satisfacere, Iustus vocatur à
Act. 7. Stephano. Vides igitur, quàm longè ab
scopo iaculentur, & quantis Scriptura-
rum testimonijs quasi arietibus impetan-
tur, qui soli Fidei iustitiam assignāt? Quòd
si Patres consulas, videbis inclytum esse
iusti nomen, & omnem virtutum chorum
Chrysost. hom. complecti: vt Chrysostomus in Matthæū
4. in Matth. annotauit. Idem in Matthæum ait: *Iusti-*
tom. 2. initi. *tia, est omnium mandatorum plena custodia.* Et
Idem hom. 12. Gregorius Nyssenus in quartam beatitu-
in Matt. ibid. dinem scribens, explicat, omnem virtutis
Greg. Nyssen. speciem nomine iustitiæ designari. Et ex
Ambros. lib. de Latinis Ambrosius libro de Paradiso, sic
Paradiso, c. 3. habet: *Vbi iustitia, ibi concordia virtutum est*
tom. 4.

cæterarum: non enim pars est iustitia, sed quasi
mater est omnium. Adde, vt per suos magi-
stros magis cōfundantur, Zuinglium, qui Zuinglius.
locutionis illius Hebraicæ formula in iu-
stos, Liphne Adonai, eos iustos intelligit,
qui metu Dei & affectu iustitiæ innocen-
tiæ & sanctitati student: qui bona consci-
entia, & sincera quasi in conspectu Dei o-
mnia videntis versantur. Et Caluinus in Caluinus.
Harmonia Euangelica sic habet: *Qui sim-*
pliciter exponunt Zachariam & Elisabeth fide
iustos fuisse, quia gratis Deo propter mediato-
rem placuerunt, in alienum sensum torquent Lu-
cæ verba. Quanquam Lutherus sermone Lutherus.
de Pharisæo & Publicano ausus est assere-
re, Lucam duriùs scripsisse, quòd sic lo-
quatur, quasi iustitia ex operibus veniat.
Sed profectò discipuli eius tolerabiliores
& æquiores sunt Magistro. Quòd si obij-
cias, *Non est homo iustus in terra, qui faciat bo-* Ecclef. 7.
num, & non peccet. Respondendum cum
Hieronymo epistola ad Rusticum: *Iusti vo-* Hieron. tom. 1
cabulum non amittit, qui per pœnitentiam sem- epist. 46. sub
per resurgit. Et dialogo secundo contra Pe- finem.
lagianos, agens de Ezechia Rege, ait: *Non* Iusti vocabu-
ex eo quod parua peccauit, iustitiæ nomen ami- lum non amit-
sit: Sed ex eo quod multa bona fecit, iusti voca- tit, qui per pœ-
bulum possidet. Ac subdit, *Scripturis certis com-* nitentiam sem
probari nō eò peccatores esse iustos, qui aliquan- per resurgit.
do peccauère; sed ex eo iustos permanere, quòd Idem tom. 2.
multis virtutibus floreant. Idem in eodem li- Idem lib. 2. in
bro: *Absque vitio,* inquit, *quod Græcè* ἀναμάρτητον *di-* eod. tom.
citur, hominem posse esse ajo: ἀναμάρτητον, *id est,*
sine peccato esse, nego. Sic ille. Falsum ergò Centur. 1. li. 1.
commentum est, à Centuriatoribus con- cap. 10.
tra Scripturas apertas assertum, iustum hic
& alibi passim non actiuè accipi, hoc est, Qui sint pro-
pro eo, cui legis impletio per Christum fa- priè, ac vocen-
cta imputatur, & caret iustitia inhæren- tur in Scriptu-
te, & reuerà est iniustus. Sunt enim in Sa- ris iusti & san-
cris literis iusti, & iusti ante Deum, & per- cti.
fecti, & sancti, & immaculati, & beati, qui Omnis iustitiæ
non tantùm fidem habent, quæ est omnis fundamentum,
iustitiæ fundamentum, sed ij præcipuè, fides.
qui præter fidem præclaras virtutum a-
ctiones ediderunt, ac diuinæ gratiæ coo-
peratores fuerunt, vt veros sanctitatis &
iustitiæ fructus proferrent, quibus præ-
mia æterna consequerentur. Nō enim vir-
tutum habitibus, sed actionibus præmia
respondent. *Ideò iustis laboribus respondet co-* Ezech. 18.
rona iustitiæ: Et iustitia iusti super eum erit: Et, cap. 5.
Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Domi- Prouer. 11.
num est merces eorum. Et, *Seminanti iustitiam,*
merces fidelis. Et magnum est in Scriptu- In Scripturis
ris inter fidelem & iustum discrimen; & inter fidelem
plures sunt fideles, quàm iusti: Quia fide- & iustū, quale
libus dicitur, *Vt faciant iudicium & iustitiam:* discrimen sit.
Vt Sacrificent sacrificium iustitiæ; Vt Ingre- Psal. 4. Psal. 14.

diantur sine macula,& operentur iustitiam. Vt præstent abundantiorem iustitiam: *Vt in iustitia & sanctitate operentur omnibus diebus vitæ suæ.* Sed de his satis: iam ad Lucam redeamus.

Matth.5. Luc.1.

Incedebant ergò isti: quia in via Domini nō progredi,est retrogredi. Et *In omnibus,* inquit, *vijs,* scilicet moralibus, nam vt frater Domini ait: *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Et iustus potens est totam legem seruare, quicquid tandem hæretici homines opiniosissimi oblatrent. Addit, *Et in iustificationibus Domini.* Hoc est, in eiusmodi cæremonijs, ritibusque ad Dei cultum pertinentibus: qui ex fide seruati iustificabant, siue iustitiam augebant. Posteà addit verbum, *Sine querela.* Quod de iudicialibus intelligi & exponi potest; Vt ita in omnibus mandatis, in omnibus ceremonijs, atque in omnibus iudicijs inuenirentur incedere. Origenes hæc Lucæ verba ponderans, ait: *Dicat mihi quispiam: si laus ista perfecta est, quid sibi vult hoc quod dicitur, sine querela? Sufficiebat enim dicere, ambulantes in omnibus vijs & iustificationibus Domini; nisi posset fieri, vt ambulet quis in omnibus mandatis Dei, & tamen sine querela non ambulet. Nisi hoc ita esset, nunquam in alio loco nosceremus scriptum referri: Iustè id, quod iustum est, sequere. Nisi enim esset iustum aliquid, quod non iustè sequeremur, nequaquam nobis præciperetur, vt iustè id, quod iustum est, sequeremur. Quando enim facimus mandatum Dei, & in conscientia nostra vana gloria sordes respergimus, vt placeamus hominibus, aut alia quæcunq; non placet Deo boni operis caussa præcedit: quamuis faciamus præceptum Dei, tamen illud absq; querela nō facimus, & iniustè id quod iustum est, sequimur, &c.* Sic ille. Possumus etiā de bono, & rectè facto accusari à mundo, qui lucem Sanctorum pati non potest: at vt Christus dixit: *Beati estis, quum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos.* Græcè tamen vno verbo legitur, ἄμεμπτοι, id est, irreprehensi: quod agēdi & patiendi significatione accipi non repugnat, de quibus videlicet nemo queri possit, vel qui ipsi nihil quererentur: quorum alterum, aut etiam vtrumuis rarò in hominibus reperies. Non est tamen intelligendum, quenquam sine omni peccato vitam hanc potuisse traducere, sicut B. August. epistola 95. ad Innocentium Papam, quosdam intellexisse docet. Non enim quodcunq; delictum, sed graue peccatum est, quod in querelam venit, vt ibi ipse explicat. Vnde & Apostolus dicens Philippensibus cap. 1. *Omnia facite sine murmurationibus, vt sitis sine querela simplices filij Dei.* vbi esse sine querela videtur actiuè positum pro illis, qui & si verbis & factis lædantur, non conqueruntur tamen.

In via Domini non progredi, retrogredi est. Iacob 2. Incedere in iustificationibus Domini, quid.

Orig. hom. 2. in Luc. to. 2. Quid illud: sine querela, secundùm Origenem. Deut. 16.

Mundus lucē Sanctorum pati non potest.

Matth. 5. De quibus, vel à quibus nulla sit querela, paucissimi.

Magna est autē horum coniugū ex hoc commendatio, quod cùm liberis carerēt, iamq; omnis spes generandi esset adempta, nihil tamen quererentur, neque murmurarent; tametsi apud Israelitas opprobriū sterilitas non effugeret. Nam sanctū quodammodò erat illud semē, quod à magno illo, Deoq; charissimo Abrahamo erat deductū, quod sicut adaugere, felicitati tribuebatur; sic esse infœcundū, res infelicissima habebatur; præsertim cùm ex eo sanguine tam illustri Messias Christus venturus expectaretur. Vnde in historia Regum legimus, æmulam Annæ matris Samuelis, identidem illi obiecisse, quòd cōclusisset Dominus vuluam illius. & Rachel de sterilitate dolēs ac mœrens, dixit ad virū suum Iacob: *Da mihi liberos, alioqui moriar.* Et propheta quidam, cū Spiritu Dei actus, magnum aliquod malū à Domino imprecaturus esset, dixit: *Da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia;* videlicet ne generarent, vel non haberent, quo natum infantem alerent atque educarent.

Magnum dedecus apud Iudæos sterilitas erat. 1. Reg. 1. Gen. 30. Oseæ 9.

Quartò notandum, Paulum idem de se ipso ad Philippenses: *Secundùm iustitiam,* inquit, *quæ in lege est, conuersatus sine querela, &c.* Sed certè alia ratione: quàm Baptistæ Ioannis parentes fuisse dicuntur, sine querela. Pauli enim illud, de iustitia coram hominibus proculdubiò est intelligendum: quod verò dicitur de parentibus Ioannis, intelligitur *Sine querela,* & corā Deo, & coram hominibus. Tametsi B. Hieronym. in epistol. ad Algasiam, iustitiam Zachariæ & Elizabeth, quæ hic prædicatur, foris fuisse, & coram hominibus asserat: cōtra apertum textum, qui habet: *Erant ambo iusti ante Deū,* at Pauli quæ dicitur sine querela, iustitia coram hominibus intelligenda est. Nullus enim Paulū accusarat violatæ legis, & quasi secundùm legis iustitiam supplicio dignus esset. Repugnat autem intelligi de iustitia coram Deo: quomodo enim verè iustus secundùm legis mandata, quæ non seruabat Christum persequens, & Ecclesiā Dei, concludens in carcerem, insequens per Synagogas eos qui credebant in Christum, vt in Actibus testatur ipse de se. Non ergò Pauli iustitia, cum illa progenitorum Ioannis Præcursoris comparanda est, quamuis aliter visum fuerit B. Augustino, qui quodā loco sic ait: *Quid autem de Zacharia & Elizabeth laudabile dictum est, quòd nō in eo commendatur, quod de se Apostolus cùm in Christum nondū credidisset professus est? Dixit enim se secundùm iustitiā, quæ in lege est, fuisse sine querela.*

Philip. 3. Pauli Apostoli conuersatio sine querela qualis. Hieronym. ad Algasiam, q. 8. tom. 3. Act. 9. Suprà 8. Aug. lib. 2. de peccato. me. & remiss. c. 13. tom. 7.

Hæc

Hęc ille. Attamen reuerà, vt diximus, longè diuersa ratio est Pauli, atque horum.

Quæ caussæ extiterint Zachariæ & Elizabeth sterilitatis.
Et quo anno ferè fluxus genitalis mulieribus sistitur.

Quintò considerandum, duplicem fuisse caussam Zachariæ & Elizabeth tantæ sterilitatis: Primam quidem vxoris naturalis infertilitatem ac infœcunditatem, ne putes illam filios quidem genuisse, sed iam mortuos esse. Secundam verò, *quòd processissent in diebus suis*, & quò plus procedebant, eò fiebant impotentiores. Nā fere anno quinquagesimo fluxus genitalis mulieribus sistitur, rarò 52. frequentiùs 48. at masculus non generat vltra 70. annum: tantumq; de Rege Masinissa Plinius refert, quod ad 80. annum vim gignendi seruauerit.

Plin. lib. 7. cap. 14.

Sextò aduertendum, eximios viros, ac singulari Dei gratia præditos, nō nisi à sterilibus matribus diuina virtute & miraculo tantùm fuisse progenitos, vt Isaac ex Sara, Iacob ex Rebecca, Ioseph ex Rachele, Samsonem ex vxore sterili Manue, Samuelem ex Anna vxore Elcanæ, Mariam Virginem ex sancta Anna Ioachim coniuge: ex Elisabeth deniq; Ioannem Baptistā: Nimirum vt nemo sibi quicquā adscribat, sed omnem gloriam bonorum omnium filiorum in primis largitori Deo ferat acceptam. Ergò sterilitas contigit aliquando ob maiorem gloriā Dei, vt miraculo Deus Opt. Max. vuluam aperiēdo, de misericordia laudetur, vt Saræ, Rebeccæ, & Elisabeth exemplum docet: vt sicut partus est supra naturam, ita & proles sit sancta atq; mirabilis. Secundò, ad humiliationem, vt cōtigit Racheli, ne Liam minus venustam, & minus dilectam, despiceret. Tertiò, in pœnam peccati; vt accedit Michol vxori Dauid, quæ cùm Regem coram arca Dei saltantem derisisset, sterilis facta est vsque in diem mortis. Quartò, ad augendam gratiam in coniugatis: tunc enim fere feruentius orant pro prole habenda, & pro illa scilicet in fide, ac bonis moribus instituenda solicitiùs adlaborant: quemadmodum parentes sancti Nicolai fecerunt. Quintò, ob salutem coniugatorum, qui si prolem pro voluntate sua consequerentur, vel ad Deū non aspicerent, vel illum (quod peius est) aspernarentur, dum immodicè diuitijs ad prolem ditandam congerendis, cumulandisq; vacarent, salutis suæ facti prorsus immemores. Sextò, ac postremò, vt discamus legem, corporalium filiorum procreationem minimè exegisse: nā si vir aut mulier suapte natura steriles essent, ad rem impossibilem illos cogere videretur. Vnde Theophylactus in hunc locum sic ait: *Iustorum mulieres, & iusti a sæpè steriles fuerunt, vt discas legem non exigere corporalium filiorum procreationem, sed spiritualium.* Hæc ille. Hæc autem Elisabethæ sterilitas, teste B. Chrysostomo, ideò fuit, vt præcedens B. Virginis illam, de conceptu eiusdem virginis & partu ne miraremur. Septimò cōsiderandum, fœlix esse coniugium, vbi vterque coniugum pari zelo ac studio, quæ pietatis sunt, sectantur: contrà verò, infœlicissimum, vbi sic viuitur, vt nescias Gentiles ne sint, an Christiani, tanto opprobrio corpora sua dedecorantes, diuinasque matrimonij leges contemnentes: medium verò est, vbi saltem coniugum alter pietatem colit, ac Deum timet: vt enim Paulus inquit: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & mulier infidelis per virū fidelem, &c.* Et ad hoc pars fidelis & sana contēdere debet, vt verbo, & conuersatione, & precibus cōiugem Christo lucrifaciat.

Gen. 21.
Infrà 25.
Infrà 30.
1. Reg. 2.
Pręstantiores Veteris Testamenti quique viri, de matrib. ferè infœcūdis eui geniti.
Caussæ sterilitatis. Prima.
Gen. 21.
Infrà 25.
Secunda.
infrà 30.
Tertia.
2. Reg. 6.
Quarta.
Quinta.
Sexta atque postrema.
Theophyl. in Lucæ c. 1. sub init.
B. Chrysost.
Felix quale coniugium, ac rursus infœlix.
1. Cor. 7.

Sequitur in textu, *Factum est autem, cùm Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, secundùm consuetudinem Sacerdotij sorte exijt, vt incensum poneret: ingressus in templum Domini: & omnis multitudo populi erat foris orans hora incensi.* Hoc loco ante omnia quęstio resoluenda est, qua depositione incensi sit sermo, & quo de Sacerdote, summone, an priuato aliquo? Nam quotidie incensum ponebāt communes Sacerdotes in altari thymiamatis: semel etiam in anno ingrediens in Sancta Sanctorum Sacerdos, dum regrederetur, debebat orare super altare incensi. Ad cuius nodi explicationem prēmittendum est, Leuitas destinatos fuisse inferioribus ministerijs templi, Sacerdotes verò, qui quidem omnes de filijs Aaron originem ducebant, superioribus officijs destinati erant, nempe offerendi iuge sacrificium, ponendi in altare thymiamatis incensum, atque illud adolendi. Ex his erat vnus summus Sacerdos, qui cæteros regebat, quique semel quotannis in die expiationis seu propitiatiōis intrabat in Sancta Sanctorum, non sine sanguine. Potestas tamen regia, tametsi purè secularis esset, summos olim Sacerdotes, iusta si causa subesset, sine peccato eligebat, vel deponebat, vel cum peccato ipso facto, pro arbitratu suo, idem præstabat. Vnde cùm ex Eleazaro primogenito Aaron, Pontificem Dominus instituisset, Num. 20. & in eo consequenter omnes eius successores: tamen posteà Heli, qui erat de familia Ithamar fratris Eleazar, fuit à Deo in Pontificem electus, reiectis, propter demerita ipsorum filijs Eleazar: vt habes 1. Regum 2. Heli verò successit Abiathar: Salomon tamen repudiato Abiathar, rursus elegit Sadoch de familia Eleazar, vt 3. Reg. 2. habes. Verùtamen

Exod. 30. & Heb. 9.
Quænam Leuitarum, quæ Sacerdotum essent officia.
Ibidem.
Num. 20.
1. Reg. 2.
3. Reg. 2.

men cum pro diuino cultu amplificando, instituisset Dauid 24. Sacerdotes, qui per vices sua quisque hebdomada in templo ministrarent, sexdecim de Eleazari familia nominauit, quibus præposuit Sadoch, & 8. de familia Itamar, quibus præfecit Abimelech. Itaque Sadoch & Abimelech prima tes erant, vsque 1. Paralip. 24. dicitur, vocabantur Principes sanctuarij, & principes domus Dei. Præter illam autem principatus tenendi rationem, Sadoch solus & verus erat Summus Pontifex. Cùm ergò quæritur an Zacharias summi Sacerdotis, an verò simplicis officio fungeretur, dubium est inter Doctores, & in controuersiam venit.

An Zacharias fuerit summus Sacerdos nec ne.

1. opinio.

Nam ex Patribus quidam Zachariam summum fuisse Sacerdotem censent, Inter quos Ambro. in hæc verba, hoc loco scribit: *Videtur*, inquit, *hic sanctus Zacharias summus designari Sacerdos, quia sicut lectum est de priori tabernaculo, in quod semper intrabant Sacerdotes ministeria consummantes, vno tantùm anni tempore*(legendum puto, non vno tantùm anni tempore, vt sequens clausula cogit) *Intrabant in templum, in secundo autem, semel in anno singulariter summus Sacerdos, non sine sanguine, quem offerret pro se & populi delictis. Hic est ille summus Sacerdos, qui adhuc forte quæritur, quia verus adhuc ignoratur. Qui enim forte legitur, humano iudicio non comprehenditur. Ille igitur quærebatur, & alius figurabatur. Ille quærebatur verus in æternum Sacerdos, cui dicitur: Tu es Sacerdos in æternum, &c.*

Ambr. lib. 1. in Luc. c. 2. init. to. 5. in princ.

Psal. 109. Heb. 7.

Beatus Augustinus in Ioannem interpretans illa verba: *Vnus autem ex ipsis Caiphas cùm esset Pontifex anni illius*, ita scribit: *Potest autem mouere, quomodo dicatur Pontifex anni illius, cùm Deus vnum constituerit summum Sacerdotem, cui mortuo vnus succederet. Sed intelligendum est, per ambitiones & contentiones inter Iudæos postea constitutum, vt plures essent, & per annos singulos vicibus ministrarent. Nam & de Zacharia hoc dicitur: Factum est autem, cùm Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ antè Deum secundùm consuetudinem Sacerdotij sorte exijt, vt incensum poneret ingressum in templum Domini. Hinc apparet plures eos fuisse, & vices suas habuisse: nam incensum non licebat ponere nisi summo Sacerdoti, & fortè etiam vnum annum plures administrabant, quibus alio anno alij succedebant, ex quibus sorte exibat, quis vt incensum poneret.* Hæc Augustinus, asserens Zachariam summum Sacerdotem, & plures potuisse simul esse summos Sacerdotes, ex quibus sorte eligebatur, qui ponere deberet incensum. Augustino adiungimus Hieronymum, qui epistola 4. ad Rusticum ait: *Ioannes Baptista sanctam matrem habuit, Pontificisque filius erat, & tamen nec patris affectu, nec matris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret castitatis.* Sic ille. Pontifex autem non aliquis, sed summus esse intelligitur.

B. Aug. tract. 49. in Ioan. in fin. tom. 9. Ioan. 11. Exod. 30. & Heb. 9.

Hiero. tom. 1. ...

Accedit tertiò Beda presbyter in hęc Lucę verba scribens: *Non noua nunc sorte lectus est, cùm incensum esset adolendum: sed prisca tunc sorte prælectus, cùm primo ex ordine sui pontificatus in vicem Abia succederet. Incensum autem in Sancta Sanctorum à Pontifice deferri expectâte extra templũ omni populo; decima die septimi mensis est iussum. Et hanc diem expiationis siue propitiationis vocari*, & reliq. Sic ille. Ex Græcis verò tum Theophylactus, tum Leontius Episc. Neapoleos Cypri putant sermonem esse de ingressu in oraculum semel in anno in die propitiationis, proinde Zachariam summum esse Sacerdotem insinuant. Historia Scholastica 1. cap. historiæ Euangelicæ refert, Dauidem instituisse viginti quatuor Sacerdotes, inter quos tamen vnus erat maior, qui dicebatur Princeps Sacerdotum. Hanc sententiam sequitur Paulus Burgensis Episcopus in additione prima super Euangelium B. Lucæ, ac pro ea quidẽ acriter decertat. Sequuntur & illam Isidorus clariùs, atque alij nonnulli: & qui huius sententiæ sunt, his vtuntur rationib.

Beda lib. 1. in Luc. c. 2. to. 5.

Theoph. Leontius. Exod. 30. & Heb. 9.

Hist. schol. 1. Paral. 24. & seq. Paul. Burg.

Isido. Clar.

Prima est, quòd summus Sacerdos adolere debebat incensum in die expiationis, quando intrabat in Sancta Sanctorum, vt habetur Leuit. 16.

Secunda, quòd illo tempore dum summus Sacerdos ingressus est Sancta Sanctorum, præcipitur, vt omnes extra templum expectent, quemadmodum hic dicitur: *Omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.*

Hæc opinio quib. rationib. innititur.

Tertia, quod ab illa solennitate, quæ erat 10. Septembris, in qua ex Zacharia concepit Elisabeth, currũt pręcisè nouem menses ad Ioannis natiuitatem.

Quarta, quoniam in die expiationis tantùm summo Sacerdoti præcipitur Leuit. 16. vt super altari thymiamatis pro populo preces fundat: & hoc est argumẽtum Caietani.

Caietani.

Quinta, Burgensis ex Augustino in Ioan. nullum ducit inconueniẽs, fuisse simul duos summos Sacerdotes ex institutione diuina, qui sortirentur de ministerio. Caietanus tamen, & ante eum Thomas VValden. tent Zachariam non fuisse dignitate summum Sacerdotẽ, verum officio tantũ, & ministerio ingrediendi in Sancta Sanctorum, quia dicitur in templum ingressus. Albertus Magnus hoc loco existimat Zachariam fuisse summum Sacerdotem inter viginti quatuor illos, de quibus 1. Paralip.

Paul. Burg. Aug. vbi supr.

Caiet.

Tho. VVald.

Alber. Magn.

ralip.24. ita vt vnuiquisque in adinministratione vicis suæ ingrederetur in Sancta Sanctorum vt administraret: illo autem anno accidisse, vt Zacharias 10. de Septembris administraret, & in Sancta Sanctorum ingrederetur.

Altera opinio. Hæc autem sententia, etsi probabilitate non careat propter Patrum testimonia, & rationes prædictas: tamen illis non obstantibus alij magni viri contrariam partem, vt Scripturis, & rationi magis conuenientem tuentur: è quorum numero est Nicolaus de Lyra, & Episcop. Abulensis pluribus in locis mordicùs tenet, Zachariam neutiquàm summum fuisse Sacerdotem. Ab his stant Ioannes Arboreus, Cornel. Iansenius, atque alij permulti. Mouentur autem his potissimum rationibus. *Nicol. de Lyra. Abulen. Episc. in c. 30. Exod. Ioan. Arbor. Cor. Iansen.*

Nititur illa quadruplici ratione. In primis quidem, quòd Lucas inter Sacerdotem simplicem, & summum Sacerdotem distinguere consueuit, siue inter ἱερεία, & ἀρχιερία: hic tamen non ἀρχιερία, sed ἱερία vocauit.

Ioseph. histor. B. Hieronym. Qui de hic positione incerti sit sermo. Deinde quia nullus historicus, vel Iosephus, vel Eusebius Cæsarien. vel Nicephorus Callistus hunc Zachariam connumerauit inter summos Sacerdotes.

Tertiò, quia dicitur: *Factum est autem; cùm sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum:* quod de summo Sacerdote nequaquã diceretur, qui si vellet, semper alioqui posset, & si nollet, cogi haud posset ministrare, cum ius eius esset perpetuum, & vna tantùm dies eius ministerio destinata erat, nempè dies propitiationis. Et confirmatur, quia dicitur: *Et factum est; vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam:* at summi Sacerdotis dies ad ministerium præfiniti non erant.

Quarto, quia dicitur, *quòd apparuit illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi:* hoc autem, vt tradit Scriptura Exod. 30. & vltim. & Iosephus ac Hieronymus, erat in loco nuncupato sanctum, non in Sancto Sanctorum. Quòd si Zacharias intrasset in Sancta Sanctorum, non potuisset Angelum videre, velo post se exclusum. Nisi dicas Angelum, ante ingressum Zachariæ in Sancta Sanctorum, vel post egressum, apparuisse sibi in via: maximè quia Leuit. 16 dicitur, quod *cùm egreditur de Sancto Sanctorum, exeat ad altare, quod coram Domino est, & oret pro se*, atque in hoc exitu siue defectione, idem potuit contingere & ipsi Zachariæ. Verùm hoc stare non potest, quia nulla mentio de sanguine apud Lucam, sed tantum de suffitu incensi, cùm tamen Deus ibi præcipiat: *Cùm autem exierit ad altare, quod coram Domino est, oret pro se, & sumptum sanguinem vituli atque hirci, fundat super cornua eius per gyrum, &c.* Paulus etiam ad Hebræos ponderat, illum vnicum Sacerdotis ingressum in Sancta Sanctorum sine sanguine non fuisse: Quanquàm sint, qui dicant post templi instaurationem per Esdram factam, altare thymiamitis fuisse collocatum non in sancto, sed in Sancto Sanctorum: & hoc videtur probari beati Pauli authoritate ad Hebræos 9. qui intra Sanctum Sanctorum videtur reponere thuribulum aureum, his verbis: *Post reuelatum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum; & arcam Testamẽti circumtectam ex omni parte auro, &c.* Idem sensisse videtur Augustinus libro 2. in Exodum, quæst. 133. in fine. Verùm hæc opinio consistere haud potest: nam cùm quotidiè deberent Sacerdotes in altari thymiamitis incensum adolere, semel manè, & semel ad vesperam, vt Exod. 30. dicitur, quotidiè minores Sacerdotes intrarent in Sancta Sanctorum, quod repugnat his, quæ dicũtur à Moyse Leuit. 16. & Paulo ad Hebræos 9. Deinde testatur lib. 2. Machabæorum, cap. 2. altare illud incensi restitui non potuisse in reditu è Babylone, quando restauratum est templum. Hæc enim sunt eius libri verba: *Et veniens ibi Hieremias, inuenit locum speluncæ, & tabernaculum, & altare & arcam incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. Et accesserunt simul quidam qui sequebantur, vt notarent sibi locum, & non potuerunt inuenire. Vt autem cognouit Hieremias, culpans illos dixit, quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat.* Hæc ibi. Non fecit autem congregationem populi, nisi sub Christi aduentu, aut vt alij volunt, sub secundo. Tertiò, thuribulum illud siue pro altari thymiamatis sumatur, vt videtur sanè apud Paulum necessariò sumẽdum ad Hebræos 9. Cùm describendo sanctum, altaris thymiamatis haudquaquàm meminerit, & tamen meminit candelabri, & mensæ, & propositionis panũ, siue propriè sumatur pro thuribulo, quo adhibendum thus erat in die expiationis, propriè non poterat esse in Sancto Sanctorum. Quia si in eo loco cõcedas repositum fuisse thuribulum, non semel, sed ter in die expiationis summo Sacerdoti non Sanctum Sanctorum intrandum fuisset. Semel quidem ad illud sumẽdum, & præparandum pro thure ponendo. Deinde, cum ingrediebatur, non sine sanguine. *Hebr. 9. Ibidem. B. Aug. 10 4. Improbatur hæc opinio.*

Quartò cùm ad reponendum intra Sanctorum rediret, & ita bis intraret in Sancta Sanctorum sine sanguine, cùm tamen intran-

& sub vesperam, vt dicitur Exod. 30. Et
Leuit.10. hocà Sacerdote quolibet ministrante. Ex quo Nadab & Abiud filij Aaron, & minores Sacerdotes interfecti sunt à Domino, quòd alieno igne sacrificauerint, vt Leuit. 10. scribitur.

Ad illud verò quod populus expectabat foris, & nullus erat in tabernaculo, dū
Infra 10. Pontifex ingrediebatur Sanctum Sanctorum: dicendum est, sic se habere: at longè diuersum illud esse præceptum Leuit. 16. in quo dicitur, vt intrante summo Sacerdote, nullus esset in tabernaculo: id est, vt omnes Sacerdotes exirent in atrium. Aliud verò erat, vt thus imponéte, ac proinde sacrificāte minore Sacerdote populus maneret foris in atrio, quòd populus interiora Sancti, vel Sancti Sanctorum intrare nunquam posset. Imò quia hic tantùm de foris expectante populo, & orante fit mentio, colligitur manifestè de simplici Sacerdote, non de summo sermonem esse, quia tunc etiam foras in atrium Sacerdotes prodirēt. Si enim modò ad Missæ sacrificium, quod tot in templis, locisq; celebratur, tātus hominū numerus finem sacrificij completi expectare consueuit; quid dicendum de Iudæis, qui ad vnum tantum locum, in quo solo sacrificare licebat, libenti animo confluebant?

Ad quartum, quod à decima die Septemb. ad 24. Iunij, in qua editus est in lucē præcursor, ex quibus sublatis diebus ministerij, paullò plures dies qui impleant nouem menses, effluxerint, ac proinde positio illa incensi Zachariæ summi Sacerdotis fuit, dicendum nihil conuincere, quoniam fieri potuit, vt sors, siue hebdomada ministerij Zachariæ contigerit in illo septimo mense, imò & illa hebdomada, & illo eodē die. Nam præter ingressum summi sacerdotis ad Sancta Sanctorum, intrabant quotidiè minores sacerdotes ad ponendum incensum in altari thymiamitis, vt dictum est. Expletoque post paucos dies ministerio, poterat Zacharias in domum suam reuerti, atque ex eo concipere Elisabeth.

Ad illud verò, quòd summus Sacerdos egressus de Sancto Sanctorum iubetur, super altare thymiamatis preces fundere, respondendum, nec item euincere. Nam vt minores etiam Sacerdotes quotidie adolentes incensum, ne nudam tantùm cæremoniam operarentur, probabile valdè est preces fundere conueniße, iuxta illud Da-
Psalm.140. uidis: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Nam si populus foris expe-
Sacerdotum officium. ctans orabat, quomodo Sacerdotes, quorum est, populorum esse (sic dicam) mediatores, & sequestros, in peragen[illegible]ficio non orarent?

Ratio autem Caietani, nempè quòd dicatur Zacharias non templi partem, sed templum ipsum ingressus, ergo & in Sancta Sanctorum, inualida est, & vana. Nam tem- Templum solum pro omnibus eius partibus sumebatur non raro.
plum generale vocabulum est, & capitur pro omnibus eius partibus, atq; etiam pro atrio templi, vbi vulgus diuersabatur. Vn- Hierem. 7.
de dicitur: *Ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis:* & alibi: *Intrauit Iesus in templum* Ioan. 10. Matth. 21.
Dei, & eijciebat omnes vendentes, & ementes in templo. Christus autem laicus cùm esset, vtpotè de tribu Iuda, non intrabat in Sancta Sanctorum. Et hæc quidem de hac quæstione probabiliter sint dicta, quæ videntur nobis veriora, & Scripturis consonantiora.

Iam postremò verba textus ponderanda sunt, vt non casu, verùm diuina Prouidentia, factum putes, legem aduentu gratiæ perfici, ac maturari: peculiaris siquidem Dei prouidentia designatur in Euangelio, quoties dicitur: *Et factum est*, subdit: *Cū Sa-* Quid illud: in ordine vicis suæ.
cerdotio fungeretur in ordine vicis suæ, id est, in octaua, pro qua psallebat Dauid in titulis quorundam psalmorum, 6. & 2. sequitur: *Ante Deum.* Quia peculiari ratione in templo adesse creditur; vt omnes ibi sacrificantes Sacerdotes, siue laici diuinis officijs intenti Deum cogitent, eumque quasi præsentem, vt verè est, habeant.

Tertiò addit, *Secundùm consuetudinem* Consuetudo vim legis obtinet.
Sacerdotij, sorte exijt, vt incensum poneret. Vbi in primis consuetudinis meminit, qua vnus alteri succedit, & quæ vim legis obtinet, quam consuetudinem Dauid familiarum 24. ministeria per hebdomadas diuidendo introduxerat. Ideò non dixit Euangelista: *Secundùm præceptum, vel legem*, quia nil tale Moyses constituerat. Quod verò subdit, *Sorte exijt, vt incensum poneret*, dupliciter exponi potest, vel vt Beda superiùs Beda in Lucam tom.5.
appellatus, interpretatur, nempè modò nō exijsse forte, sed olim tempore Dauidis: nam tūc Abiæ & successoribus octaua sors contigit. Vel, vt alij probabiliter existimant, cùm de eadem familia, & forte Abiæ plures essent Sacerdotes, sorte deligebatur, quis eorum incensum adoleret. Græcè enim dicitur, ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι: id est, designatus est, qui incensum poneret, siue, Caietanus.
qui thus incenderet. Vana est autem ponderatio eorum, qui putant Euangelistam dixisse thus ponere, & non adolere; quasi verò sermo sit de thure ponendo, & non adolendo, cùm Græcè vnicum sit tantum verbum, quod est thus, vel suffitum adolere.

reditatem capitis salutis; & quo in templo, & sacrificio mente erectā, & in Deū eleuatā stare doceat; & quoniā ad fortiora prænuncianda mittitur, stat diuina iuxta fortitudinem, quam nomen Gabrielis designat.

Gabriel fortitudinem sonat.

Quartò aduerte, Zachariam videntem turbatum esse, & timorem super eum irruisse: à re ergo insolita turbat' est, timuitque. Non enim ad homines vulgato hominum more spirituales illę, & purę intelligentiæ veniunt; sed repentè, & præter opinionem oculis sese nostris aspiciēdas exhibere solitæ sunt. Sed fortassis obijcies: Qui fit igitur, vt Abraham, Loth, Tobias ad Angelorum non fuerint perturbati præsentiam? Respondemus: quandoquidem non Angelico, at humano more conspiciendos sese Angeli prębuerunt; nempè humanam induti formam, & hominum instar agentes, & conuersantes: secùs verò est cùm repentè vestibus splendidis induti apparent; nam tunc fere terribiles existunt. Hinc Daniel cap. 10. viso Angelo exhorruit, & dixit; *Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remāsit virium.* Sic etiam Maria Virgo turbata est ad aspectum, sermonemq; Angeli, sicut & sanctæ fœminę, quæ Christi sepulchrum visendi gratia accesserunt, de quibus Euangelista testatur, *quòd exeuntes fugerant de monumento, Inuaserat enim eas tremor & pauor.* Adhęc nequiremere Zacharias turbatus est: nam vulgò receptum erat, eum stat in moriturum, qui Deum, vel Angelum sibi ob oculos apparentem vidisset. Nam Gedeon in libr. Iudic. cap. 6. cùm vidisset Angelum ad se loquentem in hæc verba prorupit: *Heu mihi Domine Deus: quia vidi Angelū Domini facie ad faciem. Dixitq; ei Dominus, Pax tecū: ne timeas, non morieris.* Eadē ratione vbi Manue Samsonis pater intellexit Angelum sibi apparuisse, dixit ad vxorem (vt habetur Iudic. 13.) *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Postremò Iacob post longam cum Angelo luctam vsque ad Auroram dixit; *Vidi Dominum facie ad faciē, & salua facta est anima mea,* id est: Non sum mortuus, vt putantur morituri qui vident Deum, sed saluus factus sum. Ita fortè Zacharias cogitans secum ipse, meritò turbatus est. Denique Zacharias turbatus timuit, quia solus erat, & nemo alius in illo loco: & quia se cœlesti oraculo indignum esse censebat. Quia iustus omnia timet, si ad se respiciat: qui verò non timet, vanè securus est.

Zacharias Angelo viso quare turbatus sit, timuitque.

Gen. 16. Infra 19. Tob. 6. & inde.

Cur Abraham Loth, & Tobias ad Angelorum non fuere per turbati præsentiam.

Luc. 1.

Mar. 16.

Gen. 32.

Iustus omnia timet, qui vero non timet, vanè securus est.

Quintò, respondet Angelus: *Ne timeas Zacharia.* Angelorum apparentium mos est, his, quibus apparent, timorem incutere; deinde verò blandiri, & consolari. Et quò magis alliciat, nomine proprio vocat Zachariā: quēadmodum simili visione turbatam Virginem, eam Angelus nominādo est consolatus. Dixit enim: *Ne timeas Maria; inuenisti enim gratiam apud Deum:* & sanctis mulieribus sepulchrū Christi inuisentibus: *Nolite expauescere.* Cacodęmon verò vice versa in principio blandiri, & allicere, postea verò contristare, & terrere consueuit. Quemadmodum virtus primo quidē aspectu aspera est, postea verò blāda: at cōtra, vitium principio quidem amœnum, & blandum, in fine verò amarum. Vnde Salomon dixit: *Est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.*

Angelus sanctus apparens primo quidē terrent, deinde consolantur.

Luc. 1.

Mar. 16. & Matth. vlt.

Dæmon apparens, principio blandiri quidem & allicere, postea verò contristare, & terrere consueuit.

Prou. 16.

Sextò sequitur: *Quoniam exaudita est deprecatio tua.* Dubitatur qualis fuerit oratio Zachariæ, an pro auferendo vxoris suæ sterilitatis opprobrio; an vero pro aliquo bono communi, & generali, ac proinde pro aduentu Messiæ, id quod Augustinus videtur sentire libr. quæst. Euangeliorum his verbis: *Primò hoc attendendum est, quàm non est verisimile, vt cùm pro populi peccatis, vel salute, vel redemptione ille offerret, siquidem populus eum expectabat offerentem, quòd potuerit relictis publicis votis, homo iustus, & senex, vxorem habens anum: pro accipiendis filijs orare: præsertim quia nemo orat accipere quod se accepturum esse desperat. Vsque adeò autem ille iam se habiturum filios desperabat, vt hoc Angelo promittenti non crederet. Ergo quod ei dicitur: exaudita est oratio tua: pro populo intelligendum est, cuius populi quoniam salus & redemptio, & peccatorum abolitio per Christum futura erat, ad hoc nunciabatur Zachariæ filius nasciturus, quia præcursor Christi designabatur.* Hæc ille. Adde Zachariam pro salute populi fuisse precatum, & pro aduentu Messiæ, pro quo tam celebres laudes, & gratiarum actiones Deo decantauit, cum soluto linguæ vinculo dixit: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Ecce Patrum cū Deo luctā completā, orationem scilicet iugem, & indefensam pro aduentu Messię, & dicentium: *Obsecro Domine mitte, inquit, quem missurus es: Emitte agnum Domine dominatorem terræ; Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes: Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum.* Hæc erat omniū Patrum oratio, hęc eorum expectatio, hoc eorum desiderium, & votum. Et confirmatur hic sensus, quia subdit: *Et vxor tua Elisabeth pariet tibi filium:* non.n. dixit, exaudita est deprecatio tua, quia vxor tua pariet tibi filium; sed præter impetratū Messiæ aduentū, addit in cumulum, & additamentū per copulam, *Et vxor tua pariet tibi filium,* qui illum tollētem peccata mundi, populo ostendat, vt Augustin.

Quid orauerit Zacharias in templo.

August. lib. 1. quæst. Euang. q. 1. to. 4. inter med. & initium.

Luc. 1.

Exod. 4. Isa. 16. Infra 64. Supra 45.

Ioan. 1.

& Theophylactus sentiunt. Ad rem etiam erat præcursor, qui vias Domini pararet.

Patentibus filiorum procreationem tribuere Scriptura eas solet.

Illud quoque de more Scripturę notandum, filiorum generationem eorum parentibus tribui. *Pariet*, inquit, *tibi filium*, quod sępè dictum inuenies: nimirũ quòd parentes, eorumq; nomina in filijs suis cótinuationem habeant, in illis honorentur, atq; illustrentur. Quæ loquendi ratio Ethnicis scriptoribus ignota non fuit: dixit enim Latinus Poeta:

Virgil. 1. Aeneid. à medio.

Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisę
Alma Venus Phrygÿ genuit Simoentis ad vndam?

Ad Zachariam non ad Elisabetham, ad Virginem, non ad Iosephũ, cur Angelus missus.

Mittitur ad Zachariam Angelus, qui ex ipso generandus filius; non autem ad Ioseph virũ Mariæ, sed ad Virginem, quia ex ipsa sola generandus, & in lucem edendus Messias. Vnde Angelus, qui post conceptum Christum apparuit Iosepho, non dixit: *Pariet autem tibi filium*, sed absolutè, *Pariet autẽ filium, & vocabis nomen eius Iesum*: Nã Ioseph ad procreationem Christi non concurrit, quemadmodum Zacharias ad Ioannis Baptistæ propagationem. Habet autem pondus suum, quòd Angelus nó dixit: *Vxor tua* simpliciter: sed addidit, *Elisabeth*: quasi dicat: Hæc vxor quam habes, quæ iam annorum numero sterilis computatur, *pariet tibi*: non est opus alia vxore: & non filiã, quę & ipsa grata foret, sed filium masculum, qui gratissimus erit. *Et vocabis nomen eius Ioannem*. Quod & ad gloriam Ioannis, & gaudium Zachariæ pertinet, quod filio nondũ nato nomen imponitur, & nomen officio suo accommodatum: à gratia enim appellationem accepit, qui summæ gratię, & benignitatis pręco esse debebat, & qui gratuita Dei munificentia datus est parentibus in senectute, & in quo, vtpotè magno coram Domino, gratia Dei singularis per omnem ætatẽ effulsit, & ad gratiam Christi accipiendam suo baptismo, pœnitentia atque prædicatione disposuit. Significat etiam *Ioannes*, gratiosum, vel in quo gratia Dei, vel misericordia inest. Solebat autem Dominus ijs olim nomina, ante natiuitatem imponere, qui magni apud Deum futuri essent, sicut Isaac, Ismaeli, Samsoni, Iosiæ, Cyro, & in Euangelio, Iesu, & Ioanni. Vnde eleganter Chrysostomus: *Illud quoque oportebat exprimere, quoniam quibus ab ipsa teneritate infantiæ virtus refulgere debebat, à principio diuinitus sumebant nomina: ijs verò, qui postea debebant excrescere, nomen postea imponebatur*. Hæc ille.

Matt. 1.

Præcursori cur nomen Ioannis impositũ.

Ioannes quid sonet.

Quibus olim ante ortum nomina Deus soleret imponere.
Gen. 17.
Supra. 16.
Iudic. 13.
3. Reg. 13.
Isa. 4. & 45.
testatur Ioseph. lib. 11. de anti. cap. 1.
Luc. 1. &c.

Subdit: *Et erit gaudium tibi, & exultatio*. Quasi dicat, Mærorem, quem tibi attulit hactenus coniugis sterilitas, maximo gaudio interno, & in externam vsque exultationem erumpente Deus pensabit. Et non solùm gaudium intra parietes cótinebitur, verùmetiã gaudebunt tuo gaudio cóplures amici, qui prius tuo dolore dolebant. Multi quidem pueri nascuntur, qui maximi doloris caussa existunt, qui simulatque adoleuerint, & parentibus, & vicinis redduntur odiosiores: qui verò bonæ sunt indolis, & probatæ, integręque vitæ, alios suo exemplo ad Deum pertrahunt, benedicunturque eorum progenitores, & commendantur. Hæc autem multorum lætitia, ad filios Israel non solùm, & Christianos spectat, sed etiam ad Saracenos, ac Turcas, qui diem Ioannis natalitium ingenti cum gaudio celebrant: tam potens est veritas, vt etiã ab hostibus, & inimicis agnoscatur, & in veneratione habeatur, quanquàm pauci imitétur. Virtus enim in principio diligitur, & ob tædium nostrorum peccatorum, Sancti ab initio diliguntur: at vbi cæperint iudicare de nobis, & vitia nostra reprehendere, atque vt similes sibi ipsissimus, exigere, ibi iam non gaudemus cum ipsis, sed tantum illi, qui emendantur, ac bonos imitantur.

Matth. 1. Chrysost. ho. 18. in Ioan. hãc habet in sententiã, to. 3. sub initium.

Dies B. Ioannis Baptistæ natalitius vel ipsis Saracenis ac Turcis faceta atque solennis.

Subdit textus: *Erit enim magnus coram Domino; & vinum & siceram non bibet; & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ: & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam*. Reddit his primis verbis rationẽ eius gaudij quod prę cesserat. Nam idcirco pater, & multi alij cũ eo gaudium percepturi erãt: quod ex nouitate partus intelligerent eum magnum futurum. Septem Angeli ante Deum astant, vt in libro Tobiæ dicitur, & in Apocalypsi, quorum vnus est Gabriel, qui Dei mei fortitudo, interpretatur, à quo Ioãnes hoc loco quinque modis laudatur.

Tob. 12.
Apoc. 1.
Gabriel quid significet.

Primus est: *Hic erit magnus coram Domino*. Dices; Nunquid refert coram Domino, vt quis sit magnus, vel pusillus? Goliat enim ingentis magnitudinis describitur; at Zachæus statura pusillus erat. Nõ ergo loquitur Angelus de magnitudine staturæ, vt ait Ambrosius; vel de magnitudine potentiæ secularis, verùm de mole virtutis, & perfectionis. Nam & nobis magnus habetur, & dicitur, qui etsi statura paruus sit, tamen propter excellentem virtutem magni nominis est, & existimationis. Vnde Origenes hæc ipsa Euangelistæ verba pertractans Homil. 12. in Leuiticum ita scribit: *Peccatum hominem paruum facit, & exiguum: Virtus, eminentem*

1. Reg. 17.
Luc. 19.

Ambro. lib. 1. in Lucam, cap. 4. in princ. to. 5. initio.

Orig. tom. 1.
Virtus sola eminentem præstat, & magnum secundum Orig.

nentem

Peccatum hominē paruum facit, & exiguum. Simile.

nentem præstat, & magnum. Sicut enim ægritudo corporis exile, & exiguum facit corpus hominis, sanitas verò latum reddit, & validum: ita intellige, quia & animā ægritudo quidem peccati humilem facit, & paruam, sanitas verò interioris hominis, & virtutis opera, magnam faciunt eam, & eminentem, & quanto in virtutibus crescit, tanto prolixiorem reddit magnitudinem sui. Nam secundùm corpus crescere, & magnum fieri, non est in nobis. Corpus enim ex genitali origine quantitatis materiam sumit, vt vel magnū, vel exiguum fiat. Anima verò in nobis habet causas & arbitrij libertatem, vt vel magna, vel parua fit. Sic Origenes doctè, & eleganter. Vt ergo in Veteri Testamento *Moyses vir magnus valde*, & Isaac valde magnus appellatus, non quod fuerit procerioris corporis, sed quòd magnus habitus sit coram Deo. Ita de Ioanne dicitur, *Erit magnus coram Domino*, id est, pretiosus illi, & vnicè charus; ac proinde multis, & singularibus donis ornatus. Quòd si omnes gentes quasi nō sint, & sicut stipula, & aquæ situla ante Dominum: quatenus (quæso) erat Ioannes, qui ante Deum magnus dicitur? Quod si fluuius comparatione maris, quod finitum est, magnus diceretur: quid erit coram Deo infinito magnum esse?

Exod. 11. *Gen. 26.*

Quid est quod B. Ioannes magnus dicitur coram Domino.

Deus non decipitur in æstimando, nec decipit. Tantus quisque est, quantus est apud Deum: humilis aiebat B. Franciscus egregie. *Psalm. 61.*

Rursus erit verè magnus, quia sic absolutè decretum est: nam Deus nō decipitur in æstimando, nec decipit. Vnde vir Apostolicus B. Franciscus dicere solitus erat: *Tantus quisq; est, quantus est apud Deum.* Contra vero *mendaces filij hominum in stateris* iudiciorum suorum, qui quos volunt, erigunt, & exaltant: & quos volunt, hos deprimunt atque deijciunt. Sed facile est mundum fallere: & aliquando (mihi crede) detegetur fraus, & apparebit paruitas eorum, quos mundus vel fictè, vel verè admirabatur, ac suspiciebat: & videbitur magnitudo eorum, quos idem mundus fallacissimus deprimebat, & subsannabat. Hinc ergo patet, quantum à Deo diligeretur Ioannes. Nam qui multū à Deo amatur, magnus est: qui verò parùm diligitur, paruus est: qui nihil amatur, nihil est. Vnde Apostolus dixit: *Si charitatem*, id est, Dei amorem, *non habuero, nihil sum.* Magnitudo igitur in hoc consistit, vt quis multa habeat, & multa etiam det: vt faciat etiam minima, & doceat ea seruare: nā teste Christo: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Ioannes autem, qui lucerna erat sibi ardens, & alijs lucens, vtrunque & quidem cumulatè præstitit.

Qui magnus sit coram Domino, qui paruus, qui nihil. *1. Cor. 13.* *Matth. 5.* *Ioan. 5.*

Porrò verbum illud, *Coram Domino*, potest esse Hebraismus: sicut alibi dicitur de Nemrod, quod erat robustus venator corā Domino, hoc est, ingens vehementer. Atque ita Ioannes magnus coram Domino, dum dicitur magnitudo eius insignis, & excellentia sublimis denotatur. Vel magnus coram Domino, non coram se ipso, vel coram populo, sed coram Deo, videlicet iudicio, & æstimatione Domini (qui falli, aut fallere quemquam nō potest.) Tametsi aliter homines iudicent. Cuius magnitudinis plura existunt argumenta: Nā priùs sanctus fuit, quàm natus, ex vtero vaticinari incipiens, & Præcursoris officium agere. In natiuitate, soluens linguam genitoris, & matrem à sterilitatis opprobrio liberans: In pueritia magnus, quia ingressus fuit desertum: magnus in virili ætate, cuius vita tantæ admirationis fuit, vt habitus fuerit Christus, & Messias. Post mortem eius autem Christus Iesus spiritum Ioannis habere existimatus est.

Gen. 10.

Ioan. Baptistæ magnitudo vnde constet. *Luc. 1.* *Ibidem.* *Infrà 9.*

Sicera quid.

Sequitur secundum, de quo laudatur: *Vinum, & siceram non bibet*, vinum ex vite est, sicera, omne quod inebriare potest, ex quacunque materia cōfectum. Est enim significatio Hebræa, vox autem Syriaca: nā Hebraicè sacar, vel sicaron, est ebrietas, & sicar, ebrius, vel temulentus. Vnde Hieronymus ad Nepotianum de Vita Clericorum: *Sicera*, inquit, *Hebræo sermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare potest, siue illa, quæ frumento conficitur, siue pomorum succo, aut cum faui decoquuntur in dulcem, & barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisq; frugibus aqua pinguior coloratur.* Hæc ille, plures siceræ species describens, & magis vsitatas. Vino arte humana facto, primi omnium vsi sunt Ægyptij, vt refert Diodorus Siculus lib. 1. & Hispani olim, autore Plinio, vocabant Celiam, vel Zithum, quā nos modò ceruisiam vocamus. Estque sensus: Tantum aberit à luxu, cæterisque sensus oblectamentis, vt nec vinum, nec sicerā sit vnquam bibiturus. Ad hoc enim, vt quis sit magnus & plenus, oportet, vt prius sit benè vacuus, & vt amorem sæculi effundat, quò amorē Dei accipiat. De primo ait: *Vinum, & siceram nō bibet*: de secundo verò dicit: *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Ambrosius legit, adhuc in vtero matris: Græca vero habēt: ἔτι ἐκ κοιλίας, quod aduerbium est ab interprete nostro redditum. Explicatiùs tamē diceretur, iam inde ab vtero, quo lōgè repetitum significamus initium: id est, spiritum acceptum in vtero seruaturus est in finem vsque: quod maximum est, & grauissimum testimonium. Quemadmodum Apostolus ad Ephes. pulchrè ait: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto, &c.* vt locus locum declaret. Est autē in vino luxuria eo modo, quo in silice est ignis; id est, virtute,

Hieron. epist. 2. sub finem, tom. 1. initio. Siceræ varia genera.

Vino arte humana facto primi omnium vsi sunt Ægyptij. *Diod. Sicul. Plin. lib. 22. c. vlt. in fine.*

Ambr. lib. 1. in Lucam, c. 4 tom. 5. initio.

Ephes. 5. Quomodo in vino sit luxuria, vt Apostolus inquit.

Qualis sit illa separatio quã venit Christus mittere in terram.

hæc separatio ad hoc tendit, vt victor victũ ad se conuertat, vt non communicet alteri, priusquam ipse eiusdem sententiæ, & religionis euadat. Vt autem verus sensus religionis habeatur, nulla ratione duntaxat meliùs fit, quàm acta peccatorum pœnitentia, quam Ioannes prędicabat: nam cùm veritas à Deo sit, nemo melius illã agnoscit, quàm qui à peccatis discedit, quæ à Deo separant, iuxta Isaiam. Sequitur:

Veritatem Dei quis optimè agnoscat.

Isai. 59.

Et incredulos ad prudentiam iustorum. Declaratio est superiorum verborum; qui Hebraismus in Scripturis inuenitur frequenter. Tunc autẽ conuertuntur corda patrum in filios, cùm hi qui inobedientes, & increduli erant, ad prudentiam iustorũ & fidelium reuertuntur. Vel potiùs his verbis explicat, quod sequitur post prædicta verba apud Malachiam: *Et cor filiorum ad patres eorum:* vt explicet Angelus tam se, quàm Prophetã loqui de filijs incredulis, & de parentibus iustis. Et sic declarantur præcedentia verba increduli Græcè, nõ ἀπίστους, sed ἀπειθεῖς, id est, inobedientes: quod hic egregiè quadrat, vbi mentio fit patrum, & filiorum, & vbi non dicitur ad fidem iustorum, sed ad prudentiam. Tempore etiam quo prędicabat Ioannes, nondum Christus prędicabat, vt illi esse possent increduli. Iudæi ergo erant inobedientes, eò quod mandatis & doctrinæ Patrum nõ parebãt. Est autẽ prudentia iustorum, vt testatur Beda, nõ de legis operibus iustitiam arrogare, sed ex fide salutem quærere, vt quamuis in lege positi legis iussa perficiant, gratia se tamẽ Dei per Christum saluandos intelligant: *Iustus enim ex fide viuit.* Et Petrus de iugo legis ait: *Quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus: sed per gratiã Domini Iesu credimus saluari, quemadmodum & illi.* Hæc etiam fuit prudentia iustorũ Veteris Testamenti, vt in cæremonijs & sacrificijs aliud viderent, & aliud intelligerent, scientes legem nihil aliud esse, quã vmbram futurorũ bonorum. Et quia incredulos opponit prudẽtiæ, certè qui fide carent, prudentiam non habent, saltem iustorum, quæ alio nomine dicitur à Salomone scientia iustorum: *Iustum,* inquit, *deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum.* Est namque scientia sãctorũ, siue prudentia iustorum, scientia diuinitùs infusa nõ sine fide, per quã spiritum corpori, æterna temporalibus, & fluxis, Creatorẽ creaturis præterimus. Possumus & illud expendere, Angelũ nõ dixisse, & incredulos ad Fidẽ, sed, ad prudẽtiam iustorum, quoniam Iudæi non nisi per imprudentiam peccarunt, nõ applicantes prędicta Prophetarum oracula de Messia ipsi

Per incredulos quinam hoc loco.

Iustorum prudentia quę sit. *Beda lib. 1. c. 2 in Luc. tom. 5. Habac. 2. & Rom. 1. Act. 15.*

Iustorum prudentia veteris instrumenti quæ fuerit. *Hebr. 10.* Infideles prudentiam iustorum non habere, vnde constet. *Sap. 10.*

Scientia sanctorũ quæ sit iuxta Salomonem.

Iudæi quàm imprudentes.

Domino Iesu, atque eius signis & operibus & alijs loci, temporis, & modi circunstãtij ex quib⁹ imprudẽter libratis & ponderatis malè intulerunt, Iesum non esse Messiam.

Sequitur: *Parate Domino plebem perfectam.* Verbum Græcum κατεσκευασμένον, non tantùm significat apparatam, sed etiam perfectam, & absolutã, hoc est, instructã, probatam, atque accinctã ad Christum fide recipiendum. Nõ autem dicit, facere plebem perfectam, quia id Christi erat, sed, *Parare plebem*, quæ futura sit per Christi fidẽ perfecta. Præmisit siquidem Deus legem naturæ, vt cognosceret homo ignorantiam suam: nam offuscata per peccatum ratione, ligno, lapidi, & idolis vt dijs seruiebat. Deinde legem Moysi præmisit, quo mundus virium suarũ imbecillitatem, & naturæ impotentiam agnosceret, qua impeditus legẽ præstare non poterat. Postremò præmisit Ioannem qui diceret mundo: cognouisti te ex culpa tua ignorantem, nouisti te peccato tuo factũ imbecillem, atque impotentem: ecce medicinã: ecce medicum: ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quoniam ergo Ioannes erat vltimo loco ad disponendum, atque præparandũ mundũ ad Christum à Deo missus, & vt sic dicã, quasi vltima, ac proxima dispositio ad formam, meritò illi datum est parare Domino plebem perfectam, id est, introducere vltimam & perfectã dispositionem ad Christi Messiæ susceptionem. Voluit enim Deus Opt. Max. genus humanũ ad Christũ præparari non secùs, quàm materiam ligneam, quæ in primis dolatur, & præparatur ad insigne aliquod & pulchrum opus in eo cœlandum, pingendumúe. Magnum profectò erat Incarnationis mysterium creaturæ rationali donandum: magna ergo opus fuit præparatione.

Ioannes tantum parare, at Christus facere debuit plebem perfectã.

Lex naturæ à Deo cur instituta.

Lex Moysi à Deo cur data. *Rom. 7.*

Ioan. 1.

Qua ratione Deus mundũ disponi ad Christum voluerit ac præparari.

Et dixit Zacharias ad Angelum, Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Et respondens Angelus, Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te; & hæc tibi Euangelizare. Et ecce, eris tacens, & non poteris loqui vsq; in diem quo hæc fiant: pro eo q; non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. Vide humanæ fidei imbecillitatem: audierat ab eo, quẽ esse Angelum non dubitabat, & tamen signum petit, quod est incredulitatis argumentum, & rationem in oppositum subiungit, proferendo suam, & suæ vxoris ætatẽ ad prolis susceptionẽ ineptam. Demittit ergo cogitationes ad naturæ vires, quæ iam per ætatem non erant eius boni capaces; quod Angelus pollicebatur. Sed permittitur infirmitas hæc magnis quoque viris, quales erant Sa-

Humana quanta sit incredulitas.

Zacharias incredulus quæ beneficio cur ad tempus priuatus sit.

ra, &

lorum, in deserto incolendo in zelo contra peccatores, in verbo ignito. Nã Elias Propheta *surrexit quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*: Ioannes verò *erat lucerna ardens, & lucens*. Ille alebatur à coruis in deserto, & aquam potabat; ita hic locustis, & melle syluestri ab apibus confecto pastus est, & pauperem vitã egit, atque sobriam. Pugnauit ille in impium Achab, & Iezabelem eius coniugem; & hic in Herodem, & Herodiadem. Diuisit ille pallio Iordanem: in eodem Ioannes diuisit credentes baptizatos ab incredulis. Ille cum Domino apparuit in gloria quadam: nam curru igneo raptus fuit in cœlùm: hic cum Domino, & Messia est versatus in terris. Reliquit ille duplicem spiritum in Eliseo: reliquit & Ioannes Christum, in quo plenitudo spiritus inerat. Quemadmodum prioris hic aduentus in carnem ad seruandum mundum fuit præcursor: ita ille in secundo eius aduentu ad iudicandum seruatur in præcursorem. Et quia Ioannes generationis Christi secundùm carnem præcursor erat futurus: meritò Ioannis qui eum genuerunt, parentes ponuntur. Elias verò quia spiritualis aduentus, ideò sine patre introducitur in Scripturis: quemadmodum & de Melchisedech philosophatur Apostolus.

[Margin: Ioan. 5. — Eliæ cũ Ioanne præcursore comparatio. — 4. Reg. 1. — Ibidem. — Ibidem. — 3. Reg. 18. & seq. — Eccles. 48. — 3. Reg. 17. — Ioan. 5. — 3. Reg. 17. — Matth. 3. — 3. Reg. 21. & sequent. & — 4. Reg. 1. — Matth. 14. — 4. Reg. 2. — Matth. 3. — Infra 17. — 4. Reg. 2. — Ibidem. — Isai. 11. & — Ioan. 1. & — Infrà 3. — Apoc. 11. — Genealogiæ præcursoris, non autẽ Eliæ cur Scripturæ meminerint. — 3. Reg. 17. — Hebr. 7.]

Sequitur: *& virtute*, hoc est, fortitudine, siue robore; ex qua, abstinẽtia, zelus, magnanimitas, & patientia sustinens ab Herode martyrium. Ponderat Ambrosius duo hæc rectè coniuncta, spiritum, & virtutem, ab Angelo. Nunquam enim sine virtute spiritus, nec sine spiritu virtus est, hoc est, potestas benè operãdi, & aduersa quæque fortiter perferendi. Quare alibi ista iunguntur, vt in Actis: *Accipietis*, inquit, *virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos*; & Angelus ad Virginem: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Quidam tamen hæc verba: *Pracedet in spiritu & virtute Eliæ*, interpretantur, vt nõ tam fiat comparatio Eliæ præteriti cum Ioanne, quàm futuri: Vt enim ille præcessurus est secundum Domini aduentum, ita Ioannes primum. Et vt ille præcessurus est vt conuertat infideles ad Christum, iuxta Malachiæ vaticinium, dicentis: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam; antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*: (vbi apertè de secundo Domini aduentu est sermo, & subdit:) *Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*. Explicat autem Angelus, dicendo: *In spiritu & virtute Eliæ*: quòd eadem iste in primo sit operaturus aduentu, quæ ille in secundo: & eadem animi fortitudo ad subeundum, & operandũ quæuis ardua, demonstratur. Deinde probatur hic sic sus ex his, quæ Matth. 11. & 17. & Marc. 9. dicuntur. Vbi Ioannes Eliæ non tam præterito, quàm futuro cõparatur. Subiungit: *Vt conuertat corda patrum in filios*. Dupliciter possumus hunc locũ exponere. Primùm quidẽ, vt per patres intelligamus pios & iustos Testamenti veteris, per filios verò, sanctos noui Testamenti. Vt sit sensus, Ioannem Baptistam in sua prædicatione eò spectasse; vt quemadmodum Patres, Abraham scilicet, Isaac, Iacob, Moyses, & Prophetæ, atq; omnes iusti in Messiam futurum crediderunt, illumque desiderârunt videre, ita eorum filij in præsentem Christum credant; atq; ita corda, quæ fuerunt in patribus, hoc est, vota & desideria in filijs Messiam suscipientibus renouentur. Nã quasi cor parentum datur filijs, & transit in filios, cùm fidẽ parentum, & eorum exempla filij imitãtur, ac tenẽt: & parentes ita cõuertunt corda sua in filios, dum in illos affectũ suum bonum ostẽdunt, & gerunt, pro germanis filijs eos agnoscentes, & recipientes. Vnde Ioannes videns multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, vocabat *genimina viperarum*, notans eos non esse germanos sanctorũ filios; & adijciebat: *Ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abrahã*, quibus verbis studebat conuertere corda patrum ad filios iam pœnitentiæ fructibus emẽdatos. Vnde B. Augustinus lib. de ciuitate Dei hunc vult esse sensum, vt etiã filij, id est, Iudæi sic intelligant legem, quemadmodum eorũ patres, nimirùm Moyses, & Prophetæ, qui spiritali modo illã de Christo intellexerunt: quod certè à priori sensu non dissidet. Alter sensus est, vt per patres, intelligantur seniores: per filios, iuniores. Senes enim, & qui veteri assueuerãt legi, ad libertatẽ legis nouam difficiliùs quàm iuuenes adducebantur: ita vt prius conuertendi sint filij, patrum verò corda ad filios prius conuersos Ioannes sit cõuersurus. Et hæc quidẽ sententia cohæret cum eo, quod sequitur: *Et incredulos ad prudentiam iustorum*; non iustos ad prudentiam incredulorum. Ex quo Gagneus illa verba: *Vt cõuertat corda patrum in filios*, posita esse putat, pro conuertat filios ad corda patrum, id est, ad imitationẽ animi, voluntatisque parẽtum, sicut posteà nõ dixit: vt conuertat prudentiam iustorum ad incredulos, sed, incredulos ad prudentiam iustorum. Et sic conueniret hic sensus Gagnei cum priori. Quòd si dicas: Christus venit mittere non pacem, sed separationem, nempè patris in filium, & filij in patrem: quomodo ergo dicit: *Vt conuertat corda patrum in filios?* Respondeo.

[Margin: Ambr. lib. 1. in Lucam, c. 4 paulò à med. tom. 5. initio. — Actor. 1. — Luc. 1. — Sensus alter. — Apoc. 11. — Malach. vlt. — Matth. 11. — Infra 17. — Marc. 9. — Illud: vt conuertat corda patrum in filios, quid significet. — 1. Sensus. — Matth. 13. — Suprà 3. — Aug. lib. 20. de ciuit. Dei, c. 29. tom. 5. — II. Sensus. — Ioan. Gagneus in Luc. cap. 1.]

tantem matrem, atque in ea verbum sanctificans, infundensque spiritum ad Præcursoris officium inchoandū. Porrò hoc sanctificationis priuilegium nonnulli Hieremiæ concessum putant, propter illa verba: *Antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Sed Aug. ad Dardanum, in dubium vtriusque sanctificationem reuocauit, dicens: *Sanctificatio, qua efficimur & singuli templa Dei, & in vnum omnes templum Dei, non est nisi renatorum. Nemo autem renascitur, nisi prius nascatur: ergo nemo sanctificatur, priusquam ex vtero nascatur.* Hæc ille propemodū. Et ita sanctificationē eam, qua sanctificatus est Hieremias, putat intelligendā secundùm prædestinationem, sicut filios Dei: Apostolus Ioannes vocat nōdum regenitos. Sed certè argumentum Augustini non cogit: quia de Christo nondum in mundum edito dicitur: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est:* qui ergo in vtero natus est, etiam in vtero renasci potest, etsi nondum per Baptismum, ad quod probandum Augustini argumentū validū est. Et quamuis de Ioannis sanctificatione non sit ambigendum: tamen id quod sentit de sanctificatione Hieremiæ per prædestinationē sustineri potest. Nam præcedit: *Priusquā te formarem in vtero, noui te.* Et sequitur: *Et Prophetam in gentibus dedi te*, vbi de notitia, & vocatione per prædestinationē apertè loquitur. Idcirco quod in medio habetur, potest eodem modo accipi: tamen quia prædestinatio certa est, & certū effectū ponit, si in prædestinatione sanctificatus est in vtero, ergo idem postea re ipsa præstitit.

Hierem. 1.
Aug. epist. 57 à medio. to. 5.
Qualem Ioannis Baptistæ, ac Hieremiæ tribuat sanctificationem Augustinus.
Ioan. 1.
Ioan. Baptistā, atque Hieremiam in vtero sanctificatos fuisse ostēditur.
Matth. 1.

¶Quòd verò Ambrosius hoc loco de Ioanne ait: *Nondum erat illi spiritus vitæ, sed spiritus gratiæ:* intelligendū necessariò de exteriori aëris spiratione, ne cogites nondū animato Ioanni collatū Spiritum sanctum. Hæc autem Spiritus sancti infusio in nobis, nō nisi in Baptismo contingit. Et quia magnus erat Ioannes, & ad magnū officium à Deo destinatus, magnum planè vas erat, & sensuum victoria, fugaq; peccati euacuatū; propterea maximè fuit impletū Spiritu sancto, neque enim modico vino vas magnum impletur. Hinc Eubseb. *Sicut vas plenum balsamo admixtionem liquoris alicuius respuit, & penitus excludit: ita in eum* (scilicet præcursorem) *nihil sæcularis maculæ introire poterat, in quo sanctificationis plenitudo regnauit.* Hactenus ille. Sed pondera quæso verbum illud: *Adhuc ex vtero matris suæ.* Nam vt ait Bernard. Ioannes à Domino vt Angelus, per infusionem Spiritus sancti immediatè instructus est. Sicut enim Angelus nō indiget voce vt instruatur: ita nec Ioannes vox voce indiguit, cùm vox ipsa verbum proximè cōsequatur. Spiritu sancto igitur edoctus est: & nōdum vtens sensibus, ratione, & mēte vi potuit, vt sic matrem suam instrueret.

Ambr. vbi supra.
Quomodo verum de Ioanne dictū Ambrosij: Nondū erat illi spiritus vitæ, sed spiritus gratiæ.
Fideles tantū in Baptismo, nō ante illum accipiunt Spiritū sanctum.
Euseb. Emis. serm. 1. de natiuit. Ioan. Baptistæ.
Simile.
D. Bernard. Serm. in Natiuit. S. Ioannis Baptistæ.
Ioan. 1.

Quartum est: *Et multos filiorum conuertet ad Dominum Deum ipsorum.* Declarat Angelus quid per acceptum donū Spiritus sancti facturus sit in ætate virili Ioannes: nā prædicatione, habitu pœnitētiæ, & vitæ sanctitate verbum Dei ministrabit. Prædicatio autē fuit ad filios Israël, non autē ad Ethnicos, gentiles úe suscepta. Et benè ait: *multos filiorum Israël*, hoc est, turbam, & simplices Spiritu sancto trahenti haud resistentes. Quo verbo Pharisæos, & legisperitos excludit, qui consilium Dei spreuerunt in semetipsos, non baptizati baptismo Ioannis, vt dicitur apud Lucam. *Et conuertet*, ait, vt præcursor, *propè*, nō procul, *vt Propheta.* Et subdit: *Ad Dominum Deum ipsorum*, id est, ad Christum Messiam, Deum, & hominem, ex ipsis secundùm carnem progenitum, de quo subiungit: *Et ipse præcedet ante illum*, vt apertè Messiam Deum Angelus vocauerit.

Matth. 3.
Ioan. Baptista Iudæis prædicauit duntaxat.
Luc. 7.

Habet autem hic prędicator quid sibi facto opus sit: vt rectè prædicet, & populus auditor sui officij admonetur, vt cōuertatur ad Dominū, & resipiscat. Quanquā enim prædicator nō omnes conuertat: nō propterea tamen debet à prædicādi officio abstinere: nec rursus auditoris boni est ab officio suo audiendi cessare, propterea quòd alij non cōuertantur. Nā turba, imò etiā milites, & publicani, genus hominū alioqui à diuinis remotissimum Ioannem fructuosè audierunt, tametsi Pharisæi, & Scribæ eundem Ioannem, eiusque baptismum spernerent.

Boni prædicatoris, boni itē auditoris quæ sint partes.
Luc. 7.

Quintum, de quo laudatur, sequitur: *Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ. Ante illum*, ait, nempè quem prędixerat Dominum Deum ipsorum, id est, Messiam. Et hinc euadit manifestum, Zachariam in oratione aduentū Christi postulasse: ad quam postulationem nunc respondet Angelus. Præcedit ergo proximus ante illum, occupans dignissimū locum, qui est immediatè propè Regem; cùm Apostoli sequantur, nō præcedant. Præcedet autem natiuitate sex mensibus antè, tum prędicatione regni cœlorū ad populum, tùm etiam ad sanctorum Patrum limbum quem vocant, descensu. Ad quod alludens Ambrosius, scribit: *Benè etiam præibit ante faciem Domini sanctus Ioannes, qui prænuncius natus est, & prænuncius mortuus est.* Sic ille. Præcedet, inquam, in spiritu Eliæ, non in persona, vel in anima Eliæ, in quo sensu Eliam se esse, Ioannes ipse negauit, legatis missis à Iudæis; verùm in donis spiritus, quibus similis est Eliæ. Similis est enim Ioannes Eliæ in veste ex pilis Came-

Ibidem.
Pro aduentu Messiæ orasse Zachariam in templo, vnde perspicuum fiat.
Luc. 1.
Matth. 3.
Ambr. dicto loco.
Præcedere in spiritu & virtute Eliæ, quid.

lorum,

tit, donec illa, quam prædixit Angelus, nascatur vox. Incredulitas etiam aptè silentio plectitur: quid enim loquatur nisi stulta? Iustè ergo sancto viro aufertur loquela, vt loqui incipiat, cùm fidelis esse cœperit, iuxta illud: *Credidi propter quod locutus sum.* & Apostolus: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Aliud quoque mysterium indicat Augustinus lib. Quæstionum Euangelicarum: ait enim: *Intelligendum est significasse quod Prophetia vsque ad Ioannem, tanquam à sono sileret intelligibili, quia non est intellecta, donec in Domino compleretur.* Hæc ille. Quod si vir sanctissimus Zacharias pœnas dedit ob momentaneam incredulitatem, multò maiores dabunt Iudæi ob pertinacem, ac perseuerãtem infidelitatẽ, quam Isaias, & Christus prædixerunt. Paruitas autem pœnæ testatur peccatũ Zachariæ veniale, & leue fuisse, quasi sit inexcusabilis saltem à veniali delicto, quòd eruditus Sacerdos in loco sancto sacra peragens, & nuncium de salute populi accipiens, haud crediderit. Obmutuit autem Zacharias, vel quia instrumenta loquendi inepta reddita erant, vel si erãt idonea, Deus ad ea suo auxilio non concurrebat, citra cuius auxiliũ, ac cõcursum vocalissimus quisque fit elinguis: quemadmodum ignis succẽsus in fornace, quia Deus cum illo non concurrebat, tres pueros vrere nunquam potuit. Aliqui tamen exponũt, non solum mutum, sed etiam surdum effectum fuisse: cuius sententiæ est Theophylactus, qui ait: *Meritò duo hæc passus est, & quod non audiret, & quod non loqueretur. Quia enim non audierat, condemnatur vt surdus sit. & quia contradixerat, vt sileat.* Sic ille. & confirmatur: quia Græcè dicitur κωφὸς, quæ vox non solum mutum, sed etiã surdum significat: imò propriè surdum, & ex consequẽti mutum: quia qui natura sunt surdi, necessario sunt muti. Hinc rectè Ambrosius noster dixit: *Incredulitas affatum eripuerat, & auditum.*

Psalm. 115. *Rom. 10.* *Aug. lib. 2. quæst. Euang. c. 1. to. 4.* *Isa. 6.* *Matth. 13.* Zachariæ Angeli verbis increduli venialis tantum culpa quod fuerit, vnde constet. Zacharias quomodo obmutuerit. *Dan. 3.* *Theophyl. in Lucam.* Zacharias nõ tantum mutus sed & surdus per Angelum effectus est. Κωφὸς Græcè quid. *Ambros.*

Sequitur. *Et erat plebs spectans Zachariam, & mirabatur quod tardaret ipse in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos: & cognouerunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus.* Populus foris expectabat, nempè in atrio, ignorans quid intus ageretur. *Cognouerunt quod visionem vidisset*, tùm ex insolita mora, vultusq; mutatione, & colloquio Angelico, tum ex loquelæ amissione, quibus ille silentij caussam nutibus indicabat. *Et mirabantur.* Quod quidem verbum nostros percutit, qui ante benedictionem Sacerdotis à Missæ sacrificio citra legitimam caussam ædes repetunt suas, ad potandum sæpenumero, & ludendum. Et vt exponit Theophylactus: *Vsque modo Iudæus foris est, expectans verum Christũ Sacerdotem venturum: & miratur quod tantum tardet. Et sui sacerdotes, & Prophetæ redditi sunt elingues, & muti, nihil valentes populum docere, donec Dominus dignetur aperire obscura Prophetarum, & per suos Apostolos illa loqui de Christo, qui iam venit.*

Notantur fideles, quod citra caussam incompleto Missæ sacrificio se domum recipiunt, aut recedunt.

Theophyl. vbi sup. Contra Iudæos adhuc præstolantes Messiam.

Sequitur in textu: *Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam. Post hos autem dies concepit Elisabeth vxor eius (& occultabat se mensibus quinque,) dicens: Quia sic fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.* In primis, *Impletos dies officij*, vocat peractam hebdomadam ministerij, & functionis Sacerdotalis, quę Gręcè λειτουργία dicitur: quo tempore non solùm ab vxorum complexu, verùm etiam ab ipso domorum suarum abstinebant ingressu. Quales ergo, & quam sanctos, sobrios, ac pudicos Sacerdotes decet habere Nouum Testamentum, si vetus tales habebat? Porrò Zacharias accepto tantę lętitiæ nuncio, quòd talem ex Elisabeth filium esset suscepturus, minimè effertur lætitia, neque mox domum accurrit ad vxoris amplexus, verùm expectat donec impleatur ministerij dies. Ita viri Deo coniũcti, omnia grauiter, maturè, ac circumspectè agunt.

Per impletos dies officij quid. Λειτουργία Græcè quid. Quales deceat Nouum Testamentum Sacerdotes. Spirituales ac sancti viri omnia grauiter, mature, ac circumspectè agunt.

Post hos autem dies concepit Elisabeth vxor eius (& occultabat se mensibus quinque) Ignorabat Elisabeth pueri nascituri mysterium, atque ea fausta, & læta quæ Angelus viro suo nunciauerat. Nam cùm Zacharias vir eius mutus esset effectus, haud quaquam poterat vxori illa applicare: quanquam nutibus viri, & indicijs aliquid magni pręsagiret animus eius. Et vide pudorem, & honestatem Euangelistę in scribendo: quia tacito congressu Zacharię cum vxore, dicit illam concepisse. Illa tamen sentiens, se pręter omnem expectationem concepisse, gratum animum ostendit, cùm dixit, respexisse eam Dominum, & abstulisse opprobriũ suum, quod sterilitatis caussa passa fuerat hactenus.

B. Lucæ modestia, ac verecundia.

Addit verò, *Inter homines*: quia illi soli eam putant opprobrio dignam, & indecoram. Deo enim nullum est opprobium, qui illam plerunque nouit esse naturalem. *Tamen occultauit se mensibus quinque*, donec scilicet ad B. Mariæ aduentum, & salutationem res tota patefieret: puero eius in vtero exultante, & prophetante, secundum Origenem: vt iam Christus sit præcursor præcursoris sui. Et vide verecundiam, modestiamque Elisabethæ se occultantis, in qua filiam Sarę possis agnoscere, quę dixit: *Post-*

Cur Elisabeth à Deo ablatũ sibi opprobriũ dicat inter homines. *Luc. 1.* *Orig. hom. 7. in Luc. inu. tom. 2.* *Gen. 21.*

quam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operã dabo? Occultauit se ergo Elisabeth.

Cur se occultauit Elisabeth.

Primum quidem, ne vanus esset conceptus. Deinde ne videretur ex alio forsitan viro concepisse, illamque vnà cum Zacharia tot annos sterilem fuisse: quis enim eã crederet ex Zacharia sene concepisse: quę ex iuuene non conceperat? Ad hæc significatur illis verbis, quod iam nõ conueniebant inter se concubitu coniugali: neq; enim, vt ait Ambrosius, *Ea quæ senilem non erubesceret coitum, erubesceret partum?* Docetque nos Elisabeth hac sua occultatione, vt quod in nobis est, occasiones de nobis malè loquendi, vel suspicandi subtrahamus, & ne nostra ipsi dona mox in alios effundamus, sed tẽpus expectãdum, quo Deus ipse dona sua nota fieri velit. Prætereà forsitan occultabat se priusquam vterum posset ostendere, & dare gloriam Deo: nã anteà vix homines credidissent. Fuit etiam melius, vt expectaret impleri Spiritu sancto, quò sic melius daret gloriã Deo. Postremò secundum Ambrosium, erubescebat eã ætate liberis operam dedisse: *Sunt enim ipsi quadam tempora* (vt idẽ Ambrosius ait) *præscripta coniugio, quando dare operam liberis sit decorum. Dum anni vigent, dum suscipiendorum liberorum spes est, dum generandi vsus est in exemplo, copula quoque vsus in studio est.* Hæc ille. Verbum autem, *dicens*, non est referendum ad, *occultabat*, sed ad, *Concepit*: vt sit sensus, quod concepit honorificans Deum. Et quod dicitur (*Occultabat se mensibus quinque.*) per parenthesin legendum est. Existimat Caietanus, occultasse se mensibus quinque in publicum haud prodeundo, quod tam grandi prouectaque ætate operam dedisse liberis erubesceret,

Ambr. lib. 1. in Luc. c. vlt. tom. 5. init.

Occultatio Elisabeth, quale nobis documentum præbeat.

Amb. ibidem.

Quænam tempora liberis operam dandi sint præscripta coniugibus secundum Ambr.

Caiet. in Luc.

quod vterus teliabatur. At certe à duobus vel tribus mensibus non erat cur se occultaret, cum nullus adhuc appararet tumor. Ergo dicẽdum quod occultauit se per quinque menses concepisse, ne ridiculum videretur, si post euulgationem conceptus vanus processisset, atque de conceptu gloriari videretur inaniter. Post menses verò quinque cum tumor vteri appareret, non iam conceptum celauit, sed apparentem in se diuinam bonitatem prædicauit. Hanc verecũdam modestiam, vel modestam verecundiam debent omnes Christiani seruare, & cõiugale officium summa cum modestia exercere, quod Apostolus docuit, *Vt sciat,* inquit, *vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore: non in passione desiderij, sicut & Gentes quæ ignorant Deum*, sed pro eo Venerem, & cupidinem colunt. Nos ergo, qui Christum mente concepimus, discamus cum Elisabetha bonum animi conceptum ad tempus occultare, ne ostentatione inani ante tempus prolem bonorum operum, & salutis æternæ imprudenter amittamus, sed seruemus præceptum Apostolicum: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Insidiatur enim Pharao infantibus recens natis, vt interficiat. Ideò oremus Dominum, vti sua pro bonitate nos seruet in abscondito tabernaculi sui. Præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto ab omni creatura reddatur omnis honos, gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

Cur se occultauit Elisabeth mensibus quinque.

Quales esse debeant coniuges Christiani.

1. Thes. 4.

Coloss. 3.

Exod. 1.

Psalm. 26.

Tomi secundi Finis.

INDEX LOCORVM NOTABILIVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVAE IN HOC secundo Tomo Alfonsi Salmeronis latius explicantur.

Finis Indicis locorum notabilium S. Scripturæ, in hoc Secundo Tomo explicatorum.

INDEX RERVM OMNIVM, QVÆ IN HOC SECVNDO TOMO ALFONSI SALMERONIS CONTINENTVR.

Prior numerus paginam indicat, posterior columnam demonstrat.

A.

D.

E.

F.

G.

H.

M.

Q.

R.

T.

V.

Videns

Finis Indicis in secundum Tomum Alfonsi Salmeronis.